
37
20 C
9



HIERONYMI

OSORII LVSITANI EPISCOPI ALGARBIENSIS

Operum

Tomus Secundus.

AD


PHILIPPVM I. PORTVGALIAE

REGEM INVICTISSIMVM.

ROMÆ,

Ex Bibliotheca Georgij Ferrarij, M.D.XCII.

SVPERIORVM PERMISSV.



Esta expurgado conforme a la censura del supremo Consejo de la S.ta y general ynq.on [illegible]

el doctor [illegible]

Examinatus et correctus [illegible] inquisitionis [illegible] catalogum novi expurgatorii anni 1613 in monasterio Divi Hieronimi de guisando 27 de februarij anni 1614.

[illegible signatures]

[illegible] GARI [illegible]



ROMAE

Ex Bibliotheca Georgii Ferrarii. M. [illegible]

SVPERIORVM PERMISSV.

ADMONITIO
AD LECTOREM
IN SEQVENTEM EPISTOLAM
Ex ordine

R. P. MAGISTRI SACRI PALATII.



Lisabetha, ad quam Auctor sequentem scripsit Epistolam, est Henrici Octaui, ex Anna Bolena, superinducta concubina, (cum adhuc legitima viueret uxor) filia. Quam, licet spuriam, impurissimis ortam natalibus, atque ab infantia ad haresim, & impudicitiam, edoctam, Clementisq. Septimi, ac Pauli Tertij, sententijs, hereditarij Regni incapacem declaratam, voluit tamen Pater, Ordinum etiam ad id procurato consensu, post Eduardum, & Mariam legitimos liberos, in Regnum suum succedere. Henrico ergo Patre, & Eduardo fratre vita simul & imperio defunctis, capessit ordine Regnum Maria sanctissima femina, paulo post Philippo Hispaniarum Principi optimo nupta. Et, quia, decurrentibus aliquot annis, nuptia videbantur plane futura steriles, vices iam regnandi suas, & per Catholicissimos Reges exstinctam haresim restituendi, Elisabetha infinita ambitione exspectabat. Sed nec hac concupita dominationis certa, & vicina spe infelix femina contenta, multarum contra sororem, & Maritum Regem conspirationum sociam se, vel ducem potius, prabuit. De quo cum multis modis constaret, & proinde in custodiam esset data, verita, ne, propter lasam maiestatem, vel propter haresim, vel propter spurcissima, ac Apostolico iudicio damnata Natalia, acta Patris de succedendo rescinderentur, Principatuq. tam impotenter affectato simul cum vita priuaretur, ad profundissima simulationis artificium, hareticis in primis familiare, se composuit. Flebiliter a Regibus deprecatur culpam: se Cardinalis Poli tum Legati pedibus aduoluit: a Pralatis, & Presbyteris, instrui postulat: Catholicam fidem miro ardore discit, ac profitetur: sape, ac deuote, vt videbatur, confitetur: quotidie semel aut ite-

rum sacrum audit: communicat frequenter: admiratur priorem suam, ac suorum cæcitatem. Quin & Gulielmus Cicilius, & hic ipse Haddonus, contra quem Hieronymus noster scribit, & alij, istius Elisabethæ consiliarij, ac familiares, vel sua sponte, vel ipsius exemplo, in eandem proditoriam simulationem sunt adducti. Vnde factum est, vt Mulieri non modo condonata sint omnia, sed vt in Regni solium, summo Orbis, & Ecclesiæ damno, & florentissimæ Prouinciæ exitio, defuncta Sorore, admitteretur: idq. facilius, quod paullo etiam ante Mariæ mortem sancte promiserat, se Romanam fidem, a Catholicis Regibus paullo ante restitutam, semper inuiolate conseruaturam. Sed nec iam potita rerum, licet perfidiam suam non multis modis prodiderit, simulare, dissimulare, fingere, ac fallere desiit. Nam & se sacris cærimonijs inaugurari, & priorum Regum more inungi, & iusiurandum pro Catholicæ fidei, Ecclesiæq. libertatum, ac priuilegiorum defensione publice præstare, aliaq. similia facere, & subire non recusauit. Atque nec postea, cum iam, oblita promissorum, oblita sacramenti, oblita factorum, sacra cuncta profanasset, Episcopos, ac Presbyteros quosq. primarios in vinculis teneret, hanc vulpinam personam deposuit: sed tam domi apud suos, quam foris apud exteros, clementiæ in Catholicos famam, atque in sectæ suæ professione moderationis laudem fallaciter vbiq. captauit: porro in vulgus varijs vocibus spargens, se non tam sua sponte, quam eorum vi, ac voluntate, quibus sine periculo resistere non poterat, ad Religionis mutationem adductam fuisse. Secundum quam hypocrisim illis primis scismatis, ac Regni sui annis, noluit Pseudoepiscopos, ac Presbyteros suos prodire in publicum, nisi in habitu Clericali. Voluit sacra Caluini apud se cum Cruce, Cereis, Organis, Cantu, ac paramentis quibusdam solitis, fieri; sacerdotum coniugia, sicut alia multa, se tolerare debere, legibus approbare non posse affirmauit. Atque ad maiorem in hac re fraudem, eadem turpissima fictione, ac calliditate, maximos quosque ac Christianissimos Europæ Principes in connubium expetiuisse visa est: vt vel hoc modo Mundo persuaderet, se non solum a Catholica Religione adeo non abhorrere, vt eam quoque, cum per se non queat, alicuius saltem Coniugis Catholici potentia, restituere velle videri possit. Cum igitur his diabolicis artibus præcipuos Regni sui Orthodoxos aliquandiu ludificasset, & apud externos magnam de sua in Religionem Catholicam propensione, ac conuersione, spem excitasset,

set, inter ceteros Principes, qui vel per litteras, vel per Nuntios, & Oratores, animum mulieris in hoc genere pertentauerunt, Serenissimus Henricus Cardinalis, postea Lusitaniæ Rex, voluit, vt Hieronymus Osorius, Episcopus Siluensis, cuius singularem eloquentiam, ac in dicendo, & persuadendo gratiam nouerat; ad eam litteras daret, & quanto posset verborum, & rationum pondere, ad auitæ Religionis restitutionem, & vanissimæ sectæ condemnationem, impelleret. Fecit lubenter Osorius, & ea rerum, ac verborum facundia fecit, eaq. pietate, ac prudentia, qua cetera. In epistola autem legenda, te id solum admonitum, & precatum velim; nempe, ne mireris, aut offendaris ad eos honoris titulos, ac fusiores laudes, quas ex arte, animo, & instituto pio, ad eius captandam beneuolentiam, & ægram mentem demulcendam, quam sanabilem esse putabat, in principio maxime litterarum adhibuit: tunc præsertim temporis, cum tanta de illius ad Ecclesiam reconciliatione conciperetur spes; cum adhuc se mitem, ac moderatam in subditos Catholicos fraudolenter exhiberet; cum Sedis Apostolicæ conniuentia, ei, vt Reginæ, ab Anglis passim obediretur; cum adhuc pacem, amicitiam, & antiqua fœdera cum vicinis Principibus vtcumque coleret, ac tueretur. Hoc statu rerum, etiam Sanctorum Patrum exemplo, ita ad Principem hæreticam scribere licuit. Sed, si ista femina, sicut postea, se perditam, obstinatam, & incorrigibilem tum ostendisset; si immanem illam in sanctos Dei, vt hodie, persecutionem mouisset; si tot tunc innocentum sacro sanguine fuisset ebria; si Apostolico anathemate, vt nunc, fuisset tunc damnata, simulque prætenso Regno, quod numquam iuste tenuerat, deposita; si vnius istius Iesabelis furoribus Angliam, Hiberniam, Scotiam, Flandriam, ac Galliam pæne perditas; & non solum Hispaniam, sed etiam Lusitaniam indigne vexatam vidisset pius Episcopus; si hæc & reliqua omnia eius scelera, cum ceteris turpissimis moribus, cognouisset; numquam ita stylum suum temperasset, vt tam spurce genitam, & toties damnatam, & exauctoratam mulierem, Reginam Serenissimam, ne dum cum ceteris Regibus, qui suo quodam modo, licet non adeo proprio, ita vocari possunt, Dei Vicariam in temporalibus, sed Virgam potius furoris Domini, nominasset: neque vmquam commisisset, vt tam immanem Ecclesiæ persecutricem, Clementiæ laude ornaret: nec denique, vt omnium flagitiorum seruam Virginem appellaret; licet id, Latinorum vsu, pro adolescen-

lescen-

lescentula forte dixit. Cetera, quæ de eius in omnibus liberalibus disciplinis, & linguis, progressibus, obiter commemorat, fama, vt, fit, & adulatorum sermone, vel ficta, vel aucta, (vt postea intelleximus) ad Episcopum delata sunt; nec pietatem lædunt; & sæpe impijs hominibus cum sanctissimis viris ista communia sunt. Hæc annotauimus, vt pius Lector sciat, Catholicissimo Episcopo numquam venisse in mentem, vt obstinatæ, ter damnatæ, & infamis hæreticæ, nomen, bonis omnibus odiosissimum, quibuscumque vel veris, vel falsis, laudibus posteritati consecraret. Quæ si obseruentur, cetera magna cum voluptate, & fructu, legi possunt.

Imprimatur.

F. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.

Imprimatur.

Hortensius Vrnus, Auditor, de mandato Reuerendissimi D. Vicesgerentis.



ILLVSTRISS. ET SAPIENTISS. VIRO

M. ANTONIO COLVMNAE
S. R. E. CARDINALI

HIERONYMVS OSORIVS NEPOS LVSITANVS
CANONICVS EBORENSIS
S. P. D.



IN D. Pauli Epiſtolam, Oſorij Epiſcopi commẽtarios cum legerem, illius in explicando prudentiam, & acumen admirabar. mihi enim Paulum expreſsiſſe ille videbatur. quod in ſumma ſapientiæ laude pono. Vtrum vero me fallat opinio, ſi illos euoluas, videbis. tantum enim ingenio præſtas, & ad ſummã nobilitatem eam diſciplinarum ſciẽtiam adiunxiſti, vt ſit Tuum in omi re iudicium plurimi faciendum. Eos Tibi dicare conſtitui, vt aliquam animi mei in Te ſignificationem darem. Hoc munus ea, qua ſo-

les

les Litterarũ ſtudioſos amplecti beneuolentia, vt ſuſcipias velim, præſertim, quia Tibi magna ex parte Oſorij ſcripta debentur, quæ, vt in lucem ederentur, effeciſti. Tuum igitur opus Tibi offero, & me, vt eſt animi Tui excelſi magnitudo, ama. Vale.

Romæ. Idib. Septemb. Anno M. D. XCII.





HIERONYMI OSORII LVSITANI EPISTOLA

AD SERENISSIMAM ELISABETAM ANGLIAE REGINAM.

SERENISS. ELISABETAE Angliæ, Franciæ, Hiberniæ Reginæ,

Hieronymus Osorius S. P. D.



ERAM equidem, clarissima Princeps, in studium tuæ Maiestatis, & Amplitudinis antea satis incitatus, cum accepissem, quantum valeres ingenio, & quantos progressus in litteris Græcis, & Latinis haberes, & quomodo Regiã dignitatẽ cũ eruditione liberali coniungeres. Postea vero quam ad me homines quidam detulerunt, a te scripta mea libenter legi; tanta facta est ad hoc meum erga te studium accessio, quantã verbis explicare non possum. Vtrum id vere mihi dixerint, an a me falsam gratiam inire voluerint, incertus sum: hoc vnũ scio, me ex eorũ sermone magnam voluptatem percepisse; & consiliũ iniuisse, quomodo tibi per litteras animum in te meum plenissimum pietatis, & obseruantiæ declararem. Nec enim dubito, quin eadem humanitate, qua opuscula mea lectitas, si verum est, te eorum lectione non mediocriter oblectari, sis has litteras meas acceptura; maxime cum illa ad communem vtilitatẽ conferantur, hæ vero litteræ præcipuum status tui præsidium, & amplissimæ dignitatis ornamentum respiciant. Qnamuis autem id præstare nequeam, hæc tamen voluntas mea non ingrata tibi debet esse. Solent enim magni Principes, non tam muneris oblati dignitatem expendere, quam offerentis animum, atque fidem ponderare. Cum enim maximum Regię dignitatis præsidium, & ornamentum sit in hominum beneuolentia, atque fidelitate constitutum, quo modo potest id illis iniucundum, & ingratum accidere, quod intelligunt esse ex egregia volnntate, atque singulari fide profectum? Vt autem hinc initium scribendi faciam, soleo mecum sæpenumero Dei prouidentiam in Regibus admirari, quod infinitæ prope hominum multitudini, ex tam diuersis, & valde inter se repugnantibus naturis conflatæ, eam mentem iniecerit, vt vellet vnum præcipue hominem intueri, vnius imperio contineri, vnius institutis, & legibus alligari: vsqueadeo, vt, cum homines de reliquis rebus acerbo odio sæpe dimicent, effrenataq. mente dissentiant, in hac vna plerumq. re summa secum animorum consensione conspirent. Cum autem hoc valde admiror, tum eos Reges, qui hoc tam præclarum, atque difficile munus, ex voluntate illius summi, atque sempiterni Regis administrant, homines omni virtute præstantes, atq. plane diuinos existimo. Nihil est enim maius, & amplius, nihil magis arduum, atque difficile, quam frenare hominum cupiditates, resecare libidines, tueri innocentiam, virtutem præmiis allicere, flagitia pœnis, & suppliciis coercere, & vniuersam denique rempublicam pace, & otio constituto florentem, omnibusque bonis affluentem efficere. Hæc cum nemo, nisi sit diuina mente præditus, præstare valeat; illi profecto, qui pro dignitate Regio munere, & officio funguntur, in cælitum numero reponendi sunt, & quasi quidam dij inter homines reputandi. Quod si viri excellentes, cum omnem mentem in publica salute defigunt, & Regnum recte, sapienter, atq. moderate gubernant, inuictoq. animo omnia, quæ sunt reipublicæ perni-

ciosa repellunt, maximę admirationi sunt; profecto cum mulier idem præstiterit, multo maiorem admirationem commouebit. Quid enim admirabilius, quàm in femina virilem constantiam, in virgine senilem prudentiam, in summa opum affluentia summā modestiæ laudem eminere? Quid magis obstupendum, quam mollem, & delicatam mulieris naturam tantis esse virtutibus ornatam, & instructam, vt totum Regni pondus sustineat, in eoq. munere summa cum laude versetur, quod vix multorum hominum excellentium consilio, virtute, fide, auctoritate conficitur? Quare, si, quemadmodum sperandum est, ita rempublicam temperaueris, vt minime a maiorum tuorum, qui pietatem vnice coluerunt, virtute degeneres; tanto illis omnibus magnitudine laudis antecelles, quanto maius est imperium a femina iuuene, quam a viris ætate, & exercitatione robustis sapienter, atque fortiter administrari. Quod si vmquam mulier aliqua virtute præcellens se maximo animo ad studium publicę salutis adiunxit, & ex ea curatione, atque munere maximam laudem consecuta fuit; in ea tempora imperium tuum incidit, eamq. materiam nacta es, vt, si eas actiones, quæ indole ista Regia, quæ in te elucet, dignissimæ sunt, velis animo constāti suscipere; sis omnibus Reginarum maximarum virtutibus obscuritatem amplitudine præstantissimæ laudis, atque dignitatis allatura. Hoc autem vt possimus de te vniuersę Reipublicæ Christianę polliceri, multa faciunt. Es enim singulari ingenio prædita, & magnarum artium disciplinis erudita; laudibus mansuetudinis, & lenitatis, quæ cum istius formæ venustate consentiunt, excellis; nec eas laudes, quæ ex constantiæ magnitudine oriuntur, tibi repudiandas existimas. Si igitur tibi deesse nolueris, optime rempublicam constitues, finemq. omnibus malis, quæ illam perturbant, impones, & immortalem gloriam consequeris. Contra vero, si quid in tantis tempestatibus, atque procellis offenderis, & gubernacula parum scienter tractaueris, periculum est, (quod omen Christus auertat) ne Reipublicæ istius nauis ad cęcos scopulos allisa frangatur, & diram cladem tibi commissi vectores accipiant. Cum igitur in eo statu sis, vt tibi necessario vel summa gloria cum totius Regni salute comparanda, vel insignis infamia cum maxima Reipublicæ peste subeunda sit; opinor nullas tibi opes, aut facultates tanti esse, vt eas cum fideli consilio, quod quidem ad stabiliendum regnum pertineat, conferendas arbitreris. Sed inquies fortasse, Adeone tibi ab amicis, & cōsiliariis inops esse videor, vt velis modo mihi consilium dare? aut tantum otium tibi a Lusitaniæ negotiis est, vt Britanniæ curam suscipias? Arbitror quidem esse in Britannia multos sapientes homines, & singulari virtutis, atque pietatis laude florentes; quibus si aures præbueris, & tibi, & Regno tuo præclare consules, Regiumq. decus, & dignitatē egregie sustinebis. Sed, quemadmodum, qui rei augendæ vehementer intenti sunt, quamuis diuitias ingentes domi congestas habeant, non tamen aurum, & argentum aliunde importatū repudiant, &, quo ditiores sunt, eo maioribus accessionibus opes suas augeri, & cumulari desiderant; ita sapientes Reges, quorum gaza magis est in bonorum prudentia, atque fide, quam in maximo auri pondere collocanda, quamuis consiliis abundent, nullo tamen modo, si qua fiat ad eas diuitias, quas ipsi omnibus aliis anteponunt, accessio, illi aspernari debent: nec est illis magnopere curandum, sit ne ciuis, an externus is, qui consilium dat, sed quo animo ad hoc officium accedat. Præterea, consilia ab externis data, minus plerumque suspecta sunt. Multæ namque insidiæ Principibus a suis domesticis intenduntur: multæ fraudes in aula Regia questus, & compendij gratia suscipiuntur: multa partim adulatione, & perfidia, partim offensionis periculosæ formidine dissimulantur: ita, vt raro inueniantur, qui Regibus libere loqui audeāt. Accedit postremo, quod nullum Christianum Principem externum, & alienum puto: sed omnibus obstrictum me esse profiteor; maxime vero tibi, quam in primis mihi propter spē, quam de tua benignitate concepi, vnice colendam, & obseruandam proposui.

Vt autem ad id, quod suscepi, tandem aggrediar, duo in primis omnibus Regibus consideranda sunt, & suscepti muneris amplitudo, & illius gerendi difficultas. Amplitudo enim tanta est, vt vix vlla maior in vita cogitari possit. Sunt enim Reges omnes pro parte sua iuris diuini Vicarij. Diuinum siquidem est, tantum vnum inter omnes excellere, vt omnes summa consensione se illi regendos, atq. tuendos committant: & in illius prudentia, virtute, bonitate, existiment esse sibi firmissima vitæ, salutis, atque dignitatis præsidia constituta. Difficultas porro quanta sit, explicari non potest. Si enim difficile admodum cuilibet est tenere omnes cupiditates, coercere libidines, animi motus ratione comprimere, totiusq. mentis statum recte moderari, ne quid insurgat, quod animum impetu turbulento concutiat; quātum tandem erit, non suas tantum cupiditates, sed totius populi libidines ita comprimere, vt nullus ex earum immoderatione tumultus oriatur, quod reipublicæ statum labefactet? Is igitur, cui est tantum munus impositum, vt primum quidem se contineat, (nec enim fieri potest, vt aliorum libidines frangat, qui suas primum non cohibet) deinde reipublicæ vniuersæ motus ita ratione temperet, vt omnes ciues, quantum fieri possit, continentes, & moderatos efficiat, virtutumq. omnium præsidio communiat, multis opibus humanis atque diuinis fulciendus est: vt id, quod animo magno instistituit, magna felicitate perficiat. Vt autem primum de humanis opibus loquamur, (quæ ta

men

men benignitate diuina continentur) omnes Regum opes, & facultates, quæ ſumma induſtria conquirendæ ſunt, in bonorum hominum prudentia, atque virtute collocandas arbitror. Nec enim aliquis Princeps vllo modo poteſt, vel in bello victoriam conſequi, vel in pace dignitatem tueri, vel in negotio callide verſari, vel in otio tranquillitatem retinere, qui non eſt bonorum comitatu circumſæptus. Quo modo enim vnis tantum oculis omnia, quæ ſunt Regibus animaduertenda, proſpiciet? aut vnis tantum auribus omnium querellas exaudiet? aut vna mente, atque ratione de tot rebus, quot ſunt ad ſalutem reipublicæ neceſſariæ, cogitabit? Multi igitur ſunt in Regni adminiſtrandi ſocietatem conuocandi, qui ſint Regiarum virtutum opibus illuſtrati, nempe iuſtitia, temperantia, fortitudine, grauitate, conſtantia, liberalitate, & ea, quæ laudes omnes complectitur, ſapientia. Ij autem tanta prudentia ſint, vt omnia diligenter explorent, & quæ ſunt euentura ex antecedentibus cauſſis multo ante prouideant: tanta fide, vt nullo quæſtu, aut emolumento, a veritate, & officio deducantur: tanta virtute, vt nullo metu, quo minus omnia, quæ ſalutem afferre poſſunt, aperte dicant, impediantur. Multi enim, quamuis recte ſentiant, & reipublicæ conſulere cupiant, ne tamen in Principum offenſionem incidant, vera, & vtilia ſuadere non audent. Vt enim ægroti ſæpenumero pharmaca ſalutaria, ſi fuerint acerba, & iniucunda, aſpernantur, & reſpuunt, & earum rerum cupiditate capiuntur, quæ ſunt ſanitati valde contraria; ita Principes interdum, animi morbis oppreſſi, & impediti, veritatis medicinam reijciunt, & elaborata concinnitate mendacij, falſaque dulcedine vanitatis alliciuntur. Ita vero fit, vt, quamuis in principio voluptate aliqua afficiantur, aliquando tandem dolore, & cruciatu pœnas temeritatis, & amentiæ perſoluant. Vt autem nihil eſt veritate diuinius; ita nihil excogitari poteſt reipublicæ ſalutarius. Quod enim aliud diſcrimen eſt inter ſapientes, & inſipientes homines, niſi quod ſapientes vera bona magno ſibi ſtudio comparant; inſipientes autem, falſis rerum imaginibus eluſi, bona inania conſectantur; & ita tandem, dum falſos honores ambiunt, falſaſque voluptates exquirũt, dedecoris ſummi notis inuruntur, aſſiduiſque flagitiorum, & ſcelerum pœnis excruciãtur. Omnis igitur beatæ vitæ ratio veritate continetur: tota autem miſeria mendacio, & inanitate conficitur. Quocirca omnes Principes, qui rempublicam ſaluam volũt, & ſuam dignitatem perpetuo retinere cupiũt, hoc præſeferre debent, hoc verbis, atque rebus oſtendere, ſibi nihil eſſe luce veritatis antiquius. ſic autem bonos omni metu liberabunt; & adulatorum impudentiam compreſſam tenebunt. Quod vt rectius aſſequi valeant, opus eſt, vt bonos, atque veritatis amatores opibus augeant, & honoribus ſummis afficiant: improbos autem, & mentiendi, & adulandi artifices longiſſime a ſua familiaritate repellant, omnique honore indigniſſimos eſſe putent.

Sunt enim adulatores veritatis hoſtes ſempiterni, omnibus bonis infeſti, Regibus valde pernicioſi, neque ſolum in rempublicam vniuerſam tæterrimi, ſed in Deum ipſum maxime ſcelerati. Qui enim veritatem oppugnat, ipſum ſummum rerum omnium dominum, qui eſt ſumma, atque ſempiterna veritas, oppugnat. Sunt igitur homines iſti nefarij, atque peſtiferi, ab omni nobilitatis aditu, congreſſu, familiaritate prohibendi, atque adeo in vltimas terras exterminandi, ne ſceleris contagio ad Regum perniciem emanet, totamque rempublicam mortifera tabe conficiat.

Contra vero, qui nihil mentiuntur, nihil ſimulant, nullas opes veræ virtutis opibus anteferunt, vitamque ſapientia, atque probitate moderantur, ex abditis etiam ſedibus, ſi latitant, eruendi ſunt, & inuiti etiam, atque recuſantes ad Regum familiaritatem perducendi, multiſque opibus egregie cumulãdi. Magis enim propriæ Regum diuitiæ ſunt, quæ proborum hominum fidei committuntur, quam quæ in ærariũ Regis inferuntur. In ærario enim congeſtæ inuidiam conflant: cum bonis autem communicatæ, Regis nomen illuſtrant, illinſque ſtatum gratorum hominum fidelitate communiunt. Præterea opes abſtruſæ, atq. reconditæ poſſunt aut latrocinijs auferri, aut miniſtrorũ perfidia diſſipari: at in gratis a[illegible]imis memoria beneficij perpetuo infixa permanet, neque poteſt vllius importunitate conuelli. Tum illud etiam conſiderandum eſt, eos, qui non dolis, atque fraudibus, ſed vera virtute ad Regum familiaritatem peruenerunt, omnes eas opes, quas a Regibus habent, ad eorum fructum, a quibus eas habẽt, conferendas exiſtimare: at, qui per ſimulationẽ virtutis, & induſtriæ, opes a Regibus adepti ſunt, cum omnia ad ſuum emolumentum reuocent, ſimul atque maior ſpecies vtilitatis eorũ animis obijcitur, Principes deſerunt, & prodũt, & aliquando etiam oppugnant. Vnde colligitur, quã ſint amentes omnes Principes, qui, neglectis bonis, opes, & honores ad improbos deferunt, eorumq. fidei ſuã dignitatem committunt, qui præ ſua cupiditate fidẽ ſanctam habere non poſſunt. At, qui tantũ ſapientia valẽt, vt, eiectis improbis, & ſceleratis hominibus, bonos adſciſcant, & illos ſecum conſiliorum, & officiorum ſocietate coniungant, præclare ſaluti ſuæ, atque dignitati proſpiciunt. Nec enim Principum ſalus deſeri poteſt ab illis, qui fidem omnibus vitæ commodis anteponunt; neque eorũ dignitas aliqua dedecoris ſuſpicione maculari, cum perſpicitur eos eſſe honeſtiſſimorum hominũ familiaribus implicatos. Vt enim nihil eſt, quod maiore dedecore Reges afficiat, quã flagitioſorum hominũ familiaritas, & conſuetudo; ita bonorum amicitia plurimum illis di-

gnitatis, & honestatis adiungit. Talem namque de illis opinionem concipimus, quales ij sunt, quibus eos deditos animaduertimus. Vnde concludi potest, non esse diuites, atque potentes eos Reges appellandos, qui auri ingentes aceruos, qui gemmas innumerabiles miro fulgore micantes, qui maximam vim eboris, qui plurima metalla possident, qui compluribus nationibus imperant, sed qui multos homines virtute, atque fide prestantes secum habēt, sanctissimo amicitiæ fœdere, & bonorum omnium, quantum Regiæ maiestatis ratio pati potest, societate coniunctos. Illa namque omnia raro sine virtute parantur, numquam vero sine virtutis præsidio retinentur: at virtus reliquis opibus nudata dignitatem suam facile tuetur, lucemq. suam longe lateq. diffundit. Præterea diuitiæ, si non sint virtutis præsidio munitæ, salutem dare non possunt, sed potius multorum cupiditatem irritant, & incendunt, vt insidias illis, qui diuitijs elati sunt, sæpe moliantur: at virtus sine diuitijs sæpenumero statum Regiū conseruat, & imminentia reipublicæ pericula propulsat. Et hæc quidem de humano præsidio dicta sufficiant: nunc ad diuinum consequens est vt veniamus.

Si igitur tantum præsidium est in bonorum hominum probitate, atque fide ponendum, vt sine illorum auxilio non possit Regnū aliquod, aut respublica diu salua consistere; quid tandē erit de ope diuina iudicandum? DEVS enim est, cuius numine, cōsilio, voluntate, regna nascuntur, augentur, atque retinentur: cuius mente, atque ratione, gubernantur: cuius ope, & auxilio fulciuntur: cuius denique offensione labuntur, & concidunt, atque delentur. Princeps igitur, qui velit munere suo perfungi, & sibi commissum imperium apte moderari, eam primum curam suscipiat opus est, vt religionem pure, atque sancte colat, assiduisque precibus opem a Deo imploret, & statuat, omnem Regni feliciter administrandi rationem numinis placatione contineri. Primum enim, si sapientia Regibus tam necessaria est, vt sine illa nullo modo possint aliquam reipublicæ partem attingere, quin omnia peruersa, atque perturbata relinquant, sapientiæ vero lumen non aliunde ortum habet, quam ab infinita illa, & immensa sapientiæ luce, & splendore, mentisque diuinæ claritate, qua omnia reguntur, & collustrantur; quid est Regibus maiore studio procurandum, quam vt toto animo in religionem incumbant, & castissimis precibus Dei opem efflagitent? Quod si fecerint, ex illorum mente diuinæ sapientiæ claritas eminebit, & virtutis eximiæ splendor orietur, vt nō solum, quid sit rectum, quid honestum, quid vtile, perspiciant, &, quantum vera bona a falsis intersint, explorate cognoscant; verum etiam omnia, quæ recta esse viderint, constanter efficiant. Vtrumque enim diuina benignitas, & gratia præstat. Clarissimum enim lumen humanæ menti præfert, & animum inuicto robore confirmat, ita vt minime labatur, & erret, aut difficultatem gerēdi muneris extimescat. Nec enim quidquam est tantis difficultatibus impeditum, aut tantis munitionibus obuallatum, quod non facile is, qui est diuina virtute præditus, expugnet. Facillime igitur omnes animi motus ratione vacuos comprimet, & cupiditatem cōtinebit, & omnes flagitiorum labes repellet, animiq. statū ita honestatis luminibus illustrabit; vt admirabilis in illo venustas, & pulchritudo, diuinæque mentis effigies enitescat. Fieri enim non potest, quin is, qui Deum, quoad licet, & fas est, in hac vita puris oculis intuetur, & illam præcellentissimam speciem, & pulchritudinem assidue contemplatur, amore illius inflammetur, totumq. animum ad illius imitationem effingat: maxime vero, cum eam imitationē, & similitudinē non tam studio, & contentione sua, quam illius gratia, & beneficentia consequatur. Ex hac autē animorum cum diuina mēte similitudine, sempiternū amicitiæ fœdus existit: quod Deum ita cum humana mente copulat, vt omnia sua bona liberalissime cum animo casto, & religioso communicet. Illam igitur, & consilio instruit, & virtute corroborat, presidio sæpit, & in omni rerum discrimine presenti numine protegit. Hac igitur fiducia erecti, qui veræ pietatis studio incensi sunt, quamuis omnia bellis ardeant, & terra ingenti motu tremefacta dehiscat, numquam animos demittunt, sed tum vel maxime diuinum sibi auxilium adfuturum confidunt, & in summa rerum omnium desperatione, ad firmissimam spem salutis, atque dignitatis eriguntur. Vnde colligitur, cum tanta sit humanæ naturæ imbecillitas, & tanta in rebus fluxis, & interituris inconstantia, omnisque vita sit periculis exposita; in illis solis posse magnitudinem animi, atque virtutis inuictę fiduciam reperiri, qui se Dei præsidio munitos esse considerant. Cum igitur nemo Regium munus obire sine admirabili sapientia, sine egregio dignitatis exemplo, sine roboris inuicti constantia possit; & nulla ex istis laudibus e terra nascatur, sed omnes e cælo diuinitus oriātur; constat certe, omne Regis officium esse in religionis sanctissimam rationem conferendum. Soli namque sapientes, & moderati, & fortes habendi sunt, qui Deo, totius sapientiæ, & honestatis, atq. virtutis Principe, & architecto, sunt purissimæ religionis fœdere deuincti.

Quid vero de iustitia dicendum est? Poterit ne eam colere, nisi qui mentem in vim, & rationem sempiternæ legis intenderit, & totius iuris, & æquitatis originem cogitatione comprehenderit, & ordinem, & conuenientiam (qua summus ille rector omnia gubernat) vigilanter inspexerit, atque postremo, qui sese toto animo ad studium diuinæ legis applicuerit? Nullo modo. Deus enim solus est vis, mens, & ratio, legis, iuris fons, & æquitatis origo, totiusque iustitiæ parens, cuius

numine

numine leges omnes reipublicæ salutares, & commodæ sanciuntur, & cuius ope, atque beneficio conseruantur. Vnde sequitur, vt illi solum iustitiæ splendore colluceant, qui in illud summum atque sempiternum iustitiæ lumen inspiciunt. Ex hac autem animorum conformatione, qua homines Dei iustitiam imitantur, omniaque studia sua ad communem vtilitatem conferunt, benignitas, & hominum caritas exoritur: inde lenitatis, & mansuetudinis laudes exsistunt: inde postremo omnis dulcedo verissimæ voluptatis, atque iucunditatis emanat. Nec enim vlla corpore percepta voluptas est cum ea voluptate, quæ ex vera honestate percipitur, aliqua ratione comparanda. Corporis enim voluptas plerumque furentet appetitur, & mométo temporis effluit, mæstitiamq. deinde inurit, & dedecus impressum relinquit. At ea voluptas, quam veta virtus efficit, & sapienter exquiritur, & constantissime tetinetur, & nulla ægritudine contaminari, aut flagitio deformati potest, cum sit ab omni labis contagione pura, & cum eximij decoris amplitudine copulata. Ex quo sequitur, vitam eorum, qui cum Deo amore coniuncti sunt, non solum esse diuinæ virtutis ornamentis excultam, opibusq. summis affluentem, & ad spem firmam gloriæ immortalitatis excitatam; sed etiam puta, & constanti, & eximia voluptate, atque iucunditate refertam. Licet igitur cum Rege illo sanctissimo exclamare: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam reseruasti diligentibus te! Hæc igitur omnia bona, quibus suscepti in maximæ virtutis exercitatione labores leniuntur, & admirabili quadam suauitate compensantur, continet in se religionis studiũ, sine quibus imperium administrari nequit. Tum etiam illud quantum est? omnes enim subditi, qui non fuerint immanitate quadam sceleris efferati, eos Reges, qui religionem pie coluerint, neque mediocriter amabunt, neque mediocrem illis fidem adhibebunt. Fieri enim non potest, quin diuinæ pulchritudinis imago in oculis hominũ constituta mirabiles amores excitet, & omniũ voluptates ad se incredibiliter alliciat: nemoque animum inducet, vt credat, eum, qui Deum metuit, & illi valde placere cupit, fidem violaturum. Ergo partim, quia intelligunt illum esse diuinæ sapiẽtiæ monitis, & consilijs eruditum, & in studium communis vtilitatis acriter incitatum: partim, quia illius bonitati minime diffidunt, neque fieri posse suspicantur, vt is commodi sui gratia communem vtilitatem negligat, & fidem, & officium prodat, ei libenter acquiescunt, nec imperium illius aliquo modo recusant. Quod si neque Regnum, neque ciuitas, neque domus vlla sine imperio constare potest; imperium autem religionis puritate sancitur; nihil profecto religione vtilius, atque salutarius ad hominum multitudinem continendã excogitari potest. Quid enim est, quod imperiũ magis firmare valeat, eo Principis studio omnibus perspecto, & cognito, quo omnes suas curas, & cogitationes in reipublicæ salutem confert? sic enim fit, vt respublica illum admiretur, & diligat, & summa voluntate omnibus illius iussis obtemperet. Aliter enim non diu imperiũ illius sequetur, sed, vt eum exscindat, quantum potest, elaborabit. Nullũ enim imperium suspectum, & inuisum, neque tã virtutis opinione cõfirmatũ, quam suppliciorũ formidine munitum poterit esse diuturnũ. Quod si concordia rempublicã conseruat, & auget, discordia vero eã dissipat atque comminuit; hanc autem concordiã ciuium inter ciues, Principis religio rebus explorata conglutinat; omnes enim summa cõsensione Principi religioso parent, imperioq. illius libẽter adstringuntur; in ea certe cõstat esse summum firmamentum reipublicæ collocandum. Tum illud etiam minime contemnendum est, quod nec improbi ciues tanta confidentia illi Principi insidias parant, quem diuino præsidio vallatũ existimant: neque hostes ita facile bellũ contra illum suscipiunt, quem auxilio diuino constipari suspicantur. Si autem dolos instruunt, aut bellum comparant, id tamen titubanter, & timide faciunt: ita, vt facile scelerati ciues vel manifesto deprehensi pœnas sceleris exsoluant, vel iniecto metu a facinore reuocentur, & hostes etiã facillime a belli gerẽdi cupiditate discedant. Cũ eis namq. libentet fœdera iungunt, quorũ in bello virtutẽ metuunt, in pace antem fidem diligunt, &, ne fœdus rite percussum violent, minime pertimescunt.

Postremo, cum omnis respublica Principum mores imitetur, necesse profecto est, vt, si Princeps fuerit egregius pietatis, atque religionis cultor, vniuersa respublica sese eadẽ religione constringat. Religio autẽ cupiditatẽ refrenat, petulantiam cõprimit, insolentiam frangit, temeritatẽ, & audaciam coercet, homnesq. modestos reddit, & legibus, atque legũ custodibus obsequẽtes. Nihil est enim ad continendã cupiditatis immoderationẽ, & reprimendã iactationẽ, atque leuitatẽ metu diuini numinis efficacius. Cũ enim cogitamus, quã simus illius summi domini, & parentis optimi beneficijs obstricti, & quanta supplicia sint illis constituta, qui decus animi sui flagitio, & impuritate cõtaminant, mente recolimus, & intelligimus, nullas esse latebras, quæ adspectum diuinæ mẽtis impediant, cum etiã ea, quæ terræ visceribus inclusa sunt, & tartareæ plagæ sempiternis tenebris occuluntur, illi pateant, atque dilucescãt: cũ hæc, inquam, omnia nobiscũ reputamus, partim ne aut turpitudinis offensione illius oculos violemus, aut nos ingrati animi scelere, quo nullum grauius esse potest; adstringamus, partim ne statum nostrum prodamus, & sempiternam nobis ipsi pestem flagitio nostro machinemur; cupiditati resistimus, diuinoque præsidio firmati, clarissimam victoriam de temeritate deuicta, atque profligata consequimur. Nec

enim vmquam illi, qui Dei iudicia metuunt, & illius offensionem verentur, sunt ab illius ope derelicti. Illius igitur ope defensi facillime omnem cupiditatis impetum a rationis arce repellunt. Compressa igitur, & edomita cupiditate, non erit difficile seruire officio, & dignitati, omniaque virtutum munera sustinere. Quis enim a se turpitudinem repellet, nisi is, qui summam illam, atque sempiternam honestatem, & diuinæ pulchritudinis decus, & elegantiam puris oculis intuetur? Quis iustitiam sanctissime colet, nisi qui modum, & ordinem, & conuenientiam, quo cuncta a summo Rege temperantur, suisque in locis aptissime collocantur, & muneribus illius præscriptione distributis funguntur, ratione considerat? Quis pericula vitæ contemnet, & in acie pro iustitiæ sanctitate, & reipublicæ salute fortiter, & strenue dimicabit, nisi is, qui sibi diuinum auxilium minime defuturum esse confidit; &, quamuis in acie cadat, intelligit se minime a Deo esse derelictum, sed potius sibi pro breui, & exigua vita sempiternam reddendam esse, in qua omnibus summis bonis in sanctorum consortio perfruatur? Si igitur religio in pace homines efficit modestos, atque temperatos, & inter se amoris consensione mirifice conspirantes, & legibus, atque Principum iussis libenter, & studiose parentes, in bello autem diuina quadam virtute corroborat, & studio immortalitatis incendit, vsque adeo, vt libentissime sanguinem, atque vitam patriæ largiantur, vt in cælum euolent; nonne satis liquet, omnem Regis, qui officio suo satisfacere vehementer expetit, curam, & cogitationem esse in religionis studio ponendam? Sic enim omnium virtutum opibus, & ornamentis magnificentissime redundabit; & gloria ingenti nullis vmquam sæculis interitura circumfluet; præsidijsque diuinis in omni rerum discrimine munietur; suorumque sibi beneuolentiam egregie conciliabit; & ex tantorum bonorum recordatione ingenti gaudio cumulabitur: neque solum ipse beatus erit; sed sibi permissam rempublicam reddet eiusdem felicitatis atque beatæ vitæ participem, in quo quidem est Regis munus, & officium constitutum. Quod enim est aliud reipublicæ Principi munus assignatum, quam vt rempublicam florentem, atque beatam faciat? Quod quidem nullo modo sine egregio pietatis cultu, & religionis sanctitate perficitur.

Sed, quo magis religio omnibus virtutibus præstat, (omnes enim ex illa oriuntur, & eiusdem complexu, & gremio continentur) eo magis metuendum est, ne impietas in nomen pietatis, atque religionis inuadat, & per simulationem sanctitatis omnes sanctitates euertat. Cum enim nihil sit magis aduersarium virtuti, quam virtutis assimulatio, tum id in ficta religione apparet facillime. nam scelus inmane, nomine pietatis, quasi quodam integumento fraudulenter inuolutum id suscipit, vt omnem religionem deleat, atque memoriam numinis cælestis exstinguat. Hoc in loco, Princeps Amplissima, valde prudentia tua mihi opus est. Cum enim sis tantis curis implicita, vt per te nequeas vllo modo insidias vitare, & tantum periculum, quantum tibi, & omnibus Christianis intenditur, ratione præcauere; & cum in hac vna re præcipue muneris tui summa consistat, vt religionem purissime colas, vt sis diuino præsidio cincta, commissumq; tibi Regnum cum summa felicitate tuea ris; nihil gratius tibi debet esse, in tanta Religionis dissensione; quam ab homine tuæ dignitatis cupidissimo, & ab omni cupiditate nefaria remotissimo, & minime veræ religionis ignaro de tantis rebus admoneri. Hoc enim tibi affirmare possum, me, si ingenio, & humanitati tuæ diffiderem, numquam ad has litteras scribendas accessurum fuisse. Summæ namque temeritatis esset, id, de quo spem prorsus abiecissem, curare velle. Sed cum ingenium, litteræ, humanitas, indoles, & reliquæ laudes, quibus abundas, in magnam me spem magni tui decoris, atque dignitatis impulisset; & cum intelligerem, id, quod erat in tuo Regno de Religionis sanctitate detractum, non esse tibi, sed multis hominibus, qui omnia iuris, atque religionis claustra, nescio qua amentia vexati, reuellere conantur, assignandum: quod autem non omnis religionis cultus interierit, tuæ clementiæ, & pietati tribuendum; meam orationem tibi minime iniucũdam fore confido. Quo circa te, quantum possum, oro, & obsecro, primum quidẽ, vt hos meos conatus in bonã partẽ accipias, quod certe facies, si, qualis sit in te animus, ex quo hæc omnia depromuntur, inspexeris: deinde, ne, priusquam omnia, quæ his litteris mandare constituo, perlegeris, quidquam de illarum, vel sapientia, vel temeritate præiudices: postremo, te Christi optimi maximi fidem obtestans deprecor, vt, si quam opinionem veritati contrariam, aliorum fraudibus inductã, comprehendisti, si eam recta ratio labefactabit, veritas patefacta conuellet, pietas extorquebit; ne beneficia Christi repudies, sed ei rationi, quæ magis cum Christianæ disciplinæ sanctimonia conuenire perspexeris, libenter assentiare. Etenim non solum animi superbi, & arrogantis est, sed etiam ingenij hebetis, & obtusi (quæ vitia a te plurimum absunt) ita certis, destinatisque sententijs hominum importunitate inculcatis addici, vt nulla ratione queat ab ea sententia, quam semel tuẽdam recepit, auelli. Cum autem hoc in omni vita sit valde bonis rationibus aduersarium; tum vero in praua religione pertinaciter suscepta pestiferum. Quo enim res est clarior, & illustrior, & vtilior, eo ficta illius species est tætrior, & immanior, atque funestior. Quod vtinam his turbulentis temporibus minime experti fuissemus. Postquam enim quorundam

hominum

hominum importunitate, & audacia ab ea religione discessum est, quæ a Christi, & Apostolorum temporibus, ad nostra vsque tempora inuiolata permansit, multique verborum lenocinijs inuitati ab ea via deflexerunt, quam Christi discipuli munierunt, & multi sancti homines, in quibus Christi spiritus insidebat, illustrauerunt, vt eam sequerentur, quæ specie quadam libertatis, atque iucunditatis incautos, & improuidos alliciebat: postquam igitur hæc noua disciplina multorum cōcionibus turbulentis, & libris contaminatis increbuit; vidimus repente pudorem exstingui, honestatem profligari, iura diuina, & humana conculcari, sacra pollui, sanctitatem irrideri, audaciā impunitam volitare; impudentiam corroborari, multiplices, & inter se valde discrepantes opiniones inseri, & coniunctionem Christianā impia sectarum varietate perfringi, & in omni loco, in quem hic hominum furor irruebat, tæterrimæ discordiæ flammam, & incendium incitari. Inde namque acerba odia, crebri tumultus, pestiferæ contentiones exstiterunt. Inde bella horrenda, & exitiosa nata sunt. Multæ deinde passim strages editæ, multæ vastitates illatæ, multorum opes ferro, atque flamma consumptæ. Iam vero, quanta in plerisq. eorū, qui harum opinionum auctores sunt, crudelitas emineat, quam intoleranda arrogātia subnixi ambulent, quanta petulantia, & conuicio sanctos homines insequantur, quis non videt? Adde nunc legum interitum, imperij contemptum, regiæ maiestatis odium, & crudeles insidias, quas isti Principibus impie, atque nefarie moliuntur. Adde clamdestina colloquia, vbi de Regum peste, atque pernicie coniurant, & illis, pro quorum salute Deum venerari, atque precari debuerant, exitium scelere infando machinantur. Quis enim est adeo mentis expers, vt non intelligat hanc sectam popularem esse, & multo magis irritandæ multitudinis cupiditati, & amentiæ, quam coercendæ plebis insaniæ congruentem? Omnes autem populares homines cum nullo consilio, nulla mente sint, & immodica libertatis cupiditate rapiantur, leges oderunt, iudicia detestantur: Regum maiestatem exstinctam cupiunt, vt licentius, & impunius queant per omnia libidinum genera vagari. Legibus enim solui cupiunt, vt serui cupiditatis fiant. An id obscurum est? An parum multis exemplis exploratum? An non perspicuum est, omnes eorum conatus eo spectare, vt Principibus de medio sublatis impunitam flagitiorum omnium licentiam consequantur? Alios itaque veneno sustulerunt, alios ferro trucidare concupierunt, & de illorum imperio delendo consilia plena sceleris inierunt. Sed, inquiet fortasse aliquis, hoc non odio, quod isti religiosi homines cum Principibus gererent, accidisse; sed propter religionis dissensionem. metuendum non esse, si Principes cum illis de religionis instituto, atq. ratione consenserint, ne quod illorum vitæ periculum incitatæ multitudinis audacia, & improbitate confletur. Hoc qui dixerit, fateatur necesse est, istius religionis institutum, atque decretum esse, Principibus, qui noluerint religionem, in qua sunt sancte atque sapienter enutriti, deserere, vt popularem amentiam sequantur, necem per fraudem, atque scelus machinari. Deinde parum prudenter animaduertit, huius sectæ finem esse nimiam libertatem, quæ nullis finibus arceri valeat: qua quidem nihil potest magis esse Regum officio, atque disciplinæ contrarium. Regis enim officium est, flagitium supplicio resecare: plebs effrenata omni suppliciorum metu solui concupiscit. Rex legum minister, & custos, & vindex est: illa leges omnes, quantum potest, importuna temeritate conuellit. Rex paci, & otio consulit: illa pacem, & otium indomita cupiditate perturbat. Rex postremo non omnibus æqualiter omnia distribuenda putat, sed, vt quilibet dignitate antecellit, ita eum pro virtutis ratione remunerat: at ea omne dignitatis discrimen tolli, & infima summis permisceri desiderat. inde adeo fit, vt cum omnibus Principibus infesta sit; tum vel maxime Reges immani odio persequatur. Nullam enim dignitatis excellentiam pati potest: & eo conatus omnes comparat, vt Principes vel interimat, vel saltem in turbam conijciat. id quidem in principio non apparet. At, postquam hominum furentium multitudo vires collegit, tum demum audacia impunitate diuturna confirmata ad perniciem Regiæ maiestatis erumpit. Cū igitur hæc sit multitudinis imperitæ natura, simul atque populares duces adepta est, qui illam furiosis concionibus tamquam ventis exagitent, atque temeritatis, & amentiæ fluctus immanes extollant: imperite certe faciūt Principes, qui nascenti sceleri non resistunt, sed indulgentia sua illud alunt, & fauore etiam confirmant. non enim intelligunt se sibi ipsis interitum machinari, cum id crescere, & augeri permittunt, quod tandem adultum eos de omni statu deijciat; seroq. tandem sentient se pestem aluisse, quā cum voluerint exsecare, non poterunt. Tunc igitur amentiæ pœnas dabūt, quemadmodum faciunt omnes Principes, qui popularem dementiam auctoritate publica armandam suscipiunt. At negabunt sectam hanc esse popularem. Quæ igitur secta popularis est, si hæc non est? An non seditiones passim concitat? an non legum, atque iuris repagula perfringit? an non imperij maiestatem violat? an non omnibus spem nimiæ libertatis ostendit? Vbi enim est maior imperij contemptus, aut vbi magis Principes multitudinis irrisione luduntur? In ijs certe locis, in quibus hæc disciplinæ pestis inualescit. Si igitur hic furor, ab hominibus popularibus impie susceptus, a Principibus temere neglectus, ad summū peruenerit, quacumque tulerit impetum omnia Regiæ dignita-

dignitatis præsidia, & ornamenta peruertet. crede mihi, Regina, reipublicæ interitus est, morum pernicies, Regni vastitas, Regij splendoris exitium, hæc secta, quæ nostris peccatis in multas Christianæ reipublicæ partes inuasit. Sed dices non esse tibi tanti Regnum, vt velis præ illius cupiditate Regni sempiterni opes amittere; libenterque te quoduis periculum adituram, dummodo tibi aditus in cælum pateat. Hoc si dixeris, minime mirabor. Excelsæ namq. mentis est, huius exiguæ vitæ commoda fluxa cotemnere, & studio immortalitatis inflammari. Quid enim est in hac vita boni? quid periculo vacuum? quid non ærumnis vndiq. circumuentum? Risus, conuiuia, symphonias, ludos, festiuitates, multi dolores frequenter excipiunt, & omnes incunditates exitu sæpe diro, & exitiabili concluduntur. Vt autem omnia prospere cadant, mortis tamen acerbitas subeunda est: quæ numquam procul abest, sed hæret semper in tergo, & aliquid quotidie de vita decerpit. Stultum est enim arbitrari, tum demum mortem imminere, cum vitæ finē imponit; cum vero quotidie vitam carpat, atque paullatim conficiat, vim illius non sentire. Singulis enim diebus a morte inuadimur: &, quidquid ætatis elabitur, immanitate illius absumitur. Cum igitur summa celeritate fluat, & in tam exiguo temporis spatio infinitis doloribus, atque miserijs obiecta sit, & omnes opes maximæ, momento temporis euanescant; quid hoc sapientius est, quam omnia vitæ ludibria pro nihilo reputare, & mentis studio, & cogitatione, cælestia, atque sempiterna moliri? Quare, si hæc tua mens est, vt, quamuis omnia pericula tuis opibus intenta sint, id minime curandum putes, dummodo ea ratione viam in cælum munias; numquam satis potero tam excelsam regiæ mentis indolem debitis laudibus exornare. Quare auctor tibi sum, vt, si quam certam rationem isti nouæ religionis auctores afferre possunt, qua facilius ad regnum illud immortale peruenias, quamuis ex eorum disciplinis magnū aliquod periculum fortunis tuis impendeat, eos tamen foueas, omniq. honore dignos existimes. Non enim comparanda sunt exigua summis, humana diuinis, breuia sempiternis. Quid igitur afferunt, quod tantum momenti habeat, ad regnum cæleste comparandum, vt antiqua religio deserenda, & regni commoditas, & amplitudo negligenda sit? Magnum, inquiet fortasse aliquis, & ad laudem singularem mirabile. Nec enim nouitatis auctores sunt, vt imperiti homines opinantur; immo potius omnia, quæ prolapsa erant, ad antiquæ disciplinæ seueritatem reuocare contendunt. Molestissime enim ferunt, illam Christianæ disciplinæ puritatem, quam Christus, & illius discipuli tradiderunt, esse multis superstitionibus implicitam, multisque flagitijs fœde contaminatam. Singularem igitur rationem inierunt, quemadmodum omnem superstitionem tollerent, & maculas Christianæ dignitatis abstergerent, vt ita tandem Christiana disciplina amissum splendorem, atque dignitatem recuperet. Præclarum quidem munus, & immortali laude dignissimum. Quid enim cogitari potest vel ad fructum melius, vel ad dignitatem illustrius, quam in tanta morum labe, atque pernicie, rerumque optimarum vastitate, & exitio, exsistere aliquem tanta virtute præditum, vt nouo more antiquos mores recolat, inflicta vulnera sanet, ruinis oppressa reficiat, violatam religionem expiet, & omnes res diuinas instauret? Quare minime mirum est, si multi, in quibus pietatis studium vigebat, & indigne patiebantur cultum verissimæ pietatis interire, tantis promissis excitati, ad eorum se ductum libentissime contulerint. Sed illud in primis videndum erat, quam locupletes auctores essent, qui hæc profitebantur. Vt enim mercatores pro ratione pecuniarū vniuscuiusq. fidem æstimant; nec enim illi credunt, quem promisso satisfacere non posse putant; sic etiam in tantis, & tam magnificis promissis, non solum erat, quibus illi verbis fidem obligarent, animaduertendum; sed multo etiā magis, an haberent facultates, quibus fidem suam liberarent, ratione ponderandum. Excellenti igitur integritate, continentia, virtute, constantia, inflammato cælestium rerum studio, summisq. spiritus diuini muneribus ornatum, & instructum esse conueniebat, qui hoc tantum, & tam pulchrum facinus aggrederetur. Illud præterea considerandum est, cum olim multi viri sanctissimi, atque sapientissimi, in omni genere diuinæ virtutis excellentes exstiterint, neminique eorum venerit in mentem tam honestam caussam eadem ratione, quam isti primum excogitarunt, suscipere, esse consentaneum, vt ij, qui nunc illam hac noua ratione, & instituto recipiunt, tantum illos heroas virtute superent, quantum hoc ab illis susceptum facinus, omnibus rebus ab illis in vita gestis ad amplitudinem laudis antecellit. Numquid igitur est aliquis eorum sanctior, & continentior, & fortior Athanasio, Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & reliquis viris sapientia, & religione præstantibus, qui non solum sese a communi vita segregarunt, vt toto animo, atque mente, in cælo versarentur; sed posteris ea monumenta reliquerūt, in quibus illorum diuinam mētem spirare videmus? minime. Quid igitur, mediocri ne virtute res tanta confici potuit? credibile non est. Sed demus hoc illis, & fateamur fieri potuisse, vt Deus eam disciplinæ rationem, ad remedium, & instaurationem religionis inductam, quam olim diuinis hominibus celatam esse voluit, ijs, qui in aliqua officij mediocritate versarentur, his temporibus aperiret. Hoc saltem fateantur opus est, eum, quem diuina sapientia tanto muneri præficiendum esse putauit, mediocri virtute, mediocri pietate præditum, & in omni vita mode-

moderatum esse oportere. Nec enim Deus sanctitatis, & honestatis amplissima munera sceleratis, & flagitiosis assignare solet: nec auctoritatem habere possunt apud prudentes homines ij, quorum vita est flagitijs infamis. Quamuis igitur ad tanti muneris, & officij per functionem, insignem virtutem, & præcellentem auctoritatem, iure, atque merito flagitabam; tamen, quia temerarium fortasse illis videbitur, in hac hominum fæce, antiqui officij, atque virtutis exempla requirere, mediocri iam virtute, & auctoritate contētus sum. Quis igitur ille fuit ita temperatus, ita moribus, & vita constitutus, vt probabile sit Deum hoc illi officium delegasse? Quis auctor, & princeps huius instituti fuit, atque tam præclari operis architectus? Lutherus. Qualis autem fuit iste Lutherus? Homo certe (vt leuissime dicam) neque continens, neque moderatus, sed audax, furiosus, nefarius, turbulentus, & vnus omnium maxime popularis. Quales autem fuerunt deinde, qui ab illius disciplina tamquam a fonte profluxerunt? Homines profecto andaces, confidentes, elati, atque (ne quid grauius dicam) non tantis virtutibus ornati, vt eorum auctoritate permoti debeamus ab illius religionis institutis, in quibus fuimus enutriti, desciscere. Quo modo igitur in sani hominis rationem cadit, vt sanctissimus ille dominus, qui semper homines simplices, & moderatos, & humiles amplexus est, eorumq. mentes, qui sibi nihil arrogabant, splendore sui luminis illustrauit, nūc commutata ratione simplices, & humiles præteriret, vt eos, qui neque pudorem, neque modestiam vllam retinēt, noua hac, & insolita luce collustraret? Qua tandem, inquam, ratione, id quod hominibus tam sanctis, tanto studio puritatis incensis, tāta cupiditate diuini luminis inflammatis, ignotum fuit, isti, qui, vt multis signis intelligi potest, huius vitæ commodis addicti sunt, soli acutissime perspexerunt? Sed de illorum iam auctoritate non disputo. multorum enim peccatis accidit, vt non animaduerterent homines, eos, in quibus nulla excellentis virtutis auctoritas inesset, non posse vllo modo, id, quod ostendebant, efficere. Demus igitur ijs, si lubet, fieri aliqua ratione posse, vt, qui non sunt egregia aliqua virtute commendati, & pietatis studio præcellentes, id moliantur, & efficiāt, quod viri virtute, & pietate clarissimi præstare non potuerunt. Quo tandem igitur pacto id assecuti sunt? Quia (inquiunt) illi, quamuis Dei spiritum sequerentur, & Dei verbis essent intenti, auctoritatem tamen hominum nimis intuebantur. nos vero, neque humanam auctoritatem sequi, nec humanis institutis obligari, neque, quid rectum, & honestum sit, humana ratione perpēdere nobis decorum arbitramur. vnum auctorem, atque magistrum habemus, nempe Deum: illiusque tantum verbo, non humanis decretis, & institutis, vitam moderandā censemus. O viros admirandos, atque veneratione dignissimos. Ita enim loquuntur, quasi nullum sit iam eis cum humana natura, aut cū aliqua concretione mortali commercium. Sensus enim videlicet iam fide compresserunt: animum a corpore seiunxerunt: neque solum naturam humanam repudiant, sed omnes sanctorum hominum auctoritates aspernantur. cupiditatis enim vinculis expediti, in cęlum euehūtur, vt nihil aliud, quam Deum, inspiciant; nec vllum consiliarium sibi, nisi Spiritum Sanctum adhibeant. Quod si ita est, eos diuinos arbitror. Filij enim Dei sunt, (vt Paulus auctor est) qui spiritu Dei aguntur. Qui autem filij Dei sunt, diuinis certe virtutibus ornati sunt. Quod si orationis impudentiam flagitiosa eorum vita coarguit, eos tamen audiemus, quoties se tantum Dei verbum sequi confirmant? Si enim verbum Dei tantum in omni vita sequuntur, neque cupiditatem, nec odium, nec iram, nec ambitionem vllo modo sequuntur, diuinisque virtutibus ornati sunt. Si virtutibus diuinis ornati non sunt, non est verum eos Dei tantum verbo esse prorsus addictos. cum verbo namq. Domini flagitium habitare non potest. Aut igitur Dei verbo non diriguntur, aut nullum in se flagitium admittunt. Si flagitium aliquod, aut scelus in se admittunt, verbo certe Dei non diriguntur. Scelera autem multa concipiunt, vt constat. falsum igitur est, eos verbo, & Spiritus Sancti numine gubernari. Sed hæc spinosiora linquamus, & petamus ab illis, vt istius diuini verbi, quod in ore semper habent, specimen aliquod exhibeant. Dabis igitur hanc mihi veniā, Princeps, vt omnia perscruter, & excutiam, vsque eo, dum pateat, quam præclare sit ab illis Euangelij disciplina constituta. Libenter igitur ab illis audierim, an aliquod iam his tam multis annis opus ediderint, quod nos cogat confiteri, eos Dei tantum verbo niti. Bene narras, inquient. Sed nosti verbi diuini munus esse, vt est apud Ieremiam, ante quam ædificet, ædificia vetusta diruere: ante quam arbores fructiferas conserat, inutiles plātas euellere? Noui. Exspecto igitur, & animo suspensus attēdo, quid isto conatu, & impetu tam præclaro diruatis, quid etiam euellatis, vt Christi ædificium instauratum, & hortum illius diuinis virtutum omnium plantis cultura egregia consitum aliquando videam. agite iam, celeritatem adhibete, summo studio contendite, vt id tam præclarum opus ad exitum perducatis. Date igitur operam quantum potestis, vt Satanæ mœnia conuellatis, superbiam exscindatis, iracundiam, & maledicentiam comprimatis, impuræ, & flagitiosæ cupiditatis fibras euellatis, omnē materiam furoris, atque discordiarum seminarium exstirpetis, vt tum demum modestiæ, & humilitatis Christianæ fundamenta iaciatis, & vitæ continentiam, & religionis purissimæ castimoniam, & caritatis Christianæ plantaria seminetis. Recte mones, sed aliquid aliud ante

demolie-

demoliemnr. Quid tandem eſt illud tam dirum & exſecrandum, quod prius quã has tam funeſtas generis humani peſtes funditus euertatis, exſcindere velitis? Rem, inquiunt, acerbam, & indignam, & incluſum ſupplicium, ex omni memoria propter grauitatem offenſionis euellendum. In ædes enim, in quibus ſacræ virgines incluſæ, noctes, & dies hymnos in Dei gloriam concinunt, & Chriſtum pro Regum, atque Principum ſalute, & populi totius incolumitate venerantur, irruemus: pudoris ſæpta reuellemus: clauſtra pudicitiæ perfringemus: neque patiemur diutius ingenuas virgines voluptatis fructu priuari, & filiorum ope deſtitui, & in orbitate miſeranda conſeneſcere. Agnoſco veſtræ caritatis, & humanitatis officium. Quid deinde? Tum vel monachis, quorum etiã ſodalicia ſimiliter euertemus, vel quibuſuis de plebe hominibus eas locabimus. Capite deinde ſanciemus, ne quis in poſterum audeat religionis cauſſa libidini perpetuo repugnare. Capitale enim facinus eſt, nec vlla ratione ferendum. Quid audio? Tu veteris diſciplinæ ſeueritatem reuocas, qui id, quod erat in illa valde admirandum, & quod cæleſtis puritatis imaginem continebat, tanta contentione conuellis? Quid enim eſt admirabilius, quam compreſſa libidine, quæ animum a cæleſtium rerum contemplatione retrahit, tota mente de pulchritudine diuina cogitare, & amore ipſius diuinitatis incendi? Difficile, inquis, eſt. Sit, ſi lubet, etiam difficillimum, dum modo intelligatur, quo id difficilius eſt, eo magis illuſtrari diuinam clementiam: quæ tanta vi imbecillam naturam firmauit, vt poſſet implicitam in natura voluptatis cupiditatem, puritatis excellenti ſtudio comprimere, &, dulcedine diuinæ iucunditatis illecta, omnem corporis oblectationem aſpernari. Si igitur aliquis fuerit non mediocriter ſtudio pietatis incenſus, & eo ſtudio, vt liberius poſſit rerum diuinarum contemplationi vacare, ſeſe a nuptiarum moleſtiſſima cura remouerit, ſi qua virgo amore ſempiternæ dignitatis, & honeſtatis inflammata, id quod rarum, & difficile eſt, ardẽti animo ſuſceperit, & ſe ſacris ædibus libenter incluſerit, vt omni alia cura expedita Chriſto, arctiore, & ſanctiore quodam vinculo coniungatur, & omnes incontinentiæ motus ſpiritu ipſius Chriſti, cui ſe dicauit, conſtanter oppreſſerit; quis eſt tam auerſus ab honeſtate, & tam gloriæ diuinæ contrarius, vt id tamquã nefarium aliquod facinus exſecretur? ſuſpicioſum eſt. idem enim (vt Athanaſius, & alij viri ſancti commemorant) olim hæretici factitarunt: ſimili odio caſtitatem perſecuti ſunt: eodem impetu ſacrarum virginum collegia diſturbarunt: neque paſſi ſunt, quantum in illis fuit, exſiſtere aliquem, qui, regni cæleſtis amore, & cupiditate, Chriſti conſilium ſecutus, vellet omnem corporis voluptatem repudiare, aſſiduoque diuini numinis cultu, & corporis, atque animi ſanctitate cælitum vitam in terris imitari. Sed contineo me. Nec enim æquum eſt, vt ante, quod eſt ſublatum, deplorem, quam id, quod eſt in loco illius ſubſtitutũ, adſpiciam. Adhuc enim ſuſpicari fortaſſe licet, fore, vt rei illius, quæ reponenda eſt magnitudo, facile iacturam, illius, quæ fuit ſublata, reſarciat. Perge porro. quid deinde verbum iſtud, quo nitimini, diſiecit amplius? Omnes ſanctorum imagines, omnia crucis ſigna, omnes tabulas pictas, in quibus erat aliquid, quod memoriam diuinæ clementiæ, aut alicuius virtutis egregiæ repræſentaret, expreſſum. Nec poſthac vllam Chriſti noſtri liberatoris imaginem ſtatui, neq. ſanctorum ſigna collocari, neque publice, neque priuatim vllo modo permittemus. & id quidẽ etiam ſuſpicionem nonnullam mouet, eos, qui id moliuntur, velle paullatim ex animis omnia Chriſti monumenta delere. Cum enim nihil ſit aptius ad memoriam excitandam ſignis, & imaginibus; & cum hoc vnum præcipue noſtrum officium ſit, Deum in animo ſemper habere, & illius beneficia perpetuo recordari; & cum tam multa ſint in vita, quæ noſtros animos ab hac tam pia, & tã neceſſaria cogitatione diuerſos abducant; quæ tandem impietas erit, ea ſigna ob oculos ſemper habere, quæ cogitationẽ noſtram ad memoriam diuinæ clementiæ crebrius excitent, animoſque noſtros acrius in ſtudium pietatis impellant? Sed id tum demum vituperare poterimus, cum intellexerimus, illos non aliquod aliud imbecillitatis humanæ ſubſidiũ afferre, quod melius, atque fortius ipſo muto adſpectu, in animis imperitorum Chriſti beneficium imprimat. Numquid eſt aliud, quod ſit manibus veſtris diruendum? Sacra, cærimonias, atque ſacramenta omnia funditus euertemus. Et hoc quidem etiam ſummum horrorem incutiat, opus eſt. Cærimoniarum tu ſanctitates, & ſacramenta tollas, quæ Chriſtus inſtituit? quæ Apoſtoli tradiderunt? quæ ſancta Eccleſia comprobauit? quæ Chriſti memoriam replicando beneficia illius in mente defigunt? quibus nos illi ſanctiſſima pactione deuinximus? per quæ ſceleribus expiati, pabulo diuino confirmati, virtutiſque inuictæ præſidio muniti ſumus? Quid enim aliud immanes hoſtes Chriſtiani nominis facerent? Miſerum, acerbum, & luctuoſum eſt, & homini Chriſtiano minime ferendum, a tam ſacris rebus, per quas recordatur, ſe tam ſæpe fuiſſe diuinæ gratiæ beneficia conſecutum, & hoc Chriſtianorum conſilio, ſtudio, opera, contentione diuelli. Nugaris, inquiunt, qui iuſtitiæ ſanctitatem in iſtis cærimonijs ponendam exiſtimes, quæ quidem tota eſt in Chriſti gratia collocanda. Hoc ſcilicet nos ignoramus: nihil legimus: nihil audiuimus: nullus vmquam noſtris animis cæleſtis ſplendor illuxit: hoc nunc primum noſtræ aures accipiunt. Numquam, mihi credite, nobis dubium fuit, omnem noſtræ iuſtitiæ cauſſam eſſe ad Dei clementiam, & ſanctiſſima Chriſti merita referendam. Id tamen defendimus, ea,

quæ idem nostræ salutis auctor, vt nos idoneos ad tam diuina beneficia capienda sanxit,& nostram imbecillitatem omni præsidio sæpiret, instituit, non posse a nobis vllo modo sine scelere nefario præteriri. Tum etiam illud asserimus, quod, quoties rebus diuinis rite operam damus, experimur, sanctitatis mysteria ab illo designata atque constituta fuisse, per quæ nos sæpius de magnitudine suæ benignitatis admoneret: quæ supplicia illins pro nobis suscepta oculis pæne subijceret: quibus fidem nostram vehementius excitaret: per quæ denique nostris animis gratiæ suæ rorem vberius instillaret. Hæc quidem nos,qui magnum ex illis fructum capimus, qui eo magis in nostris mẽtibus pietatis studium vigere sentimus, quo magis sumus illis rite procurandis intenti, a vobis sublata esse merito lamentamur, nisi vos,quod vestrum officium est, meliora reponatis. Est ne aliquid præterea, in quo se vestra iactet industria? Multa quidem. Vbicumque enim pedem ponimus,omnes neruos in eo intendimus,vt sacerdotum, & pontificum auctoritatem frangamus, iugum Pontificis maximi a populi ceruice depellamus,& sacras illorũ sanctiones abrogemus, ne sit quidquam, quod Christianam libertatem impediat. & hoc quid aliud est,quam tunicam Christi discindere, & ordinem ab eo institutum contnrbare, & Ecclesiæ concordiã dissoluere, aditumque dissensionibus infinitis aperire? Vt enim vna fides, vna religio,vna Ecclesia est, ita necesse est,eam vnius auctoritate summa, atque moderatione contineri. Aliter enim multiplices, & infinitæ, & plurimum a se ipsis dissidentes religiones existent, & Ecclesiæ innumerabiles instituentur. quilibet enim eam, quam volet, ad libidinem suam finget. qua quidem re quid magis perturbatum,atque confusum, aut magis a Christi placitis,& institutis alienum existimari potest? Accedit,quod, sacerdotibus eiectis, & expulsis, & Pontificis, auctoritate neglecta, & repudiata, Principes, contra fas, religionis iura in suam potestatem redigunt,& temere res sacras attrectant, & eo sacrilegio in grauissimam offensionem diuini numinis incurrunt. Deinde, quis nõn videt, sublata sanctionum sacrarum religione, quæ Pontificum decretis continetur, omnem metum tolli, multoque maiorem licentiam permitti? Quasi, inquient, nos quidquam aliud moliamnr, quam vt omnem metum amoueamus. Sumus enim perfectæ, & absolutæ libertatis auctores; tantumque abest, vt patiamur aliquem metum ab hominibus, discipulis nostris,impendere,vt eos etiam numinis metu liberemus. in quo quidem magno certe beneficio homines nostros obstrinximus. nimis enim anxium,& solicitum erat,noctes, & dies Deum timere,& molestissimis ea gratia curis afflictari. Omnes igitur, qui fidem Christo haberent, iussimus sine cura esse. Tantam enim fidei vim esse contendimus, vt, ea firmissime constituta,



quamuis homo nefarius sit,& iniustus,possit sibi Christi gratiam,atque beatæ vitæ immortalitatem polliceri. Nihil est igitur,quod homo, qui fidem hanc retinet, extimescat. Quid hoc est? tu metum Dei tollas? tu formidinem, quã Dei iudicia incutiunt, depellas? Quæso, quis vmquam homo tam popularis exstitit,atque tã furori, & amentiæ plebis obnoxius, vt auderet homines Dei metu liberare? Impetiũ illi quidem Principum abrogabant: leges populari libidini contrarias infirmabant, atque tollebãt: nomine libertatis imperitam multitudinem ad se alliciebant, vt sibi ad tyrannidem viam munirent: vt autem Dei iudicium non timeret, nemo eorum populum est persuadere conatus. Intelligebant enim, hominem, qni Deum non timet, non posse vllius imperio, ratione aliqua contineri. Quo modo enim, Dei metu sublato, belluam, & hominem discernes? Aut,vt rectius dicam, quæ bellua tam immanis,& truculenta est, quæ sit cum homine, qui numen Dei non extimescit,feritate comparanda? At vide, quantum inter istos Euangelij magistros,& homines a vera religione alienos, qui respublicas olim condiderunt, intersit. Illi,cum prudenter intelligerent,populum sine metu numinis legitimo imperio contineri non posse, falsas religiones instituerunt: isti, vt audaciam hominum confirmarent, de vera religione metum, quod hominum libidines frenare potuisset, omnino detraxerunt. illi, qui fortasse Deum humana curare minime credebant,Dei tamẽ metum imperitis inijciebant: isti, qui se diuinæ mentis interpretes esse iactant, opetam obnixe dant,vt homines Christianos omni Dei metu soluant,& ita in omne facinus sane confidenter impellant. Attamen nondum,quam recte se gerant,disputo;sed, quam malam de se opinionem commoueant, ostendo. Id enim videntur efficere,vt omnem viam salutis,ijs, qui sunt aliquo crimine alligati, modis omnibus intercludant. Si enim nihil metuent, quis eorum ingemiscet? Quis suscepta flagitia lamentabitur? Quis ad odium suæ ipsius improbitatis exardescet? Quis ad honestatem, atque sanctitatem totius animi viribus adspirabit? Quis ad Christi pedes abiectus cum lacrymis veniã petet? Quis operibus humanitatis, & clementiæ flagitiorum suorum maculas eluendas suscipiet? Quid? inquiunt, tu in lacrymis, & in lamentis, tu in dolore ex scelerum recordatione concepto,tu in benignitatis officijs iustitiæ puritatem collocas? ita sane. atque, vt id faciã, non cuiusuis auctoritate, sed legis diuinæ præscriptis adducor. Quod autem vos aliud sentiatis, id non mediocriter admiror. Lacrymæ (inquiunt) fidei imbecillitatem coarguunt: omnia vero opera humana,quamuis incenso pietatis studio gerantur, sunt insiti sceleris, quod numquam elui potuit, contagione polluta, & infecta. Quod autem scelere contaminatũ est, non poterit animum scelere confectum aliqua

ratione

ratione subleuare. Nos igitur, hæc sapienter admodum considerantes, nullo modo salutem nostram in lacrymis, nec in operibus, sed in sola fide ponimus. Hæc iam mihi multo maiorem admirationem efficiunt. Fides enim hæc, qua Christi meritis ad Deum aditum habemus, in diuinam legem respicit, ipsius Dei verbis innititur, Christique nostri Rectoris imperium minime recusat. Ergo, cum diuina lex, quoties in flagitium aliquod incidimus, nos ad fletum vocet; cum omnes etiam Prophetæ maximis vocibus, vt dolore, atque gemitu, & clementiæ operibus conceptum scelus expiemus, admoneant; cum ipse Dei filius aperte dicat, omnes, qui non egerint pœnitentiam, omnino perituros; atque denunciet, eos, qui bona egerint, in vitam æternam ingressuros; qui vero mala egerint, igne sempiterno cruciandos esse; fidei munus, & officium esse constituo, dolere, lamētari, contra susceptæ flagitia odium acre, & infestum cōcipere, & a prauitate vitæ ad studium honestatis, & caritatis animo inflammato conuerti. Quæ quidem omnia fides, quoties viua, atque vigens est, neque oppressa corporis cupiditate languescit, egregie præstat. Non quod aliquid ipsa in se ponat, sed quod diuinitus edocta plane sentiat, clementiæ diuinæ magnitudinem, ad eos solum permanare, quos impuritatis susceptæ pænitet, & toto animo ad diuinæ legis studium conuertuntur. Ea igitur opinio, qua quisque, se cluso dolore, neglectis operibus, caritatis studio restincto, spem sibi sempiternæ felicitatis ostendit, non fides appellanda est, sed audacia, temeritas, & confidentia. Porro autem salutaris mæstitiæ fructum tolli, & benignitatis studium restingui, plane constat, cum homines statuunt, neque mæstitia, nec pio dolore, nec vllis sanctis operibus crimen deleri, sed potius susceptum crimen, noua criminis accessione cumulari. crimen siquidem statuūt esse lamentari, nullumq. opus sine crimine edi posse confirmant. Admiranda igitur, & obstupenda est hæc doctrina, quæ tam incredibiles res explicandas, & animis hominum inculcandas, tanta confidentia suscepit. Est ne aliquid aliud in illa similiter admirandum? Similiter admirandum, inquis? immo quod tantum stuporem incutiat, vt neque Medusæ caput impromiso oculis obiectum citius homines in silicis naturam conuertat. Quid illud tandem est? Rationem humanam alligant: consilij libertatem eripiunt: voluntatem vinculis sempiternis impediūt: totumq. hominem iudicio, atque adeo sensibus orbant; & ita spoliatum omni sui ipsius arbitrio relinquunt, vt nihil inter illum, & lapidem intersit. Omnia namque ea, quæ homines animo designant, moliuntur, efficiunt, siue illa bona, siue mala sint, ad Deum auctorem reuocant, & fatali, atque sempiterna necessitate cōstringunt. Ex quo sequitur, nullum esse consiliū in vita, nullum iudicium, nullam virtutis laudem, nullum flagitij dedecus, nullam iustitiæ vim, nullum præmium iure, atque merito honestati propositum, nullum supplicium recta ratione turpitudini constitutum. Quam enim rationem habet, vt ego pro eo scelere, quod non sponte mea suscepi, (illud enim necessitate cōpulsus admisi) sempiternas pœnas exsoluam? Aut quid conuenit, vt pro ea fide, quam non voluntate mea, sed motu, & impulsu diuino coactus obseruaui, præmijs sempiternis afficiar? &, quod videtur esse facinus horrendum, & detestandum, iniquitatis istius caussa tota Deo est, istis tam præclaris auctoribus, assignanda. Sic enim disputant, eum sine vlla discriminis caussa, & ratione tantum qui libuit, ab omni temporis æternitate selegisse, quos sibi adsciscerct, & gloria sempiterna remuneraret; & quos improbatos sempiterno supplicio mactaret. In quo quidem illorum decreto, & illorum constātiam simul, atque sapientiam requiro. Constantiam, quia libertatis auctores omnem libertatē funditus tollunt. nisi fateantur se in principio licentiam, non libertatem constituisse; & deinde se libertatem, non licentiam sustulisse. Sapientiam vero, quia molestiam incredibilem sine vlla caussa suscipiunt. Nam, si ita ab omni æternitate a Deo statutum est, vt nos eam doctrinā, quam ipsi tradunt, accipiamus; quid attinet eā passim tantis scriptis, & concionibus, tantisque controuersijs, atque periculis, tam immensis denique laboribus inculcare? nisi etiam dicāt, se ad inaniter, & temere laborandum, & vigilādum, & certamen cum multis hominibus ineūdum, eadem ipsa necessitate coactos esse. Multa sunt alia, quæ verbum hoc diuinum, quo duce isti sapientes homines vtuntur, euertit. Infinitum enim esset, si vellem omnia persequi, minimeque necessarium, cum ad nostrum institutum hæc, quæ sunt dicta, sufficiant. Cernis iam, quam efficax fuerit huius Euangelij vis ad diruendum, & euellendum ea, quæ nos idiotæ, nō modo minime noxia putabamus, verum etiam ita ad fulciendam religionem accommodata, vt in tanta rerum omnium labe, pictas earum rerum studio maxima ex parte niti videretur? Virginum enim sacrarum domos disturbauit; admirabile illud exemplum perpetuæ castitatis exstinxit; signa, quæ memoriam diuini muneris, atque beneficij frequēter renouabant, euertit: sacra, cærimonias, sacramenta, quibus mirum in modum multi mortales ad immortalitatis cupiditatem rapiebantur, omnino deleuit: illam modestiam, & obedientiam, qua omnes Christiani summum Ecclesiæ rectorem verebantur, de medio sustulit: ius omne Pontificium penitus abrogauit: metum numinis abstersit: mæstitiam depulit: dolorem, quem maleficiorū conscientia animis afferebat, obruit: operum studium debilitauit: libertatem denique, ad quam omnes inuitabat, eripuit. Quid nunc reliquum est? Id videlicet, vt videamus, quæ sint in locum earum rerum, quas sunt præclari artifices demoliti, eorum opera reposita, atque substi-

substituta. Homines enim sapientes, diuiniq. verbi ministri, qui ea, quæ vtilitatem aliquam afferebant, specie quadam, vt significant, superstitionis offensi deleuerunt, alia multo meliora, atque sanctiora reddant necesse est, si volunt fidem suam præstare. Cum enim vidimus, quid verbum illud Dei, quod prædicant, disturbauerit, atque conuellerit, an non consequens est, vt, quid exstruxerit, atque conseuerit, adspiciamus? Quid igitur est, quod refecerint, & instaurauerint? quid est, quod inseuerint? quis est fructus, quem rebus humanis attulerint? Nihil est. Quid sit euersum, video; quid sit exstructum, non video. quod est exstirpatum, sentio; quod satum est, nondum perspicio. An parum, inquient, est, diffluentes mores antiquæ disciplinæ seueritate deuincere, Christianamq. pietatem in illum statum, de qno iam pridem magna ex parte conciderat, magno labore restituere? Id quidem non parum esse puto, sed tantnm, vt, si id pręstiteritis, vos homines diuinos, atque e cælo delapsos existimem. Hoc igitur videamus. num mansuetudinem, & humilitatem præcipuo, atq. singulari studio colendam suscepistis? num odij acerbitatem, num maledicentiæ petulantiam a vobis longissime repulistis? num vestris cupiditatibus crucem defixistis, vt, illis exstinctis, in cælo facilius mẽtis altitudine versaremini? num aliquod mirabile virtutis, atque pietatis specimen præbuistis, in quo possimus antiquum Euangelij splendorem, & imaginem illius sanctissimæ puritatis, & caritatis agnoscere? Minime. immo vero, vt quisq. maxime isti se disciplinæ dat, ita maxime tæter incedit, & simpliciores irridet, & odio publicæ tranquillitatis, atque pacis accenditur, &, cogitationibus inanissimis inflatus, extollitur. Eam namque sibi sapientiam arrogat, quam nemo vnquam assecutus fuit: ea confidentia, quidquid illi in mentem venit, affirmat, atque si aliquod diuinum oraculum enuntiaret: tam proiecta audacia omnia turbat, vt nihil malle videatur, quam omnia confusa cernere. Quocumque igitur se inserunt, vt Euangelinm suum imperitis obtrudant, tantũ abest, vt mores emendent, vt etiam multo impuriora omnia reddant, quam offenderant. pudorem enim exterminant: cupiditatem vinculis laxant: metuq. Dei sublato, flagitiorum impunitam licentiam largiuntur. Sic autem fit, vt libido multo violentius erumpat, & luxuria citius omnes opes exhanriat, improbitas andacius exsultet, & immaniora facinora moliatur. Quid enim referam vias latrociniis infestas? Quid dissensiones, dissidiaq. turbulenta recenseam? Quid coniurationes contra principes initas, & proditiones, atq. cædes exponam? At, inquies, hæc mala semper in omnibus rebuspub. versata sunt. Nemo negat; sed ea mala, vellem, vt ista tam salutari disciplina tollerẽtur. Quod cum non fit, immo potius quo illa magis increbrescit, eo maiora flagitia committuntur, & ab illis ipsis, qui sese ad magistrorum istorum nomen adiungũt, cũ maiore impudẽtia suscipiuntur; magnũ certe argumentum est, eos minime fuisse instinctu, & inflatu diuino ad docendũ impulsos. Vide autẽ, quãtum inter antiquos Euangelij ministros, & istos, qui se illorũ vestigia sequi profitentur, discrimẽ sit. Illi disciplinã, qua orbem terrarũ illustrarẽt, a Deo acceperũt: isti ingenij sui cõfidentia subnixi, se ad docendũ cõtulerunt. Illi mirabili quodam exemplo integritatis, & cõtinentiæ, disciplinæq. seueritate, fluxos hominũ mores adstringebant: isti nequitiæ exẽplis, atq. dissoluta disciplina, cupiditatem multo acrius instigãt. Illi ad humilitatẽ, & mansuetudinẽ, & patientiã instruebant: isti plerũq. ad superbiam, & immanitatẽ, atq. conuicia, homines sibi commissos instituunt. Illi Dei metu libidinem, & intemperantiam coercebant, & eos, qui fuerant ad aliquod flagitium prolapsi, ad fletum, & lacrymas, ad ieiunia, atq. preces inuitabãt: isti eorũ, qui sceleribus alligati sunt, impudentiam, proposita impunitate, corroborãt. Illi, quantum poterãt, homines a corporis coniunctione diuellebãt, vt dininarũ rerũ studio vehementius inflammarẽtur: isti suos cupiditati corporis arcte constrictos dedunt, vt libidinibus obsequãtur. Illi postremo, cum omnes idem sentirent, omnes enim vnũ magistrum habebant, nẽpe spiritum diuinũ, ita vt non posset aliquis ab aliorũ sententia discrepare, pacẽ firmo fœdere iungebant, omniumq. voluntates amore mutuo conglutinabãt: isti vero, cum pro suo quisq. ingenio quidquid somnians alucinatur effutiat, sintq. ea de caussa in varias & infinitas sectas distracti, pacem turbant, dissidia cõcitant, bella pestifera moliuntur. Nemo tunc ex illis venennm spargebat: nemo contra ciues gladiũ sponte sua vibrabat: nemo de Principũ pernicie, & interitu cõiurabat: nemo inter pocula intẽperanter lasciuiebat. Cũ vero omnibus maximarũ virtutũ laudibus abundarent, tũ in illa erant mirabiles, quod pro eorum salnte, a quibus insignes iniurias accipiebãt, Deum venerabãtur. Cõtumeliis lacessiti, cõtumelias non intorquebãt: iniuriis affecti, acceptas iniurias, cũ poterant, beneficẽtia cõpensabant: ęrũnis oppressi, illis, a quibus erant cõtra ius, & fas indignissime violati, nihil dirũ imprecabãtur. Serui dominis summa cum fidelitate seruiebant: milites in bello pro salute reip. strenue dimicabant: in pace vero minime Principum iussa, quæ non erant diuinæ legi contraria, recusabãt: quin potius omnibus rectoribus, quãuis essent a Christi sacris abhorrẽtes, tamquã Dei ministris summa volũtate parebãt. Sic igitur vitã institnebant, vt nec in pace, nec in bello, nec in otio, nec in negotio, nec in re publica, nec in domestica, aliquid gererẽt, qno vel ordinẽ reip. perturbarent, vel homines, aliquo exẽplo flagitij, & improbitatis, offenderẽt. Omitto ieiunia, cilicia, vigilias, quibus libidinis intẽperantiam cõprimebãt, & corpus animo semper obediẽs esse

cogebant. Omitto opes, quas in egentium inopia sublenāda consumebant. Quid de precibus illis asidnis dicam? Quid studium illud referā, quo sic erant in Deo tota mente defixi; vt, quāuis corpore in terris versarentur, animo tamē in cælo consisterent? Quis lacrymas illas, quas desiderium patriæ calcstis excitabat; quis illa suspiria, quæ diuini amoris facibus inflammati frequenter edebant, explicare dicēdo poterit? Non loquor de illis, qui inuicto animo pro Christi gloria, cruces, ignes, equuleos, & exquisita supplicia pertulerunt. Illos etiam prætereo, qui, vt melius possent Christum semper intueri, rerumq. diuinarum studio vehementius incumbere, sese ab hominum cœtu remonerunt, & in vasta solitudine, in summa rerum asperitate, & inopia, adeo tenui victu inter feras vitam propagabant, vt summum omnibus stuporem inijcerent: qui tamen cælestium rerum iucunditate perfusi, facillime nuditatem, inediam, peruigilium tolerabant. De communi Christianorum eorum, qui propius aberant ab Apostolorū temporibus, pietate, & sanctimonia loquor, in quibus ardentissimum virtutis, & honestatis, & caritatis, & modestiæ studium vigebat. Hæc nobis restituant Euangelici viri; hos mores reuocent; ad hæc nos instituta magna ex parte multis iam annis intermissa reducant; & faciāt denique, vt tam ipsi, quā omnes, qui eos sequuntur, ab omnibus vitijs abstineant, & virtutes illas diuinas, in quibus olim homines sancti floruerunt, imitentur; & tum credi potest, per eos esse Euangelium constitutum. Quod si nihil horum præstare possunt, immo quidquid erat pudoris, atque religionis exstinguunt, si nullo ferme in loco consistunt, vbi non statim legum cōtemptus emergat, petulantia, libido, furor, immanitas, & reliquæ vitæ pestes, in mores inuadant, & turbas, atque seditiones commoueāt, adeo tamen impudentes erunt, vt Euangelij mentionem facere audeant? O Euangeliū insidiosum, & fraudulentum. Fansta enim nuntiat, & pestem comparat. Spem libertatis ostendit, & iugum durissimæ seruitutis imponit. Specie præsentis iucunditatis allicit, & postea multis curis animum, & mæstitia ingenti solicitat. Viā in cælum se mōstraturum esse pollicetur, & homines illius ope freros in miseriæ sempiternæ regionem præcipites exturbat. Quæ enim est alia in cęlum via, nisi quæ est sanctis actionibus, & excellenti vitæ integritate munita? Qui igitur nomine pietatis, studium pietatis, atque benignitatis oppugnant, non ad vitam sempiternam ducunt, sed ignis sempiterni flammas exsuscitant. Animaduerte, quæso, diligenter, quibus verbis Deus apud Ieremiam, verum, & falsum Euangelinm discernit. Nolite, inquit, audire verba Prophetarum, quibus iucunda prænūtiant, & decipiunt vos. visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini. Sic enim loquūtur ijs, qui me probris afficiunt, Pax erit vobis; & ijs, qui ambulant in prauitate cordis sui, dixerunt, Nō imminet vobis malum. Quid hic dicēdum? num potuit magis aperte hominum istorum oratio describi, & notari impudentia? eos enim, qui multis flagitijs inquinati sunt, omni metu liberant; & ijs, qui bellum pietati indicunt, fausta, atque felicia pollicentur. Adiungit deinde: Quis enim eorum adfuit in consilio Domini, & vidit, & audiuit sermonē eius? His etiā verbis constat, huius temporis Prophetas, qui tam iucundi sunt multorum auribus, designari. Nemo enim eorum sic vixit, vt suspicari aliqna ratione valeamus, Dominum eum illo consilia sua communicasse. Quis enim ex illis ita libidinem compressit, vt nullum ex ea flagitium ad hominum offensionem prorumperet? Quis ieiunijs, & precibus assiduis, & pietatis, atque humanitatis officijs iram Domini placandam existimauit? Quis, vt pestem a suis auerteret, multis lacrymis Dei numen ad gratiam inflexit? Quis denique tanto studio caritatis exarsit, vt se pro aliorum salute offerret ad mortem, & pœnas reipublicæ sceleri constitutas subire, atque sustinere cuperet? non enim mediocri virtute, neque vulgari dignitate commendatos esse oportet eos, quibus credere possumus, præcipue Deum mentem suam aperuisse, sed præstante, & eximia, multisque modis admiranda. Nec enim Prophetæ, nec Apostoli, neque reliqui homines sanctissimi, quos summus ille Dominus consilij sui participes effecit, illum altissimæ dignitatis gradum, ea vitæ iucunditate, qua isti homines lauti, & vrbani delectantur, consecuti sunt; sed admirabili, & excellente morum sanctitate, incredibili vitæ duritia, multis laboribus, atque vigilijs, multis precibus, & lacrymis, flagrantissima rerum cælestium cupiditate, & tam ardente caritatis studio, vt cuperent pro omnium salute mortem obire, intolerabilique dolore cruciari. Quas quidem virtutes cum isti ne suspicione quidem attigerint; sed ita viuant, vt multis signis appareat, eos, nec a cōmunis vitæ commodis, nec a naturæ blandimētis, & lenocinijs abhorrere; ita tamen loquuntur, quasi in consilium Domini admissi sint, & omnia, quæ dicunt, de illius sententia, & mente pronuntient. Merito igitur eo in loco Deus taliū hominum impudentiam maledictis insequitur, & dirum illis exsiliū minatur. Paucis deinde interiectis insignē notam apponit, qua facillime veros Prophetas a falsis internoscamus. Ait enim, Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissēt profecto eū a via sua mala, & cogitationibus suis pessimis. Vt igitur ex hac diuina sententia cōstat, vbi veri Prophetę populū instituendū, & erudiēdum suscipiunt, multi repente cōmutantur animis, & meliores in dies fiunt, & præ immortalis gloriæ cupiditatē corporis voluptates aspernātur, & cōmoda vitæ despiciūt, & magna quadā alacritate in studium diuinæ legis incumbunt. Contra vero quocūq. in loco falsi Prophetæ ve

stigium

stigium ponunt, cernes repente maiorem flagitiorum licentiam, minorem ad omne facinus verecundiam, flagitiosiorem in omni genere turpitudinis intemperantiam; ita, vt facile cerni possit, eos, quemadmodum idem Propheta sub Dei persona eo in loco fuse persequitur, id moliri, vt diuinæ legis studium, sanctissimæque religionis memoriam, sempiterna obliuione sepeliant. Et hic quidem Ieremiæ locus non sine caussa a me inductus est. Ex eo namque percipimus, quo signo falsæ doctrinæ prauitatem a vera, & salutari distinguamus. Si enim, postquam ista noui Euangelij, nouæque religionis disciplina in Britanniam immigrauit, immigrauit simul cum illa pudor, integritas, innocentia; si morum grauitas, & constantia, si vitæ seueritas, si decoris, & honestatis laudes e tenebris emerserunt; si fides erga Principes, si mutui ciuium inter cines amoris consensus, & conspiratio firmius constituta fuit; si studium caritatis, atque pietatis multo acrius, & ardentius excitatum; si templa meliore, atque sanctiore religione culta; si memoria Christi pro nobis in Crucem acti fuit multo altius in animis impressa, ita vt multi Crucis studio, Crucem sibi constituerent, qua libidines suas, quæ bellum inexpiabile cum Christi sanctitate gerunt, eliderēt; si denique nouus quidam splendor exortus est, nouusq. diuinarum virtutum ornatus non antea visus enituit; non ita digni reprehensione videntur, qui illam secuti sunt. Si vero nihil horum istius disciplinæ studio perfectum est; immo tunc multo audacius temeritas, impudentia, libido, passim volitauit; si intolerabilis superbia, & arrogantia fuit multo magis quam antea confirmata; si seditiones, contentiones, atque dissidia facilius excitata sunt; si perfidia Maiestatem Regiam audacius violandam suscepit, & vitæ Principū insidias machinata est; si multos eorum, qui sese penitus huic disciplinæ dedidere, neque pudor, neque metus, neque diuini iudicij formido iam potest a facinore deterrere; si omnis ista malorum colluuies, aut saltem horum malorum incrementum, simul cum ista disciplina importatum fuit; dubium esse potest, eā non fuisse verbo Dei, vt prædicant, sed infestissimi dæmonis fraude constitutam? Verbum enim Dei pudorem, & integritatem sancit: at illa soluit omni vinculo cupiditatē, &, quod est consequens ad flagitiū, furibunde sollicitat. Dei verbū omnē sedat arrogantiā, & ad modestiā in primis instituit: illa vero animos effert, & in contemptionē totius antiquitatis, & priscæ religionis, atque sanctitatis adducit. Verbum Domini pacem cōciliat, & animos rerum optimarū communione consociat: at hæc doctrina concordiā dissoluit, & Ecclesię corpus intestina seditione dilacerat. Quomodo enim auctores pacis, & cōcordię possunt esse, qui nec cum alijs similiter a via declinātibus, neque secum ipsi consentiunt? qui a se ipsis inconstantis sime dissident? qui alias, atque alias opiniones valde inter se repugnantes tuendas suscipiunt, nec in vna sententia diu permanere possunt? Cum igitur Christi officium sit, (vt ipse testificatur) dispersos in locum vnum compellere, & animos inter se dissidentes sententiarum consensione, & mutua beneuolentia, & caritate cōiungere; Diaboli vero officium sit, optime consentiētes dispergere, atque dissipare, omnemq. societatem sancte constitutam dirimere; & horū euangelicorum hominum disciplina tumultus concitet, & concordiā dissoluat, & vnam sectā in sectas infinitas diuidat, & alias ad aliorū odium incendat; num obscurū est, eorum institutum, atque disciplinam minime ad rationes Christi pertinere, sed totā esse Satanę versutia, atque fraude compositam? Quod enim maius argumentū requirimus, quam illorū inter illos odia, contentiones, rixas, atque conuicia? Hæc mala Christus non efficit, sed Antichristus. Nō est enim Deus auctor dissensionis, sed pacis. Nec illud postremo est silentio præterenndum, quorsum tandem hæc variarum sectarum licētia, atque garriendi impunitas erūpat. eo enim tendit, vt omnem Dei cognitionē funditus tollat. Nam, cum nulla apud eos religio ita firme constituta sit, vt non facillime aliorū disputatione refellatur, cum pleriq. omni vento iactentur, & in diuersas partes turbulentis, & errantibus opinionibus agitentur, & modo in hāc, modo in illā partem quasi tempestate delati rapiātur, nec in vlla certa sententia consistant; cum multi tandem earum sententiarum vanitatē, quas aliquando secuti sunt, rebus explorent; fit tandem, vt omnem religionē ludibrio habeāt, Deumq. aut non esse putent, aut res humanas ab illo minime curari censeant. Quo, quid immanius dici, aut cogitari potest? eo tandē prorumpere, postquam semel ab illa vnica, & recta via deflexerint, homines Christi numini dicatos, & ad Dei cognitionem per ipsum Dei filium eruditos, vt non solum Crucem Christi odio persequantur, & pro Deo cupiditatem suam, atque flagitia venerentur, verum etiam ipsum rerum omnium dominum, cuius summā potentiam, rectissimaque iudicia manes inferi pertimescunt, aut esse non credant, aut saltem a mundi totius moderatione remoueant? Et quis ille, inquis, tam ferus, & immanis est, qui hoc tantum scelus, & tam immane concipiat? Multos quidem, si rem diligentius explorare volueris, exstitisse cōperies, qui disciplinis istis tamquam gradibus sublati, ad summum tandē huius sceleris infandi fastigium adscenderunt. Vt enim in reliquis artibus, nemo repente potest illius, in qua sibi elaborandum duxit, perfectionem assequi; sed opus est a rudimentis inchoare, & ita paullatim via, & ratione progredi, atque ad vltimum tandem peruenire; ita in sceleris disciplina sunt certa initia, atque prauitatis elementa, quæ si longius serpere, atque progredi permissa fuerint, ad perfectionē sceleris illius infandi perducentur, ad quam

nihil iam possit accedere. Qui autem hoc tam nefario scelere constricti sunt, ipsi se operibus indicant. Neque enim si Deum omnia prouidentem, & animaduertentem, & in terra facinora seuerissime vindicantem esse putarent, tam inexpiabiles fraudes suscepissent. Sed furore, & dementia præcipites eo progressi sunt, vt quasi fabulas quasdam aniles, & laruas ad pueros territandos inductas, ea, quę de iudicijs diuinis scripta sunt, quoties id facere audent, impia dicacitate derideant.

Longius elatus sum quam statueram. Sed cum hoc mihi proposuissem, vt te de illis opibus comparandis admonerem, quibus instructa fortius Regnum tuum communires, maximumque, & firmissimum Regni tuendi, atque feliciter administrandi præsidium in sanctissimæ religionis cultu collocandum esse demonstrarem, nihilque reipublicæ perniciosius esse confirmarem ementita religione atque sanctitate; nihil magis huic instituto meo consentaneum facere potui, quam tradere tibi signa, quibus insidias in ficta religionis specie latentes explorares. Si autem memoria tenes eos religionis fructus, quos ante commemoraui, rectissime, quæ sit religio falsa, percipies. Nam si vera religio deprimit arrogantiam, compescit iracundiam, refrenat cupiditatem, coercet intemperantiam, repellit animi labes, pudorem atque modestiam conseruat, metum diuini numinis inijcit, fidem erga Reges sancit, concordiam firme constituit, animos amore constringit, atque cupiditate Regni cælestis incendit: ea certe quæ superbiam gignit, iram concitat, cupiditatem soluit, mentem flagitijs inquinat, pudorem exstinguit, Dei metum tollit, Regibus insidias parat, pacem turbat, odium cōflat, animos in terram deprimit, atque demergit, vera non est, sed falsa, pestilens, atque mortifera. Docui porro, hanc sectā (si vna secta appellanda est) quæ non solum anceps, & lubrica, sed varia, multiplex, & infinita est, popularem esse. Populum enim specie nimiæ libertatis ostensa contra leges, contra legum ministros, contra Principum Maiestatem, & imperium armat, multitudinisq. furorē falsa religionis auctoritate confirmat. Quod si solū Regiæ Maiestati interitum afferret, dum modo nullam pestem animis importaret, & ius illius Regni sempiterni non modis omnibus euerteret, fuisset aliqua ratione tolerandum. Sed illud est maxime deplorandū, quod studiū virtutis, splendorem honestatis, lumē verissimæ religionis, atque pietatis exstinguit, omnesq. egregij decoris laudes flagitiorū impuritate contaminat; aditumq. in gloriā illā sempiternā penitus intercludit. Quid igitur est, quod nos in fraudē impellat? magistrorū auctoritas? At demonstratū est, quam longe absint huius disciplinæ magistri a veræ virtutis dignitate, a vitæ grauitate, & constantia, a purissimæ religionis sanctimonia. Quid igitur? populi libertas immodica? At, cum nihil ea sit principibus infestius, tū populū ipsum funditus euertit, & libertate tandē spoliat. Omnia siquidē modo conseruātur, immoderatione verò peruertūtur. Vt enim Rex, qui legitimo imperio minime contētus infinitū imperium concupiscit, nec solū omnia humana iura infra se posita esse iudicat, sed diuina etiā potestate sua cōplecti studet, Regnū tueri diu non potest, cū simul homines a se multis iniurijs alienet, & in offensionē grauissimam numinis cælestis incurrat; ita populus, cui legibus definita libertas minime satisfacit, & ea de caussa omnē ordinem perturbat, & seditiones commouet, & bacchatur, & furit, necesse tandem est, vt cum reliquis bonis, illam etiam libertatē, quam retinere potuit, amittat. Quid igitur? num eam disciplinam sequemur, eo quod ad sempiternam vitam ducat? Sed iam planū fecimus illius opera, petulantiam, impudentiam, libidinem solicitari, tumultus, atque turbulentas dissensiones excitari, flagitia multa suscipi, scelera infinita conflari, memoriamq. postremò pietatis omnino deleri; quæ quidem minime in cælum perducunt, sed in sempiternæ miseriæ regionē præcipitant. In quo quidem satis apparet, quāta fide Euāgelici viri promissa persoluerint. Hoc enim profitebātur, hoc denuntiabant, hoc se cumulate perfecturos esse promittebant, vt corruptos mores ad Euangelij seueritatem reuocarent, & pristinam illam Ecclesiæ puritatem restituerent. Intelligis iā, Regina, quomodo id præstiterint. non solum enim rempublicam Christianā non sanauerunt, sed potius vbicumq. versati sunt, in eo omne studium suum posuerunt, vt, quidquid inerat sanitatis, opprimerent, & omnia pestiferis morbis inquinarent. Quid igitur minus considerate fieri potuit, quam illorum auctoritate quempiā permoueri, vt ab antiquissima, & sanctissima religione discederet, quæ Iesu Christi sanguine sancita, Martyrum supplicio cōfirmata, sanctorum hominum diuinis monumētis illustrata, cōtra perditos hæreticorum conatus, & tyrannorum impetus semper inuicta, & eadem perpetuo ratione ad nos vsque cōtinuata permansit, vt religionem colerent nouitate suspectam, auctorum flagitijs infamem, optimarum rerum interitu calamitosam, exitu diro, & horrendo detestabilem? Quæ quidem cum a nullo possit sine peste nefaria suscipi, tum Reges, qui se illius impura contagione violari patiuntur, multo grauiorem plagam accipient. Neque enim solum imperij maiestatem, reipublicæ salutem, vitam denique, & dignitatem in summum discrimen adducunt; sed, quod est lōge calamitosius, atque funestius, grauem in se diuini numinis iram prouocabunt, & atrociorem pœnam in omni sæculorum æternitate sustinebunt. Quo enim plures, quos ipsi sanare, & quorum salutem tueri debuissent, illorum exempla secuti, in eandem pestem ruent, eo grauioribus supplicijs damnabuntur. Horrendum (inquit Paulus) est incidere in manus

Dei viuentis. Si enim illum ipsum Dominum, cuius clementia nitimur, atque confidimus, cuius opem in rebus perditis, & afflictis imploramus, in quem solum, cum sumus vndique impugnati, respicimus, aduersarium, & infestum habuerimus; ad cuius præsidium confugiemus? cuius auxilio tecti impetum illius arcebimus? quibus speluncis, aut quibus tenebris occultabimur, ne vultum illius irati & infensi subeamus? Leuissimo illius tactu terra ingenti motu concutitur: montes incendio horrendi fulminis ambusti fumant: cælum maximo fragore emissis ignibus, offusis tenebris, multisq. valde metuendis rebus, cunctos mortales exanimat. Quid est igitur existimandum fore, cum non iam naturam leuiter ad metum incutiendum, & animos a scelere deterrendos armauerit, sed ipse etiam cum omnibus suis copijs ad pœnas de sanctissimæ religionis hostibus expetendas, armis seueritatis, & indignationis iustissime succinctus apparuerit? cum omnem fastum, & insolentiam, cum omnem humanæ dignitatis elationem iudicio suo peruerterit? cũ homines in scelere pertinaces a se repulerit, ignibus sempiternis, acerrimisque supplicijs sine vlla intermissione cruciandos? Ipse, inquit, ille Deus Deorum est, & Dominus dominantium, fortis, potens, & terribilis, cuius iudicium, neque cuiusquam gratia inflecti, nec muneribus & donis corrumpi potest. Non igitur iudicia illius horrebimus? non ad illius conspectum trepidabimus? non illius metu perterriti, omnia a nobis flagitia repellemus? Quid si etiam ab illo multis signis de calamitatibus, quæ propter impietatis scelera, atque flagitia communibus rebus impendent, multo ante præmonemur? & tamen diuina ostenta negligemus? & tamen in scelere suscepto perseuerabimus? Dat quidem (vt est apud Dauidem) multa signa Dominus, quod etiam nostris temporibus euenire conspicimus, quibus admoniti arcum illius in hostes religionis intentum, vitæ conuersione fugere, & tela castissimo numinis illius cultu retundere valeamus. Quo quidem beneficio si fuerimus ad maiorem audaciam, & impudentiam instituti sceleris abusi, opes, vt Paulus ait, iræ diuinæ coacernabimus, magnumq. cumulum cruciatibus sempiternis afferemus. Christus optimus maximus, hanc tam diram cladem, ab vniuerso Christiano cœtu prohibeat, Ecclesiamq. suam tantis dissidijs grauissime laborantem subleuet, atque tandem aliquando eos, qui sunt a communi illius consensu diuulsi, cum illa coniungat, ne tantam materiam lętitiæ Christiani nominis hostibus sempiternis multorum pernicie, & interitu largiatur. Pro mea quidẽ parte vota mihi perpetuo facienda puto, pro totius Christianæ reipub. salute, quæ tota posita est in vnius religionis sanctissimo cultu, & in amoris mutui coniunctione, omniumq. diuino rum bonorum communione, & societate. Cum vero me aliarum nationum, quæ se ab Ecclesia seiunxerunt, caussa valde solicitet; tum istius Regni discrimine ita conturbor; vt curam, in qua gratia illius versor, nequeam vllis verbis explanare. Doleo enim vehementer, & angor, Regnum florentissimum, omnibusq. rebus ornatissimum, &, si hoc ad rem pertinet, cum hoc Regno, & sanguinis propinquitate, & fœderis antiquitate coniunctissimo, quod tam multa pietatis documenta dedit, nec plura olim virtutis monumenta constituit, quam religionis, atque sanctitatis exempla posteris admirandũ proposuit, his temporibus, aliqua ex parte, per dirorum hominum fraudibus, & insidijs inductum, in tam ineptas, & impias sententias incidisse. Sed me in tanta solicitudine recreat, atque reficit, spes quædam, quam habeo in tuo singulari ingenio, atque præstanti benignitate repositam. Ingenij enim maximi est, impendentia pericula præcauere, falsam opinionem mendacio animaduerso deponere, veritatem perspectam, & cognitam libenter amplecti, nec vllum in pertinacia decus, sed omnem in salutaris conuersionis facilitate dignitatem constituere. Excellentis autem benignitatis est, vniuersæ patriæ consulere, atque cum vitæ etiam periculo, si opus ita fuerit, eam omni errore pestifero liberare. Omnis patriæ tuæ salus in te posita est. Si enim violatam religionem expiandam susceperis, teque ad consensum Ecclesiæ totius aggregaueris, & antiquos mores, & officia rite colueris, nefarijsq. hominibus expulsis, homines bonos, atque sanctos adsciueris; Christi ope, & auxilio confirmata Rempublicam præclare constitues, omnibusq. tuis salutem, atque vitam reddes. Sin autem ea, quæ labuntur, & ruunt, fulcire neglexeris; quorsum omnia sint euasura, perhorresco. Illud etiam velim recogites, eum, qui dignitatem suam dignitati Christi præfert, &, ne aliquod periculum adeat, non omnes suas curas in gloriam Christi conferendas existimat; in eam calamitatem frequenter incidere, quam ne subiret, Christi gloriam hominum flagitijs imminui, & obscurari sustinuit. Rectissimo enim Dei iudicio fit, vt, qui suam gloriam gloriæ Dei anteponit, omni dignitate spoliatus intercat. Contra vero, qui præ Christi gloria opes, atque dignitatem contemnit; is summas opes, & dignitatem multis ornamentis amplificatã consequitur. Sapienter enim illum summum Dominum, qui numqnam res suorum neglexit, sibi patronum adoptat, atque ita multo firmiore præsidio opes suas, & dignitatem sæpit, quam si se maximo, & fortissimo exercitu constiparet. Quare, si Regni tuendi, & conseruandi studio flagras, immortaliq. gloria circumfluere concupiscis; non tã quid tibi homines opibus tuis firmandis conuenire dicant, quam quid gloria Christi, quid lex diuina, quid ratio sanctissimæ religionis efflagitet, cogitandum puta. Fac, vt tibi tui singularis ingenij veniat in mentem:

respice, quibus sis exculta disciplinis: in quo gradu locata sis: quod munus tuendum, & efficiendum susceperis: & intelliges, ea dona, quæ a Deo accepisti, esse tibi potissimum ad illius gloriam conferenda. Is enim, qui ea tibi donauit, beneficia sua, si te illi totam addixeris, ope sua tuebitur, nec te vmquam auxilio præsenti destituet. Quamuis igitur sola facinus hoc tam præclarum susciperes, vt vniuersam Britāniam ad pristinam fidem reuocares; quid est, quod non possis efficere, diuino præsidio circumsæpta? Accedit, quod multo plures in isto Regno sunt veræ religionis amantes, atque pro illius sanctitate supplicia perferre parati, quā nouis istis institutis, atque disciplinis addicti. Quare dubium non est, quin facile omnia quæ velis, & diuino, & humano præsidio munita conficias. Considera deinde, quanta tua gloria futura sit, si Regnum istud paucorum improbitate, & scelere perturbatum, atque magna ex parte conuulsum, opera tua ad pristinum splendorem redierit, & pietatis ornamenta recuperauerit. Nam omnium bonorum præconio celebraberis: immortali memoriæ consecraberis: omnis te posteritas intuebitur: nec vlla ætas de tuis vmquam laudibus conticescet. Quæ enim victoriæ sunt cum tam egregio facinore comparandæ? Quid poterit esse ad laudem illustrius? quæ monumenta possunt clariora ad nominis immortalitatem constitui? Non enim multa hominum millia trucidare; sed impietatem, & improbitatem profligare, flagitiorumq. omnium labes ad internecionem delere, laudandum, & prædicandum est. Non hominibus pestem, & exitium inferre, sed multos homines a peste, & exitio vindicare, immortalem gloriā parit. Non multas hostium vrbes armis exscindere; sed patrias sedes ab omni flagitiorū colluuione, & impietatis incursione tutas, & incolumes conseruare, egregiam dignitatem conciliat. Reliquæ enim victoriæ, quamuis a Deo pendeant, armis tamen humanis pariuntur: hæc vero omnium clarissima, solum diuinis armis obtinetur. & illas nemo sine flagitiorum impunitate, & hominum strage consequitur: hæc vero simul cum flagitiorum omnium interitu, & hominum salute comparatur. Quocirca necesse est, vt hæc illas omnes, quæ humanis armis, & militum strepitu, & hominum viribus partæ sunt, tantum dignitate superet, quantū humanis diuina præcellunt. Quæ quidem eo maiorem admirationem efficiet, quo est difficilius tenebrarum Principes, atque sempiternos humani generis hostes ab vna femina vinci, quam homines ab hominibus in acie superari. Non igitur solum tam illustris laus omnium hominum commemoratione vigebit; sed cælitum etiam sempiterno præconio celebrabitur. Quare, Regina Clarissima, per Iesu Christi liberatoris nostri vulnera, per illius mortem, & acerbissimum cruciatum, per clarissimam illius victoriam, qua de morte exstincta, atque deleta triumphauit, per illum Ignē sempiternum, quem in terris implicuit, & quo suorum animos inflammauit, per illud sanctissimū iudicium, quo in scelus animaduertet, & inuiolatam fidem, & castam religionem præmijs sempiternis afficiet, per omnes denique sanctitates te oro, & obtestor, ne, cum tanta præsidia tibi ad immortalem gloriam suppetant, tibi ipsa deesse velis. Christum vulneribus pro te concisum intuere: te ad illius pedes abijce: illius crucem amplectere: odium Crucis, quod isti pestiferæ nouitatis auctores aperte suscipiunt, a repub. detestare: sanctorum vestigijs ingredere: atque tibi persuade, illam esse rectam viam, quam diuini homines, excellenti virtute, contin͠etia, puritate præditi, & cum Deo amore summo coniuncti, & spiritu illius eruditi, tenuerunt: non illam, quam homines sui amore obcæcati, ingenio suo nixi, confidentia præcipites, flagitijs cooperti, & ab Ecclesiæ coniunctione diuulsi, sequendam esse prædicant. Quod si feceris, Regni tui opes tuebere, & amplificabis, &, quod est multo maius, summa cum gloria in cælestes illas sedes adscendes. Christus optimus maximus te, cū summa dignitatis amplificatione, incolumem diutissime conseruet.

FINIS.



HIERONYMI OSORII LVSITANI EPISCOPI SILVENSIS IN GVALTERVM HADDONVM MAGISTRVM LIBELLORVM SVPPLICVM APVD CLARISSIMAM PRINCIPEM ELISABETAM ANGLIAE, FRANCIAE, HIBERNIAE REGINAM

LIBER PRIMVS.



DIVINO munere, & beneficio factum esse puto, vt libellus, Haddone, tuus, quem in me aliquot ante annis edideras, vix tandem his diebus proximis in manns meas perueniret. Eam namque mentem Deus Henrico Cardinali Principi sanctissimo, & rectori sapientissimo dedit, vt summam diligentiam adhiberet, ne facile possint ad nos libri, qui puritatem sanctissimæ religionis inficiant, importari. Itaque, nisi Emanuel Almada Pontifex Angrensis, vir omnibus rebus ornatissimus, & mecum vetustate amicitiæ iam inde a maioribus nostris institutæ coniunctissimus, Mariam Parmensem Principem, feminam multis laudibus admirãdam, in Belgicam Galliam deduxisset, nondum ego quidquam, neque de libro, neque de auctoris nomine scire potuissem. Sed, cum ille, postquam appulsus in Galliã fuit, in libellum tuũ incidisset, putauit ad amicitiam, & officium pertinere, caussam meam agere, & conuicia tua refellere. Quamquam ille in opere, quod singulari diligentia confecit, non tam mei, quam religionis, qnam pietatis, quam sanctimoniæ patrocinium suscepit. RediJt ille quidem multo serius in patriam, quam sperabamus. Fuit continuo rumore disseminatum, Britannum hominem (nomen autem minime norant) contra Hieronymum Osorium scripsisse, Angrẽsemq. Episcopum Osorij caussam ardenti studio suscepisse: idque fuit mihi amicorum litteris significatum. Eo tempore meam diœcesin magno cum labore, & studio peragrabam. Non tamen illud officium me impedire potuit, qno minus enm per litteras salutarem, illique de reditu in patriam gratularer: & simul ab eo petebam, vt mihi tam libellum tuum, qnam defensionem suam mitteret. Respondit ad omnia, quemadmodum & humanitas, & officium, & amicitia postulabat. Quod vero ad tuum libellum attinebat, se religione impediri dixit, ne illum ad me mitteret, antequam ea sibi potestas a Cardinale fieret. Vide, quantum sit nefas, atque flagitium apud nos, eorum hominum libros, qui religionem multis erroribus inquinarunt, euoluere. Homo sapiẽs, qui meam fidem multis experimentis exploratе cognitam habebat, cum videret me in dignitate Pontificia constitutum, & ea ratione pro meo iure posse, quidquid insidiarum in litteris illis lateret, perscrutari, & inspicere; minime tamen ausus est me libri tui participem facere, antequam Cardinalis nostri mentem consuleret. Hic tu fortasse nimiam illius superstitionẽ irridebis. Ego vero numquam diligentiam, quæ ad arcendam pestis adeo funestæ contagionem adhibetur, nimiam putabo. Post multos tandem menses, Cardinale consulto, mihi librũ tuum misit, & simul admonuit, vt aliquod tem-

pus

pus e summis occupationibus eriperem, vt tibi responderem. Id etiam reliqui amici, vt facerem, hortabantur. Quamuis autem amicorum voluntatem aspernari, contra officium esse videretur, illis tamen morem minime gererem, si illo opere tuo meam tantum dignitatem, & nõ religionis sanctitatem violatam animaduerterem. Accedebat, vt id libentius facerem, quod ad Christianæ caritatis officium pertinere existimabam, experiri, an fieri opera mea posset, vt tu aliquid de insita leuitate deponeres. Mihi enim dubinm non est, quantum ex scriptis istis tuis conijcere potui, quin tibi in scribendo maxime placeres, & in locis quibusdam tui admiratione defixus insisteres, & amicorum etiã plausus interdum captares. Quantum vero te opinio fefellerit, statim apparebit. In eo primũ quod ais, me verborum, atque sententiarum magnum architectũ esse, minime laudes, quas mihi vel vere, vel simulate tribuis, agnosco. Si aliqua dicendi laus in me est, ea profecto est, quod numquam tantum studium in verbis, quã tum in altissimarum rerum cognitione posuerim. Deinde, quod hanc, quantulacumq. est in me dicendi facultas, si aliqua est, non ad inexpiabiles religionis impurissimæ fraudes, sed ad verissimæ pietatis studium animo acriter incẽso contulerim. Magnum mihi statim in principio crimem temeritatis, & elationis intendis. Sic enim ais: Multũ in eo tibi assumpsisti, quod vir priuatus, terra, mariq. disiunctus, nostrarumq. rerum insolens, Regalem Maiestatem tã fidenter affatus sis. Primum quidem abs te libenter audierim, quid sibi velit hoc priuati nomen? Est ne contumeliæ tantum? An id, quod in bonos etiam viros, & virtute, atque nobilitate præstantes cõuenire potest? Apud vos numquid non sunt multi viri nobiles, qui neque magistratum gerunt vllnm, nec honoribus publicis vtuntur? Ita ne vero? Omnes qui libellorũ supplicum ministri non fuerint, sunt per te a regum aditu, & congressione repellendi? Sic enim hoc mihi priuati nomen obijcis, quasi in maximum probrum inesse indices. quasi tu me dicas rusticano patre natum, in tenebris educatum, & qui numquã vultum Regis vllius adspexerim: & iccirco facinus admisisse supplicio dignum, quod Reginam Elisabetam, quam semper a me honoris Maiestati Regiæ debiti caussa nominari volo, appellare per litteras ausus sim. Quod si ita fuisset, & non essem, vt sum, antiquissima nobilitate, non erat tamen hominis in bonis artibus enutriti, pluris vllum generis nomen, aut honoris titulum, quam ornamenta virtutis existimare. Omnia siquidem vel nobilitatis, vel honoris insignia, quamuis ad speciẽ splendida, & illustria sint; falsa tamen & inania cum sint, nullumq. in se, cum vera virtus abest, solidum fructum contineant, a sapientissimo quoque despiciuntur, atque pro nihilo putantur. Itaque, si mihi conuicium facere studes, scelus, & flagitium obijce, & ne priuati nomen opponas. Nam, ante quam ipse Pontificis personam sustinerem, multos vestri ordinis gratia, & auctoritate, atque dignitate superabam. Si enim priuati nomen, ingenij tarditatem, si stuporem, si flagitium, si turpitudinem designaret; tunc certe, qui mihi priuati nomen obijceret, in me contumeliam me prorsus indignam intorqueret. At, cum fieri sæpe videamus, vt multi honoribus indigni, apud Principes in honore maximo sint, & ij, qui fidelem, & fortem operam Principibus nauare potuissent, honoribus careant; fit, vt priuati nomen sæpenumero non hominum indignitatem, sed Principum infelicitatem significet. Improborum enim hominum operis obsessi tenentur, ne bonorũ virtute frui possint. De eo vero, quod asseris, minime par esse, me hominem terra, mariq. disiunctum litteras ad Reginam vestram dare; velim me doceas, fuerint ne inuẽtæ litteræ, vt absentes de re aliqua, quæ in rem esset, certiores faceremus? an præsentes tantum? Absentes certe. Quid ergo mihi crimini das, quod Reginã, cuius studio eram incensus, absentem, & a me terra, mariq. disiunctam, de rebus, quæ ad statum illius stabiliendum pertinebant, per litteras admonuerim? Etenim, si præsens fuissem, non litteris, sed sermone coram habito illam obtestarer, vt improborum consuetudinem, & familiaritatem vitaret, si vellet salutem, atque dignitatem tueri, Obijcis etiam rerum vestrarum imperitiam; quasi ego in illarũ rerum tractatione verser, quæ non sint omnibus notissimæ. Regalis postremo Maiestatis nomine indignitatem mei facinoris amplificasti; quasi Regina vestra plus opibus, & potentia, quam humanitatis laude præcellat; & is ego homo sim, cui non liceat maximum Reipub. Christianæ Principem per litteras de rebus summis admonere. Recognosce nunc quæso tuæ istius orationis inconsideratissimam temeritatem. Hoc enim videris dicere. Tu, cum numquam in foro versatus sis, cum nullum vmquam magistratũ ex his, qui iurisperitis mandari solẽt, in repub. gesseris, cum denique numquam Principi supplices libellos obtuleris, tantum tibi arroges, & assumas, vt Regalem Maiestatem appellare audeas, quod mihi soli, & mei similibus est optimo iure concessum? Si non sentis, quam inepta ista sententia sit, te hominem stupore mentis oppressum iudicabo. Si vero doles, hominis vllius, qui tui similis non sit, orationem ad Reginæ aures admitti, recte doles. Non enim diu poteris in ista felicitate permanere, si se se multi viri boni, atque sapientes ad illius studium, & nomen adiunxerint. assimulatum namq. fictæ virtutis officium, in conspectu veræ virtutis euanescit. Quare moneo, vt omnes bonos viros, quorum audio non esse mediocrem in Britannia multitudinem, a familiaritate Principis excludas, expellas, eijcias, interdictis arceas. De me vero, qui terra, mariq. disiunctus sum, non est cur tantopere labores. Nec enim periculum

est,

est,ne opes,quibus, vt præ te fers, intemperantius inhias, ipse præripiam. Sed pace tua dixerim: animo pusillo,& angusto mihi videris esse, qui tantos spiritus ex ista mediocritate dignitatis assumas. Si enim mediocrem istam fortunam sustinere non potes, & iccirco priuati mihi nomen obiectas; quid faceres,si fuisses ad altiorem gradum honoris euectus? Ais me legum dignitatem imminuere velle,cum is sim,qui legibus reip. salutem contineri putem, & admodum dolenter feram, quod per istas pestilentes sectas interitus optimis legibus, & moribus, & institutis afferatur. Dicis me vniuersam Britanniam inuidiosæ nouitatis ream facere. Quod etiam falsum est. Accepi namq. ab hominibus fide dignissimis,maximam insulæ istius partem in antiquo officio permanere. In quo vero postulas,vt tibi ignoscam,si vir Anglus,& Regalis maiestatis alumnus, & rerum Anglicarum non ignarus, paullo liberius mecũ egeris; laudo patriæ caritatem,laudo erga Reginam fidem, laudo peritiam rerum vestratum vsu comparatã, laudo etiam libertatem. Sed vide, ne,quantum est in te, patriam euertas, Reginam in fraudes capitales inducas, & dementiæ stimulis agiteris, & errorum, & flagitiorum licentiæ honestũ libertatis nomen imponas. Affirmas, te id non esse vlla animi dissensione facturum, cum nulla maior dissensio cogitari possit. Tu namq. scelestissimorum hominum patrocinium suscipis: ego vero illorum scelus insector. In quo vero dicis, tibi propositum esse, vt falsas opiniones, quæ de statu Angliæ habentur,euellas,magnam a me gratiã, si id feceris,inibis. Illud vero sum admiratus, quod ais, mea fortasse scripta caussam istius falsi rumoris, & infamiæ, qua nunc Britannia flagrat,attulisse. Quid ais? Tu ne solus ignoras,ex quo primum tempore Britannia graui infamia laboret? Quomodo enim fieri potuit,vt cum sancti viri Ioannes Fischerus Põtifex Rofensis, atque Thomas Morus, propter religionis, atque fidei constantiam publice iugulati sunt: cum Carthusiani, viri religiosissimi, fuere crudelissimo supplicio mactati: cum ædes,in quibus perpetuæ castitatis domicilium constitutum fuerat, publicatæ, & in profanos vsus conuersæ sunt: cum multa sanctitatis monumenta fuissent euersa, vt Britannia non in admodum insigni infamia versaretur? Immerito inquis. Sit ita sane. Nondum enim in alterutram partem disputo. Hoc tamen dico, magnam fuisse iam tunc ex illis actionibus notam dedecoris Britannis hominibus inustam. Nondum videlicet tu, qui omnia illa summo consilio facta defenderes,ad remp. accesseras. Cum igitur esset caussa patrocinio tuo destituta, valuit tunc apud multas Christianæ reipub.nationes, id quod erat multorum rumoribus, & criminationibus inculcatum. Quomodo igitur verum est, me caussam infamiæ tam vetustæ scriptis non ita pridem editis attulisse? Meum scribendi genus laudas,quod minime requiro. Quod in rebus notissimis orationem minime necessariam, vt tibi videtur,adhibeam, id vituperas:quod non moleste fero. In rebus enim clarissimis versari percupio: &, quid sit in oratione mea ponendum, & quid ex illa remouendũ, ex meo,non ex tuo iudicio, qui fortasse quo tẽdo non assequeris, statuendum arbitror. Dicis, me, cum in principio aliud agere simulassem, eo delapsum fuisse, vt religionem peruellerem. verum id quidem est, si error nefarius, atque turbulentus religio potest appellari. Dicis,me frustra velle multos Britannos inuidia liberare, cum omnes in eadem caussa sint. Quod vt confirmes, illum esse Britanniæ morem doces, vt nulla lex populum teneat, nisi illa quã plebs vniuersa sciuerit,nobilitas etiam receperit,sacrorũ antistites approbarint, Regis postremo imperium sanxerit. Itaque verum non esse, vt legis omnium suffragio perlatæ quidam culpã sustineant, quidam vero culpa omnino careat. legem probo. Quod autem ea minime seruetur, id vituperandum existimo. Si enim suffragium liberum esset, & non minis, atque supplicijs extortum,recte diceres. Vt autem hic nihil dicam de leuitate, & inconstantia multitudinis, quæ facillime potest vel odio seueritatis, vel specie lenitatis in fraudem impelli: vt etiã illud sileam, quod fieri nõ potest, vt singuli suffragium ferant, sed omnem suffragandi potestatem ad paucos trãsferant; velim me doceas, hominem, quod ingenue fateor, vestræ reipub. ignarum, quod nam tantum fuit illud Episcopi Rofensis facinus, vt eum neque vitæ grauitas, neque Pontificia dignitas ab interitu vindicaret? Fuerat ne pestem in patriam machinatus? De Principis nece coniurauerat? De prodenda rep. cum hostibus consilia inierat? Minime. Sed ob id tantum,quod impiæ sententiæ suffragari constantissime recusarat, vir sanctus,& innocẽs sceléstorum hominum pœnam sustinuit. Quid Thomas Morus,vir optimus, & eruditione singulari præditus, admiserat? Publicas ne litteras corruperat? Opes regias domum auerterat? Necem, aut grauem aliquam iniuriam ciuibus suis attulerat? Nihil horum. Sed ea tãtum de caussa, quod Regi adulari, & assentari noluit,libereq. sententiam dixit,fuit illi publice tamquam proditori caput abscisum. Iam vero Carthusiani,homines summa religione præditi,fori,atque publicæ lucis insolentes,cur ita crudeliter vexati,suspensi,dilacerati,atque tãdem flammis absumpti sunt? Ob id certe,quod sententia sua id, quod eis nefarium videbatur, minime comprobarant. Quid de sanctis Pontificibus, quibus cathenas iniecistis, quos tenebris inclusistis, quos opibus, & honore spoliastis,dicendum est? Fuitne aliud eorum crimen, nisi quod noluerint vllo modo decretis,quæ eis iniqua videbantur, assentiri? Itaque mirandũ non est,si reliqui,tam diris pœnis,atque supplicijs exterriti,tardiores ad suam sententiam publice profitendam effecti sunt. Vbi vero suffra-

gium

giam liberū non est, sed terroribus expressum, ibi non publicum consilium viget, sed paucorū immanitas, atque libido. Non igitur probas, eas leges fuisse communi omnium suffragio cō probatas. Per vim namque latas esse cōstat, &, ei qui contradixisset, fuisse necessario extremū supplicium subeundum. De mea vero obtestatione, qua Reginam admonebam, vt, si planum facerem, eos, qui nouitatis auctores exstiterāt, in errore pestifero versari, vellet eorum detestari sententiam, dicis eam criminationem habere argumenti nihil: a stomacho profectam esse, non veritatis studio: calumnia niti, non ratione: conuicium esse, non disputationem in religione fundatam. Tum petis a me, quod ego a Regina vestra postulabam, vt, si demonstraueris, quam temere fuerim in reprehensionē reip. vestræ ingressus, me errati mei pœniteat. Primum quidem testor Christum Iesum meæ mentis conscium, me nec odio, neque stomacho, neque calumnia, vt ais, sed ardenti veritatis, atque publicæ salutis studio eas litteras scripsisse. Quid enim mihi priuatim Britanni nocuere? Quam mihi offensionē, aut iniuriam intulere? Immo ex litteris Antonij Augustini Ilerdēsis Episcopi, viri virtutibus illo loco dignis, & singulari maximarum disciplinarum cognitione clarissimi, qui Pontificis Maximi legatus apud Mariam Reginam fuit, & ex litteris Ioannis Metelli Sequani, mihi propter ingenij suauitatem, & multiplicem eruditionem carissimi, cognoui, a multis viris doctissimis in ista insula nomen meum celebrari. Quare magis erat, vt Britanniam amore summo complecterer, quā vt maledicto conscinderem. Nec ego vmquam remp. vestram, sed paucorum labem, & improbitatem, qui remp. perturbant, vituperandam existimaui. Curiosus autem (hoc enim etiam mihi crimen obijcis) minime sum appellandus in aliena rep. quam non alienam, sed propriam existimo. Non enim de legibus, & institutis ciuilibus, sed de Christiana religione disserebam, pro qua vitam profundere minime dubitabo. Itaque numquam aliquid, quod ad eam tuendam, & illustrandam pertineat, a me seiunctum esse poterit. Vide nunc æquitatem postulati tui. Petis enim non si peruiceris, me in errore esse, (id enim esset tolerandum) sed odio, maleuolentia, calumnia illud scribendi studium suscepisse, fatear me temere fuisse in reprehensionem earum rerum, quas ignorabam, ingressum. Poteris ne tu probare, quod amore, studio, religione susceptum fuit, id calumnia, inuidia, mendacio factum fuisse? Ne tamen me difficilem putes, spondeo, atque promitto tibi, si peruiceris non quidem me prauo animo in illud fuisse munus ingressum, (id enim fieri non potest) sed istam nouæ religionis institutionē omni vitio vacare, futurum, vt me errati mei pœniteat. Non me fugit, quam periculosum sit, hoc homini iuriscōsulto polliceri. Verum, quia confido fore, ne tu me vlla iuris malitiosa calliditate circumuenire possis, & homines probos falsa infamia liberari cupio; do tibi fidem meā, fore, vt, si eos, quos ego sceleratos existimo, probaueris esse viros pietatis, & religionis laude præstantes, tibi minime repugnem. Molestissime fers, quod impetum in nouitatis auctores fecerim, contra quos ais, me ipsis, & horribilibus conuiciorum flammis fulminasse, vsque adeo, vt nihil cogitari posset in terris detestabilius. In quo quidem video, te, quid argumentum, & quid conuicium sit, minime posse distinguere. Non enim ego conuicijs, sed argumentis pugnaui, quæ tu nondum potuisti diluere. Tum ais: Vbi sunt hæc portenta religionis? Quæ sunt? Quam diu fuerunt? Vbi reperiuntur hæc hominum monstra? Si istis verborum luminibus argumenta, quibus multis vsus sum, dissolui posse confidis, plane deliras. Rationes enim, non sonos inanes exspecto. Illud vero, quod adiungis, est valde ridiculum. Ais enim: Designa res, nota personas, appone tempora, circumstantias adhibe, certi tandem vt habeatur aliquid, in quo consisti possit, atque adeo tibi resisti. Suspicor, Haddone, te nimis fero dicendi studia coluisse, minimeq. ad eam disciplinam te docilem præbuisse. Rhetoricus enim existimari vis, & non intelligis, Rhetoricen esse dicendi prudentiam. Quidquid igitur contra prudentiam est, ab arte ista, quam alieno tēpore perdiscere voluisti, est prorsus alienum. Cum vero accepisses, in iudicijs, cum non de iure, sed de facto quæstio est, esse crimen occultum multis argumentis aperiendum, & omnibus coniecturis acerrime pugnandum, vt scelus conuinci possit, (nam & qui mores, quæ vita, quæ audacia rei fuerit, qui metus, quæ cupiditas, quæ inuidia, quod odium hominem ad facinus adegerit, explicandum, quæ fuerit perficiendi facultas, quod tempus, quæ occasio, quæ celandi calliditas, quæ impunitatis spes, quæ signa fuerint antegressa, quæ consecuta, & reliqua denique omnia, quæ maleficij suspicionem apud iudices facere solent, ostendenda) cum igitur id ab aliquo magistro non valde perito didicisses, existimasti, ea omnibus caussis, quāuis in iudicijs minime pertractentur, conuenire: Et ideo a me temere circumstantias illas requiris, quas caussa minime postulabat. Non enim accusationem instituebam, sed Reginam, ne se in fraudem impelli sineret, admonebam. Quod si tu, aut alius tui similis accusandus esset, nūquid erat in re perspicua, & publice suscepta, quam minime factam negatis, sed in re factam dicitis, argumentis, & coniecturis, aut istis circumstantijs, quas efflagitas, vtendum? Minime certe. Sed demonstrandum, illa facinora fuisse scelerate, & impie commissa. Quod si secus fecissem, merito me quisquam vt hominē ineptum, & stulte loquacem deridere posset. Quid igitur? Si tu neque, quid deceat, intelligis; neque, quid caussa postulet, animaduertis; neque, quæ sint distinguenda, consideras; æquū est,

est,vt tuæ inscitiæ pœnam ipse luam? Non arbitror. Cum vero mihi uon esset propositum, quẽpiam in iudicium vocare, sed tantum Principem vestram admonere, vt impendens periculum a rep. & a se ipsa propulsaret; quid aliud debui facere, quam periculi ipsius magnitudinẽ in oculis illius,& adspectu defigere? Et, quia maximum erat in falsa religione pro vera suscipienda periculum, eas notas apposui, quibus dira, & infesta religio a vera pietate posset internosci. Eas notas,si falsæ sunt,redargue: si parum insignes, stultitiam meam conuince: si te non lædunt, obmutesce: si te imprudẽs oratione depiuxi, caussam dicito: portenta religionis esse multa scio. Ea si nondum in Britanniã inuaserunt, reipub. vestræ gratulor, & fateor me in eo errore fuisse,vt existimarem istam insulam multis eiusmodi monstris agitari. Hoc non est satis verbo refellere. Verissimis igitur argumentis pugna,atque demõstra, me errore ductum fuisse; & tum demum te disertum existimabo. Quod eum non facis,sed verbo tãtum pugnas; minime æquum est, vt tibi assentiar. Ais deinde, Vociferaris contra religionẽ, pugnas contra religionis auctores, iu vtroque magnam sermonis acerbitatem adhibes: neutrum quid sit,aut vbi sit,explicas. Aut tu litteras illas non legisti:aut illarum sensum clarissimum,quæ tua fortasse mentis stupiditas est, minime percepisti. Potuit enim clarius hominum scelus,impietatis magnitudo, furor,& immanitas oratione depingi? Illud deinde adiungis, quod ex aliena oratione sumptum videtur, & in locum minime conuenientem inductum. Sic enim ais:Miserabilis hæc quidem tua accusatio est,quam si verbo refellam, omnino eam statim uecesse est obmutescere. Sic res se habet. quæ designastis, quæ moliti estis, quæ perfecistis, in tenebris, & caligine fecistis. Nulli sunt testes, nulla sceleris vestigia,nulla signa, per quæ possimus ad facinoris iuuestigationem peruenire. Tum ais,Clamas, immo profecto exclamas, & valde sane lamentabiliter, esse recens susceptã religionem exsecrandam,auersandam,abominandam, esse eius auctores scelestos, sicarios, veneficos,euersores rerum publicarum, hostes humani generis. Hæc quidem oratio,quam mihi tribuis,non mea,sed tua est. Quam tamen te finxisse, minime moleste fero. Asperioribus enim multo verbis tautum scelus exagitari conuenit. Hæc autem quo modo refellis. Vehemẽter certe. Negari nõ potest. Ego contra,inquis, nihil istorum esse contendo;tibi nou credo;doceri postulo. Quid affers? Quid probas? O disertum hominem, qui tam facile caussam totã vnica orationis continuatione, & sententia adeo breui conclusit? Vt in præsidijs tuis insistis? Vt aditũ aduersario præcludis? Profecto nequeo satis stultitiam tuam admirari, cũ animaduerto,quam temere,cum nihil dicas, quasi aliquid egregie dixeris, exclamas. Dixi in illa epistola mea, virgines Deo consecratas incesto matrimonio coutaminatas fuisse: dixi,sanctorum signa,& crucis, atque adeo Chisti Cruce confixi imagines,multaque pietatis mounmenta sedibus conuulsa,atque confracta fuisse: dixi,sacrorum antiquam religionem euersam, & iu locũ illius aliam substitutam fuisse: reliqua prætereo,quæ mihi suis locis reseruantur. Quid Haddonus? hæc omuia satis oratorie verbo refellit, eoque me redigit, vt longins progredi uon possim. Non credo,inqnit: doceri postulo. Quid affers? Quid probas? Quid igitur faciam? quo me cõferã? Haddonus, vir Anglus, & suæ reip. scientissimus,negat,ea,quæ in Anglia facta dicuntur,vmquam facta esse. Si ita est,testibus est agendum. Tibique potissimum testimonium denuntiabo. Quod si confessus fueris id quod postulo, magna me molestia liberabis. Si uegaueris, tunc alios mihi testes, si opus ita fuerit,adsciscam. Adiungis deinde: Inclamas,quantum potes, omnia flagitiorum vocabula cumulans, quæ videris ad hanc ipsam rem seposuisse, commenticiam, vt religionem tuam illis deformares,& personas confoderes, quas præter te nouit nemo. Te precor,Haddone, vt hominis sobrij cogitationem tantisper suscipias,dum hãc orationem tuam recognoscas. Videbis enim te furore stimulatum fuisse,dum ista scriberes. Ea namque dicis, quæ neque ego, neque tu quidẽ intelligis. Dicis, me commẽticiam meam religionem flagitiorum vocabulis deformare. Omitto commenticiæ religionis nomen. quasi ego nouę alicuius religiouis auctor extiterim. Sed quomodo meã ipse religionem, quã tueor, quam laudibus debitis illustro, deformem, a te intelligere cupio. De personis autem,quas confodio,similiter intelligere velim, quæ sint illæ. Ego vero Lutherum,& illius asseclas scelestissimos arbitror, & eos tantum scriptis meis configo. Hæ sunt igitur personæ, quas dicis præter me nosse neminem. Igitur neque tu quidẽ eos nosti. Cum tu igitur illos laudes,eos,quos ignoras, laudibus ornas: quod est summæ cuiusdam temeritatis argumentum. Sed neque tu id dicere vis,neque mentem explicare dicendo potes. Præstaret certe mutum esse, quam id dicere,quod nemo sanus,nec insanus intelligat. Ac eu fas me, quod maleuolorum rumusculis inductus,nobilissimam insulam vituperarim. Fateris igitur me nihil finxisse; sed fama commotũ ea dixisse, quæ dixi. Præterea iam testificatus sum,me uon iu vniuersam insulam fuisse,vt ais, sed in auctores tantum pestiferæ uouitatis inuectum. Nam, quod dixi, sectam esse popularẽ, & Principibus, qui iure Regio vti voluerint, inimicam, & infestam, (quod tu mihi maximo crimini das) si id ita esse minime demonstrauero,non recuso, quo minus tu me calũniatorem esse vocifereris. Sed id postea videbimus. Veueni vero scelus, quo fama est aliquot Principes interfectos esse, purgas duobus exemplis, a vestrorum annalium antiquitate repetitis. Ais enim, Henricum quartum Imperatorem monachi

nachi

nachi cuiusdam scelere, qui Encharistiam illi veneno infectam porrexerat, fuisse sublatum. Ioannem præterea Angliæ Regem simili scelere, & auctore fuisse consumptum. Scio quidem vtrumque commentum a probatis auctoribus fuisse redargutum. Sed, quod ad meam caussam attinet, fuerit, nec ne id factum, parum refert. Nec enim vmquam dixi, neminem ante Martinum Lutherum fuisse, qui venenum pararet: Neque affirmaui, nullum vmquam in terris monachum sceleratum exstitisse. Sed hoc tā tum dixi, oportere, vt ea maleficia, quæ suscipiuntur in rebusp. per homines, qui nō sunt ita cælestibus disciplinis instituti, per istius sanctissimæ disciplinæ puritatem, per salutarem istius Euangelij vim, per remedium istud singulare, quod doctores tui rebus humanis attulerunt, omnino tollerentur. Quod cum non sit, immo constat, plures contra principes coniurationes fuisse intra triginta proximos annos habitas, quam intra multo plures ætates antea susceptæ fuerint; maximo id argumento esse confirmo, non tam salutarem istius medicinæ vim, quam tu fortasse suspicaris, exstitisse. Ais deinde: Sed hæc ad te particulatim allegare minime sane opus est, qui, cum sis his maleficijs propior, quam ego sum, melius propinquorum tuorum libris scire potes, quam frequenter pocula venenorum inter Ecclesiæ Romanæ Principes, & patronos commeauerint: deinde bellorum semina quemadmodum, & a quibus per vniuersas Christianæ ditionis resp. perpessa fuerint. Mirus homo es. Mirifice namque tibi obscura, & implicita loquendi ratio placet. Quid enim quæso vis dicere, cum ais me propiorem esse eiusmodi maleficijs? Me esse huiusmodi flagitijs affinem? si id dicis, quod verba designare videntur, male meos mores nosti. Si vero ais, me esse illius reipub. ciuem, in qua frequenter venenum Principibus in epulis dari solet, etiam id falsum est. Nec enim est vlla regio in terris, in qua Regium nomen sanctius sit. Si vero dicis, me propius abesse Roma, vbi aliquando ea facinora fiunt, male certe regionum situs, & interualla didicisti. Multo namque maiore interuallo ab illa vrbe, quam vos estis, disiuncti sumus. Illud vero quid sibi vult, quod ais bellorum semina perpessa fuisse, non intelligo. Nisi fortasse dispersa scribendū erat, & librarius pro verbo dispersa, perpessa substituit. Quod vero ad Ecclesiæ proceres veneno sublatos attinet, fateor aliquot eiusmodi facinora aliquando cōmissa fuisse. Fit enim interdū, vt, vbi minus sperandum erat, ibi multo magis regnet cupiditas, & ambitio, e quorum scelerū fonte omnia mala profluunt ad generis humani perniciē. Hoc tamē dico, ab Euangelij istius disciplina, quæ se finem omnibus flagitijs allaturam pollicetur, horum omnium malorū medicinam postulari. In eo vero quam sancte, quā pie, quam religiose te geris, in quo gratias Deo pro Euangelij istius beneficio sane grata, vt videris, atque memori mente persoluis? Sic enim ais: Immortali Deo manus supplex tendam, gratias agens maximas, quod illas superiorū temporum profundissimas caligines Euangelij sole palam inter nos exorto dispulerit, cuius ignoratione prius, & superstitionis fiducia, scelerum in sentina secure volutabamur, plumbo diplomatum credentes expiatum, & precum demurmuratione non intellectarum, quidquid admitti poterat improbitatis in vita. Quid hac oratione tua sanctius dici potest? Gratias agis Deo, quod e tenebris funestissimis ereptus sis; & hoc Euangelij luce, & splendore, cuius neque Matthæus, neque Ioannes, nec alij diuini scriptores, sed Lutherus, Melanchthon, Zuinglius, & reliqui heroes, qui recenter e cælo delapsi sunt, auctores, & Principes exstiterunt. Itaque, postquam per Euangelium tam felix, & faustum e scelerum omnium colluuione, in quibus antea superstitionis fiducia volutabare, vt fateris, liberatus es, iā neque te libido facibus inflammat; neque ambitio sollicitū distinet; nec auaritiæ molestissimis curis implicaris; nec superbia, & insolentia tumes; nec vllis iam fraudibus, & dolis, & mendacijs inniteris. Luce nāque diuina collustratus, vt fieri solet, omnia humana repente contempsisti; & ad cupiditatem vitæ cælestis, atque adeo diuinitatis ipsius exarsisti. Quis negare potest, si hoc ita est, quin tam admirabilis vitæ conuersio Christi ipsius præsentiam declaret? Sed abs te libenter audierim num solus tu in Britannia istis tantis bonis perfruare? An omnes etiam, quibus Euāgelij istius splendor illuxit? Si solus ista luce cum tāto virtutis diuinæ fructu perfrueris, non sane magnā vtilitatē vestris rebus noui Euangelij lumē attulit. Non enim vni tantum homini, sed vniuersæ resp. consulere debuisset. Omnes, inquies. Vt enim sol exortus tenebras ab omniū oculis dispellit; sic euangelij huius claritas caliginē omniū mentibus offusam repente discussit. Omnia iā patent, atque dilucescunt. Nullus est error in vita, nullū scelus, nullum omnino flagitium. Est certe, si vera narras, cur desertis nostris domicilijs in Britanniam contendamus, vt tantæ felicitatis participes esse possimus. Quid enim optatius esse potest, quam eam regionem perlustrare, in cuius magna parte nec auaritia, neque libido, nec insolentia, nec odium, neque contentio, neque temeritas, nec vlla deniq. impuræ labis contagio dominatur. Sed quæro. Quidnam erat impedimento, quo minus ante quam ad vos noui solis radij peruenirent, iustitiam, & pietatem coleretis? Dira, inquis, superstitio. Credebamus enim plumbo tantū, & precū demurmuratione non intellectarum expiari quidquid admitti poterat improbitatis in vita. Quid ais? Tanta ne vos omnes dementia oppresserat, vt existimaretis, plūbi vi, & precibus alienata mēte prolatis, animo conceptū scelus expiari? Quæ tanta fuit ista ingenij tarditas? Quæ tam insignis stultitia? Quis istum errorem menti-

mentibus vestris iniecerat?Numquid nō erant apud vos homines sanctis litteris instituti, qui vos docerent, omnē spem salutis esse in Christi gratia,& benignitate collocandam? Immortali quidē Deo,vt tu te facere iactas, manus supplex tendā,gratias agēs maximas, quod in Hispania natus,& enutritus sum,in qua nemo fortasse Christianus vmquam tam stultus fuit, vt existimaret aliam esse expiandi criminis rationem, præter eam, quæ Christi optimi maximi gratia continetur. Quam vt consequeremur, ex ipsius Christi disciplina credebamus, esse necessariū,admissum flagitium detestari,crimina cū pudore,& dolore confiteri,a libidine ad cōtinentiam,a flagitijs ad honestatem traduci,ab odio ad caritatem conuerti,in nouamq. vitam ingredi,& sanctis operibus exerceri. Tu vero si plumbo tantum nixus,opinabare scelus oblitterari,mentis expers eras.Si dicis in eadē cæcitate versatam fuisse Britanniam,magnum profecto amentię dedecus patriæ tuæ,quæ te genuit, & in tanto honore collocauit, inuris. Non, inquies,hoc dico. Sed plumbi nomine, in quo nēpe Pōtificis Romani nomen,& effigiē insculptā cernebamus,ipsius Pontificis potestatem,& iurisdictionem, quæ multis ab hinc sæculis maioribus nostris, & deinde nobis admodum sancta videbatur, intelligo. Illam igitur auctoritatē, quam olim verebamur, nunc huius Euangelij clarissimi disciplinis eruditus, negligo, despicio, contemno, pro nihilo cunctis sanis hominibus habendam puto. Quid igitur opus erat, Haddone, plumbi nomine ad hanc auctoritatem significandam? Vtrum, vt maiorem conflares inuidiam? An potius,vt maiores plausus a popularibus tuis istius nominis vrbanitate ferres?Scio namq. vos homines vrbanos plurimum eiusmodi facetijs oblectari;neque tā argumentis,& sententijs,quam conuicijs,& insulsa,vt mihi quidem videtur,dicacitate contēdere. Istarum autem facetiarum Lutherus, venereus, vt Plautus ait, nepotulus magnus architectus fuit.Neque dubito,quin eorū aliquis, qui tibi adulantur,cum in hunc locū incidisset, cachinnum sustulerit, & nihil festiuius dici potuisse cōfirmauerit. Sic enim conuersa sunt omnia,vt facillimum sit linguæ petulantiæ in salis, atque venustatis nomen inuadere. Sed, vt aliquid de hac materia dicamus, quamquam Angrensis Episcopus doctissime de Pontificis Maximi auctoritate disseruit, de eadem tecum homine politico non ita multis agam. Primū quidem hoc positum sit, Christi Ecclesiam vnam esse,non plures. Deinde,non satis esse Principi, qui leges ad remp. stabiliendam condit,eas perferre,quæ salutares,& commodæ sint, nisi earū custodes, & administros instituat. Tum etiam illud, quando mea tibi de monarchiæ ratione probatur opinio,statuendum est,nihil esse reip. moribus, & legibus recte constitutæ salutarius Principis vnius imperio.Multi namq. remp.dilacerāt: vnus vero ciuium animos auctoritate summa conglutinat.Consentaneum igitur optimæ moderationi fuit, vt,cum summus ille Princeps, qui cælum atque terram imperio sempiterno deuincit, remp. cælestem in terris condere statuisset,primum leges daret, deinde magistratus,& Principes crearet,qui ex legum præscripto,& ratione eandem remp. temperarent. Hi fuerunt Apostoli, & reliqui discipuli Christi. Postremo,ne societatis vinculum dissolui,& cōsensus ciuitatis huius turbari posset, monarchiam instituit,Petroq.summum imperium delegauit. An hæc minime peruulgata sunt?An rebus clarissimis obscuritatē afferre conaberis? An tantum malitiæ confidis, vt putes, te facile posse Euangelij verba a verissimo sensu ad tuā, & tuorum libidinem detorquere? Quid enim clarius illis verbis? Tu es, inquit, Petrus,& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Et, quodcumque alligaueris super terram, erit alligatum in cælis. Et, Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua:&,Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: & multa denique alia in hanc sententiam, quæ confirmant, Petrum fuisse reliquis Apostolis antelatum. Dices tamen, ea, quæ adduximus, testimonia longe secus a nouis Apostolis explicari. Ego contra auctoritatem Apostolorum tuorum, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Basilij, & reliquorum denique omnium sanctorum hominum,qui scriptis suis Ecclesiam illustrarunt,auctoritates opponam. Sed aiunt tamen doctores tui, vt ita sit,verum non esse id, quod Petro præcipue collatum fuerat, successoribus illius transmissum fuisse. Quæro igitur rursus, num Christus Ecclesiam constituerit, quæ vnius tantum hominis esset ætatem duratura? an, quæ esset stabilis,atque sempiterna? Si Ecclesiæ statum constituit adeo breuis æui spatio definitum; non id, quod ab illius immensa bonitate, & sapientia erat postulandum, præstitit, cum tantum operæ,& studij cum tanta sanguinis effusione consumpsit in ea rep. quam tam breui temporis spatio circumscripsit. Si illam sempiternam esse voluit: ergo eo illam tunc ordine constituit, qui semper in omni temporum varietate conseruari deberet.Si igitur constat, & luce meridiana clarius constat, Petrum fuisse in aliorū omnium Apostolorū principatu collocatum;constat certe, omnibus, qui in locum illius successerint, eādem dignitatis,& honoris excellentiam deberi.Aliter enim in vna Christi Ecclesia minime fuisset monarchiæ cælestis ratio,sed multorum potestas instituta. Quod igitur fuisset concordiæ vinculum? Cuius auctoritate tempestates sedari, turbulentæ opiniones euelli,superbia,& cōtumacia coerceri,& comprimi potuisset, si nullus in Ecclesia cōstitutus ab initio fuisset, cuius auctoritate, & imperio omnes continerentur? Cum igitur Ecclesia Christi simplex,& vnica sit,& vnica esse non possit,nisi vnus Princeps exsistat;& constet,id a Christo fuisse constitutum, vt vnus esset sum-

mus Ecclesiæ rector, quem omnes intuerentur: & perspicuum sit, eam dignitatis præstantiam ad Petri successores pertinere, & nemo vmquã ex antiquis hominibus diuina virtute præditis dubitarit, quin Romani Pontifices Petri successores essent, quod eorum monumenta, & communis vniuersæ Ecclesiæ consensio declarat; cuius spiritus impulsu Apostoli vestri hanc nouam Euangelij disciplinam attulere, quæ ordinem a Christo institutum disturbaret, concordiæ vinculum dirimeret, & Ecclesiam de statu conuelleret? Sed, ne omnino temere eos id facinus suscepisse quisquã suspicari possit, quod eorum, aut Sathanæ potius consilium fuerit, exponam. Numquã fieri potuisset, vt pestilétes sectæ vires colligerent, nisi prius Pontificis maximi labefactata fuisset auctoritas. Quo modo enim pestis diu viguisset, cum facillimum fuisset eam nascentem Pontificis auctoritate resecari? Capite, inquit spõsa, nobis vulpes paruas, quæ vastitatem inferunt vineis. Huic Sponsæ postulato quis satisfaciet, si nullus erit ea potestate præditus, qua possit hæreticorum prauitatem, antequam adolescat, exstinguere? Per vulpes enim hæreticos constat intelligi. Itaque Paulus in secunda ad Thessalonicenses epistola negat futurum, vt Antichristus ante defectionem adueniat. Necesse igitur est, vt minores Antichristi, qui iam, vt Ioannes ait, illius Antichristi futuri imaginem referunt, antequã scelus impium moliri queant, non solum ab Ecclesia, & ab illius summo rectore deficiant, verum etiam omnes, quos discipulos abducere conantur, ad eandẽ defectionem sollicitẽt. Inde adeo factum est, vt omnes hæretici, qui conatus omnes ad Ecclesiæ euersionem comparant, in hãc primum arcem inuadant; hanc tormentis oppugnent; huic machinas admoueant; ad illam subruendam cuniculos agant. Nec enim illa expugnata diffidunt, se libere posse sementem omnium malorum facere, & cum multorum exitio, & interitu, quacumque illis libuerit, impune volitare. Vt enim antiquiores prætercam, id Ioannem Husium impulit, vt Pontificis Romani dignitatem conaretur euertere. Idem consilium Hieronymus Pragensis secutus est, cum eiusdem Pontificis auctoritatem labefactare contenderet. Hanc sibi primum rationem Lutherus excogitauit Ecclesiæ funditus euertendæ. Hac eadem ratione fuit aditus in Britannia omnibus erroribus, qui postea consecuti sunt, in considerate patefactus. Fractis igitur ad hunc modum valuis, & repagulis conuulsis, facillimum fuit hominibus profligatis, atque perditis irruere, Ecclesiamq. discindere, atque dilacerare, tantasq. opiniones turbulentas, & nefarias, & inter se dissidentes inducere. Zuingliani Lutheranos impugnant: Anabaptistæ cum Zuinglianis continenter bellum gerunt. Quid hic referam Cælestes, Interimnistas, & alia sectarum nomina? Quid odia, rixas, & turbulenta dissidia? Quid opinionum varietatem, & inconstantiam? Quid, quod non est vnius sectæ viris perpetuo in eadem sententia permansio? Locos enim corrigunt, immutant, inuertunt, vetera delent, recentia statuunt, alia tollunt, alia reponunt, neque cum alijs, neque secum inter se concordare possunt. Quid ad hæc dicere potes? Hæc non ita se habere? Summam esse inter eos, qui a Luthero ortum habuẽre, consensionem? Nullum esse dissidium? Nullam opinionum varietatem? Summam esse in fide, & religione conuenientiam? At quanto satius fuisset plumbum illud, quod irrides, referri, quam tantis erroribus, hisq. pestilentissimis aditũ aperire. Sed ad orationẽ tuã redeamus. Sed intonuit, inquis, in auribus nostris sacrarũ scripturarum auctoritas, & ita consciẽtias perterrefecit, vt in sola Dei misericordia gratuita, postpositis, & abiectis hominum inuentis, perfugium habeamus. Quid hoc est? Eam tu gratiam Luthero refers, qui vos tam singulari beneficio obligauit, vt omnem a vobis metum depelleret? Quem mihi terrorem narras? quam formidinem? quam denique sollicitudinem? Eã namque ille fidem statuit, qua firme constituta, nullus metus possit animi securitatem aliqua ex parte conuellere. Id etiam minime ferendũ est, quod dicitis, vos hominum inuenta neglexisse. Nec enim tantum estis in vitæ cælestis studio progressi, vt non multum etiam hominibus tribuatis. Lutheri namque, Zuinglij, Buceri, Caluini, & aliorum hominum, qui nouam istam remp. fundarunt, inuẽta didicistis, arripuistis, mente, studio, summaque animi contentione complexi fuistis, ad illorumque disciplinam vitam esse instituendam decreuistis. Vnde certe constat, vos non ita supera, atque cælestia suspexisse, vt non multũ etiam hominibus tribuendũ putaretis. Et merito quidẽ. Nam ius, & ratio postulabat, vt homines tã castos, tam sanctos, tam religiosos in oculis, & animis semper haberetis. Sed hoc tamen dico, non tantũ inesse in vobis ardorem mentis ad cælestia, vt nõ homines etiam admiremini. Fuerit sanctus, quantum velis, Lutherus: Melanchthon nihil habuerit cum terra commune: Zuinglius in Dei consilium fuerit, propter admirandam laudem integritatis, & castitatis, admissus: Bucerus in omni genere puritatis, & honestatis, & continentiæ clarus, & excellens exstiterit: Caluinus deniq. Bernardum, Anselmum, Augustinum, Hieronymũ, Basilium, & reliquos sanctos homines, qui cælitum vitam in terris imitati sunt, virtute, atque sanctimonia superauerit: His etiam, si velis, annumera Martyrem tuum, cui virtutis admirabilis testimonium das. Fuerint, inquam, hi summis virtutibus ornatissimi, & castissimi: homines tamen fuerunt, & in erroribus versari facillime potuerunt. Et tamen vos illorũ placita, decreta, & instituta, summæ sapientiæ disciplinã, & sanctissimam vitæ legem existimatis. Quo igitur ore dicis, vos hominum inuenta contempsisse, & abiecisse, cũ hominibus istis, quos dixi,

dixi, diuinitatem propemodum tribuatis? Orationis tamen tuæ finem videamus. Sic enim adiungis: Illud pariter accurantes, quod a propheta præcipitur, vt morum nostrorum innocentiam ad sanctitatem, & iustitiam conformemus. Hoc in loco sum vehementer admiratus, non quidem te, (nec enim credibile est, vt vir tam grauis impudentissime mentiatur) sed hominum maledicentiam, qui fictis sermonibus, & falsis criminationibus in eam opinionē rem adduxerunt, vt nos, qui sumus vestrarum rerum, vt inquis, ignari, crederemus, vos non Dei lege ad vitæ sanctimoniam, sed cupiditate, & audacia ad impunitam flagitiorum licentiam fuisse conformatos. Accedebat, vt hoc esset magis verisimile, Lutheri hominis insani disciplina, quæ sanctis officijs scelere condemnatis, & Ecclesiæ sanctionibus in concione combustis, & confidentia ista, in qua sola salutē ponit, eamq. temere, & impudenter fidem nominat, firme constituta, & omni diuini, & humani iuris metu restincto, vi, & natura sua laxat cupiditatem, & proposita impunitate corroborat, & confirmat audaciam. Quare fieri non posse crediderам, vt, qui placitis illius adhæresceret, iustitię, & officio, & religioni seruiret, & vitæ castimoniam summo studio conseruaret. Sapientis enim est, cum caussam videat, de euentu minime dubitare. Plerumq. enim fit, vt tætra principia exitus simillimi consequātur. Quid igitur facerem? Cum caussam labis animaduerterem; cū multi, & graues rumores sparsi fuissent, qui nō ita esse, quemadmodum tu dicis, affirmarent; cum fama constans assereret, apud eos, qui sectam istam sequebantur, non libidinis impuræ dominatum deleri, sed flagitiorum vires amplificari; non crederem? Hominibus fide dignissimis repugnarem? Nullo argumento, nullis testibus, cū tanta hominū in hac opinione confirmāda conspiratione frustra cōtenderem? Fieri non poterat. Quare, si falsum est, quod fuit constanti rumore, & omnium bonorum gemitu dissipatum, mihi ignoscere debes, & in hominum maleuolorum leuitatem, & impudentiam, qui infamiæ istius auctores fuerunt, culpam iure transferre. Si vero fama vera nuntiat, in summo furore, & amentia versaris, si veram infamiā mendacijs elui posse confidis. Hic rursus admiraris, cur ego Reginam vestrā admonuerim, vt hominum, qui sectis istis infecti sunt, insidias præcaueret. Rursus dico, me, cum ad istum locum venero, operā daturum, vt iure admirari desinas. Illius opibus affluat, & secundis rebus vtatur, nullasq. a suis, aut alienis insidias pertimescat, sane gaudeo: Deumq. precor, vt status illius semper florens, atque felix sit. Sapiētis tamen Principis est, in tranquillitate de tēpestatibus aduersis cogitare, & multo ante, non in ipsa trepidatione vectorum saluti prospicere; &, quibus procellis iactata fuerit multis in locis Principū Maiestas, suā similiter agitari posse aliquando suspicari. De Gallica tempestate, quam placatam asseris, nihil aliud dicam, nisi te contra te ipsum testimoniū dicere. Quis enim illam tempestatem excitauit? Quis Gallos contra Galliæ Regē armauit? qua disciplina fuerant eruditi, qui contra fidem, contra publice susceptam religionem, contra officium Regiæ maiestati debitum, contra deniq. nominis ipsius Regij sanctitatem, in Regem ipsum insaserūt, vt non modo Regem per summum scelus, atque perfidiam interimerent, sed Regium nomen de rep. tollerent? Tempestatem placatam esse dicis. Quasi ego dixerim, esse necesse, vt omnia, quæ sunt a proditoribus impie, & nefarie cogitata, recte procederent. Consilio, & armis, &, quod caput est, diuino beneficio, & munere fuit illud scelus repressum, non voluntate eorum, qui nefarium bellum in Principem comparabant. Itaque non illis sceleris perficiēdi cupiditas, sed vis, & potentia defuit. Meam deinde de rerum humanarum cōtemptione, & cælestium cupiditate disputationem nō tu quidem improbas, sed me admodum furenter exagitas, quod hostes religionis appellē eos ipsos, quos tu Dei seruos, & diuinitus ad hominū salutem missos affirmas, & eorū inanes conatus irrideam. Dic quæso: Quid in se receperunt homines isti tui, e cælo, vt inquis, missi? hoc sane. Vt errorem Christianis eriperent; vt Ecclesiā perpurgarent; vt Apostolorum disciplinam, & instituta reuocarent; vt veritatem quæstu, & ambitione, vt inquis, oppressam in libertatem restituerent; vt homines somnijs, & superstitionibus diris exsoluerēt. Magnum dixi fuisse promissum. Sed quæro, hoc regnum Dei, cuius patrocinium suscepere; hæc Dei gloria, pro qua tantum certamen iniere, est ne in oratione tantum, an in virtutis efficientia constituta? In virtutis certe, si Paulo credimus, robore, & cōstantia. Si igitur fidem suam liberare volunt, reddant antiquam modestiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, obedientiam, castitatem, puritatem, innocentiam, corporis castigationem, & continuum contra libidinis immanitatem, & contra omnia flagitia certamen; reddant illum caritatis ardorem, illam assiduā rerum cælestium commentationem, illud dies, atque noctes Deum precandi, & pro omnium salute supplicandi studium; Crucem humeris suis sustineant, qua omnes flagitiorum labes cōfigant; aspernentur noxias voluptates, cupiditatis omnes fibras euellant, & omnem denique suæ voluntatis impetum in se ipsis exstinguant, vt nihil aliud in illis, quam Christi numē vigeat; & tum demum credemus, illos promissa constanter effecisse. Si vero nihil horum præstiterunt, sed exemplis, & disciplinis eorum factū est, vt homines liberius in omni genere flagitij versarentur, vt audacius in omnes res sanctas irruerēt, vt flagiria, & scelera confidētius susciperent, vt ferocius, & infestius, quam quisquam suspicari potuisset, in Principes, pro quo-

rum salute caput offerre debuissent, impetum facerent: si religionis obliti, omnes conatus contra religionem comparant; non ne liquet, eos non solum deridendos esse, sed tamquam tetram pestem, atque luem detestandos? Bene est, inquis: quænam tua sit noua secta, tandem intelligo, contra quam tantopere tuam eloquẽtiam exacuisti. Vt iuuat implicite loqui? quid dicis, Haddone? Te iam intelligere, quæ mea noua secta sit? Me sectæ vllius nouitatem tenere? Me eorum scelus, quod exsecror, approbare? Me ab Ecclesiæ sanctæ fide, & religione deficere? Deinde, qui conuenit eloquentiam contra eandem sectam, quam, vt ais, sequor, exacuere? Deinde, quo argumẽto id probas? Audijsti scilicet, me esse hominem libidinosum, & impurũ, nouitatis studiosum, mente præcipiti, & effrenata concitare seditiones, & iurgia commouere. Et iecirco arbitraris fortasse, me esse eisdem sceleribus alligatum, quibus tui magistri se constrinxerunt. Sed, quo modo hæc, quæ sequuntur, cum hac tam impudenti suspicione cohæreant, vellem animaduertas. Tandem inquis, Aduersarios video, quos tamquam regni pestes a regali maiestate desecari vis, & foras eijci. Si igitur vides, me illis vehementer, & acriter aduersari, qui nouitatis auctores sunt: si affirmas, me velle, vt a Reginæ familiaritate procul arceantur, & ex Britaniæ finibus exterminentur, certe neque mihi nouitas ista placet, nec illorum nefarias actiones probo. Quo modo autem illos defendis? Mihi contra videtur, inquis. Hos Euangelij professores Dei seruos esse, diuinitus ad nos missos, vt ignauiam nostram in ijs periculosissimis senescentis iam mundi temporibus expergefaciant, tarditatem incitent. mira sunt, quæ dicis, si potest ignauia expergefieri, aut tarditas incitari. Sic etiam metus poterit fortiter agere, & libido corporis flagitium, & impuritatem coercere, & furor remp. bene, atque sapienter moderari. Adiungis deinde, errorem refellant, impietatem coarguant: itaque conquirẽdos a regali maiestate, & magnificiendos in vniuersa rep. Hęc cum diceres, tum me leuitatis, quod cõtra crediderim, & confidentiæ, quod ad Reginam scripserim, insimulas. Ais præterea, non esse tibi omnes criminationis angulos excutiendos, sed per capita breuiter decurrendum. Tum addis: Ipsa, si possim, accusationis tuæ cornua cõmouebo. Videamus igitur virtutem, qua facinus istud tantum sis aggressurus. Primum inquis, ad personas animaduertendum esse dicis, quoniam magnifice promittunt, & explorandum, quid in illis facultatis, & neruorum, quan tum habeant virtutis, & sanctimoniæ. Id quidem vellem ostenderes. Sed, cum ea sanctimonia, quam dicis, non verbis ostentanda, sed operibus explicanda sit, (sic enim nos admonet Christus, vt ex fructibus operum, non ex iactatione verborum, qui sint veri, & qui falsi prophetæ, distinguamus) exspecto, quæ fuerint ista mirabilia opera, quæ sancti isti homines ediderint, vt, his explicatis, cornua meæ disputationis acrius commouere possis. Verba namque nihil moror. Valde enim speciosa sunt. Et hoc primum eorum scelus esse confirmo, quod insidias verbis sanctissimis tegere conantur. Qua enim alia ratione potuissent imperitorum animos allicere, nisi ficta specie sanctitatis, & innocentiæ? Virtus enim natura sua omnes ad se inuitat, & allicit. Quod cum astuti homines intelligant, virtutis personam induunt, vt se imperitæ multitudini facilius insinuent. Vt igitur aucupes aues, vel esca, vel auium ipsarum garrulitate instrumentis assimulata decipiunt; ita vestri doctores per speciem ementitæ sanctitatis, laqueis simplices homines, & nihil hostile suspicantes, impediunt. Parum enim improbitas aperta nocere potuisset, cum nihil sit illius adspectu deformius, nisi formam honestatis, & innocentiæ gessisset. At vide, quam facultatem populares homines multitudinis concitandæ nacti sunt. Dolebamus omnes, mores esse corruptos, laxatam priscæ disciplinæ seueritatem, sacerdotes in nequitia volutari, & dignitate ad quæstum intemperanter abuti. Vt igitur olim furiosi tribuni plebis, oblata simili facultate multitudinis in nobilitatem cõcitandæ, eam minime prætermittebant; sed inuidiam iam satis excitatam, subiectis orationis seditiosæ, atque turbulentæ facibus, inflammabant; sic isti sanctissimi viri, quos diuinis laudibus afficis, cum animaduerterent, in quantũ tunc odium multi eorum, qui personam Ecclesiæ sustinebant, vocarentur, vt illud vehementer augerent, summa sibi contentione laborandum existimabant. Itaque partim criminando, partim ad spem felicioris conditionis populares suos excitando, sese defectionis, & seditionis auctores præbuerũt. Quod vt facilius facerent, illa verba frequenter vsurpabant, quibus persuaderent, se velle non viros sanctissimos, qui ab Apostolis propius aberant, (hos enim iam contemnebant) sed Apostolos ipsos imitari. Itaque in ore semper habebant, Christianam pietatem, Euangelij puritatem, religionis castissimæ sanctitatem, cælestem disciplinam, quam nefas statuebant humanis, vt dicebant, inuentis, atque superstitionibus inquinari. Spem deinde proponebant omnibus, fore, vt eorũ opera Ecclesiæ puritas redderetur, & virtutes admirabiles prorsus exstinctę reuiuiscerent. Iã hoc quidem principium quã populare fuerit, negari non potest. Sed numquam in vno gradu resistit improbitas, &, cum semel incipit labi, tandem ruit, atque præcipitat. Vt igitur maiorem gratiam a populis inirent, omnia, quæ aspera videbantur, omnino sustulerunt. Erat, peccata cõfiteri, permolestũ: ieiunio corpus affligere, laboriosum: exsecratione deuinciri, solicitũ: perterreri diuini iudicij minis, acerbum: vt igitur omnibus his curis suorũ animos liberarent, strenuam operam dederunt. Quare

minime

minime mirandum est, homines imperitos, partim flagitijs peruulgatis offensos, partim ad spem felicitatis, & iucundissimæ libertatis excitatos, sese ad eorum hominum studium applicuisse, per quos confidebát, se posse e malis omnibus eripi, & summis bonis affluere. At, vbi primum multitudinis furor fuit ficta imagine religionis armatus, Christe sancte, quos impetus isti boni viri in res sacrosanctas fecerunt? Quas strages ediderunt? Quanta rerum conuersio cũ maxima pietatis inclinatione facta fuit? Et tamen eos pares Athanasio, Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino facis. Si ex operibus agnosci debent, vt Christus admonet, qui vere sint a Deo missi, & contra, qui sunt dæmonis stimulis ad facinus incitati cognoscuntur, & nulla opera sancta a tuis prophetis edita fuisse cõspicio, & tu nec vllas virtutes excellentes commemoras, nec vlla sancta opera in testimonium tam cęlestis virtutis adducis; quid tibi venit in mentem, homines vitæ castitate purissimos, religione, & pietate sanctissimos, sententiarum auctoritate grauissimos, cum ijs conferre, quos flagitijs infames, impio conatu sacrilegos, decretorum peruersitate furiosos fuisse constat? Sed, quo modo id probas, operæpretium erit animaduertere. Sic enim ais: Neque tu quidquam affers, cur non pares vetustis patribus esse possint. Afferam quidem, & ostendam, quanta tua fuerit impudentia, cum effrenatam libidinem cum vitæ puritate, impietatem cum scelere, dementiam cum diuina sapientia contuleris. Inquis deinde, Sed, vt ab ijs inuidiosis te comparationibus abducam, nego hoc in loco quæri debere. Ego contra, Haddone, disputo, si verum est, in sententijs dicendis, dicentis mores esse ponderandos, & nihil est, quod magis fidem faciat, quam ipsius, qui loquitur, spectata probitas, quærendum esse cõfirmo, quæ vita, qui mores, quæ studia sint eorum, qui volunt nos in sententiam suam traducere. Ais deinde, Nostros enim doctores, cũ illis venerandis patribus conspirare defendo, viam eandem ingressos, summam religionis eãdem tradere. Id velim defendas, quæ fuerit inter illos, & vestros doctores consensio, & conspiratio. Tum addis: Quod si ita est, frustra est inter concordes comparatio. Si non est, tu dissentire doce. Recte quidem, si ita est. Sed, antequam ego demonstrem, quanta sit inter homines illos antiquos, & vestros magistros dissensio, exspecto dum mirificam esse consensionem confirmes. Queritur, inquis, Augustinus in suis temporibus, flumina cærimoniarum inundauisse, deterior vt prope condicio Christianorum fuerit, quam olim fuisset Iudæorum. Tu numquam id in Augustino legisti, eas cærimonias, quibus nunc vtimur, esse Iudaicis persimiles, & ea de caussa reijciendas; sed magistri tui te, vt hoc nimis imperite crederes, impulerunt. Hieronymus, inquis, sacras scripturas ab Ecclesia vestra penitus abstrusas, & abditas, etiam a pueris, & mulierculis memoriter optat edisci. Contra disputat Hieronymus ad Paulinum scribens. Conqueritur enim de temeritate, & audacia, qua homines nullo ingenio, nec vlla virtute commendati, eas nimis licenter tractabant, & de muliercularum garrulitate, qua dum sanctas litteras interpretari volebant, multa temere decernebant. Tum adiungis, Basilius otium suum sanctissimo theologiæ negotio transmisit, & dicendæ, & docendæ. Recte sane. Nec enim is vmquam fuit, qui sibi id insolenter assumeret, vt eam traderet disciplinam, quam numquam didicisses. Addis deinde: Quod si Basilicis institutis monachi vixissent, ne digito quidem illos quisquam attigisset. Quasi vero vobis cum hominibus bellum, & non cum ipsa pudicitia susceptum sit. Sed esto. Erant fluxi mores, laxata disciplina, monachi lasciue vitam instituebant. Quid ergo? nulli erant inter illos, qui pudicitiam conseruarent? Erant certe. Declarat enim sanctorum Carthusianorũ exitus, non fuisse apud monachos studium castimoniæ, & puritatis exstinctum. qui si voluissent decretis nefarijs assentiri, nullam aliam pœnam, quam matrimonij pertulissent. Non igitur vos offensio alicuius impuræ libidinis, sed odium castitatis, & integritatis ad illam immanitatem solicitauit. Nec illos tantum castos, & integros fuisse scio, sed multos alios, qui apud nos exsulant, qui vbi pedem ponunt, pudoris, & honestatis impressa vestigia relinquunt. Sed fuisset maxima eorum pars flagitijs cooperta. Continuo ne verum fuit, totum ordinem euertere? Quanto fuisset vobis honestius id facere, quod in Hispania Rex inuictissimus Fernandus, & vxor illius Helisabetha, Princeps sempiternæ memoriæ consecrata? Quod Rex clarissimus, & omnis memoriæ Princeps Hemanuel? Quod Ioannes tertius illius filius, Rex summa religionis, & pietatis laude prædicandus? Quod Carolus Quintus Imperator ad sempiternam gloriam natus? Quod Cardinalis Hẽricus Regis Emanuelis filius, in quo mirum sanctimoniæ, & probitatis lumen elucet? Quod denique alij religiosissimi Principes effecerunt? Cum cernerent enim monachorum mores esse multis in locis ad mollitiem lapsos, viros religione præstantes accersierunt, quorum opera cupiditas, & licentia refrenata fuit, & fluxi mores seueriore disciplina deuincti, & animi torpentes ad studium ardentissimum pietatis excitati. Itaque sunt modo apud nos monachi sanctissimi, & religiosissimi, qui Basilium, & Benedictum, & Bernardum, & Dominicum, & Franciscum religionis purissimæ castitate, diuini amoris ardore, egregiæ virtutis exemplis imitantur. Cur igitur id, quod sanari poterat, præcidere maluistis? Quia, vt paullo ante dixi, non vos flagitiorũ offensio, sed perpetuæ castitatis odiũ incitauit, vt monasticum nomen funditus euertendum putaretis. Vt enim Hieronymus

ait, omnibus hereticis est odium contra castitatem inhærens, & infitum. Quo circa minime dubium est, quin, si monachi basilicis institutis viuerent, quo maior eorum puritas esset, eo statū eorum impugnaretis infensius. Addis deinde: Athanasij Symbolum iustam habet venerationem: nec vlla inter illos, & nostros quæstio est. Quantum sit inter vestros, & Athanasium dissidium, exposui aliqua ex parte in litteris illis, quas tu conuicijs insectaris. Neque tamen refert, vtrum sit inter eū, & vos aliqua de re certa consensio. Nec enim vmquam dixi, vestros heroas in omnibus a sanctorum hominum sententia discrepare. Sed quorsum hæc omnia? Quid efficere contendis? Hoc nempe, Lutherum, Bucerum, Zuinglium, Oecolampadium, Caluinum, & reliquos Euangelij istius ministros, esse pares virtute, sanctitate, castitate, religione Augustino, Hieronymo, Basilio, & Athanasio, & reliquis sanctis patribus, in quorum scriptis, & monumentis Christi numen spirare videtur. Quo modo id probas? Queritur, inquis, Augustinus, flumina cærimoniarum inundauisse: Hieronymus sacras litteras a pueris, & mulierculis ediscendas censuit: si monachi basilicis institutis viuerent, ne digito quidem quisquam illos attigisset: Athanasij Symbolum veneramur. Quid igitur? Num ex ijs enuntiatis efficitur, Lutherum, & Bucerum, & reliquos eiusmodi proceres esse cum Augustino, Hieronymo, Basilio, Athanasio virtute, constantia, castimonia, puritate, religione, sapientia comparandos? Egregium noui dialectici acumen, qui tam acriter argumenta vibrat, &, quod efficere vult, tam apte concludit. Hac enim forma recepta, quid erit tam absurdum, quod non facile confici possit? Veluti si dicamus, Mahumetes dicit, Deum mundum ædificasse: idem dixit Basilius. Sunt igitur Basilius, & Mahumetes inter se pietate simillimi. Arius confessus est, Christum pro generis humani salute sanguinem profudisse: idem dicit Athanasius. Eadem igitur virtus, in qua vixit Athanasius, in Ario similiter eluxit. Disputat Lutherus, omnia bona esse ad Christi gratiam reuocanda: idem sapientissime demonstrat Augustinus. Restat, vt Lutherus eadem sanctitatis laude commendari debeat, qua floruit Augustinus. Non vides? non intelligis? non consideras, quam inepte concluseris? quam male tuos magistros defenderis? Sic tu in prœlijs cornua commouere soles? Atqui hoc erat primum caput, in quo vires ingenij tui erant, vt admirationem omnibus commoueres, explicandæ. Dicis deinde, me Lutheri manes maledictis lacerare, quasi Lutheri mens non viuat in omnibus, qui disciplinam illius sequuntur. Eundem Lutherum virum Dei appellas. Qui sis, Haddone, nescio. Sed, si licet existimationis, quam de te haberi conuenit, iudicium ad coniecturam reuocare, non video, cur vel ingenium, vel vitam tuam probem. Eum enim, qui homini sceleftissimo diuinæ virtutis testimonium dat, possumus merito suspicari, eisdem erratis esse irretitum. Iste, inquis, vir Dei, quem tu furere calumniaris, in publico consessu coram Imperatore Carolo sobriam, & sanam fidei suæ rationem reddidit. Falsum est. Immo coram ipso Cæsare impudentissime fuit suam testificatus amētiam. Non dedit autem pœnas, quia fidem a Cæsare acceperat, sibi fraudi minime futurum, si secus aliquid protulisset, quam esset religionis sanctitati consentaneum. Iste, inquis, furiosus contra sapientissimos Ecclesiæ vestræ patronos saluus annos triginta constitit, illis aduersus eius salutem quantumuis insanientibus. His verbis non tu Lutherum defendis, sed in Ecclesiæ ruinis insultas. Scio namque Lutheri furorem Principum præsidio, & multitudine plebis armatum fuisse. idque nostris peccatis accidisse confiteor. Vt enim Deus olim, vt in populi sui scelera vindicaret, contra illum hostes excitabat, vt homines impositis pœnis, atque supplicijs ad officium, & pietatem reduceret; sic nostris temporibus Lutherum sustinuit, illiusque dementiam multorum præsidio corroborari permisit, vt nos hoc cōstituto supplicio ad ardens pietatis studium reuocaret. In quo vero dicis, Lutherum saluum cōstitisse, male profecto, in quo sit ponenda salus, intelligis, si miseriam magis in sceleris pœna, quam in scelere ipso collocandam arbitraris. Patroni vero Ecclesiæ, quos dicis, illum scriptis suis cōfixerunt, nomenq. illius turpitudinum maculis deformatum, memoriæ sempiternæ mandarūt. Nam de triginta annis, quibus illum constitisse gloriaris, desine gloriari. Mahumetis namq. nomen, quod supra nongentos annos in gloria vixit, adhuc apud eosdem in maximo honore est: & eadē hominum illorum, qui sectam illius impiam, & nefariam sequuntur, prædicatione celebratur. At Erasmus, inquis, huic furioso singulare dat innocentiæ testimonium istis ipsis verbis: Lutheri doctrinam improbant nonnulli, vitam vno ore probant. Non sic Erasmum admiror, vt sit mihi necesse in omnibus rebus illius testimonio suffragari. Scio tamen, Erasmum contra Lutherum scripsisse, non tamen adeo vehementer, atque caussa flagitabat. Hominis namq. furorem, & conuicia metuebat. Accusas me, quod Lutherum popularem fuisse dixerim; & simul interrogas, quo modo popularis nomē interpreter. Geram tibi morem, vt intelligas, qua ratione nomen hoc in Lutherū conueniat. Populares olim dicti sunt, qui populi commodis consulebant, & qui ab hominibus supplicibus, & abiectis iniurias potentium hominum virtute, & industria propulsabant. Erat igitur hoc nomen in summa laude positum. Cum vero adulationis proprium sit, virtutem ementiri, &, ficta probitatis, & humanitatis specie, in animos hominum imperitorum latenter irrepere, & homines callidi; & ma-

liciosi,

litiosi, qui viam ad summos honores affectabât, animaduerterent, eos, qui populares essent, cõmuni omnium suffragio in amplissimo dignitatis gradu locari, se populares haberi cõcupierunt. Hi autẽ nõ quid populo esset commodũ, sed quid tãquam commodum, & salutare expeteret, acute considerabant. Vt igitur nunc multi eorum, qui Regum gratiam consequi student, non quid Regibus vtile, & honestum sit, sed quid illi cupiant, quid ament, quid adipisci velint, animaduertunt, eorumq. tantum libidini, & temeritati seruiendum existimant; sic in liberis populis illi, quos populares dicimus, quos Græci δημαγωγοὺς appellabant, populorum non vtilitati, sed libidini seruiebant. Populi namque vtilitas modestia, & moderatione cõtinetur: immoderata vero rei illius, quam appetit, cupiditate, & nomine libertatis exstinguitur. Inuidebat multitudo potentibus. Hi leges rogabant, quæ potentes, vel bonis euerterent, vel in exsilium pellerent, vel vita priuarent. Legum seueritatem moleste ferebat. Eas igitur leges, quæ paullo seuerius cupiditates effrenatas coercebant, homines populares abrogabant. Virtutem populus oderat, eo quod indomitis cupiditatibus acriter aduersari sentiebat: populares autem virtuti decretis suis interitum afferebant. Immodicam libertatem appetebat. Itaque popularium legibus impunitã libertatem assequebatur. Et, ne plura consecter, ij, qui hac ratione ad honores adspirabant, multitudinis cupiditati, flagitio, turpitudini, furori, & amentiæ seruiebant, & ita se in omni officio gerebant, vt satis appareret, eos minime liberos esse, sed plebis amentis, & inconsideratæ mancipia. Hoc autem vt facilius efficerent; animaduertebant acutissime, non modo quid populus cuperet, sed quorum opibus inuideret. Itaque potentes homines in inuidiam vocabant: odium in Principes acerrime concitabant, quibus omnes, qui fuerant in summa dignitate constituti, incendium conflagarent. Sed quam populis vtilitatem afferebant? Egregiam sane. Earum nempe rerum, quas populi nimis sitienter appetebant, euersionem. Cum enim populus res valde secundas ferre non possit, vbi libertatem, quam optabat, adipiscitur, tumultuatur, furit, insanit, omnia perturbat, atque commiscet, & illis tandem ipsis, per quos est eam licentiam consecutus, est interdum vehementer infestus. Sic autem fit, cum nihil esse possit in discordia, & amentia diuturnum, vt non solum libertatem, & impunitatem populariũ studio, & adulatione partam amittat, verum etiam libertate legibus adstricta, quam conseruare diu potuisset, spolietur. Hi sunt, qui populares appellari solent. Nunc consequens est, vt videamus, an Lutherus ad hunc modum popularis exstiterit. An id dubiũ esse potest? Quid aliud, quæso, Lutherus propositum habuit, quam, vt populis blandiretur? Nonne omnia, quæ populis erant odiosa, & inuisa, de medio sustulit? Non auctoritatem Pontificis afflixit? Non leges sacratas abrogauit? Non odium, & inuidiam in Principes Ecclesiæ concitauit? Non metum diuini, & humani iuris exstinxit? Non eam fidem constituit, quæ salutem scelestissimis hominibus, & in scelere obfirmatis proponeret? Non omnibus spẽ immodicæ libertatis ostendit? Non disciplina sua eos ipsos, quos genuit, aluit, educauit, feroces & infestos reddidit? Non constat, tantam fuisse eorum, qui se in illius disciplinam tradiderunt, temeritatem, & amentiam, vt eos ipse regere non posset? Sed quam egregie illum defendis? Si popularis est, inquis, qui respicit ad populi salutem, nemo magis: si leuitatis popularis cõcitatorem intelligis, reuolue scriptum, quo populares Germaniæ tumultus exagitat; & mitte contumelias. O virum sapientem, qui tam acute religionis principem calumnia liberat. Ego popularem appello, cuius auditores seditiosi disciplina illius fiunt. Tu vero Lutherum de seditionibus Germaniæ, quas illius auditores, & sectatores assidue concitabant, conquestum fuisse dicis. Et adeo stupidus es, vt non intelligas, te meã caussam agere. Exagitat, inquis, Lutherus Germaniæ tumultus. Eã ipsam igitur regionem, quam regendam susceperat, quam institutis diuinis instruxerat, quam ad pristinam Euangelij puritatem reuocauerat; tumultuari conqueritur. Magnum ergo fructum popularibus suis attulit. Nec enim modestos, sed contumeliosos, non mites, sed iracundos, non quietos, sed seditiosos effecit, vsque adeo, vt ipse scriptis editis cogeretur eorum temeritatem, & insaniam reprehendere. O salutarem Euangelij disciplinam: o lucem admirabilem, quam vir plane diuinus in terras sparsit? O remedium præsentissimum, quod vulneribus inflictis adhibuit? Hoc est Ecclesiam perpurgare? Priscam Euangelij puritatem restituere? Apostolorum disciplinam labantem fulcire? Homines, natura quietos, adeo tumidos, & insolentes, & ad rixam concitos disciplinis efficere, vt illorum dux, atque adeo parens eos tenere non possit? Quot enim hominum millia apud Heluetios opera Zuinglij, & Oecolampadij intestinis bellis interfecta sunt? quanta rusticorũ multitudo in Sueuia Munceri ductu, & imperio a nobilitate cõcisa fuit? Quis locus fuit in Germania, qui non pestifera dissensione laboraret? Harum autem seditionum duces, & auctores, e quo fonte prodierunt? e Lutheri certe furore, dementia, improbitate, audacia, & e Lutherani sceleris officina. At cum quibusdam eorum, quos memoraui, fuit postea Luthero dissidiũ. quod minime mirandum est. Numquam enim potuit esse inter homines nequitia simillimos, cum quilibet eorum principatum appetit, stabilis, & firma consensio. Quid ipse Lutherus? Non turbulentas conciones habebat? Non plebem in Principes incitabat? Non summos viros omni cõtumelia lacerabat? Non Cæsarem? nón

Henri-

Henricum Angliæ Regem? non Georgium Saxoniæ Ducem? non multos alios Principes optimos maledictis vexabat? Non constat, omnes illius orationes ad seditiones populares concitandas spectauisse? Quid igitur magis perspicuum est, quam Lutheri sectam fuisse maxime popularem, atque turbulentam? Quam sit autem infesta Principibus, oratione non indiget. Omne namque, quod est ad hunc modum populare, est valde, vt litteris meis disserui, non solum publicæ saluti, sed Principum maiestati contrarium. Si tu non tantum ingenio vales, vt ex antecedentibus caussis, quid euenturum sit, multo ante prospicias; ne exemplis quidem innumerabilibus hæc ita esse percipies? Obscurum est scilicet, Lutheri scelere, atque dementia Ludouicum Vngariæ Regem in acie cũ magna Christianorum hominum multitudine cecidisse. Nam, cum Turcarum Imperator Solimanus contra illum ingentes copias eduxisset, & magnum periculum vniuersæ Germaniæ fuisset intentum, Germaniæ tamen ciuitates partim bellis intestinis, quæ Lutheri secta coucitarat, implicitæ, partim Lutheri disciplinis, quæ Turcarum armis resistere nefas esse decernebant, imbutæ, opem Ludouico afferre, aut non potuerunt, aut noluerũt. Ergo, si Turcarũ victoria tantũ fuit nomini Christiano dedecus illatum: si aditus ad Pannoniæ perniciem, atque Germaniæ summum periculum patefactus: si regnum illud Vngariæ maxima ex parte sub imperiũ, ditionemq. hostis immanissimi subiunctum; id totum est Lutheri sceleri, & amentiæ tribuendum. Sed tu id fortasse nescis, & ideo nouum istud Euangelium Principibus minime aduersari contendis. Quid? Illud etiam ignoras, quomodo Odoardus, Rex vester, in pueritia per summum scelus veneno perierit? Aut a quibus Carolus Cęsar Princeps optimus proditus, & oppugnatus fuerit? Aut quam immani scelere Maria Regina virtutibus regiis instructissima, fuerit veneno petita, & deinde suorum armis circumuenta? ne de coniuratione quidem audiisti, qua illi, & Reginaldo Polo Cardinali viro optimo, & clarissimo, & sapientissimo necem inferre homines impurissimi conati sunt? Quid referam Gallorum rebellionẽ, perfidiam, immanitatem, & rebus sacris illatam vastitatem? quid postremo Scotiæ Regem per summum scelus crudelissime necatũ commemorem? Hi, qui tantos tumultus excitarũt, qui tam immania scelera conflarunt, vnde ortum habuere? An parum constat, in Luthero fuisse horum omnium malorum principium? Et tamen dicis, illum Dei virum esse, atq. diuinitus missum ad generis humani salutẽ. Dic, quæso, quæ tantæ in illo virtutes eluxerunt, vt eam de illo, quam dicis, opinionem habeas? Quæ vitæ continentia? quæ morum grauitas? quæ mansuetudo? quæ rerum humanarum contemptio? quæ diuinarum contemplatio? quod tẽpus in assiduis precibus, & lacrymis pro omnium salute profusis, nocte, atque die consumptum? quæ ieiunia? quæ suspiria? quæ denique ardentissimę caritatis officia hominem tibi cõmendarunt? vsque adeo, vt dicere ausus sis, illum esse cum Basilio, aut Athanasio, vt reliquos omittam, virtutis, & pietatis excellentia comparandum? Primum quidem ille fuit, quod asseclæ etiam illius fatebantur, natura truculẽtus, oratione turbulentus, iracundus, elatus, & inflatus, ita, vt ne Melanchthonem quidem ipsum hominem duceret. Deinde fidem Christo publice datam fregit; & mulierem, quæ similiter in virginum claustris perpetuam castitatem Christo vouerat, sibi incesto matrimonio copulauit; & omnibus, qui simile facinus suscipere voluissent, ducem, & auctorem se præbuit. Et, ne plura persequar, multis aliis teterrimis sceleribus, atque flagitiis inquinatus fuit. Ne autem laudes illius flagitiorum labe obteri videantur, fateor illũ ea humanitatis specie commendari in vulgus facillime potuisse, qua insitum furorem, & amentiam aliquando contegeret. Fuit enim conuiua festiuus, & in epulis dicax, & in omni genere hilaritatis vrbanissimus, si maledicentia potest vrbanitas appellari. Dicta namque iaciebat, & maledictis Ecclesiæ Principes cõfigebat, & homines simplices, verissimæ religionis amantes, irridebat. At Dominus, vt inquit Salomon, derisores exsecratur, & cum simplicibus consilij sui arcana communicat. Ex quo fit, Lutherum diuina luce compleri minime potuisse. Hunc tamen tu arbitraris esse cũ sanctissimis illis patribus conferendum. Velim mihi dicas, quis illorum se nuptiis incestis commaculauit? Quis multitudinem ad spem immoderatæ libertatis excitauit? Quis tumultus tam multis in locis oratione turbulenta conciuit? Quis sola fide, hoc est, sola temeritate, & confidentia ad firmam spem salutis suos populares erexit? Quis humanam voluntatem, quam Deus esse liberam voluit, quibusdã fati vinculis adstrinxit? Quis illorum Deum omnium facinorum auctorem, & architectum asserere ausus vmquam fuit? Quis omnes Sanctorum actiones instinctu, & inflatu diuini spiritus ab hominibus sanctissimis editas scelere pollutas asseruit? Quis iustitiã, gratia, & benignitate Christi fidelibus hominibus attributam, quæ puritate, & innocentia, & sanctorum operum studio continetur, sustulit, & in locum illius commenticiam, iustitiam nullis vmquam temporibus auditam, substituit? Cum enim negaret, peccatum in sanctis hominibus esse Christi gratia deletum, nullam aliam esse iustitiam confirmauit, præter Christi singularem iustitiam, singulis hominibus, quamuis illi scelestissimi sint, per fidem applicatam: quæ cum sit eadem in omnibus, fieri non posse, vt quidquam inter cuiusuis hominis iustitiam, & Pauli, & Petri, atque adeo sanctissimæ Virginis Dei genitricis sanctitatem intersit. Et quæris, quæ sint illa portenta religionis. Omnia

hac,

hæc, quæ breuissime complexus sum, immania portenta, & prodigia religionis esse dico, illorumque parentem non sceleratũ, sed scelus ipsum; non furiosum, sed furorem, & amentiam fuisse confirmo. Quam speciem, quæso, pudoris, integritatis,& modestiæ in homine totius honestatis, & continentiæ, & moderationis euersore perspicere potuisti,vt,illius inani falsē splendore perstrictus, in fraudem inexpiabilem te cõpelli sine res?Et tamē in instituto semel errore perseuerabis? Et tamen adeo pestilentem sectam crimine omni liberabis? Et tamen homines sanctissimos ad Lutheri hominis scelestissimi societatem aggregabis? In eo interim valde triumphas, quod triginta annis ita constiterit, vt nullam sceleris, & amentiæ pœnam pertulerit. An maiores pœnas in vita cogitare potes scelerum, & maleficiorum recordatione? Illum facinorum conscientia perterrebat: furię scelerum vindices stimulabant: dæmon infestus exagitabat, vt respirare non fineret. Laxabat ille quidem curas instructo,& apparato amicorum conuiuio.Sed non tantæ vires insunt in Venere, atque Libero, vt animum scelere oppressum, & impeditum solicitudine, & acerbitate,leuare possint. At quo genere lethi exstinctus est vir ille clarissimus? In amicorum cena se liberalius inuitauit, & mane mortuus inuentus est. Addis autem,par aureum senum, Martinum nempe Bucerum, atq. Petrum Martyrem,in istam insulam fuisse Dei beneficio delatos, quorum virtutes in cælũ efferS. De quorum laudibus nihil amplius mihi dicendum puto, nisi me eo solo argumento eos omni scelere contaminatos arbitrari, quod a te tantis laudibus ornentur. Qui enim Lutherum laudat, nihil sanctum, nihil pium,nihil moderatum laudare poterit. In quo vero me admones,vt orationem, & stylum cohibeam, & ne velim confidētes, & elatos appellare homines mitissimos, atq. moderatissimos, & periculum simul quodammodo ab illis denuntias:vellem consideratius, quam male cohæreant ea, quæ dicis,intelligeres. Si enim mansuetissimi sunt, vt dicis, quamuis illis maledixero, non commouebuntur animis, sed patientiam, & constantiam mirifice retinebunt. Si sunt in me conuiciis,& maledictis omnibus impetũ facturi,non sunt perinde mansueti, vt affirmas.Scio quidem sub ouiũ pelle truculentam, & immanem, vt Christus ait, luporum naturam latitare. Id etiam vsu satis compertum est,nihil esse istis hominibus impudentius. Obiectas namque rationes,non ratione, sed procacitate diluere conantur. Itaq. cum argumentis opprimuntur, sudant, pallēt, vociferantur, inclamant, in conuicia prorumpunt,vt impudentiæ exitum parum pudentem reperiant. Sed mihi crede. Nullius maledicentiam extimesco. Dignitatem namque meam Iesu Christi custodiæ commisi,& iccirco nemo me vmquam de statu meo linguæ petulantia cõ uellet. Quin etiam contumeliæ tuæ non me magis mouent, quam hominis phrenetici, atque male sani conuicia. Quod si me pietatis studiũ minime stimularet, ego litterā contra te vllam scripsissem?Non prorsus. Nunc igitur,vt impietatis verba refutarem, non vt dignitati meæ prospicerem,hoc scribendi munus, & officium suscepi.Quare licet tibi per me conuiciis, quibus velis,vti,meũ nomen configere maledictis, vexare probris, lacerare contumeliis:neque solum tibi, sed omnibus Buceris, atque Martyribus, viris,vt ais, mansuetissimis,potestatem facio in me ferociter irruendi.Quare non est,cur mihi ab illis timorē proponas, cũ ad conuicia, quę contēno,minime responsurus sim:& rationes eorũ inanissimæ, sint iam multorũ scriptis refutatę: & is ego sim, qui, præter Christi numē, nihil in vita pertimescam. Quod ad personas attinebat, si est aliquis in te humanitatis sensus, certe profecto,quã male illas defenderis. Ais deinde,minime verũ esse, vos solis sanctis scripturis inniti. Multas.n. hominũ sanctorũ sententias a vobis receptas esse. Quænã hęc est tanta varietas,& inconstantia? Nunc quidē eo solo argumento multa reiicitis, quod inuenta esse humana dicatis: rursus, quod libet assumitis, & dicitis vos non omnia humana repulisse?Sic enim estis ancipites,sic varii, atque lubrici,vt numquã,quid sentiatis,atque decernatis, constanter explicetis. Et tamen, cũ hæc diceres,eos laudabas,qui nihil aliud,quã scripturas, agnoscunt,& traditiones, & decreta sancta repudiant. Sic enim ais. Equidem,si hoc ita esset, sequerētur in eo domini nostri Iesu Christi morem, sequerentur Apostolorum consuetudinē, & veterum Patrum in primis Ecclesiæ temporibus. Quam multa temere dicis? Christus scilicet, summi Patris mens,& sapientia, cuius numine, & moderatione lex ipsa lata fuit,prophetæ ventura cecinerunt, omnes olim sancti homines illustrati sunt, eas sibi leges indixit,vt nihil omnino dicere auderet,quod non esset scriptura sancta consignatum. Vbi, quæso, legerat ille, homines propter iram tantum, quamuis nulla verborum contumelia iaceretur, iudicij diuini laqueis irretiri? Vbi scriptum inuenerat,oculis parum pudice coniectis, pudicitiam cælestissime violari? Quibus verbis fuerat interdictum lege,ne quisquam nuntium vxori remitteret?Quo in loco fuit olim mandatum litteris, vt,qui perfecte vellet in legis studio versari, omnes opes suas venderet, redactamq. pecuniam ita in vsum egentiũ conferret, vt nihil sibi reseruaret? Legisti ne vmquam vel in lege, vel in psalmis, vel in prophetis, angustam esse salutis viam? Aut ei, qui maxillam tuam cædit, esse alteram, quam similiter feriat, exhibendā? Aut esse pro eorum salute, qui tibi maledicunt, aut exitium machinantur, Deo supplicandum? Illud vero de ortus diuini ratione, & cælestis vitæ nouitate, quam Nicodemus vir disciplina legis instructissimus minime intelligebat: de tēpore, quo nec Hierosolymis, nec in Samariæ

monte Deus erat colẽdus: de pane cælesti, quo vita nostra erat alenda, atq. sustentanda, quibus in scripturæ sanctæ locis erat explicate traditum? At nondum Euangelia erant scripta, cum hæc diceret; nec scripturæ monumentum, quod dictum ab illo fuerat, sanxit; sed quod verbis sancitum fuerat, ne ex animis excideret, memoriæ commendauit. Multa prætereo, nec enim omnia persequi libet; cum hæc sufficiant, vt animaduertas, quã temere dixeris, id etiam dominum nostrum Iesum Christum factitasse. Quid de Apostolis dicam? Vbi legerat Paulus, eos, qui circumcisionem retinerent, esse a Christi coniunctione distrahendos? Apud quem ex sanctis scriptoribus animadnerterat dictum esse, non decere mulierem aperto capite Deum venerari, aut virum, dnm orat Deum, caput obtegere? Qnid hic referam, quomodo eos laudat, qui memoriam disciplinæ illius retinebãt, vel scriptis, vel sermone traditæ? Quid illud, quod Apostoli in Concilio dicunt? Visum est, aiunt, Spiritui sancto, & nobis. Non dicnnt, Scriptũ est in sanctis litteris: sed, Visum est Spiritui sancto, & nobis. De sanctis vero Patribus, quos numquam fortasse legisti, quomodo ausus es dicere, eos nihil aliud vmquam ad Ecclesiæ moderationem attulisse, nisi quod scriptum in sacris litteris inuenerant? Quam multa Basilius disputat ab Apostolis oratione tradita fuisse? Quam multa Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, & reliqui sancti viri? qnanta veneratione ea, quæ erant Conciliorum decretis statuta, prosequuntur? Omitto innnmerabilia testimonia, quæ tuam hanc, aut potius tuorum dementiam conuincunt, cum non solum homines huius memoriæ doctissimi, verum & Patres olim sanctissimi contra hanc sententiam egregie disputarint. Olim namq. hæretici ferme omnes dicebant, nihil, quod non esset in sanctis litteris scriptum, recipi debere: cum interim eas sanctissimas litteras peruerse, & inquinate interpretarentur. Contra vero sanctissimi patres argumentis, & exemplis ab Apostolorum memoria repetitis acerrime pugnabant, & Conciliorum decretis vitam instituebant. Hæc igitur, quæ dicis de Christo, de illius discipulis, de sanctis Patribus, apertissime falsa sunt. Minime verum esse dicis, doctores tuos sibi quidquam supra sortem humanam arrogasse. An quidquam arrogantius esse potest, quam nouis institutis, & decretis, quæ numquam nec Athanasio, neque Basilio, neque Cypriano, nec alicui ex sanctis Patribus in mentem venerunt, velle Ecclesiam laborantem reficere, & tam fidenter Euangelij noui disciplinam confirmare, atque sic omnia dicere, quasi ea ex Christi mente, atque sententia percepissent? Ais, me ne minimum quidem erratum illorum in vita proferre posse? Verum id quidem est, si sententiæ tuæ standum fuerit. Nec enim iam apud vos libido, neque rebellio, neque furor in vitio ponitur. Reprehendis me, quod perniciose nugari non desistam, contra personarum grauissimarum existimationem, quarum opera fuerit Ecclesia egregie constituta. Nec secus dici potest. Ij enim, quos tu vir virtute, & auctoritate grauissimus dilaudas, graues admodum sint necesse est. Tum ais: Tu virginum, & monachorum cœtus, ad celebrandam Dei gloriam, & tuendam corporum castitatem inclusos, a nostris ad libidinem, & omnem vitæ licentiam emissos criminaris, ædes illorum quæstu publicatas, leges latas, ne religio libidinem impediret. Hoc, quod dicis de illorum quęstu, non percipio. Numquam enim illorum quæstu aliquid factum nefarie fuisse suspicatus sum. Sed tu, vt crebro facis, neque quid dicas, neque quid dicere velis, explicare vales. Tum illnd quam impudenter? O nimis, inqnis, procacem, & licentiosam omnia peruertendi libidinẽ. Fatemur, & quidem perlibenter, sanctissimis nostrorum monitis illas corruisse scelerum cauernas, in quas teneræ virgunculæ detrudebantur, & misselli pueri, tanto morum detrimento, quantum verecundia mea non potest explicari. O hominem nimis pudentem, & verecundum? Quid est illud, quæso, quod pudore prohibitus, explicare minime voluisti? Nihil plane. Adiungis enim: Nihil propemodum habebant illæ nequitiarum officinæ, præter Pharisaicam ignota lingua precationum assiduitatem. Reliqua poterant interiora cum illis priscis Romæ bacchanalibus comparari. Dic, quæso, homo petulantissime, maiore ne contumelia potuisses sacrarum virginum collegia conscindere, si non fuisses ista insigni moderatione pudoris impeditus? Tu Christi viridarium, tu castitatis domicilium, tu vitę cælestis imaginem, cum bacchanalibus illis tæterrimis, & impurissimis, in quę fuit olim Romanorum legibus seuerissime vindicatum, comparas? & tamen dicis te verecundia teneri, ne flagitia interiora vrbis explanes? Adeo ne iuuat spurcissime loqui? Maledictis insectari pudicitiam? Cum Christi contumelia immanissimi sceleris defensionem cõiungere? Quasi nõ exploratum sit, castitatis odio, & non scelerũ offensione editas illas fuisse sanctarum ędium ruinas. Accessit etiam bonorum illorum cupiditas, quibus virgines, & monachi alebantur. Si tibi nulla frons esset, nullus pudor, nulla verecundia fuisset, quibus verbis obscenius potuisses tam sacratum institutum conuellere? Scelerum cauernas, hoc est, flagitiorum omnium sentinam, & turpitudinum colluuionem, & libidinis impurissimæ labem, atque cœnum appellas religionis, & pudicitiæ studium, potuit ne quidquam impudẽtius dici? Nec hac tanta verborum petulantia contentus, adiecisti, eo detrusas esse teneras virgunculas, & misellos pueros, cum magno morum detrimento. Quid hoc etiam sibi vult? Quid innuis? quid intelligis? quam corruptelam non hac tam impudente oratione complexus es? Sequitur illud verbum inquinatissimum, quo nequitiarum of

ficinam

&cinam appellas, eam puritatis, & continentiæ disciplinam. Omitto illud de pharisaica precationum assiduitate, quod est e Lutheri maledicentia depromptum, quorsum pertinet illa de bacchanalium nefanda turpitudine comparatio? Potest ne aliquid cogitatione fingi turpissimum dictu, quod non ista tam flagitiosa oratione complectaris? Quid igitur est illud, quod tibi prę verecundia explicare minime licet? Nihil certe. Ex quo sequitur, tibi nullum esse pudorem, nullam omnino verecundiam. Nescio enim quomodo fit, vt, quo quisque magis sese in familiaritatem istorum hominum, quos laudas, immergit, eo se impudentius gerat. Vt autem clarius videas, quam scelestum, & immane facinus in te admiseris, monachorum nomen, & institutum altius repetendum censeo. Duo sunt hominum genera, quę sæptis Ecclesię continentur. Vnum, cuius officium in communi vita cum mediocris virtutis, & pietatis laude versatur: alterum, quod se multo excellentius in hoc disciplinæ cęlestis studio gerere cupit. Cum autem finis, qui propositus esse debet Christianis omnibus, sit diuinæ virtutis, & iustitiæ similitudo, quam illi multo facilius assequũtur, qui promptiores, & alacriores sunt ad mentis diuinæ pulchritudinem spectandam, quam nemo facile potest animo, & cogitatione concipere, quamdiu est arcta consuetudine corporis quasi quibusdam vinculis impeditus; factum est, vt illi, qui multo ardentius ad studium diuinæ coniunctionis adspirabant, quoad liceret, mentes suas a consuetudine corporis auocarent, vt multo purius adspectũ animorum in diuina claritate defigerent. Hi sunt, quos Dominus ait se castrauisse regni cælestis amore, & cupiditate. Libido nãque deprimit animum, & in terram abiicit, & importunitate sua mentem a conspectu diuini splendoris abducit. Quod vsque adeo verum est, vt, quamuis sit honorabile connubium, & thorus immaculatus, & qui vxorem matrimonij iure defraudat, non mediocriter in officio delinquat; sit tamen illis interdum, qui volũt clarius in se lumen recipere, ab vxoribus abstinendum. Ideo Moses, antequam legem acciperet, viris imperauit, vt se ab vxorum coniunctione tantisper seuocarent, dum Deus ipsam legem sanciret. Hac etiam ratione Paulus, dũ maritis prohibet, ne se ab vxorum coniunctione diuellant, adiungit, nisi ad tempus, vt vacetis, inquit, orationi. Quo in loco vir diuinus aperte docet, illam etiam legitimam, atque sanctam viri, & vxoris coniunctionem mentem impedire, quo minus ita libere, & expedite cælum penetret, & diuino colloquio perfruatur. Iccirco dicit in eadem epistola: Qui matrimonio iungit virginẽ suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Rationem vero, quare melius esset, innuptam virginem permanere, eam assignarat, quod ij, qui matrimonij curis impliciti sunt, a rerum diuinarum cogitatione lapius abducuntur. Eos vero, qui liberi matrimonio sunt, nulla alia cura solicitat, nisi quomodo Deo placeant. Et mulier, inquit, innupta cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Paucis deinde interiectis, huius sanctissimæ libertatis fructum eximium proponit, qui est in facultate Dominum sine impedimento semper obsecrandi constitutus. Hoc tantum munus, atque beneficium non esse meritis humanis, sed clementiæ diuinæ tribuendum, ipse Dominus ostendit, dum ait: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Ex quo liquet, eos, qui de libidinis immanitate eam victoriam consequuntur, vt pudicitiam perpetuo conseruent, singulari Dei beneficio potiri, & esse ob eam caussam veneratione dignissimos. In rebus, inquies, fortasse nimium peruulgatis, & minime necessariis consumitur oratio tua. Peruulgata quidem, & sanctorum hominum oratione contrita: fateor: minime vero necessariã, tum demum esse iudicare licebit, cum fuerit perspectum, ea minime cum iis, quæ sunt mihi necessario dicenda, congruere. Cũ igitur in Ecclesiæ primordio maxima pars hominum, qui Christo nomina dabant, ita iustitiam, & pietatem coleret, vt a communi vita minime discederet, tum non mediocris multitudo ad cupiditatem amplioris dignitatis, & honestatis exarsit. Itaque hi, mentis diuinæ viribus excitati, ne corporis appetitus, & solicitudo illis esse posset impedimento, & vt insitã libidinem vehementius profligarent, a nuptiis abstinuerunt: vt sic tandem, quamuis corpore vagarentur in terris, in cælesti tamen regione mente, & cogitatione versarentur. Quod vt ab illis commodius fieret, ab hominum turba, & colluuione semigrabant, &, coniunctis animis, vno in loco considebant, vt fieret ex omnium animis vna mentis, & voluntatis stabilis, atque firma consensio. Hoc vero, quod in principio fuerat Hierosolymis institutum, vt nemo quidquam priuatim possideret, (qui mos in omnibus, propter hominum multitudinem, retineri diu non poterat) fuit ab illis instauratum, atque renouatum. Horum vita erat perpetua cum corporis appetitu, & flagitiorum omnium labe contentio, & rerum diuinarum vehemens, & assidua commentatio. Corpus igitur ieiuniis, vigiliis, laboribus coercebant: animum vero continuis precibus, atque votis, & cantibus, & hymnis, rerumque cælestium meditatione, ad conspectum diuinæ pulchritudinis, & claritatis excitabant. Inde illud ardentissimum amoris incendium: inde diuinæ virtutis imitandæ studium: inde voluntatis humanæ cum diuina consociatio: inde clarior quædam mentis illustratio: inde illa postremo coniunctio, qua nihil copulatius animo fingi, atq. cogitatione possit. Hi monachi appellari cœpti sunt verbo Græco, non tam quod solitudinem sequerentur, quam quod, abiectis, & contemptis rebus omnibus, soli Deo fuissent arctis-

simo

ſimo amoris vinculo deuincti. Quemadmodum Dauid inquit: Mihi adhærere Deo bonum eſt. Et Paulus ſimiliter ait: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo. Vt igitur hi, quos dico, commodius hunc ſtatum aſſequerentur, in quo nemo eos poſſet a ſpiritus diuini coniunctione diuellere, hanc vitam ſecuti ſunt. Dionyſius Areopagita, quem ego, poſt Apoſtolos, Theologorum Principem pono, non modo, ſecundum hanc ſententiam, monachi nomen interpretatur, verum, quem ritum in monachis initiandis Pontifices obſeruarent, oratione deſcribit. Fuit igitur hoc monachi nomen olim in magno honore, & celebritate: fuerunt ad eorum habitationem ædes ædificatæ, quæ Monaſteria, vt auctor eſt Philo, vocari cœptæ ſunt: fuere ſimiliter multæ virgines, amoris diuini facibus incenſæ, quæ, corporis omnino compreſſa libidine, domitis cupiditatibus, contemptis opibus, totas ſe ad Chriſti ſtudium contulerunt, &, vt id melius efficerent, vnum in locum conuenerũt, in quo perpetuo illius contemplationi vacarẽt. Baſilius, qui vir, & quantus? poſt multa tempora diſciplinam inſtituit, qua monachorum inſtitutum minime vagaretur, atque fluctuaret, ſed eſſet ſemper vnica religionis formula deuinctum. Exſtãt illius epiſtolæ, quibus calumniam hominum profligatorum, qui hanc illius actionem vituperabant, oratione grauitatis pleniſſima refellit. Numquam enim defuerunt, neque deſunt hodie, neq. deerunt in poſterum Satanæ ſatellites, atque miniſtri, qui ſanctorum hominum inſtituta, atque decreta reſcindere conentur. Hanc monachorum vitam quibus laudibus extollit Chryſoſtomus? Quibus verbis admiratur Auguſtinus? Quam ſæpe, & quam grauiter, & ornate, dignitatem illius extollit Hieronymus? qui non modo eam vitam ornauit ſummis laudibus, ſed idem inſtitutum perſecutus eum monachis ad extremum vixit. Quod etiam ſummum illud Theologiæ columen, & virtutis, & eloquentiæ ſpecimen Gregorius Nazianzenus effecit. Quid hic reliquos viros eruditione, & ſanctitate clariſſimos oratione commemorem? Fuit ne vmquam vir aliquis virtute excellens, qui non monachorum inſtitutum maximis laudibus ornaret? Remittebatur quidem ſæpe, vt fit, hoc præcipuæ religionis ſtudium: ſed non deerant ſancti homines, qui id rurſus incenderent, & incitarent. Inde vir ille admirabilis Benedictus, inde Bernardus, & Bruno, & poſtea Franciſcus, & Dominicus, qui non modo, vt monachorum vitam conſtituerent, ſed vt Eccleſiam ſacerdotum ignauia laborantem reficerent, ſtudio acriter & vehementer incenſo pugnauerunt. Quot Martyres inde? quot ſcriptores? quot viri virtutibus illuſtres exſtiterunt? Si quid enim fuit in illorum ætatibus in Eccleſia, quod vel ad eximiæ virtutis exemplum, vel ad egregiæ ſapientiæ diſciplinam valeret, id totum eſt monachis in acceptis referendum; vel, vt rectius dicam, ipſi Chriſto, qui ſanctorum monachorum mentes ad tam eximiam virtutis, & ſapientiæ diſciplinam incitabat. Sed, ne latius in hac diſputatione vagemur, cum, vt perſpicuum eſt, duo genera Chriſtianorum in Eccleſiæ primordio exſtiterint; vnum, quod, officiorum mediocritate contentum, in communi vita ſine crimine verſabatur: alterum, quod, vt multo altius in cælum euolaret, mentem ſuam a corporis conſuetudine ſeiungebat, &, a communi vita ſegregatum, totum ſe Chriſti obſequio, & amori conſecrabat; & conſtet, hoc illo fuiſſe multo præſtantius; perſpicuum certe eſt, quanta veneratione digna fuerint illa ſacrarum virginum, & monachorum domicilia. Erant enim huius vitæ, quæ multo clarior, & illuſtrior eſt, multoque propius ad cælitum naturam, & ſimilitudinem accedit, gymnaſia, cæleſtiſque virtutis, atque puritatis officinæ. Ea res impulit multos Chriſtianos Principes, virtutis, atque religionis gloria præcellentes, vt ædes ſanctas ædificarent, & opes conferrent, quibus virgines alerentur, & monachi etiam religioni perpetuo vacarent. Quod cum fiebat, erant illi Principes victoriis illuſtres, & rerum geſtarum fama clariſſimi, & ſalus patriæ erat ab eis egregie conſtituta. At nunc in multis locis, in quibus poſteri a maiori pietate degenerant, cernimus interdum longe ſecus euenire. Nam cum amplificatione vectigalium certat inopia; cum hominum multitudine dedecus; cũ ſuperbia reip. totius imbecillitas; atque poſtremo cum ſanctitatis ſpecie impudenter aſſimulata, ſacrilegium. Sed dices, hoc monachorum genus obſoleuiſſe. Non quidem apud nos. Tanta eſt enim, poſtquam inſtaurandæ religionis ſtudium fuit a Principibus Hiſpaniæ ſuſceptũ, in multis ſanctis ædibus pietas, atque religio, vt multi nobiles adoleſcentes, in magnis opibus enutriti, in magna ſpe dignitatis, & honoris educati, ſtudio tam admirabilis virtutis, quam oculis intuentur, incenſi, opes deſerant, honores contemnant, voluptates aſpernentur, parentum lacrymas deſpiciant, & in monachorum ſocietatem, quaſi in tranquillum vitæ portum, ab aduerſa vitiorum tempeſtate confugiant. Similiter non paucæ virgines, eximia ſpecie, & pulchritudine, quarum nuptias multi iuuenes nobiles ambiebant, omnes huius vitæ blanditias contempſere, vt in ſanctarum virginum collegijs multo ſuauius Chriſti ſpiritu, & conſuetudine fruerentur. Rarum fortaſſe dices tantæ virtutis exemplum, præ earum multitudine, quæ recuſantes, & inuitæ in monaſteria detruduntur. Mirum non eſt. In quolibet enim genere rarum eſt, quod vehementer excellit. Deinde virgines per vim in iſtud genus vitæ detrudi, neque fuit vmquam iure permiſſum, nec id ſapientes homines approbarunt, & ſanctum Concilium Tridentinum, ne id in poſterum fieret, interdixit. Id igitur iam non fit.

At

At quem fructum virgines iſtæ conſequuntur? Illum, qui verbis explicari non poteſt. Multæ namque ardent animis, & interdum a corporibus abſtractæ in cælum euehuntur, & in conſideratione diuinæ benignitatis exſultant, & diuinam ſpeciem, & pulchritudinem, quoad licet, intuentes obſtupeſcunt, ita, vt aliquando mentis compotes eſſe nequeant. Eſt mihi magnus vſus cum monacho idiota, atque ſimplici, qni, quoties amoris diuini fit mentio, toties oppreſsis ſenſibus in terram cadit, & interim mente viget, & cæleſtia, atque diuina contemplatur. Infinitum eſſet, ſi vellem percenſere, quot homines ſanctos in ſocietatibus, quas irridetis, adſpexi, quot virgines religione, & ſanctitate mirabiles allocutus ſum. Hæc cum ita ſint; cur hoc tam excellens religionis exemplnm, & tam admirabile caſtitatis, & puritatis inſtitutum, in quo ineſt id, quod erat in Chriſtiana religione præcipuum, & maxime admirandum, vt dictum eſt, de medio ſuſtuliſtis? Cur per vim, & furorem in ſacras illas ædes irruiſtis, vt perpetuæ pudicitiæ monumentum e terris exterminaretis? Non, inquis, inſtitutis Baſilicis viuebant. Et quidem apud nos aliquando virgines ſacræ, ſui decoris oblitæ, laſciuiebant, & aliquot etiam monachi flagitioſe viuebant: ſed non ideo, quæ fuerant ſanctiſsime conſtituta, ſublata funditus, & euerſa ſunt. Nec enim ea, quæ ſanari poſſunt, ſunt, cum primum in morbum inciderint, omnino reſecanda. Quid? Placet ne propter hominum offenſionem totum ſtatum a ſtirpe reſcindere? An potius ea, quæ vitio laborant, ad naturæ integritatem reuocare? Si fuiſſet a vobis adhibita medicina, quæ a noſtris Principibus adhibita fuit, quid eſſe potuiſſet impedimento, quo minus eadem apnd vos nunc floreret pudicitiæ, atque ſanctimoniæ laus? Sed numquam id vobis venit in mentem: nec enim vos ratio ad officium, ſed odium, & cupiditas ad facinus incitabat. De phariſaica vero precationum aſsiduitate (ſic enim vobis ſtudium diuinæ laudis perpetuo concinendæ appellare libet) hoc tantum reſpondeo. Si religionis defenſio conuiciorum abſurditate continetur, vos plane viciſtis. Optimum namque tam honeſtæ diſciplinæ magiſtrum habuiſtis; nempe Lutherum. Illius enim ſunt iſta Phariſæorum, Hypocritarum, & Papiſtarum nomina, (vt alia omittam, quæ homini verecundo appellare non licet) quibus ſanctos viros inſequitur. & tamen, vt defenſionem vnius ſceleris ab alio ſcelere petas, & ſacrilegium calumnia, & falſo teſtimonio cumules, ais, tanta fuiſſe in illis monachorum ſæptis, & virginum clauſtris flagitia, vt fuerint cum bacchanalibus comparanda. Quo modo igitur illa tam nefanda ſcelera impunita reliquiſtis? Cur tam tætra, tam horrenda flagitia non acerrimo ſupplicio compreſsiſtis? Cur non editis exemplis, ne libidinis effrenatæ licentia ad reip. perniciem manaret) in tam nefandos, vt inquis ſatis inuerecunde, congreſſus acerrime vindicaſtis? Adeo ne eſtis in gerenda rep. diſſoluti, vt nullum ſupplicium exſecrandæ, vt dicis, immaniſſimi ſceleris officinæ ſtatuendum putaretis? Et in ea inſula, in qua Regina, propter pulchritudinem, ingenium, & vrbanitatem Regi cariſſima, ob multo leuioris criminis ſuſpicionē, iudicum ſententia, Regis ipſins, cuius matrimonium tenebat, imperio, carnificis manu publice in omnium conſpectu ſecuri percuſſa, & interſecta fuit; vos infanda illa ſcelera a genre non modo contempta & abiecta, verum etiam odioſa, & inuiſa, inulta eſſe patereminí? Credibile non eſt. Pręterea, hoc non fuit apud vos natum, ſed aliunde accerſitum. Carolſtadins enim, & Lutherus, & reliqui ſectarum Principes, ne iſtius adeo pnlchri facti gloriam ad vos transferre poſsitis, iſtud tam egregium facinus primi aggreſsi ſunt. Non igitur impurę libidinis odinm, ſed nouæ iſtius diſciplinę, atque religionis exemplum a viris clariſsimis editum, animos veſtros ad euerſionem ſempiterni pudoris inſtigauit. Acceſsit de Pontifice Maximo propter interpoſitam auctoritatem, & ſententiam granis offenſio ſumpta, & oculi multorũ bonis, quibus monachi alebantur, adiecti, & perditorum hominum adulatio, & omnia immutandi, atq. peruertendi libido. Olim virgines Veſtales apud Romanos homines diuinę lucis ignaros tantę fuerunt admirationi, vt omnes illis via, loco, & ſede, maxima cum veneratione cederent. Vos virgines Chriſti inſigni, atque perpetuo dedecore maculaſtis. Illas, quod ignem Veſtę cuſtodirent, non modo religioſe colebant, & obſeruabant omnes ciues; ſed illarum etiam iudicia verebantur: vos ſanctas Chriſti virgines, caſtitatem fœderibus ſanctiſſimis obligatam, & ſempiternum celeſtis amoris incendium tueri non ſiuiſtis. Illę, quibus licebat poſt trigeſimum annum nubere, ſponte tamen ſua a nuptiis abſtinebant: vos illas, quibus hoc nulla in ętate licitum erat, apnd homines impuros collocaſtis. Illę poſtremo, ſi aliquando in ſtuprum illectę fuiſſent, viuę atque ſub terram abditę vitam tęterrimo leti genere finiebant: vos eas, quas aſſeritis infandis congreſsibus inquinatas, in pręmium tanti ſceleris, Veneris iucundis ſane muneribus affeciſtis. Et tamen ais: Quare Deus noſtrorum mentes excitauit, vt tam numeroſæ cohortes, in corruptiſſimis angulis deliteſcentes, illorum piis cohortationibus ab otio ad negotium; a vitiis ad uirtutem; ab infandis congreſſibus, ad honeſtiſſimum coniugium euocarentur. Deus, inquis, noſtrorum mentes excitauit. Velim mihi dicas, quis ille Deus fuit? Multi namq. ſunt, et Paulus ait, qui appellentur dij. Quibuſdam namque deus venter eſt: aliis vero pecunia deus eſt: aliis item vitę luxus, & furor, & inſolentia numen eſt. Velim igitur ſcire, quis deus ille fuerit, qui eam hominibus tuis mentem

iniecerit, vt sanctißimæ, atque sempiternæ pudicitiæ studium exstinguerent, atque sepelirent. Fuitne Liber? An Cupido? An Mercurius? Nam de Christo Dei filio,qui plurimũ castitate, & puritate perpetua, delectatur, mihi certe constat, illum numquam tanti facinoris auctorem fuisse. Otiũ, quod appellas, non erat iners,& sine vllius sancti operis industria vacatio, sed assidua in rebus diuinis considerandis occupatio. Quod vero ad congressus nefandos attinet, ex eadem oratione mendacij simul, & impudentiæ conuinceris. Nec enim, si tantum scelus ab illis admissum fuisset, vos impunitum esse pateremini. Et,quanta impudentia tua fuerit, ista criminis obscenissimi fictio demonstrat. Non igitur est id verum, quod cum reip. vtilitate factum dicitis. Immo vero cohortes illas, quas dicis, ab otio sancto, ad negotium nefando sacrilegio contaminatum; a studio pietatis, ad scelerum licentiam; a continentiæ perpetuæ disciplina, ad libidinis impurissimæ seruitutem vi, & imperio traduxistis? Quamquam religiosos vestros minime purgo. Multo namque illis melius fuisset intolerabili dolore cruciari, & vitã in tormentis amittere, quam fidem Christi publice datam prodere. Si enim illi vestris vel monitis, & consiliis, vel minis, & imperiis animo constanti restitissent, certe claram pro Christi gloria mortẽ pertulissent. Vos enim castimoniam, & integritatem supplicio mactare soletis;& infandis, vt tu ipse fateris, congressibus clementer ignoscitis. Nam & Carthusianis castissimis vitam eripuistis; & istas cohortes,vt ipse dicis, impuras, & sceleratas,ad nuptias, & voluptates euocastis.Quare dubium non est, quin, si monachi Basilicis institutis viuerent, omnes apud vos funditus interirẽt. Et tamen in hoc tam pulchro facinore libertatem restitutam esse gloriaris. Quasi vero vos, quæ sit vera libertas, intelligatis. de qua statim videbimus. Sed, prius quam in eam sententiam ingrediar, quæro abs te: Hæc Euangelij libertas, quam in ore semper habetis, valet ne in rebus omnibus, ita, vt semper liberum cuilibet sit, quod ei libuerit? An est aliqua certa lege, & ratione circumscripta? Veluti in matrimonio. Erit ne viro licitum vxorem, quauis interposita offensione,dimittere? Certe non. Nec enim id lex Euangelij sempiterna permittit. Si ergo matrimonij vinculum, mutuo viri, & vxoris fœdere percussum, dissolui non potest; quo tandem modo poterit sine scelere nefario vinculum illud, quo virgines sponte sua Christo sollemni ritu, atque fœdere consecrantur, hominum audacia perrumpi? Præcepit Paulus Timotheo, vt adolescentiores viduas deuitaret. Cum enim, inquit, in Christi contumeliam lasciuierint, nubere volunt. Quid ergo? Viduis nubere non licet? Certe licet. Sic enim idem Paulus ait: Si dormierit vir eius, liberata est a lege viri. Cui autem vult, nubat, tantum in Domino. Si igitur viduis licet sine peccato nubere, quid est, quod Paulus istis viduis id crimini det, quod nubere voluissent? Addit enim, Habentes damnationem. Cur ita tandem? Quid fecerunt? Quid designarunt? Quia primam, inquit, fidem irritam fecerunt. quam fidem, quæso? Interpretare mentem Pauli, si potes. Quænam fides ista fuit, quam viduæ eo solo crimine,quod nubere voluissent, impie violarant? eamne, quam viris dederant, fore, ne vmquam lectum illum genialem adulterio polluerent? minime. Ea namque fide erant virorum morte omnino liberatæ. Restat igitur,illam fidem non homini, sed Dei filio datam fuisse, vt in illius gloriam corporis & animi castimoniam perpetuo conseruarent. quam fidem, cum præ libidine frangere statuissent, non hominibus, sed ipsi Christo grauem contumeliam inferebant. Et iccirco dignæ visæ sunt Apostolo, quæ, tamquam adulterij immanissimi scelere condemnatæ, inter castas viduas minime reciperentur, sed potius Ecclesiæ liminibus arcerentur. Et, vt magis admirari possis, animaduerte, non dixisse Paulum, illas viduas post primas nuptias viris aliis contra datam fidem nupsisse, sed tantum nubere voluisse: vt intelligi possit, huius fidei religionem, vel sola voluntate, & propensione ad secundas nuptias impie, & scelerate violari. Viduis igitur liberum quidem erat nubere, antequam Christo pudicitiam suam data fide consecrarent: post datam vero fidem, non erat. Quid igitur? Putas ne minore scelere sacras virgines astringi, cum non tantum nubere volunt, sed re ipsa cum maxima Christi contumelia nubunt? Immo multo grauiore; quo scelestius est, virginitatem illibatam in Christi ignominiam prostituere, quam non integri iam corporis pudicitiã non conseruare. Libertas igitur illa quamdiu valet? Tantisper certe, dum cuilibet integrum est eligere, quod velit. At, postquam se quisque vel matrimonij vinculis adstrinxit, vel corpus suum religione sanctissima consecrauit; quemadmodũ matrimonij fœdus violare non licet; ita neque perpetuæ pudicitiæ sacramentum polluere fas est; &, qui tantum facinus audet, crimen immane suscipit, diuino iudicio vindicandũ. Qui statuit, inquit Paulus, in corde suo firmus non habens necessitatẽ, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, benefacit. Necessitatem quidem non imponit; sed auctoritate sua comprobat illius voluntatẽ, qui,re considerata,& deliberata,& virginis ipsius voluntate (aliter enim id fieri nõ licet) adhibita, ipsam virginem, quam imperio & potestate continet, Christo dedicat. At,postquam virgo se pudicitiæ sempiternæ religionẽ deuincit, non dicit Paulus, esse illi liberum, si velit, nubere. Sibi namque valde repugnaret. Sed hæc omnia eorum, qui Luthero

sunt

sunt addicti, sententia facillime repelluntur. Aiunt enim, nemini licere se voto religionis illius obligare, quam tueri non potest. Libidinis autem immanitati resistere, nemini esse concessum. Oratio est non modo incontinentis, & dissoluti; sed in Deū scelerati. Christi namque benignitati, atque numini diffidit. Virtutis enim, & continentiæ vim non illius immenso numine, & potestate; sed sua ipsius imbecillitate, & intemperantia definit. Est autem hoc in nequissimis hominibus insitum, vt ex sua turpitudine mores aliorū impuros esse, coniiciāt. Nero secum statuebat, omnes esse eisdē sceleribus inquinatos, quibus se ipse constrinxerat: sed inopia libidinem eorum coerceri, ne in actū semper erumperet. Ea vero opinio facit, vt, cum homines flagitiosi audiunt, aliquem esse virum, aut mulierem summa continentia præditam, id non modo non credant; sed etiā illi sæpenumero infandum aliquod scelus affingant. Fateor quidem, neque Luthero, neque Bucero, neque Zuinglio, nec Oecolampadio, neque Caluino, neque Martyri quidem tuo licuisse, a se libidinis impetū propulsare. Perpetuæ enim continentiæ diuinum munus est illis, qui per summū scelus ab Ecclesia desciscunt, iure, atque merito denegatum. At illis, qui sunt intra Ecclesiæ sanctissimæ fines, & cupiunt Christo, totius honestatis, atque sanctitatis architecto, amore ardentissimo copulari; cum sint illius præsidio cincti, facillimum est profligare libidinem, omniumque turpitudinum, & flagitiorum fibras euellere. Aliter enim nūquam Paulus virginibus consilium dedisset, vt in eodem statu permanerent: numquam dixisset, illos fore longe beatissimos, qui puritatem illius imitarentur: numquā viduas condēnasset eo nomine, quod contra fidem nubere voluissent: numquā virginum statum longe viduis antepotuisset: nūquam Dominus ipse illud eunuchorum genus, qui se propter cæleste regnum castrauerunt, approbaret. Hic tamen, tu homo popularis, libertatis vindex, miseram virginum, quæ diligentius, & purius Christo seruire volunt, seruitutem lamentabere. Tu plane, quid sit libertas, ignoras, cum eximiam libertatem seruitutis nomine commendas. Si enim libertas est, facere, quod imperat libido, quod cogit improbitas, quod iracundia suadet, quod odium hortatur, quod animi præcipitis amentia moliri, & facere compellit; fateor certe eos seruos esse, qui Crucem cupiditatibus suis defixerunt, & ita sese cum Christo vinculis arctissimis colligarunt, vt non liceret eis in posterum illis pestibus agitari. Si vero libertas est facultas illius partis, quæ habet in animo principatum eo perueniendi, quo illam insitæ naturæ præstantia, & diuina mentis similitudo vocat, velim ex te scire, quamnam magis liberā esse putes? Eamne, quæ negotiis innumerabilibus districta, marito, & liberis, & rei familiari cum solicitudine semper studet? An illam, quæ reliquis negotiis expedita, sese ad Christi pedes abiicit, vnaque tantū cura ducitur, vt illi cælesti sponso semper vnice placeat? Illam, quam legitima, & necessaria vis libidinis rerum cælestium obliuisci sæpe cogit? An illam, quam nulla vis libidinis impedire potest, quamdiu est Christo deuincta, ne diuina consideret? Illam, postremo, quam amor viri distinet? An illam potius, quæ totum amorem suum in Christi speciem, & pulchritudinem transtulit? Quis negare potest, quintum demum libertas animo data sit, cum mens in toto animi statu tenet imperium? Ergo, quo magis mens omnes coercet libidines, eo liberior est. Quo fit, vt illa libertas, quam contra ius, & fas, & Christi sanctissimam religionem alienissimo tēpore sacris virginibus, & monachis attulistis, non libertas, sed seruitus detestabilis, & miseranda fuerit. Multi fuimus in hac parte confirmanda, propterea quod in hoc scelere perspicio fuisse positū Lutheranæ pestis initium, atque fundamentum. Sanctus enim Veneris, non Cytheræ, non Paphiæ, non Erycinæ, sed Stygiæ sacerdos, cū se incesta libidine contaminasset, eo scelere minime contentus, satellites suos instigauit, ad idē omnino flagitiū. Vt enim Venus apud Euripidem molestissime tulit, se ab Hippolyto contemni, & ideo fraudes concinnauit, quibus tandem Hippolytus, phocis immissis, & equis perterritis, dilaceratus, propter studium castitatis interiret; ita Venus hæc Stygia Lutherum, & Carolstadium, & reliqua immania monstra, non in vnum hominem castum, sed in ipsam castitatem furibunde concitauit, vt exemplum cælestis cuiusdam puritatis, & honestatis, & integritatis in terris extingueret. Accessit deinde odium acerbum in Pontificem Maximū, cuius statum maxima ex parte Lutherus hoc tam insigni facinore labefactari posse crediderat. Postremo, cum hæc medicina dæmonis, sit, vt vnū malum alio grauiore malo curet; excogitauit Lutherus, vt libidinis infamiam impietate, atque perfidia sanaret: vt videlicet, cum suis omnibus esset persuasum, licere, & oportere, esseq; officium iustum, & pium, & necessarium, omnes monachos, atque sacras virgines matrimonio coniungi, nemo posset illum insimulare flagitij. Hac propemodum via, & ratione vos magistri vestigiis ingressi, interitum studio perpetui pudoris, & integritatis attulistis: & modo, quod impie, atque nefarie factum fuit, pie, atque iuste factum esse defendiritis. Labi, & concidere, est imbecillitatis humanæ flagitium: in suscepto autem flagitio perseuerare, est effrenatæ, & indomitæ cupiditatis argumentum. At gloriari in facinore, & turpissimis rebus honestatis, & pietatis nomen imponere, tam audax, & immane scelus est, vt verbis explicari non possit. Et tamen, quod litteris meis de hac re-

ligionum strage conquestus sim, in me nimis acriter, & insolenter inueheris. Et tamen exclamas, & dicendo vehemens existimari vis. & tamen, quod odio, quod maleuolentia, & cupiditate factum est, caritate, & prouidentia, & consilio factum esse contendis. O nimis, inquis, procacem, & licentiosam omnia peruertendi libidinem? Ego contradico. O immanem audaciam? O impudentiam minime ferendam? O scelestum facinus, Satanæ opera, studio, & sedulitate conflatum? Quis vos furor adegit, quæ dementia concitauit, vt tantum scelus suscipere ausi sitis? Bellum namque castitati, & pudicitiæ intulistis: in ædes sanctas furenter inuasistis: pudorem, honestatem, continentiam, summum illud sempiternę puritatis studium exstinxistis: religiosorum hominum bona, quibus libuit, addixistis: & cum, deuicta pudicitia, & religione, triumphum agatis, ita gloriamini, atque si decus sempiternum vobis hac tam illustri victoria partum esset. Sequitur illa disputatio de imaginum demolitione, quã valde probas, & me accusas, quod dixerim, illis sublatis, nihil esse reliqui, quo mens ad rerum diuinarum cogitationem excitari possit. Quod ego numquam dixi. Sunt enim alia multa, quæ vos simul euertitis, quæ multo vehementius animũ pulsant. Sed illud dixi, cum tanta vis admonitionis sita sit in imaginibus, vt facile memoriã afferant hominibus, saltem imperitis, virtutis admirandæ, quæ in sanctissimis viris eluxit; & cum Christi beneficium sit omnibus signis in omni loco repræsentandum; impie factum esse ab illis, qui Cruces, & imagines demoliti sunt. Non enim illis supplicamus, non immolamus, non sacra conficimus; sed illarum admonitu memoriam retinemus earum rerum, quæ iustissimam venerationem habent. Contra, inquis, expressum Dei præceptum est. Vellem melius te doctores tui ad disciplinam diuinæ legis erudirent; & non istas ineptias effutires. Dic, quæso, numquam ne legisti in tabernaculo Dei fuisse Cherubinorum imagines ante arcam fœderis statutas? Velum, quod aditũ tabernaculi a reliqua parte secernebat, non erat Cherubinorũ crebris imaginibus intertextum? Non fuit in illa solitudine Dei iussu imago serpentis ex ære facta, in quam serpentum morsibus icti respicientes sanarentur? Quas ergo Deus imagines fieri prohibuit? Eas certe, quibus homines sceleribus excæcati id exprimere nitebantur, quod neque fingi, neque pingi, nec insculpi, neque verbis explicari, neque mente concipi potest, nempe illius immensum numen. Præterea periculum erat, ne gens moribus Aegyptiorum assuefacta, quæ erat etiam in regionem, eisdem erroribus infectam, migratura, ex impiarum gentium consuetudine, & vicinitate, in similem errorem laberetur, & diis ex lapide, & ligno factis immolaret, aut saltem impuros homines, signis illis expressos, in Dei loco reponeret. Huius autem periculi metu fiebat, vt multa, quæ fuerant legitima, & concessa, tollerentur. Aeneæ serpentis imago diligenter asseruata fuit, tamquam egregium beneficij diuini monumentum, & singulare etiam salutis futuræ sacramentum. At, post multa secula, cum plebs eo dementiæ progressa fuisset, vt in signo illo diuinũ aliquid latere existimaret, & illi sacrificari cœpisset, fuit ab Ezechia Rege sanctissimo contusum, & in puluerem redactum. Doce tu modo, aut nos diuinam naturam signis exprimere conari, aut numen inesse mutis imaginibus arbitrari; & tum demum nos cæcitatis, & amentiæ conuinces. Quamdiu id non facis, non est, cur idololatriæ, vt inquis, deliria perhorrescas, aut cæcitatem nobis istis verborum portentis obiicias. Facimus enim, quod recta ratio sancit, quod Ecclesia sancta cõprobat, quod est sanctorũ Patrum sententia constitutum. Euangelium, inquis, iubet a simulacris abstinere. Verum. sed quid intelligendum est fuisse hoc præcepto sancitum? Hoc nempe, ne quisquam simulacris immolaret, aut aliqua religionis specie errorem reliquis insitum præseferret. Non enim iubebantur tunc homines fideles simulacra euertere, & comminuere, sed ea sacra nefaria detestari. Deinde, quæ simulacra erant illa? Iouis, Apollinis, Mineruæ, Martis, atque Mercurij, & reliquorum eiusmodi deorum, quibus antiquitas falso diuinitatem tribuebat. At nos neque simulacris immolamus, nec impurorum hominum, aut flagitiorum signa veneratione vlla digna censemus. Ais deinde: Hoc autem timore sublato, tamen doctrina Christi summã debet inter Christianos viros auctoritatem habere, qua pronuntiatur Deũ esse spiritum, & illorum esse recte precandi morem, qui spiritu illum, & veritate colunt. Id scilicet nos ignoramus, Haddone, & iccirco Deo membra, & humanos mores affingimus. Vtinam, quid sit Deum spiritu colere, didicisses: numquam in tam impias sententias incidisses. Ais deinde, non indigere veram supplicandi formulam his externarum rerum adminiculis. Vt tu, atque tui similes, qui tantum estis in diuini spiritus studio progressi, nullis externis adminiculis indigeatis, vt ad Dei thronum adire possitis; debuisset vobis in mentem venire, esse multos, qui nondum sunt tam altum gradum cælestis dignitatis assecuti, qui sunt adminiculis omnibus erigendi. Immo vero, inquis, noster externus homo, dum in his sacrorum adumbrationibus nimium occupatur, vis mentis interius refrigescit. Immo, dum mens interius, Haddone, refrigescit, est istis sacrorum imaginibus ad cogitationem earum rerum, quarum oblita fuerat, excitanda. Vt enim Dionysius admonet, corporeis imaginibus, quamdiu corporum compagibus inclusi sumus, nec omnino possumus mentem a consuetudine corporis auocare, sumus identidem ad memoriam cælestis numinis excitandi. Pergis tamen nihilomi-

lomimus, & ais. Apponamus exempla. Vetus Apostolorum, & Martyrum Ecclesia nihil habuit istorum monumentorum: & tamen erat illorum spiritus amore diuini numinis inflammatissimus. In deflexu sinceræ religionis picturæ sensim irrepserunt, & elanguit ille prior in animis efferuescens religionis ardor. Immo tunc opus fuit istis signis, atque picturis, vt ardor religionis elanguidus, vt ais, omnibus modis incitari posset. Quamdiu enim Crucis imago erat in omnibus animis impressa, & insculpta, non tam necessaria fuit ista imaginũ multitudo. Tu vero perinde facis, atque si morborum caussam, morborũ remediis adscriberes. Non enim pictura obliuionem attulit rebus sacris. Immo, ne obliuio irreperet, fuit pictura sapienter adhibita. Quod si vsus imaginum, vt ais, ardorem illum spiritus, quo antiquitas flagrabat, exstinxit; consequẽs necessario fuit, vt, vbi primum a vobis euersæ fuissent, ardore cõflagraretis. Narra mihi igitur, si lubet. Cum primum sanctorum signa, tabulas, & reliqua monumenta perfregistis, afflixistis, comminuistis, & sanctissimi viri Thomæ reliquias incendistis, tantusne ardor in vobis excitatus repẽte fuit? Adeo ne cælestis ignis incendio inflammati fuistis? Credo non linguas tantum igneas, sed ignea etiam præcordia superne decidisse, quæ subito vos incendio, & flamma corriperent. Itaque iam non potestis istam vim amoris, quę vos inflammat, vlla ratione pati. nec in terris iam, sed in cælo mente, & cogitatione versamini. Vt enim euersa Pontificis Maximi potestate, sol repente vobis nouus exortus est; ita necesse fuit, conuulsis imaginibus, & signis Christi in Crucem sublati perfractis, reuulsoque viri sancti sepulcro, ossibusq. illius combustis, continuo in visceribus vestris diuini amoris ignem concipi, ita, vt nihil in animis vestris iam pręter feruentissimum numinis cælestis studium cerni, & animaduerti possit. Si ita est, impetum animi laudo, factum probo, facinus istud egregium immortali gloria dignũ iudico. Omne namque, quod ardorem spiritus aliqua ex parte restinguit, aut studium frangit, & debilitat, est summa animi contentione repellendũ: & nihil omnino ferendum, quod aut tarditatẽ, aut segnitiem animis inferre possit. Quod si ita non est, neque vos perfractis, & cõminutis virtutis egregię monumentis, ignibus subitis accensi fuistis, certe constat, non imagines, & sepultas sanctorum hominum reliquias illud diuini amoris impedimentum vobis attulisse. Quę, malum, igitur illa vesania fuit, quæ vos impulit, vt tam acri studio eam demolitionem susciperetis, ex qua nullum omnino fructum percepistis? Tandem, quod crebro facis, in scholasticorum theologiam inueheris. In quo non possum te iure reprehendere. Merito namque illis iratus es, qui tanto a te studio, & contentione dissentiunt. Illi namque puram a sanctis hominibus disciplinam hauserunt: tu lutulentam, & inquinatam ab hominibus scelestissimis accepisti. Illi antiquissimã religione ab Apostolis tradita constricti sunt: tu, ab antiqua religione deficiens, ad nouam istam sectam te nefarie cõtulisti. Illi moribus, vt plurimum, integris, & incorrupta mente Christum venerantur: tu vero multa in Christi contumeliam, impudenter, & temere designasti. In quo vero caussam imaginum illis assignas, non solum impudentiam tuam, sed summam etiam imprudentiam demonstras. Nec enim vos in theologis scholasticis Cyrillum, aut Athanasium, aut Hieronymum, aut Ambrosium, aut Augustinum numeratis. Quos igitur? Eos certe, qui post Petrum Lombardum, illius sententias, vt appellant, ex sanctorum hominum scriptis collectas, & in vnum volumen congestas, longo post tempore in scholis interpretari cœperunt. Petrus autem Lombardus floruit anno a Christo nato circiter M C X L I. Concilium vero Nicænum secundũ celebratum fuit anno D C C X X C I. At nec in eo Concilio fuit decretum, vt imagines statuerentur, sed ne tollerentur: & hæresis eorum, qui eas euertendas censebant, publico sanctorum Patrum consensu damnata fuit. Cuius quidem erroris, vt ex testimoniis, quæ tunc fuerunt allata, constitit, auctores Manichæi, atque Marcionistæ fuerunt. Ibi tunc auctoritate Basilij, Gregorij Nysseni, Cyrilli, Hieronymi, Augustini, & more ab Ecclesia iam ab Apostolorum temporibus recepto, fuit ostensum, imagines Christi, & illius Matris sanctissimæ, & diuinorum hominum fuisse singulari cõsilio dedicatas, vt mentes hominum ad diuinæ benignitatis memoriam assidue reuocarent. In eodem etiam Concilio lecta est oratio Athanasij, de miraculo, quod fuit Berithi, quæ ciuitas erat in Syria, editum, cum Iudæi Christi imaginem hasta confligerent. E vulnere namque sanguis effluxit, & Iudæi ad Christum conuersi sunt. Quamuis autem Apostolorum tempore hæc signa minime necessaria fuissent; & per Principum tyrannidem nondum templa ædificare magnifice, & debitis ornamentis illustrare licuisset; aliquem tamen imaginum vsum fuisse, monumenta declarant. De Crucis enim imaginibus nullum dubium est: quod antiquissima Aethiopiæ, & Indiæ monumenta testificantur. In ea Indiæ parte, quæ Indo fluuio, & Gange continetur, & ad orientem solem spectat, est vrbs quædam nomine Mailapurum, & ad latissimum Narsinguæ Regnum pertinet, in quo Thomæ corpus conditum est. Ibi, non multis abhinc annis, Crux ingens e lapide facta, diuino casu effossa fuit, cuius summam partem, & latus vtrumque arcus exculptus ex eodem lapide tegebat, in quo erant incisæ litteræ vetustissimæ, quas nemo legere poterat, nisi illi tantum, qui erant antiquissimis Bragmanum litteris instructissimi. Sententia autem litterarum, vt compertum fuit, erat historia de Thomæ nece, quæ nar-

rabat, quomodo vir diuinus nomine Thomas tempore Regis Sangami, qui terras illas imperio continebat, missus a Dei filio eas oras lustrauisset, vt omnes homines ad summi Dei notitiam institueret: & quomodo religionis hostes illum ad Crucem illam transfixissent. Crux autem est adhuc sanguinis notis oblita. Eusebius auctor est, in ciuitate Cæsarea Philippi imaginem Christi ęneam in edita basi fuisse constitutam, coram qua imago alia mulieris, quæ cum sanguinis fluxione laboraret, fuit eiusdem Domini beneficio sanata: quæ quidem imago habitu corporis supplici, manus in Christi imaginem intendebat. Narrat deinde, genus herbarum prope basim exortum exsurgere solitum; quod cum ad eam magnitudinem peruenisset, vt fimbriam Christi pertingeret, vim conciperet ad varios morbos depellendos nimis efficacem. Idem Eusebius, se Apostolorum imagines egregie pictas conspexisse dicit: quem morem eximie laudat. Memoriæ etiam proditum est, Constantinum Imperatorem per visum Petrum atq. Paulum ad spexisse: quorum cum postea imagines sibi a Siluestro Pontifice demonstratas animaduertisset, ad eandem speciem expressas, vehementer admiratum fuisse. Quid ais, Haddone? non pudet inscitiæ? Constat, imagines sanctorum hominum illis etiam temporibus, quæ tu felicia fateris, maxime vero postquam licuit templa magnis sumptibus ędificare, collocatas in locis celeberrimis exstitisse: constat, eas ab hæreticis antiquissimis impugnatas, & a viris sanctissimis, & eruditissimis defensas egregie fuisse: constat postremo, Concilium Nicænum secundum eos, qui sanctorum imagines, atque signa Christi damnarent, aut deiicerent, dira exsecratione deuinxisse: & tu earum caussam, & originem theologis scholasticis, qui post longissimi temporis spatium, atque tam multa sæcula, in scholis disputare de rebus diuinis cœperunt, inconsiderate coniicies? Quæ nam hæc est tarditas? quæ negligentia? quæ antiquitatis ignoratio? Sed historiæ inscitiam omittamus. de imprudentia, qua hoc facinus aggressi fuistis, quid erit dicendum? Cum enim tanta sit vis admonitionis in signis, vt illi etiam, qui assidue legunt, qui pietatem ardentius colunt, qui multis rerum monumentis possunt de rebus diuinis admoneri, signis rerum diuinarum, & sanctorum hominum imaginibus, in pietatis studium alacrius incitentur, quid vobis in mentem venit, hominibus imperitis, qui non sunt ita multis præsidiis firmati, hæc memoriæ subsidia, & religionis egregiæ monumenta detrahere? Quotus enim quisque est, vt alia reticeam, qui non Christi Cruci affixi imagine moueatur? qui non interdum recordatione tantæ benignitatis ad pietatem alacrius inuitetur? qui non lacrymis etiam aliquando deliquescat? Hoc igitur adiumentum, quo docti etiam, & in pietatis studio robusti, sæpe commouentur, cur indoctis, & imbecillis eripere, & auferre contenditis? Maxime vero cũ nec ardentiores in fide, & caritate post illud memorabile facinus, quo tantum vobis assumitis, effecti sitis. At, quam argute totam hanc quęstionem dilemmate conclusisti. Ais enim, nostras picturas, vel præsente spiritu minime desiderari, vel absente non prodesse. Immo præsente spiritu minime nocere, & absente valde iuuare possunt. Quidquid enim memoriam diuinæ benignitatis, & clementiæ renouat, non parum vtilitatis affert, & ad opem ipsius spiritus comparandam egregie viam munit.

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN EVNDEM GVALTERVM HADDONVM

LIBER SECVNDVS.



PVDET quidem me tam multis verbis libellum illum tuum,in quo tibi summopere placuisti, refutare. Sed, cum tam multa in eo côgesseris, quæ omnia mihi necessario sint explicanda, non potui paucis verbis variam, & multiplicem impietatis, & perfidiæ ratione comprimere. Sed, vt ad alia veniamus,admiraris,quod in litteris illis meis fuerim lamêtatus sacra, cærimonias, sanctissimos ritus, & celebritates, & religionis sacramenta funditus interijsse. Ais igitur;Quid ego audio? Viuit vllum in orbe Christiano theologorum genus,quod sacra,cærimonias,& omnia sacramenta funditus euertat? Ex istis verbis, Haddone, tuis conijcere licet,hoc tantum facinus esse, vt tu merito illius sola mentione perhorrescas.Nec enim fieri posse putas,vt aliquis,qui Christiani nomine censeatur,tam sceleratus, & immanis exsistat,tam auersus a fide, & religione, tam rebus diuinis inimicus, & infestus sit,vt sollemnes Ecclesiæ ritus, sacrorum religionem, & cærimoniarum sanctitatem violare,polluere, peruertere,& inquinare nitatur. Quod das,accipimus,& in hoc te non mediocriter laudandum existimamus, quod in antiquarum cærimoniarum neglectu non mediocre scelus ponendum arbitreris. Aliter enim non cum admiratione quadam interrogares, essetne in orbe Christiano theologorû genus, quod in tam scelestum, & immane crimê incideret. Et,quamquam tu astute nô omnes cærimonias euersas posueris, quasi non sit vitio vertendû, si,quibusdam sublatis,aliquę retentæ sint:tamê non dubito,quin tibi scelus horrendum esse videatur,si constiterit,sacramenta potissima fuisse per aliquot homines, qui Christiani nominêtur,euersa. Merito tu quidem admiraris sceleris magnitudinem. At ego minime scelus hominum perditorum,sed hominis grauis,& sapientis imprudentiam vehementer admiror. Quid ais? Tu solus in vniuersa Christiana rep. facinus, quod factum fuerit, ignoras? Solus in tam notis,tam testatis rebus hospes, atque peregrinus es? Numquamne audijsti, quo modo Lutherus,vir,vt tu quidem arbitraris, sanctitatis laude præcellens, omnia Ecclesiæ sacramenta conuellerit? Nec enim is sacramenta retinet, qui illorû vim impie, atque nefarie labefactat. Quod si id numquam intellexisti; ne id quidem accepisti,Carolstadium, Zuinglium, Oecolampadium, & Martyrem denique tuum, vt alios innumerabiles omittam,Eucharistiæ sacramêtum probris omnibus lacerasse? Credibile quidem est. Qui fieri namque potuisset, si Haddonus vir castus, & integer, & studio religionis incensus,Martyrem intellexisset esse tanto scelere contaminatum, vt eum non dico laudaret, sed familiariter,atque benigne salutaret? Falsum est, inquies. Nam & illi sacramenta retinent,& nos eisdem sane libenter vtimur. Gaudeo,ne mêtiar,&, vt iste sacramentorû vsus sit vobis salutaris,exopto. Velim tamê scire,quid per sacramenta, quæ retinetis, intelligendum sit? Nudæ tantum rerum imagines? An aliqua vis diuina ipsis sacramentis admista? Si imagines tantum sint, non pudet homines, quibus nullum iam est cum terrena concretione commercium, & qui pura mente sine vllis internuntijs spiritum consulunt, imaginibus vti? Quid enim refert,quales imagines illæ sint? Sunt certe imagines in verbis,& rebus corporeis sitæ,& multo quidem minus stabiles ad permanendû, quam fuerant illæ, quas euertistis. Si aliquam vim salutarem habent, nihil esse potest,quod salutem afferat, si fuerit a Christi gratia, & benignitate seclusum. At Lutherus negat, per illa Christi gratiam conciliari. Vnde sequitur,imagines in illis tantum,& non solidum iustitiæ fructum contineri.Frustra igitur a vobis,si Luthero creditis, retinentur. Ne autem reliqua omnia consectemur, duo tantum in medium afferam,in quibus nos magnum salutis momentum ponimus. Vnum est peccatorum confessio,quo sacramentum pænitentiæ continetur; (liceat enim mihi per te, hominem Attico lepore circumfluentem, istis scholasticorum nominibus vti) alterum Eucharistiæ mysterium.Vt autem de confessione aliquid primum dicam, sic statuo, nullum esse tam efficax remedium ad morbos animi pellendos, & sanitatem Christi gratia recuperandam in Ecclesia constitutû.Quod quidem ratione, & vsu etiam experiendo sentimus. Nihil hic dico, quo modo iam olim in antiqua lege fuerit in sacrificijs, pro peccatorum

rum

rum expiatione frequenter oblatis, quædā impuræ vitæ ad sacerdotes delata confessio. Ne illud quidem commemorandum arbitror, quā incenso studio ij, qui ad Ioannis baptismū properabant, peccata sua confiterentur. Nec illud referre libet, quod est in Actis Apostolorum de flagitiorum confessione, quā vtebantur apud Christi discipulos ij, qui Christo nomina dabāt. Illud etiam Iacobi de confessione mandatum silentio prætereibo. Nec vtar locis illis, quibus Christus animorum iurisdictionem sacerdotibus apertissime commisit, quæ, vt optime ex iuris studio cognouisti, sine caussæ cognitione administrari non potest. Illud tantum dicam, tantam esse huius salutaris confessionis vtilitatē; vt sine vllis testimonijs possit quiuis homo sapiens facile suspicari, eam fuisse consilio, numine benignitate Sancti Spiritus institutam. Primum enim, quantum ad salutem cuiuslibet valeat sui ipsius cognitio, verbis exponi commode non potest. Vt enim sui ignoratio animum excæcat erroribus, & superbum, & insolentem efficit; ita humanæ imbecillitatis, & miseriæ recordatio ad sapientiæ disciplinam mortales instituit. Deinde, cum nemo possit, nisi animum suppliciter abiecerit, atque demiserit, Christi gratiam consequi; nihil est maiore cura, studio, solicitudine curandum illis, qui Christi gratiā expetunt, quam humilitatis istius, in qua est positum pietatis Christianæ fundamentum, acerrimum studium, & acris in ea comparanda contentio. Hanc autem humilitatem excitat flagitiorum deformitas, in oculis, & adspectu proposita; pudor ipsius turpitudinis admissæ; periculum, in quod effrenata mente ruebamus, animaduersum. At hæc omnia confessione scelerū, atque flagitiorum continentur. Ea namque cōtinet in se sapientem nostri cognitionem, humilitatis, & modestiæ disciplinam, dedecoris admissi verecundiam, impēdentis periculi metum. Per hanc confessionem iacentes excitantur: languentes stimulantur: elati deijciuntur: imperiti consilijs salutaribus admonentur. Hoc quidem plane constat, cum tempus appropinquat, quo hæc confessio celebranda est, homines multo modestiores, & continentiores effici. Quo autem difficilius ad eam multi perducuntur, eo clarius cernitur, eam diuino consilio fuisse constitutam. Cum enim sit omnibus insitum propter honestatis cupiditatem, solicitum dedecoris occultandi studium, nemo adduci potuisset, vt flagitiorum deformitatem sacerdotibus aperiret, nisi fuisset ad hoc officiū, ordine, consilio, numine, atque voluntate diuini spiritus impulsus. Deinde, quod frenum ad sedandam, & comprimendam hominum potentium arrogantiam, & coercendam temeritatem, & confidentiam, fortius inijci potest? Videmus enim Principes summos ad sacerdotum pedes abiectos, eorum reprehensione perterreri, legibus coerceri, monitis erudiri, imperijs a libidine ad officium reuocari. Hoc sacramentū pudorem excitat, lacrymas elicit, adulterijs finem imponit, auersam pecuniam restituit, odium exstinguit, pacem conciliat, furorem reprimit, vitam, & mores animi componit. Iā vero, cum homo, vnica singulis annis confessione minime contentus, sæpius omnes animi labes confitetur, & ad eam rem commode faciēdam animum suum diligenter examinat, & acrem cum vitijs pugnam capessit, in dies melior, & purior, & castior, & integrior euadit. Iesum Christum Dominum meum, & Deum meum testor, me hac tam salutari confessione sæpius repetita a flagitijs innumerabilibus emersisse. Itaque, si libidinem compressi, voluptates nefarias aspernatus sum, si ad studium puritatis exarsi, si aliqua me vmquam scintilla diuini amoris incendit; huic sacramento, per quod Sanctus Spiritus multum mihi suæ benignitatis impertiuit, acceptū refero. Neque ego solus hunc fructum cepi maximum, sed omnes, quos video huic sanctissimo studio deditos, quorum incredibilis multitudo apud nos est, animaduerto liberari cupiditatibus, florere virtutibus, & in dies meliores fieri cum multorum admiratione conspicio. Hoc autem me hortatur, vt ipse summam contentionem adhibeam, vt meos subditos ad hanc confessionem sæpius iterandam exsuscitem. Ex quo studio non mediocrē vtilitatem excipio. Multi namque iam sese ab impudicarum mulierum consuetudine distraxerunt: multi ab vsuris exigendis sese remouerunt: multi in gratiam cum illis, a quibus hostili odio dissidebant, redierunt. Idem scio a multis apud nos Episcopis eruditione, & virtute præstantibus factitari. Neque tamen ij sumus, qui, peccatorum confessione contenti, pænitentiæ fructus, quos satisfactiones (verbo a vestris petulantissime deriso) nominare solemus, non exigamus. Sed, mihi crede, impiorum hominum risu minime conturbamur. Ioannem audimus, eos, qui iam flagitia confessi fuerant, admonentem, vt pænitentiæ dignos fructus efficiant. Eadem verba a summo illo iustitiæ magistro, generis humani liberatore, repetita libenter accipimus. Dum Christi vero monitis, atque præceptis obsequimur, tantum abest, vt facetijs perditorum hominum moueamur, vt ea potius cōtumelia valde gloriemur. Cum igitur tantum in hoc sacramento sit ponderis ad salutem, cū tantos ex eo fructus excipi videamus, cum omnium salutem ardenter optemus; crimini dabis mihi, si doleam, & angar, hanc salutis ianuā esse quorundam improbitate, atque perfidia multis Christianis interclusam? Non iam tecum loquor, a quo, vt ais, Ecclesiæ sacramenta retinentur, sed si fuerit aliquis tui dissimilis, tā inhumanus, & impius, qui hunc aditum ad salutem velit obiectis molibus obstruere, tu id patieris? Et in tam nefario scelere te continebis, quin exclames? Noli igitur mihi vitio vertere, si idem facio, quod tu certe facies, si verum est, quod ais, a te Ecclesiæ sacramenta diligenter obseruari.

obſeruari. Si autem verum minime dicis, non nimis admirabor. Tui namque doctores nõ impietatis tantum, ſed etiam vanitatis ſunt artifices excellentes. Sed inqnis fortaſſe, ex hac confeſſione multa interdum flagitia prorumpere. vt id ſit, mirũ videri non debet. Nulla res enim tam ſancta eſt, qua homines conſcelerati non interdum ad flagitium, & ſcelus abutantur. Sed non continuo par eſt, vt propter aliquorum flagitium ea, quæ ſunt ad hominum ſalutem diuinitus inſtituta, reſpuantur. Sic enim nullum iã bonum reliquum fuiſſet in vita. Omnia ſiquidem, quæ ſunt natura ſalutaria, hominibus ſcelere pollutis noxia, atque peſtifera ſunt. Vt autem nihil aliud dicam; quam multi diuina clementia, qua ſupplicium differt, ad maiorẽ ſuppliciorum cumulum abuti ſolent? Non tamen ea de cauſſa dominus ab ea benigne faciendi voluntate dimouetur. Inquiunt tamen quidã: Nos ſoli Deo confitemur. At idem Deus, cum non poſſit a nobis ita clare cerni, vicarios in terra conſtituit, qui iuriſdictione illius fungerentur, qui terrerent, admonerent, incitarent, erigerent, ſententiam interponerẽt, ita, vt, qui illos aſpernarentur, ſint Deum ipſum aſpernari, imperiumq. illius detrectare iure, atque merito putandi. Præterea periculoſum eſt, id in cuiuſlibet poteſtate relinqui. Quotus enim quiſq. erit, qui flagitia ſua per ſe poſſit ſpeculari, & inſpicere? qui officium hoc eo pudore, & afflictatione, quam Dauid ait ſacrificium eſſe Deo gratiſſimum, efficiat? qui de ſe ipſo iudice in propria cauſſa nimis iniquo ſententiam legitime ferat? Reliquum eſt igitur, vt is, qui non eſt adſtrictus Eccleſiæ diſciplina, ſacerdotiſq. iudicium ſubterfugit, neque Deo quidem velit vnquam, vt debet, de ſcelere ſuo confiteri. Vidit certe, quanta vtilitas ex hac confeſſione compararetur, Baſilius ille magnus, cũ in ethicis principium, & fundamentum iuſtitiæ in ea collocauit. Idem ſenſit Origenes, cum admonuit, ne procraſtinemus, ſed, vbi primũ lapſi fuerimus, ad ſacerdotem continuo recurramus. Idem ſtatuerunt viri ſanctiſſimi, qui nos ad hoc ſtudium tam frequenter inuitant. Neque Pontifex Maximus ſanctione ſua hoc ſacramentum primus inſtituit; ſed quod erat antea ſancitum, & publice receptum, ne cum pernicie contemni poſſet, vt ſaltem ſemel quotannis fieret, ſapientiſſime decreuit. Vt autem nihil aliud dicam, velim ex te ſcire, quo modo putes intelligendum illud, quod Iſaias ait, futurum poſt Chriſti ortum, vt puer lactens inſerat manum ſuam in ſpecum reguli, & eum inde extrahat? Si Iudæos ſecutus fueris, intelliges fore, vt, perinde atque poetæ ferunt, Herculem in cunis duos angues maximos a Iunone immiſſos compreſſiſſe, & illiſiſſe; ita quilibet puer infans manibus ſuis ſerpentes venenatas ſpecubus incluſas exſtinguat. Si vero Chriſtiane locum interpretari volueris, per pueros, eos intelliges, quibus Chriſtus poteſtatem fecit conculcandi ſerpentes, & ſcorpiones, hoc eſt, flagitiorum feritates, & dæmonum fraudes, & immanitates, animarum latibulis incluſas. Quamuis autem hi ſint ſimplicitate puerili, tanta tamen ſunt virtute præditi, vt facile queant viperas ex animorum intimis receſſibus extractas exſtinguere, ne poſſint peſtem, atque perniciẽ illis afferre, qui ſeſe cum Chriſto incenſa fide coniunxerunt. Hoc autem tam ſalutare officium, cum multis modis a Chriſti ſacerdotibus fieri poſſit, tum nullus excogitari poterit ab homine ſapiente commodior eo, qui ſalutari peccatorum confeſſione continetur. Eo namque ſacerdotes manus ſuas in intimas hominum mentes inſerunt, vt inde aſpides extrahant, & ad lapidem alliſas interimant. Nunc ad admirandum illud Euchariſtiæ ſacramentum veniamus. Sed, antequam eo deſcendam, libet hic apponere, quod Simias apud Platonem in Phædone dicit. Sic enim Plato eum cum Socrate loquentem inducit: Mihi quidem videtur, o Socrates, quod tibi etiam videri ſuſpicor, fieri non poſſe, aut maxima cũ difficultate fieri poſſe, vt quiſquam in hac vita verum liquide perſpiciat. Cum autem hoc ita ſit, hominis tamen mollis, & imbecilli videtur, ea, quæ de rebus ipſis abditis diſputari ſolent, non argumentis vtrimque oppoſitis excutere, & examinare, quouſque tandem re diligenter explorata, verum vel aliunde diſcere, vel per nos inuenire valeamus. Quod ſi hoc aſſequi nõ poſſumus, id ſaltem curandum eſt, vt ex humanis rationibus eam, quæ melior, & firmior viſa fuerit, arripiamus: qua tamquam rate vitã in fluctibus cum periculo gubernemus, tantiſper dũ aliam firmiorem, & minus periculoſam nauem adipiſcamur, vel Dei oratione, & ſententia eruditi, curſum ſine errore tenere poſſimus. Hæc quidem ille. Sed quorſum, dices, eſt a te locus iſte Platonis inductus? Vt intelligas, iam illis tẽporibus homines excellenti ingenio præditos intellexiſſe, quam parum eſſet humanæ rationi confidendum, illudque votis omnibus expetendum, vt vita noſtra non ingenij noſtri præſidio, ſed diuini verbi moderatione gubernaretur. Id quidem nos facimus, inquis. Vtinam faceretis. Sed non ita eſt. Immo, vbi minime conuenit, rationem infirmatis, & tollitis, & in tenebras furenter irruitis: rurſus, vbi ratio fide Chriſti frenanda eſt, tantum humanæ rationi tribuitis, vt, quidquid illa non aſſequitur, continuo relinquatis. Cum vero ratio ſit intra ſummas anguſtias compulſa, & fines Chriſtianæ fidei immenſi, & infiniti ſint, eſt non ſolum impij, & ſcelerati hominis, ſed etiam mentis hebetis, & obtuſæ, & ingenij tardiſſimi, vitam non fide, ſed ratione dirigere. Quis enim eſt in vita, qui rerum etiã minimarum cauſſas explorate cognoſcat? qui arborum, & plantarum ortus, incrementa, varietatem pulchritudinem, fructum, vtilitatem exacte deſcribere, & ordinem, & rationem, qua earum genus cohæret, & permanet, explicare dicendo poſſit? qui vini, & rationem, qua finga-

tur

tur animal, & nutriatur, & ossibus, & neruis solidetur; & quanta subtilitate venæ sint per totum corpus diffusæ, & arteriç mirabiliter intertextæ spiritum vitalem omnibus artubus mirifice inter se congruētibus, & sollertissime colligatis impertiant, ingenio consequatur? Iā vero animantium nutrimentum, incrementū, motum, incessum, varietatem, multitudinem, & miram cuilibet generi attributam sui tuendi, atque conseruandi sollertiam quis vnquam potuit exquisitis rationibus explorare penitus, & exacte perspicere? Multa de mentis humanæ natura, ingenio, ratione, inuentione, memoria, facultate a viris doctissimis disputata sunt: qui tamen hunc solum fructum nobis attulerunt, vt ex eorum studio, & peruestigatione possemus intelligere, quantæ sint in humana ratione tenebræ. Egregium enim animi conatū ad humani animi naturam contemplandam in illis cernimus: scientiæ vero illius, quam appetunt, perfectionem minime videmus. Vnde colligitur, neminem esse, qui se ipsum possit exacte cognoscere. Et tamē sunt homines adeo tardi, vt, si quid illis enarretur, quod in vltimis terris gigni aut fieri soleat, id minime credāt; quasi minus admiranda sint ea, quæ sensibus suis obiecta vident, quarum tamē caussas ignorāt, illis, quæ alibi fieri dicuntur. Vt autem hic terrarū soliditatem, maris immensitatē, aeris circūfusi naturā, ætheris ardorē, & horū corporū dimensionē, & conuenientiā, & reciprocam ex vna in aliā naturam certa lege conuersionem omittamus; quid erit de cæli cādore, pulchritudine, magnitudine, & cōplexione dicendū? Tu si ratione tantū niteris, quid fecisses, si in Cimerijs illis tenebris, quas Poetæ fingunt, natus, & enutritus fuisses, & aliquis tibi dixisset, esse quādam molem, & machinam omnia coercentē, & continentem, crebris ignibus distinctam, & mirabiliter illustratam, tanta magnitudine, vt vniuersæ terræ, atque maria ad illius complexum quasi puncti instar obtineant: eamque tanta celeritate concitari, vt intra viginti quattuor horas conuersionem sui corporis absolutam conficiat, tantaq. vi circumferri, vt septem ingentes eiusdem naturæ globos, quos ambitu suo cōtinet, in contrariam partem nitentes motu suo contorqueat. id si tibi aliquis affirmasset, crederes? Non certe, si rationem tantum, aut sensus consulis. Sic enim ea, quorum caussas minime percipis, ante quam sensibus vsurpes, nullo modo fieri posse, in animum induces. Quid, si solis splendorem cunctis animantibus salutarem, & ordinem, quo ad Septētriones paullatim accedit, & rursus ad Austrum eadem via, atque ratione recedit, omniaque perlustrat, explicaret? Quid, si lunam accretione, & deminutione tempora distinguentem, & maturitatem rebus omnibus, quas tellus, & mare fundit, afferentē exponeret? Quid, si varios corporum cælestium motus, & conuersiones, ad vnum concentum, & conuenientiam reuocatos, enarraret? Id tu crederes? Non profecto, si nihil tibi persuaderi vllo modo potest, nisi quod aut ratione concluditur, aut sensu percipitur. Parui autem est animi, rerum cognitionem angustis humanæ intelligentiæ terminis, & non immensa summi conditoris potentia definire. In ista vero tarditate, & naturæ imbecillitate principium omnium opinionum, quæ sunt sanctissimæ religioni cōtrariæ, positum est. Omnes namque hęretici vel Dei summam potentiam sua ipsorum imbecillitate, vel infinitam clementiam insita prauitate metiuntur. Quasi vero possint ipsi aliquo modo vim sempiterni numinis imitari, aut quanta sit optimi parentis, per omnes res intenti, atque commeantis, & cunctis formis, atque naturis egregie consulentis, benignitatem intelligere. Ego vero, vt alia reticeam, in vltima cuiuslibet animātis informatione miraculum video, vim, atque sollertiam ipsius summi conditoris, cuius manibus animal fictum, atque figuratum est, aperte demonstrans. Nec animantium multitudo fidem hanc minuit, sed potius auget, & amplificat. Quo enim beneficia summi domini plura, & magis peruulgata sunt, eo clarius, quāta sit illius potentiæ, & clementiæ magnitudo, perspicitur, quamuis operum ratio non intelligatur. Quid hic dicam de rebus, quæ sunt propter naturæ præstantiam ab humano sensu, & cognitione remotissimæ? quis credet, esse innumerabilem cælitum multitudinem mēte clarissimam, sanctitate purissimam, virtute præcellentem, specie, atque forma diuinam, quæ semper Deo ministrat, illiusque numen sempiterna prædicatione celebrat, facibusq. diuini amoris inflammatur? Quid? Num ratione consequeris, quo modo vnicus Dei filius, expressa patris imago, sempiternæ claritatis splendor, & eadē natura, potentia, imperio, & maiestate præditus, humanam formam induerit, vt in corpore mortali pro nobis labores, ærumnas, supplicia pertulerit, sanguineq. suo mentes nostras sceleribus pollutas expiarit? Si hæc ratione tantū humana ponderanda sunt, verisimilia non sunt: si fide benignitatis diuinæ, nihil potest esse magis credibile. Ab immensa namque bonitate immensa beneficia postulāda, & exspectāda sunt. Qui proprio filio, inquit Paulus, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non cum illo omnia nobis donauit? Itaque mihi nihil aliud considerādum videtur eis, qui fidem sancte colūt, nisi quam sit illud, quod credendum proponitur, diuinæ benignitati cōsentaneum, ne possit quisquam vllo modo de aliquo nostræ salutis mysterio dubitare. His ita cōstitutis, nō tecum iam, Haddone, loquar, a quo, vt ais, Ecclesiæ sacramenta conseruantur, sed sumam aliquem ex illis, qui Eucharistiam ore sacrilego cōscindunt. Et, ne longius abeamus, sit ille Martyr aureus, quem miris laudibus ornas. Finge igitur, me cum illo ad hunc modum loqui: Homo scelestissime, quid tibi venit in mentem, illud sanctissimum mysterium, amo-

ris in

ris in nos diuini monumentum, exsdij nostri solatium, imbecillitatis humanæ præsidium, epulum cæleste, nobis in illa vltima cena manibus ipsius Domini comparatum, violare, deformare, & peruertere conari? Tu solus atque magistri tui post tam multa sæcula exstitistis, qui tā scelestum, & immane facinus auderetis? Vos soli sanctæ scripturæ sensum, Euangelij mentem, diuinorum mysteriorum rationem percipitis? Tot sancti Martyres, tot viri diuina religione præditi, tot homines sapientissimi, diuinæ lucis radijs illustrati, in tantarum rerum ignoratione versati sunt? Vobis scilicet primum, hominibus audacibus, importunis, temerarijs, & cōfidentibus, diuini spiritus lumen illuxit, & illam innumerabilem hominum sanctorum multitudinem in tenebris, & caligine iacere permisit. Velim præterea mihi dicas, quid nobis magnū Christus præstitisset, si eo tempore, quo summū amoris sui pignus discipulis relinquere statuebat, nihil aliud, nisi nudū mortis suæ monumentum in panis illius consecratione reliquisset? Fuisset enim signum tantū illis, quæ fustulistis, & euertistis, annumerandum, minimeq. dignū, quod tanta cum religione a sacerdote illo sanctissimo, atque sempiterno fieret. Præterea libenter ex te audierim, num sit immane scelus, quandiu homo est peccatis impeditus, Christi mortem in memoriam reuocare? Immo nullū aliud remedium præsentius excogitare possumus, ad flagitia depellenda, & sanitatem Christi ipsius gratia recipiendam. Quid igitur Paulum mouit, si in hoc sacramento nihil est aliud, quam nudum necis illius, quā Christus in Cruce pertulit, monumentum, vt tam graues, & tā diras pœnas illis proponeret, qui panem hunc cælestem indigne sumerent? Quisquis, inquit, comederit panem, & biberit Calicem Domini indigne, reus erit. Quid? Adeo ne graue est, cū in morbo sum, medicinam, qua sola sanari possum, mente recolere? Quid aliud feci, cum panem illum sumpsi, si in illo nihil est aliud, quam vulnerum illorum recordatio, quibus solis vulnera mea sanari possunt, quam, vt vnicum vitæ remedium in memoriam redigerem? Dabis mihi crimini, cum ægrotus sum, quod remedium morbi quæram, & opem suppliciter implorem? Nullo modo. At Paulus, si indigne panem illum sumpsero, idest, vt tu interpretaris, si cū in peccatis sum, Christum pro me mortem, & cruciatum expetiuisse recordatus fuero, me criminis denuntiatione perterret. Sed cuius tandem criminis? Leuissimi fortasse, atque vulgati, quod non sane magnam offensionem afferat. Immo illius, quo nullum atrocius excogitari poterat. Reus erit, inquit, corporis, & sanguinis Domini. Hoc autem est, non se minore crimine alligabit, quam si Christum in Crucem sustulisset. Quod ob meritum? quia, vt milites conscelerati, perfidiæ stimulis agitati, rerum omniū Domino necem attulerunt; sic illi, qui mentibus imparis ipsam summam puritatem attingere audent, eam videntur in se pestem, propter sceleris illius similitudinem, machinari. Vtrique enim Christum contemnunt, & illius maiestatem, & religionem violant. Aliter enim quid impuris hominibus nocere potuisset, panem illum sumere? Nihil prorsus. Ob id igitur tantum, quod cernebat Apostolus, quātum scelus esset, ipsum Domini corpus impura mente contingere, pœna proposita cunctos a tam audaci facinore deterret. Et ideo adiungit, Probet autem seipsum homo: & sic, de pane illo edat, & de Calice bibat. Verbis autem Domini, quid clarius esse potest? Hoc est, inquit, corpus meum: &, Hoc facite in meam commemorationem. Quid igitur? Tu Christi verba non implicita, sed plana, atque dilucida maligne interpretari audebis? Et Pauli mentem, mysterium sane luculenter aperientem, pro nihilo putabis? Et effrenatum istum furorem diuini viri sensibus incorruptissimis antepones? Si, qui indigne sumit hunc panem, est reus corporis, & sanguinis Domini; qui illum calumnia deformat, qui, quantū potest, eum conuicio dilacerat, qui Christi corpus, & sanguinem proculcat, & tam admirabilis sacramenti virtutem exstinguere, & delere conatur, quo satis digno supplicio tam immanis sceleris pœnas exsoluet? Ita ne vero? Si non intelligis, quo modo sanctissimum Christi corpus, non magnitudinis dimensione terminatū, sed verbi diuini potentia, & numine præsens in oculis fidelis animi constitutum in hoc sacramento sit: si non vides illam admirabilem terrestris panis in panis cælestis naturam conuersionem: si nō percipis, qua ratione Christi præcellentissimum numen, quod omnia complet, integri corporis sui dona multiplicet, vt animos fideles alat, atque reficiat, & omnes inter se caritate conglutinet, & secum amore sempiterno constringat: ideo ne verum est, tam admirabile Dei beneficium calumniando peruertere? Quid eum intelligis? Quid mente, & ratione concipis? Quid est denique, quod a te mēte perceptum, & cognitum sit? Cur igitur non pura fide, sed conturbata ratione vitam instituis? Deinde, potentiæ diuinæ, an diuinæ clementiæ diffidis? An te beneficij magnitudo perturbat? At neque Dei potentia difficultatibus vllis impediri, neque clementia finibus vllis circumscribi potest; & ipsius beneficij magnitudo maximum continet ipsius veritatis argumentum. nihil est enim magis diuinæ benignitatis amplitudini consentaneum, quam doni, atque muneris amplitudo. Quæro deinde, quidnam esse caussæ putes, cur ego credam, Christi corpus, & sanguinem in hoc sacramento admirabili ratione contineri, & tu non credas? Non certe, quod propter ingenij tarditatem me deludi sinam. Non enim tu me vincis ingenio: non eruditione superas. Sed illud est. Tu sensus consulis: ego ad Ecclesiæ sanctæ fidem officia vitæ dirigo. Tu iugum abijcis, atque recalcitras: ego sponte mea suauissimum Christi iugum subeo.

Tu

Tu beneficia illius repudias: ego illum precor, vt mihi fidem adaugeat. Hoc præterea vsu venire conspicimus. Vt enim quisque flagitio, & impuritati succumbit, ita apud illum huius horrẽdi mysterij fides languescit. Vnde concluditur, apud eum, qui se libidini constringendum dederit, & ea de caussa ab Ecclesiæ sensu desciuerit, huius mysterij fidem funditus interituram. Contra vero experimur, quo castius, & purius quisque vitam degit, eo firmius, & constantius illum in hac fide permanere, vsque adeo, vt sibi in hoc sacramento Christum in Cruce clauis affixum intueri videatur. Est enim hæc mentis, & voluntatis mira consensio. Cum enim mens verum, voluntas bonum sibi proponat; & bene constituta voluntas rectæ mentis iudicium sequatur; consequens est, vt illi tantum vera clarissime cernant, qui recte moribus, & vita constituti sunt. Illi namque, qui flagitijs sese dediderunt, cum mentem habeant cupiditate perturbatam, sunt a vero frequenter auersi. Nunc igitur vide, quibus sit potius auscultandum. Illis ne sanctis hominibus, qui mente purissima, vita castissima; ab Ecclesiæ sanctæ primordio, diuinis disciplinis instituti, hanc fidem secuti sunt? An potius hominibus furore, & amentia flagrantibus, & effrenata libidine contaminatis, & non ita pridem exortis, qui hanc fidẽ impie, atque nefarie perfregerunt? Hoc mysteriũ sancti homines, ab Apostolis eruditi, synaxim appellabant, propterea quod animos inter se deuinciret, & ad Christi coniunctionem adduceret. Eucharistiam similiter appellabant, eo, quod nullum esset in vita numinis diuini beneficium maioribus laudibus, & ardentiore gratiarum studio celebrandum. Fulcit enim animi statum, stabilit vires, illustrat mentem, firmat fidem, excitat spem, incendit studium, inflammat animos, summaq. dulcedine pias mentes, & eximia iucunditate perfundit. Hoc cælesti pabulo Cyprianus, quoties aliqua tempestas imminebat, corroborandos statuebat eos, quibus erant propter Christi nomen supplicia cõstituta. Et iccirco eos, qui pænitentes erant adhuc, & ob eam caussam ab Ecclesia ad tempus segregati, vt dedecoris admissi pœnam luerent, multo citius in Ecclesiam admittebat, vt possent hac corporis Christi communiõne fortes, & inuicti contra omnes copias Satanæ permanere. Sic enim statuebat vir sanctissimus, huius cælestis panis nutrimento eas vires compatari, quæ non possint vllis hostis sempiterni viribus labefactari, & infringi. Quid hic martyres alios innumerabiles? quid omnes sanctissimos scriptores? quid vniuersæ Ecclesiæ fidem, & consensionem, ab Apostolis ad nostra vsque tempora continuatam, commemorem? Et tamen tu, contra Christi institutionẽ, contra Pauli, disciplinam, contra tantorum fructuum magnitudinem, & tam miræ vtilitatis, atque dulcedinis experientiam, contra vniuersæ Ecclesiæ inuiolatam fidem bellum comparabis? Et corpus, & sanguinem Christi contumelijs insectaberis? & summum diuinæ clementiæ beneficium furibunde peruertes? Et tamen exsultabis in scelere, multosq. mortales contagione tã pestilentis erroris inficies? Hæc, Haddone, nõ tibi, sed Martyri tuo dicta esse puta. Nunc autẽ, illius persona remota, sic tecum agam. Tu, qui non modo, quantas hoc admirabile sacramentum omnium maximum vires habeat, clare vides; sed nec aliorum vim, & efficientiam ignoras; qui summum scelus esse iudicas, sacramenta negligere, cum intelligeres esse hominem tã impium, & sceleratum, vt summum hoc amoris diuini pignus, totiusq. religionis Christianæ firmamentum, quod ambitu suo munera omnia diuina complectitur, exstinguere, & delere conaretur, potuisti familiariter alloqui? benigne salutare? eique aliquod signum amoris ostendere? Numquam apud Ioannem legisti, eũ, qui hominibus impijs, Haue, dicit, eiusdẽ impietatis esse participem? At tu non modo Martyrẽ familiariter allocutus es, verum etiam summis in cælum laudibus extulisti: & illud par aureũ senum, diuino consilio in istam insulam delatũ esse dixisti: vt videlicet vos, quibus erat iã clarissimus noui solis splendor exortus, luce ad huc multo clariore perfunderet. Adeo ne stultus es, vt non intelligas, quantam ea specie benignitatis nomini tuo dedecoris labem adsperseris? Quid enim potest esse ad famam turpius, hominis amentis, & scelerati coniunctione? Si vero illius disciplinam probas, efficitur, a te sacramenta minime retineri, cum maximum, & maxime obstupendum effrenata mente, & nimis inconsiderata temeritate sustuleris. Quid igitur admiraris, esse aliquod in orbe Christiano theologorum genus, quod sacramenta negligat, atque despiciat? Sed videamus Ecclesiæ tuæ descriptionem, quam in oculis, & aspectu proponis; vt ex ea possimus intelligere, vos nõ alium religionis istius magistrum, quam diuinum spiritum habuisse. Sic autem inquis: Primum, quoniam fides ex auditu exsistit, sacrarũ scripturarum doctores ad vniuersas nostræ regionis oras dimittimus, vt plebem in omnibus pietatis officijs erudiant, & ad verum Dei cultum informent. Ex quo fonte doctores isti fluxerunt? Si ex Lutheri, Buceri, Caluini disciplina; ij non possunt ad pietatem plebem erudire, cum pietatem oppugnent. Multo igitur tolerabilius fuisset, nullos doctores habere, quam hominum impiorum corruptissimis disciplinis inquinari. Si aliunde exorti sunt; iam constat, non esse inter vos vnam, simplicemq. doctrinã, sed multiplicem, atque inter se temere dissidẽtem. Tu adiungis: Deinde publicam habemus ex sacris scripturis precationum formulam, auctoritate Parlamenti (sic enim consensum nostræ reip. ordinum vocant) corroboratam, a qua recedi non patimur. Et hoc, quo more, quo iure, qua auctoritate fit, vt cõcilium, vel, vt appellas, parlamentum, Ecclesiæ catholicæ munus tam

tam impudenter vſurpet, vt precationum formulas componat,&,quo modo colenda ſit religio, præſcribat, & ab illa formula,quam ſanxerit, recedi minime patiatur? In rebus enim ſacris non licet iſtis hominibus leges dare,ſed accipere. Aliter enim remp. perturbabunt, cum, munere ſibi aſſignato minime contenti,in alienum munus inuaſerint; & religionem violabunt,ſi id, quod non licet adminiſtrare, niſi ijs, qui Eccleſiæ perſonam ſuſtinent, adminiſtrandum ſuſceperint,& ſacerdotum dignitatem ad ſe tranſtulerint. Ais deinde: Proſpicientes in vtroque,quantum potuimus, vt præcepto Spiritus Sancti pareatur,edicentis,vt,qui loquitur in Eccleſia, diuinas in ea voces vſurpet: deinde communis vt omnium, & concors ſit ſententia. Recte ſane facitis. Sed vnde, quæſo, tanta, & tam turbulenta diſſidia religionis in Eccleſijs veſtris oriuntur? Cur tam crebro in locis, in quibus Lutherus magnum nomen habuit, confeſſiones, & fidei ſymbola commutantur? Sacramenta vero, inquis, propinquiſſime curamus,ad præſcriptum adminiſtrari ſacrarum Scripturarum, & ad exẽplum Eccleſię veteris, in qua dominus noſter Ieſus Chriſtus ea primum ipſe cum Apoſtolis inſtituit.O viros ſummis laudibus efferẽdos! O conatum egregium! O impetum pręclarum,hominum,qui nõ ſatis habuerũt, propinque accedere ad veteris Eccleſiæ ſanctitatem, ſed propinquiſſime. Ais deinde: Hæc omnia lingua noſtrate proponuntur, quoniam magna eſt amentia, coram Deo, quod neſcias,effutire, pugnatque manifeſte cũ ſaluberrima Pauli doctrina, cum omnibus priſcis Apoſtolicarum Eccleſiarum exemplis. Non eſtis vos ſoli, qui patrio ſermone eos, qui Latinum ſermonẽ ignorant, precari doceatis. Nec enim nos patimur,eos,qui Latine neſciũt, niſi natiuo,& vſitato ſermone Deum venerari: multiq. precationum, & ſanctarum litterarum libelli,non a Parlamento,vt ais,ſed a ſanctis ſacerdotibus conſcripti,& ab Eccleſiæ principib. examinati circumferuntur,quibus pueri,& mulieres, & homines idiotæ ad rerum diuinarum cognitionem inſtituantur; & ea, quæ ſcripta ad hunc modum ſunt,non ex cuiusuis ingenio, ſed ex ſacris litteris,& ex ſanctorum hominum oratione,& exemplo depromuntur. Itaque nõ deeſt morum diſciplina,virtutis exemplum, puriſſimæ religionis inſtitutio omnibus,qui in ſtudia litterarum incumbere minime potuerunt. Accedunt crebræ conciones, quibus homines in ſtudium pietatis, & religionis incitentur. Id tamen ſapientiſſime præcauetur, ne mulieribus, & imperitis hominibus quæſtiones illæ proponantur, quæ non ita ſunt ad ſalutem neceſſariæ, & poſſunt facillime mentes illorum curis moleſtiſſimis implicare. Vt enim ſapientiſſime Gregorius Nazianzenus ait, nec omnibus, nec apud omnes, neque ſemper, neque de rebus omnibus,neque ſine modo de Deo philoſophari licet.Egregia namque mentis,& corporis puritas, & animi tranquillitas, & otium, & occaſio,& acerrimum ſtudium, & metus,& moderatio ſumma requiritur. Nemo eſt enim tam hebes, vt quæſtionis cuiuslibet difficultatem non animaduertat: pauci vero tantum valent ingenio,vt difficultatibus, in quas delabuntur, expediri queant.Itaque fit,vt multi quæſtionibus obruantur, pauci autem ex earum laqueis explicentur. Accedit arrogantia, & inſolentia quorundam hominum imperitorum, qui, vbi tantulum in rei alicuius, antea parum ſibi compertæ,cognitione progrediuntur,ferri non poſſunt, maxime vero in diuinarum rerum commentatione. Nam ita confidenter de rebus altiſſimis, quas non intelligunt,iudicant,atque ſi fuiſſent in Dei conſilium euocati. quæ temeritas genuit impios, atque turbulentos errores, multiſque diſſenſionibus cauſſam attulit. Finis autem legis, vt Paulus ait, non eſt oſtentatio diſciplinæ, ſed caritas de corde puro, & conſcientia bona,& fide non ficta.Qui id igitur pręſtiterit, vt omnes inter ſe ſint amore deuincti, & virtutibus ornati,& ſincera fide ſtabiliti,quãuis non infinitas de prædeſtinatione quęſtiones imperitis inculcet,doctoris officio egregie fungetur. Quare, cum hoc ſolum nobis propoſitũ eſſe debeat,vt caritas,& innocentia, & fides in animis ſemper inſideat, & id optime ſine iſta ſanctarũ litterarum verſione tradi poſſit; quid opus fuit, ea, quæ ſine periculo litteris Latinis continebantur,velle cum periculo in Britannũ ſermonem trãsferre?Immo,inquis,pugnat hoc cum ſaluberrima Pauli diſciplina. Quo modo? Si enim ad Pauli mentem attenderis, intelliges, nihil huic inſtituto noſtro ſentẽtiam illius repugnare. Primum enim id eſt intelligendum, omnes tunc ferme Chriſtianos tantis virtutibus inſtructos fuiſſę, quantas nunc pauci ſtudio, & fide conſequuntur. Deinde varia fuiſſe tunc Spiritus Sancti munera hominibus illis, quos Chriſti caritas inflammabat,attributa. Et tamen, quamuis eſſent Spiritus Sancti diſciplinis inſtructi,& ad humilitatem,atque moderationem eruditi, non mediocre periculũ elationis adibant. Quod mirum eſſe non debet,quando Paulus ipſe, diuinæ ſapiẽtiæ magiſter,& ſummum humilitatis, & moderationis exemplum, aſſerit,fuiſſe ſibi neceſſariũ carnis ſtimulum,ne diuinorũ arcanorum cognitio animũ illius extolleret. Cum vero multi donis illis inflati fuiſſent,tũ illi, qui dono linguarũ affecti erant, inſolentius efferebantur, varijſq. linguis ab alijs minime perceptis laudes diuinas, nemine interpretante,prædicabant. Erat etiam aliud incommodum non mediocre, quod is, qui linguis ignotis vtebatur, non exſpectabat dum alius loquendi finem faceret,ſed eodẽ tempore multi ſimul linguis peregrinis Deũ laudabant. Tria autem incommoda hęc hominum piorum parum conſiderata ratio conuentibus afferebat. Primum erat munerum diuinorum inſolens oſtentatio, alterum diſciplinæ perturba-

tio, tertium ordinis, qui maxime Christi Ecclesiam decet, inuersio. Hæc autem omnia Paulus sapientissime depellit. Nam, vt humilitatem constituat, admonet omnes illius miserrimæ condicionis, in qua fuerant, eum infesti dæmonis instinctu ad simulacra supplices adibant, vt facilius animaduerterent, illa munera non illorum meritis, sed Dei infinitæ elementiæ referenda esse: neque negligendos eos docet, qui dona illa non aceeperant, cum non fuerint donorum diuinorum expertes. siquidem nemo potest Iesum Dominum ex animo eonfiteri, nisi Spiritus Sancti beneficio. Deinde docet, donū, quod quilibet acceperat, non sibi tantum, sed omnibus accepisse: & iecirco esse necessario ad vtilitatem Ecclesiæ vniuersæ conferendum. Tum summum, & altissimum dignitatis gradum caritati tribuit, vt intelligerent, non multum referre, quam multas quisque linguas nosset, aut quam multas res admirandas efficeret, sed quam ardenti studio Ecclesiam adiuuaret. Postremo facta contentione linguarum, & prophetiæ, non quidem ille linguas contemnit, sed longe prophetiam linguis anteponit. Et hæc quidem sunt loca, quibus homines illius memoriæ a quodam genere leuitatis, ad grauitatis, & modestiæ studium traduxit. Illud vero vitium, quo sese præpediebant, ne aliorum disciplina vllam vtilitatem afferre posset, sustulit, cum dixit, Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut multum tres, & vnus interpretetur. potestis per singulos prophetare, & per singulos loqui. Ne autem quisquam diceret, se vi, & impulsu ipsius spiritus ita concitari, vt contineri nō posset; ait, spiritus prophetarum prophetis subiectus est. In quo docet, in eorum manu fuisse, qui a Spiritu Sancto mouebantur, spiritus ipsius officium moderari. Postremo ordinem, de quo iam multa dixerat, hac oratione sanxit. Aemulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere: omnia autem honeste, & cum ordine fiant. Linguis peregrinis vti, minime prohibet: prophetiam tamen, hoc est, diuinæ voluntatis explicationem, & ædificandæ Ecclesiæ rationem illis antefert: & omnia singulari ordine fieri iubet. Sunt autem hoc in loco duo consideranda: vnum est, ea, quæ vno tempore sine vllo discrimine fiunt, ex illis, quæ sine scelere prætermitti possunt, esse, cum subest aliquod periculum, temporibus ita postulantibus, omittenda. Et ideo, si Pauli tempore omnia mysteria poterant omnibus communicari; non continuo sequitur, vt modo, eum non tanta est in omnibus ad ea percipienda docilitas, sint omnibus ex æquo, absque vllo personarum delectu, committenda. Alterum, hanc mentem in tota hac Pauli disputatione fuisse, vt elationē comprimeret, caritatem sanciret, ordinem cōseruari iuberet. Qui igitur elationis materiam præbet, caritatis studium remittit, ordinemq. perturbat, is, quamuis Pauli verba sequi videatur, sensum tamen oppugnat. His ita constitutis, quæro abs te, quid venerit in mentem vobis, tanto studio omnia sanctæ scripturæ volumina, absque vlla necessitate, & cum non mediocri imperitorum discrimine, quibusuis baiulis interpretanda committere? Num, vt superbiam hominum infimorum coerceretis? At vos eorum animos falsa opinione sapientiæ incredibiliter extulistis. Num, vt ardentiorem caritatem redderetis? At imbecillas mentes varijs, & repugnantibus diuinæ legis explicationibus inter se dissidere compulistis. Num, vt ordine cuncta singulari fierent? At ordinem antiqnum peruertistis. Iam enim omnes sunt prophetæ, omnes pastores, omnes doctores, omnes in omni loco de rebus diuinis nimis intempestiue garriunt, &, quidquid eis libet de mysterijs altissimis, quæ nulla ex parte consequuntur, effutiunt. Hac igitur prouidentia, illud antiquum in Ecclesijs silentinm, & pudorem, qui mulieres egregie commendabat; illam modestiam, quæ simplices homines in officio continebat, omnino sustulistis. Sic autem factum est, vt, cum Pauli verba vobis sequi videamini, illius mentem, & sententiam acriter impugnetis. Deinde quæro, quid olim deerat, ad sobriā bonarum mentium disciplinam? Num deerant eruditi sacerdotes, qui, quantum sat esset ad salutē, de mysterijs id eligerent, qnod sine periculo imperitis hominibus explicarent? Num deerant, qui locū idiotæ supplerent, & amen illud pronuntiarent? Adeo ne erat Latina vox, & oratio peregrina, vt eam in Ecclesijs vestris nemo prorsus intelligeret? Num illa multarum simul linguarum perturbatio, atque confusio fuerat Apostoli oratione dirimēda, cum vnum sermonis genus, & antiqnissima consuetndine tritū, aque peruulgatum, in communibus Ecclesiarum precibus audiretur? Quod si linguæ communio coniungit animos; nihil aptius ad institutum Christianum videbatur, quam vna tantum lingua, quæ in occidentis solis regionibus in Ecclesijs erat, studio, & vsu quotidiano percepta, publice Dei laudes pronuntiari: nihilq. minns conueniens, quam tot nūc linguis sacra confici, quot snnt nationes, apud quas homines sine litteris, sine ingenio, sine religione munus sacras litteras interpretandi suscipiunt. Quare neq. simplicitas nostra tam inutilis est, quam vos homines sapientes arbitramini; neq. vestra cautio tam salutaris, quam magistri tui suspicati sunt. Ex illo siquidē errores, & turbæ, falsa opinio sapientiæ, quæ summa demētia est, aliaq. incommoda nata sunt. Persequeris deinde reliquā Ecclesiæ vestræ disciplinā, & ais: Impositionem manuum, coniugij celebrationem, puerperarū ad Ecclesiam inductionem, ægrorū visitationē, & funerum humationem, sollemnibns, & publicis officijs ad Euangelij veritatem cōpositis, exsequimur. Reliqua deinde breuissime vna verborum cōtinuatione complecteris, atque demonstratum putas, neque sacramēt s vos esse, neque sacrorū religione destitutos. Iu-

gum

gum deinde summi Pŏtificis a vobis excussum ingenue confiteris, eo quod grauius esset, quã vt id vos, aut patres vestri sustinere possent. Maiores quidẽ vestros scio iugum id facillime cũ summa laude sustinuisse. Vos vero illud minime sustinere potuisse cõfirmo. Quo modo enim licuisset vobis in ædes sanctas irruere, monachorum instituta rescindere, sanctarũ virginũ castitatẽ polluere, religiones furenter, & impie violare, in bona sanctis vsibus destinata cupide, & violenter inuadere, virtutis, & pietatis monumenta demoliri, Ecclesiã antiquã peruertere, & aliam pro libidine vestra recõcinnare, si primum non fuisset iugũ istud a vestra ceruice depulsum? Adiungis deinde, Nec vllum agnoscimus Pontificẽ, nisi Dominum nostrũ Iesum Cbristum, cui sacræ scripturæ peculiarem hunc honorẽ assignant. O verbum pietatis admirandæ plenissimum, quod in se clarissimũ continet vitæ cælestis argumentum! Quid hominibus tã sanctis, tam ab omni cura vitæ mortalis abstractis faciemus, qui iã nullum Christi vicariũ prę Christi ipsius præsentis desiderio ferre, atque sustinere possunt? Sed videamus. Hoc Christi nomen, Pontificis tantum dignitatẽ, & officiũ declarat? An etiam regis Imperium, & Maiestatem? Negari certe non potest, vtramq. Pontificis, atque regis vim Christi verbo, & sententia contineri. Cur igitur alium regem nisi dominũ nostrum Iesum Christum agnoscitis? Cur iugũ istud, quod restat, non eadem libertate, & contentione repellitis? Cur regia potestate, & imperio istam Euangelij libertatem impediri patimini? Cur non, quod iam in alijs partibus eisdem studijs infectis tentatum est, omnes animi conatus in Regiæ Maiestatis perniciẽ comparatis? Vt enim vnum Pontificem summũ agnoscitis; ita necesse est, vt vni tantum regi pareatis. Quod si æquum vobis esse videtur, vt in terris alium regem illius regis summi vicarium habeatis; quæ caussa est, cur alium Pontificem sanctissimi illius Pontificis vicarium habere nolitis? Sed dices: Nos Pontifices habemus: Pontificem vero summum habere nolumus. Non te igitur Pontificis, sed summi Pontificis nomen offendit. Cur igitur in Britannia vim Regiæ potestatis, quæ certe summa est, ferendã existimas? Non sunt apud vos magistratus? Non publicum consilium? Non principes, atque dynastæ? Ergo sublata verbi controuersia, non pauci apud vos reperiuntur, quemadmodum & apud nos, qui regiam potestatem, quamuis Reges minime appellentur, obtineant. Fac igitur, illos esse minutos quosdam reges. Quid opus igitur fuit, cum tã multi reges apud vos sint, esse tamen vnum regem summum, qui reges alios inferiores imperio coerceret? Si enim, Summi nomẽ, in Pontificis dignitate ferendum non putas: cur in regia potestate, Summi nomen, similiter exsecraris? Sed dices, sapientissime factum esse, vt omnes magistratus, & Principes, qui in Britannia sunt, vnum summum Principem haberent, quẽ omnes intuerentur; cuius imperio, & auctoritate frenarentur: aliter enim necesse foret, turbulenta dissidia cum maximo regni totius periculo concitari. Recte dictum puto. Sic igitur in Ecclesia, quæ vna semper debet esse, necessariũ esse dico, vt vna Pŏtificis Maximi potestas eximia sit, cuius potestatem alij Pontifices vereãtur. Aliter enim erit necesse, cum maxima Ecclesiæ peste, atque pernicie, dissensiones, & sectas pestiferas excitari, & Ecclesiam in summũ discrimen induci. Si enim intra annos quadraginta, postquam bona Germaniæ, atque deinde Britanniæ pars a Pontifice Maximo desciuit, tã multæ seditiones inter vestræ religionis Principes exortæ sunt, ita, vt neque cum alijs, neque secum inter se vllo modo consentiant; quid cẽses euenturũ esse, (quod Christus omẽ obruat) si vniuersa Christiana resp. vestro studio, & importunitate solicitata, simili furore, & insania rebellarit? Restat igitur, vt, quemadmodum in Britannia vna summa potestas est, quæ Principes reliquos in potestate continet, ita in Ecclesia vna auctoritas summa sit, cui reliquæ inferiores potestates libenter, & studiose pareant. Aliter enim nec immanes tempestates sedare, neque discordiarum flammas exstinguere, nec intestinis bellis vmquam finem imponere licebit. Cum vero Christus pacis auctor sit, qui dicunt, se vnum solum Pontificem habere, nempe Dominum nostrum Iesum Christum, &, huius verbi ficta religione, aditum tam multis, & tam pestiferis dissidijs aperiunt, mentiuntur. immo Christum oppugnant, & Satanam dissensionis auctorem venerantur. Contra vero, qui Pontificem Maximum, vt Christi vicarium, colunt, & obseruant ea tantum ratione, quod Christi vicem gerat in terris, hi solum Christum Pontificem summum agnoscunt. Et tamen dicis, vos ista rebellione, & contemptu Christi tunicam non discindere, sed Pontificis Romani palliũ vellicare. Et ais deinde, Neque viam, vt tu vis, ad seditiones aperimus, sed iter occludimus, quod eius licentioso plumbo, maximam ad morum peruersitatem descendat. De plumbi nomine, & tuo tam insigni conuicio, dixi antea, quo ad fieri potuit, moderate. De tam proiecta audacia, & impudentia, qua dicis, vos minime Christi tunicam dilacerasse, sed ista tam impia rebellione, ne mores interirent, egregie prospexisse; quid dicam, non reperio. Tu, cum tam pestiferas sectarum dissensiones, & tam tætra dissidia circumspicias; cum nulla sit vobis certa fides, nulla in religione consensio; cum diebus prope singulis confessiones immutentur, symbola corrigantur, loci veteres deleantur, noui substituantur, sectæ multiplices oriantur, & antiqua Ecclesia in tot partes discissa sit; audes dicere, istam defectionem Christi tunicam minime discidisse? Cum vero oculis tuis cernas insolentiam, arrogantiam, contumaciam, linguæ petulantiam, maledicentiam, libidinem, nequitiam, impurita-

tē,tumultum,& ſeditionem,vbicumq. magiſtri tui pedē ponunt,impune volitare;quo tandem ore confirmas,mores eſſe a vobis poſt iſtā rebellionem egregie conſtitutos? Res ipſa declarat: exēpla quotidiana loquuntur : neque ſedes publicæ,nec intima penetralia conticeſcunt.Quā egregie autē refellis illā meam de Eccleſiæ ſanctæ monarchia rationē?Optimis,inquis,Eccleſiæ tēporibus,vnus Deus,vna fides. verum. Sed nunc nec vnus Deus eſt,nec vna fides apud Euāgelij veſtri miniſtros. Alius enim immolat libidini,alius furori,alius ventri, alius maledicentiæ.Alia eſt fides Lutheri,alia Buceri, alia Zuinglij,alia Caluini.Ais tamen:Petrus habebat ſuā prouinciam, Paulus ſuā, Iacobus ſuā,alias alij. Neque tamen perſonarum diſtractio fidei diſſūgebat vnitatem.Quid ergo concludis? Num ex his,quæ dicis,colligitur,Petrum,cum in prouincia ſtabilem ſedem collocaret,minime fuiſſe reliquis Apoſtolis antelatum ? Id non ex ijs, quæ dicis , efficitur . Quilibet enim modo Pontifex ſuam prouinciam obtinet, & Pontifex Romanus ſuam. Omnes tamen illi diuino iure ſubijcimur. Ais deinde , ſuccedentibus ſæculis multi fuerunt Epiſcopi Romani Martyres, & a profanis Principibus immolabantur : ſed coronas,niſi Martyriorum,habebant nullas. Papalē hunc extraordinariū principatum ignorabant. At conſtat,Haddone,ipſos beatiſſimos Eccleſię Romanæ Principes,qualis fuit Clemens,& Euariſtus,& Lucius,& Marcellus,& Pius,qui coronam Martyrij fuere maxima cum gloria conſecuti,quos nec ambitio, neque cupiditas ſtimulabat, vt ad ſummum illum honorē adſpirarēt, contra te teſtimonium dicere . Ex eorum enim ſcriptis conſtat, hoc illorum iudicium fuiſſe, ſemper in Eccleſia Romana fuiſſe vniuerſæ Eccleſiæ principatum.Quid hic Irenæum,quid Auguſtinum,quid alios ſanctiſſimos patres referā? Quid totius antiquitatis memoriam replicē? Ex recentiſſimis autem ſcriptoribus lege,ſi lubet, Eckium, Epiſcopum Roſenſem, Cochlæū, Pighium,& reliquos homines religione,& eruditione præſtantes,& intelliges,in quanta Principatus huius ignoratione verſeris. Pugnant illi non conuicijs,non mendacijs, non impudentia,ſed Scripturæ ſanctæ teſtimonijs,ſed auctoritatibus ſanctiſſimorū hominum,ſed incorruptæ vetuſtatis exemplis,& aduerſarios vrgent, nec eos ſolū impietatis, ſed extremi furoris,atque dementiæ cōuincunt.Tu vero vnde hæc ſcire potuiſti?Quod tempus in ſanctis litteris homo in foro verſatus, & innumerabilibus negotijs impeditus conſumere potuiſti ? Itaque non tam mihi vituperandus es,quā magiſtri tui,qui te tam multis erroribus imbuerunt. Quamquā culpa tua duplex eſt. Prima leuitatis,quod tam facile impuris hominibus fidem adiunxeris. Altera impudentiæ,quod ea, quæ numquam legiſti,temere confirmaueris. Dic enim quæſo, vbi legiſti , Gregorium fuiſſe hanc ſummam dignitatem Romani Pontificis exſecratum?Et tamē id ſane confidenter in oratione ponis, neque te mendacij quidquam pudet. Sic deinde concludis : Quare , ſi præſtantiſſimus Eccleſiæ ſtatus expers fuit huius monarchiæ,nos etiam illa facillime carere poſſumus,immo vero debemus: non ſolum Euangelio palam interdicente , ſed etiam ſuffragante ratione . Quæ tanta temeritas , & impudentia tua eſt , vt ita argumentum nulla ratione concludas? Ex rebus enim veris, exploratis,& conſtitutis,non ex falſis, & minime conceſſis oportet argumentari. Hoc ſi tu ignoras , ſtultus ; ſi ſcis , & tamen ex falſis pronuntiatis argumentum deducere contendis, cum nulla probatio fuerit antegreſſa ; ſophiſta impudens exiſtimandus es.Inter fraudes enim, quas ſophiſtarum loquacitas ſuſcipere ſolet,ea in primis memoratur , qua ex rebus minime poſitis, aut conceſſis, aut confirmatis, efficere contendunt , quod volunt . Si præſtantiſſimus, inquis,Eccleſiæ ſtatus expers fuit huius monarchiæ,nos etiam illa facillime carere poſſumus . Quid,ſi numquam præſtantiſſimus Eccleſiæ ſtatus expers fuit huius monarchiæ, vos illa carere poteritis?Non opinor. Si conſtat igitur ſcriptis , & monumentis, & ſumma ſanctorum hominum conſenſione , numquā præſtantiſſimum Eccleſiæ ſtatū huius monarchiæ expertē fuiſſe: ſi tu nec auctoritates refellis,nec argumēto pugnas , neque antiquitatis vllū firmum teſtimoniū adducis;ſed tantum,quodlibet,in oratione ponis, nō cernis tuā iſtam rationē totā labare, atque per ſe abſque vllo tormento conuelli ? Et tamē,quaſi iā totū negotium ex animi ſentētia cōfeceris,addidiſti:Immo vero debemus. Quo modo probas,eſſe officium iſtud debitum?Quē fructum iſtius nefariæ rebellionis oſtendere potuiſti?Quodnam tā admirabile lumen rebus humanis iſto furore, & amentia prætuliſti,vt dicere poſſis, vos officio debito fuiſſe cū laude perfunctos? In eo vero,quod ais,Euangelio palā interdicēte: Cauſſā verā officij veſtri demōſtras. Id enim vobis propoſitū eſſe videtur, efficere, quod Chriſti Euangeliū interdicit . Quamquā id dicere non vis, ſed vos Euangelij auctoritate,Romani Pontificis Imperiū detractare. Hęc eſt enim tua eloquentia,vt,quod ſentias, ſæpenumero explicare non poſſis. Sed,quo Euangelij teſtimonio,qua auctoritate id probaſti?Profer locū,vrge litteris,conuince præcepto,oſtēde quibus verbis Euangelium non obſcure, ſed palam,& verbis clariſſimis interdixerit,ne vnū ſummum Chriſti Vicarium in terris obſeruaremus . Addis deinde , Suffragante ratione . cum numquā, quo modo iſti ſceleri ratio fuerit ſuffragata,demonſtraueris. Et tamē,quaſi iam ſit a te cauſſa apertiſſime conuicta, non modo nimis inepte concludis , ſed etiam intemperāter exſultas. Male ſit iſti ludi magiſtro, neſcio cui , qui te tam male inſtituit . Hoc enim fortaſſe ſuſceperat, vt te diſertū efficeret,& non modo infantē, ſed etiā ineptum, & impudentē reddidit. Quare cenſeo litē illi intendas,& mercedē repetas.

repetas. Male namqne apud illnm horas collocasti, quas multo commodius in actionum formulis componendis insumere potuisses. Sed videamus rationem, quam assignas. Nec enim, inquis, caput a membris tam longe, conuenienter dissidere potest. Etiam ne Latine docendus es? Quid enim hoc sibi vult? Quid est Cōuenienter dissidere? Quod enim inter se conuenit, minime dissidet. Cum igitur aliquid conuenienter dissidere confirmas, non tu pure, & Latine loqueris, sed monstro Latinæ orationis vteris. Iecirco non pudet me, tam sæpe fateri, quid dicas non intelligere. Suspicor tamen, te hoc in loco id dicere velle, non posse caput membris longo interuallo disiunctis apte coniungi. Si hoc dicis, vehementer erras, si credis, Ecclesiæ coniunctionem locorum propinquitate, & nō fidei consensu, & vnius religionis conspiratione cōtineri. Si aliquod aliud mysteriū occultius ista tā perturbata loquendi ratione complecteris, cum te explicneris, tunc fortasse respondebo. Adiungis deinde: Præsertim cum hęc vnica potestas, pro qua tantopere laboratis, domi nobis in Anglia præsto sit, vt minime sit opus, eam foras quærere. Non est meum, omnia verba tua puerili studio consectari. Sed id tantum quæro, quæ nam illa potestas vnica sit. Regalis, inquis, Maiestatis absolutam habemus auctoritatem, qua reip. nostræ Principatus integre, & explete continetur. Etiam ne vultis, vt Ecclesiæ summa auctoritas huic Regali, vt inquis, Maiestati subijciatur? Nemo enim vmquam dixit, Pontificis Maximi Imperio remp. vestram in rebus ad ciuilis societatis statum pertinentibus administrari debere, sed Ecclesiam tantum Britanniæ non posse vllo modo sine scelere nefario Imperium Pontificis Maximi recusare. De hoc contendimus, atque, vt ais, tantopere laboramus. Hoc igitur dicis minime necessarium esse. Regalem namque Maiestatem, absolutam apud vos auctoritatem habere, ita, vt non sit foris alia requirenda. Hoc igitur plane dicis Reginam vestram hoc sibi optimo iure vindicare, vt rebus diuinis in Anglia præsit. Hoc vt confidentius vrgeas, his mecum verbis agis: Sed nimirum hoc tibi ferendum non videtur. Et hoc in loco sic incalescis, vt sacrilegij crimē Principibus intentes, quod legibus Ecclesiasticis pręesse velint, quod temere res sacras cōtrectent. Deinde prudenter, & grauiter me mones, vt irę modū statuam. Noli, inquit, Hieronyme, nimiū conturbari. Non decet tanta virū philosophum iracūdia. Hoc in loco, Gualtere, si ludis, parum facete ludis. Si serio loqueris, minime, quod verū est, dicis. Nec enim iracundia, quæ quidē est repentinus furor ignominiæ opinione concitatus, me ad eas litteras scribendas impellere potuisset, cum nullius vmquā Britanni aspero verbo prouocatus fuissem; sed sanctissimæ religionis amor, & studium, qno eram in Reginam incensus, me incitauit, vt eas litteras darem, quibus illam admonerem, vt id discrimen vitaret, quod rebus communibus imminebat. Nec in oratione mea vllum iracundiæ vestigium animaduerti potest, nisi tu iracundiam appellare velis, iustam, & grauem de temporis huius infelicissimi statu querimoniam. Illud vero quam apte? Respira, inquis, paullisper. Quasi tu me ista tua admirabili vi dicendi ita conturbaueris, vt respirare non queam. Tum illud quam venuste: Et ad te, inquis, redi. Magnum dicis malum. Videor namque Haddono, viro sapienti, cuius semper fuit simplex, incorruptum, sincerumque iudicium, de potestate mentis exijsse. Aliter enim numquā me admoneret, vt ad me redirem. Tum addis: Recte omnia videbis expediri. Id quidem exspecto. etsi valde vereor, ne tu homo disertus, & in dicendo admirabilis me cogas, rebus, quæ mihi minime probantur, assentiri. Exspecto tamē rationem, qua probes, licere Reginæ rebus sacris immisceri, & leges, quas ei libuerit, Ecclesijs imponere. Quid igitur ais? Regalis, inquis, Maiestas omnibus dominatur Angliæ personis. Quid ni? Similiter Gallus Gallis, Scotus Scotis. Laudo tuam in disserendo breuitatem. Vno siquidem verbo omnia, qnoties lubet, acutissime concludis. Ea tamen sumis, quæ neque vera sunt, & ex quibus ea, quæ probare vis, minime conficiuntur. Primum enim, Regis Imperium non violentum, neque tyrannicum est: neque tamquam seruis, quos patria caritate tuendos suscepit, dominatur: nec ad suam vtilitatem, sed ad subditorum salutem omnem moderationē suam refert. Falsum igitur est, illum dominari, nisi se potius tyrannum, quam Regem, haberi malit. Deinde, vt id verum sit, non ex eo sequitur, eum omnibus in rebus dominari. Id igitur, quod tibi erat probandum, tamquam probatum, & concessum fuerit, in oratione ponis: quod est in disputando vitium vel maximum. Postremo neque Gallus Gallis in rebus sacris imperat, nec Scotus Scotis: &, si imperat, quod minime verum est, non suum officium facit, sed alienum munus vsurpat. Ais tamen, Sed ad res sacras manus apponit minime. Cur, Haddone, quæso? quia sibi licere non putat? Aut quia non vult? Si licere sibi minime credit, illa contra te testimonium dicit. Si alijs curis implicita, res sacras infimis hominibus administrandas permittit, nō, quod se dignum est, facit. Aliquid enim esse putat rebus sacris anteponēdū. Res, inquis, politicas ciuilis magistratus exercet, Ecclesiasticas administrant Episcopi. Quos Episcopos narras? Illi ne, quos sedibus exturbastis, & in vincula coniecistis? An illi potius, quos ex triuijs, & tabernis arreptos, in sanctorū Pōtificum gradn collocastis? O speciem Pontificū præclaram, quam omnes subditi colant, & vereantur, & flagitiosi pertimescant. Ex te tamē libenter audierim, quis ille fuit tantæ virtutis splendor, qui vos impulit, vt homines infimos in ista dignitate locaretis? Num admirāda vitæ castitas, cui estis infensi? Sacrarū ne litterarum

eruditio, quam in tabernis, vel in litterarum ludis, quibus fortasse præfuerant, acceperunt? An admirabilis eloquentia, qua facillime multitudinem a flagitijs ad continentiam, quam odio persequuntur, auocarent? Credibile quidē est, qui Pontifices pios, & doctos omni dignitate deiecerunt, ob eam caussam tanta iniuria viros multis virtutibus ornatos affecisse, vt alios, quorum multo clarior esset pietas, & eruditio, & multo præstantior orationis vbertas, & copia, in eorum loco reponerent. Sed quæro ex te, si tam sancti, tam docti, tam diserti sunt, cur non illis potissimum hoc contra me scribendi munus delegasti? Cur imperitiam tuam, & infantiam peruulgare voluisti? Tanta ne fuit doctorum Pontificum penuria, vt tibi necesse esset, id munus, quod non erat tuum, neque te decebat, assumere? Pontificis est enim, tueri religionem, non hominis iuris ciuilis quæstionibus impliciti. Si non ijs virtutibus, & disciplinis excellebant, quæ in Pontificibus desiderādæ sunt, quænam fuit illa tanta peruersitas, vt, eiectis bonis Pontificibus, infimos homines in ista dignitate constitueretis? Homo politice, non animaduertis illius reip. exitum exitialem appropinquare, in qua honores honestatis, & virtutis splendori debiti ad homines infimos deferuntur? Sed demus, eos ob excellentes virtutes fuisse ad istum honorem euectos. Nec enim mihi diuinare licet. Et fortasse, antequam ad eam dignitatem peruenirēt, fuere Bucero, aut Martyri tuo in disciplinam traditi. Sed, quo iure id factum fuerit, quæro. Quamquam de iure iam satisfecisti, cum asseruisti, omnia diuina, & humana Regalis Maiestatis Imperio cōtineri. Sed qua cærimonia? quo ritu? qua religione? quis manus imposuit? quis consecrauit? quam sancte, quam pure id fuerit effectum, interrogo. Quamquam vos homines elegantes, offensi nostris cærimonijs, quæ vobis incultæ fortasse propter nimiā vetustatē videbantur, alias multo concinniores excogitastis, quas, vt ais, non propinque, sed propinquissime ad Euangelij formam redegistis. Ais deinde, Episcopos res Ecclesiasticas administrare: siquid vero constituendum sit, theologos decernere. Constat, a te theologos nominari, quos Bucerus, aut Caluinus instituit. Quæro tamen, cur est a vobis ius Pontificiæ dignitatis imminutum? Pontificum enim est, decernere: theologorum vero, Pontifices consilio iuuare. Tu vero, cum Pontificum ius ad theologos transfers, Pontifices vestros theologos non esse confirmas. Non modo igitur, vt fama est, Pōtifices vestri tenues, & obscuri sunt; sed etiā sanctarum litterarum prorsus ignari. Ideo autem rumor est, eos potissimū electos esse, vt, vectigalium parte contenti, reliqua omnia vobis, fisci nomine, diripienda concedant. Hoc si ita non est, non in me, hominem Anglicarum rerum, vt asseris, insolentem, sed in hominum maleuolorum maledicentiam velim conferas. Quamquam tu, atque tui similes, magnam huius infamiæ culpam sustinetis. Cū enim tales Episcopos eligitis, suspicionem vestræ cupiditatis, & auaritiæ datis. Concludis tādem, tam Pontificum administrationem, quam theologorū decreta, Regalis Maiestatis sanctione stabiliri. Si igitur aliquid vel ab Episcopis administratum, vel a theologis decretum fuerit, quod in rem Reginæ non sit, id ratum non erit. Hic nescio quid de Regibus Israelis parū dilucide, & aperte dicis, quasi sacerdotes olim ex regum præscripto religiones omnes administrarēt: quod falsum est. Deinde ais: Succedens Euāgeliū, & potestates distinguens, primā collocat auctoritatē Regalē, & subter eā reliquas subijcit, auctoribus Petro, & Paulo, quorum vos nominibus ad Romanę Sedis Regnū abutimini. O rerū publicarū pestē, atque perniciē! O insulæ florentissimæ turbinē, atque procellā! O regnorū omnium, & populorū exitium, quod adulatorū scelere, audacia, immanitate, auaritia continetur! Quæ fera potest in terris immanior, aut truculētior excogitari? Quidquid enim reges cupiunt, quāuis id sit nefariū, flagitiosum, & impiū, neq. solū reip. perniciosum, sed etiā omnib. sanctitatibus aduersariū; id cōtinuo per eos adulatores, quos in consiliū adhibent, est officiū iustū, & laudabile, & religiosum, & reip. salutare, & Deo gratissimū. Quod Hērico, viro ad eā diē, & virtute, & ingenio, & factis illustri, accidisse constat. Nā, cū amore simul, & offensione grauissime laboraret, & simul amori satisfacere, & offensionem a Pontifice, qui illi nouis nuptijs interdicebat, acceptā vlcisci vellet, nefarij cuiusdam viri cōsilio, & auctoritate sibi persuasit, esse se Ecclesijs omnibus, quæ Britanniæ finibus continerentur, præpositum. Ea res Episcopo Rofensi, & Moro, & reliquis sanctis hominibus, qui extremum supplicium subierunt, exitio fuit, si exitium potest appellari clarissima mors, pro Christi gloria, & religionis sanctitate constanter oppetita. Inde tot opiniones pestiferæ, tot sectarum dissidia, tot hominum furores in Britannæ Ecclesię statum, cum magna moris antiqui pernicie, redūdarunt. Sed qui locus ille fuit, quo abuti voluit vir impurissimus? Subiecti estote, inquit Petrus, omni humanæ creaturæ propter Deū; siue regi, quasi pręcellenti; siue ducibus, tamquā a Deo missis, ad vindictā malefactorum, laudem vero bonorum. His autem verbis, quid aliud facit Petrus, quā, vt materiā furoris, & amētiæ pręcidat? Non enim vult Euāgelicæ libertatis nomine remp. perturbari, & cœtum ciuili iure sociatū dissolui. Et ideo omnes Christianos legibus humanis, quæ cum pietate minime pugnant, adstringit. Seruis imperat, vt dominis, quāuis immanibus, subditi sint; mulieribus, vt viris obtemperent; viris, vt vxoribus honorē habeant; filijs, vt parentibus obediant; parentibus, vt liberos ament, & eorum educationi, atq. vitæ prospiciant. Id deniq. sancit vir diuinus, vt ordo imperandi, & obediēdi, siue publice, siue priuatim, sine vlla recusatio-

ne,

ne, aut immodicæ libertatis obtentu conferuetur. Qui ordo tanto erat a Christianis diligentius obseruandus, quanto magis conueniebat, vt eorum virtus excellentius emineret. Idem omnino facit Paulus, cum admonet, vt magistratibus subiiciamus, vt Principum legitimis iussis obtemperemus: eadem disciplina dominos, & seruos, parentes, & liberos, viros, & vxores instituit. Quæro igitur ex te, quodnā est istud acumen tuum, aut eorum potius, qui te in tantum errorem induxerunt, vt ex istis Petri verbis eum sensum, quem dicis, eliciant? Num præcellentis nomen? Est id quidem summæ stultitiæ, & extremi furoris indicium. Sic enim vulgo loquimur, vt nobilitate præcellentem appellemus eum, qui valde nobilis est, quāuis non sit omnium ciuium nobilissimus. Sic etiam, virtute, aut litteris, aut auctoritate præcellentem eum dicimus, qui laudibus istis excellit, quamuis non omnes omnino superet. Eadem vis, & sententia subiecta est Græco verbo ὑπερέχοντι, & idem vsus illius est. Deinde, cum alicui præcellentiam in re aliqua tribuimus, non illi continuo, vt in rebus omnibus excellat, oratione concedimus, sed in ea tantum, de qua nobis sermo est. Si enim iuris ciuilis mentio fiat, & dicamus, Gualterum Haddonum esse iuris ciuilis eruditione præcellētem, non illi hac oratione sacras litteras, quarum omnino rudis est, interpretandi potestatem facimus. Nunc quæro, in qua materia Petrus versabatur, cum Regem dixit esse præcellentem? Num in Ecclesiarum moderatione, aut sacrorum religione? Non certe. Sed in humana politia, quam noluit aliqua seditione perturbari. Quid Paulus, cum præcipit, vt omnibus potestatibus subiecti simus? Idem omnino facit, quod Petrus. Quod vt magis confirmet, ostendit, omnem potestatem ordine, & moderatione diuina contineri. Et, vt doceat, hoc officiū esse diuino iure debitum, ait: Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Non placet Apostolis quidquam in rep. seditiosum, atque turbulentum, quod pacem, & ordinem perturbet. Et iccirco, quamuis Principes essent eo tempore a sanctissimis Christi placitis alieni; in rebus tamen ad ad statum ciuilem pertinentibus, Christianis imperant, vt Principibus non solum obediant, sed etiam pro eorum salute supplices ad Deum preces adhibeant. Non igitur, Præcellentis nomine, Petrus vllo modo summam Regi in Ecclesia potestatem permisit; nec id quisquam, præter vos, vmquam somniauit; sed summam in ciuili statu moderando imperium concessit. Quæro enim, quis eo tempore, quo Petrus hæc mandabat litteris, regnum tenebat? Caius, aut Claudius, aut Nero. Tiberius namque, vir etiā maleficus, & iniustus, vt coniicere licet, iam obierat. Ergo hoc statuis, Haddone, Petrum, aut Paulum id statuisse, vt nihil Ecclesię rector, nisi ex præscripto Caij, aut Claudij, aut Neronis, efficeret: vt eos tantum sacerdotes, quos illi vellent, retineret: vt reliquos, si ita Cæsari videretur, ablegaret: vt, si quæstio aliqua difficilis incideret, eam ad Cæsarem deferret; &, ne plura dicam, omnes religionis cærimonias, atque sanctitates ex voluntate Neronis administraret. Quod si hæc vehementer absurda sunt, quid illa tam scelerata sententia, vnde hoc sequitur, absurdius fingi potest? Sed dices, eam Petri sententiam non ad Principes a Christi fide auersos, sed ad Christianos tantum pertinere. Si hoc dicis, id censes, Petrum tunc eam legem Christianis indixisse, vt, quamdiu regnarent homines, qui non erant ad Christi nomen adiuncti, eorum imperium detrectarent; duces, & magistratus contemnerent; leges eorum despicerent, & statum reip. insita contumacia perturbarent. Quo quid dici potest amentius? Deinde, quorsum illam sententiam Petrus adiungeret? Vt, bene, inquit, facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Certe enim, si Christiani Principibus impiis minime paruissent, nemo obmutuisset, sed omnes in illos, tamquam in pacis, atque salutis euersores, impetum merito fecissent. Quod si neque verbi vis cogit, neque ratio patitur, nec ordinum distinctio id vllo modo prorsus admittit, vt Reges in Ecclesiis dominentur; quæ fuit ista tam insignis adulatio, vt Regibus summam, & absolutam in Ecclesiis potestatem, & imperium concessistis? At, quam impudenter asseris, auctoribus Petro, & Paulo, Regalem auctoritatem esse reliquis omnibus antelatam? Ducibus quidem, & magistratibus, & reliquis publici iuris administris, sunt Reges, Petro auctore, præpositi, non sacrorum religioni, non Ecclesiarum sanctitati, non cælestis numinis placationi. At, inquis, nos Petri, atque Pauli auctoritatibus ad Romanæ Sedis Regnum abuti. falsum est. Christi namque verbis innixi, eam Pontificis Maximi auctoritatem defendimus: &, qui vim verbis illius clarissimis intentat, hominem audacem, importunum, sceleratum, & impium iudicamus. Antequam vero ad alia me conferam, hęc libet adiungere. Datan, & Abiron, quod in Domini sacerdotes inuaserint, fuere, horrendo fragore, & repentino terræ desidentis hiatu cum sociorum impiorum turba deuorati, Core similiter, cum reliquis coniuratis, qui sacerdotum munus ad se impudenter, & impie reuocabant, subito incendio consumpti sunt. Oza, quod paullo audacius arcam fœderis labantem manu fulcire voluit, interfectus repente fuit. Ozia Rex, quod officium sacerdotis vsurpare voluisset, lepra deformatus est. Balsesar, Babylonis Rex, quia vasa, sacris ministerijs consecrata, ad luxum, & epulas impie transtulit, vna nocte, & regnnm, & opes, & vitam amisit. At vos nec Erebi voraginem sempiternam extimescitis; nec iræ diuinæ fulmen, & incendium horre-

horrescitis;nec temeritatis,& audaciæ pœnam vllã metuitis ; nec infamiæ sempiternæ lepram formidatis ; nec illa vos cura,& solicitudo conturbat, ne cum humanæ dignitatis, & salutis interitu, regni , atque vitæ sempiternæ opibus spoliemini . Et tamen ab insectatione Pontificiæ dignitatis minime discedis . Quodnam, malum , est istud tam immane, & tam acerbum in Pontificem odium , vt tam crebro eandem sententiam repetas ? Sic autem ais : Verum tu, non solum pro sceptro Papali pugnas , sed etiã pro sacrosanctis decretorum sanctionibus , vt tibi videntur,contendis, quorum interitu metum ex animis hominum euanuisse iudicas. Verum hoc est. Anctoritate namq. Pontificis Maximi sancte , & pie constituta , consequens est, vt sanctionibus illius pareamus . Vt enim Reges , quibus Deus humanam in rep. potestatem permisit , litteris sanctis ad statum reip. pertinentibus , minime contenti,(nec enim omnia, quæ possunt in variis rerum publicarum generibus incidere , illis contineri potuerunt) leges alias sanxere , quibus cunctis ex præscripto ipsius diuinæ legis obtemperant ; sic Pontifices Maximi , quibus est iurisdictio (licet tu disrumparis) in vniuersa Ecclesia commissa , non dicto tantum, sed scripto etiam, quemadmodum tempora flagitant, decreta sanciũt, quibus omnes, qui Christiano nomine censemur, adstringimur.De metu vero , quem per vos abstersum dico , non id solum in interitum iuris Pontificij, sed multo etiam magis in iuris diuini negligentiam,& contemptum coniicio. Dico enim, Lutheri decretis metum diuini iudicij , atque sempiternæ seueritatis exstingui . Canonibus , inquis , audiui locupletatos sane quam plurimos , sed eruditos in Dei timore non multos . Quid , Haddone ? Illi, qui in iuris ciuilis studio versantur , omnes sunt metu cælestis numinis eruditi?Non profecto. Et tamen tu non ob eam caussas censes omne ius ciuile comburi . Nec enim propter interpretum malitiam, & calliditatem sunt abroganda Principum decreta : sed improbitas eorum , qui ad suum quæstum , & compendium omnia iura reuocant , acerrime coercenda . Et tamen a vobis decreta Pontificum obseruari dicitis, quod ea non parum vtilia iudicetis . Quod quidem duplici de caussa vehementer admiror . Primum , quod in eo a viro sanctissimo Luthero, quem diuinitus missum asseris , desciuistis . Ille namque ita omnia decreta combussit , vt nullum reseruaret. Deinde, quod ita e cælo suspensas omnes rationes habeatis , vt omnia humana reiicienda putetis . Nam, quod dicis , me vestros doctores accusare , quod impunitam libertatem suis attulerint : fateor me adhuc in ea sententia permanere : &,quam verum id sit , postea magis aperiam . Quereris deinde , quod istos viros tam sanctos illudam ; & ais : Tu vero memineris , quid ille tuus eloquentiæ magister olim sapientissime scripserit . Impiam esse contra deos iocandi consuetudinem , seu serio , seu simulate fiat . Nimium superstitiosus es , Haddone ; atque , vt video , Lutherus tibi sanctus habetur Deus ; &,vt Bucerus tibi propitius sit,exoptas; & Martyris etiam numen tibi placandum arbitraris . His enim diuinitatem tribuis . Itaque exspecto,dum illis aras statuas. Quos etiam alios deos irrisi ? Horum igitur numen , ne mihi irascatur , admones.Nam in eo , quod me contra Christũ facetiis exsultare dicis , magistros tuos , egregios mentiendi artifices , imitaris . Vocas me deinde ad disputationem, parum tuę personæ consentaneam . Nec enim litteras sanctas intelligis; neque Lutherus quidem ipse potuit , cum esset flagitiorum tenebris oppletus, quantum esset in illis lumen , inspicere . Inde adeo factum est, vt varius, & anceps, & dubius ita feratur, vt vix quisquam valeat, quid ille senserit , statuere . Nunc enim in sola fide omnia ponit : eamque fidem inducit , qua firme constituta, opera omnia repelluntur. Rursus, vi veritatis ipsius victus,& inuidiæ fugiendæ caussa monitus,opera requirit. Vellem nostros de Iustitia libros euolueres ; & nihil , quod ad huius materiæ , quam modo tractas , explicationem pertineret, desiderares. Euangelio, inquis, credimus . Recte facitis . Sed tamen dæmones credunt , & contremiscunt. Sed, quid Euangelium dicit ? Non, inquis, esse periculum vllum exitij illi , qui Christum insiti sunt . Qui non secundũ carnem versantur, sed secundum spiritum. Nolo enim longe ab ipsis sacrarum scripturarum verbis abire, ne quidquam insincere videar tractare velle. Id quidem, Haddone, perfecti Iurisconsulti videtur esse, legis scriptum tueri, sententiam vero interdum impugnare . Sed , quæ tandem verba sunt illa , quæ minime vobis negligenda sunt ? Paulus, inquis, post longam , & seriam disputationem concludit , arbitrari se , fide nos sine legis operibus iustificari . Quid Paulus concluserit, exploratum habeo; quid tu concludere velis, nondum satis intelligo. Consentiendum est, inquis: nec enim Euangelio derogare possumus . Sed illud ex eodem pariter adsciscendum , fides per caritatem operans . Hanc igitur istarum rerum coniunctionem si tenemus , tu disiungere non debes, & errorem impugnare, qui, præter te ipsum, auctorem habet neminem . Ex istis verbis tuis , Haddone , coniicio, hanc tuam mentem esse, vt, cum Paulus dicat, ex operibus neminem iustum fieri; & idem dicat, esse retinendam illam fidem , quæ per caritatem operatur ; quamuis hæc inter se pugnare videantur, non esse tamen ab Euangelij verbis vlla ratione recedendũ . Coniunctionem quidem difficilem videri , sed , cum illius Paulus auctor sit , esse facinus audax, quod Paulus coniunxit, velle disiungere. Ego contra statuo, eo solo argumento, quod hæc inter se dissideant, Paulum id numquam dixisse. Quid enim magis est cohærens,& consentaneum Pauli ratione , & sententia ? Quid minus conueniens ,

quam

quam sine fide per caritatem operante minime conferri iustitiam, & ex operibus neminem sibi parare iustitiam? Non auditores, inquit, legis, sed factores legis ipsi iustificabuntur. Qui igitur, quod est imperatum lege, conficiunt, auctore Paulo, apud Deum iusti sunt. Si id verum est, quid magis est huic sententiæ Pauli contrarium, quam neminem ex operibus iustum fieri? Tu igitur ea connectis, quæ iungi non possunt. Ego vero ea sola ratione, si aliam non haberem, omnino contenderem, numquam id Paulum dicere voluisse. Illud vero, quod ais, me errorem impugnare, laudis quidem est. Quid enim elegantius facere possum, quam pestiferas opiniones euellere? Illud vero, quod adiungis, eiusdem erroris, quod impugno, auctorem esse, præter me, neminem, Oedipo indiget. Mire tibi placent ænigmata. Audiisti ne aliquando me dicere, opera sanctorum hominum esse scelere polluta, & infecta, & ideo neminem posse ex operibus sanctis iustitiam consequi? At, hic est error, quem impugno. Sed tu nec id dicere vis, sed adeo infans es, vt, quid sentias, effari non possis. Sed linguæ tuæ hæsitantiam omittamus, &, quam turpiter in tantis rebus, alucineris, consideremus. Dicis & opera inutilia ad iustitiam esse, & tamen opera non esse negligenda, cum vtriusque sententiæ auctorem Paulum habeamus. Noui Euangelij principes, & architecti, quos tu in numero deorum colis, & qui tibi ista mysteria tradiderunt, longius progressi sunt, & opera omnia, quæ sancti homines efficiunt, non inutilia tantum, sed peccati penitus insiti contagione maculata esse confirmant. Nec enim credunt, peccatum illud inhærens, & insitum, quod ex ortu contraximus, vitæ lauacro deleri, sed vigere nihilominus, tantamque vim flagitiorum ex se fundere, vt omnia hominum sanctorum officia, quamuis illa sint motu, & impulsu diuini spiritus effecta, & ad Christi gloriam conferantur, esse tamen facinora capitalia, suppliciis sempiternis, nisi per Christi benignitatem stetisset, iure vindicanda. Quod si, vt ais, parum ciuile est, vt illi vestro iurisconsulto placet, de lege, nisi tota perpecta fuerit, iudicare: lege diligenter Lutheri, Melanchthonis, Caluini, & aliorũ doctorum tuorum volumina, & videbis hanc eorum mentem, & sententiam fuisse, aut potius in hac opinione summam disciplinæ, quam sunt professi, constituisse, vt opera omnia scelere condemnarent. Vides hic summam iustitiæ comparandæ desperationem. Si enim nemo iustus esse poterit, nisi qui legem seruauerit, vt Paulus ait: si non, qui dicit Domine Domine, vt ipse Dominus aperte pronuntiat, sed qui facit voluntatem patris, est in cæleste Regnum ingressurus; si iustitia, vt prophetæ testificantur, est vitiorum omnium fuga, & ardens honestatis ipsius studium; si puritate, innocentia, ordine mentis, & conuenientia, sanctimonia, vitæ cælestis nouitate, & caritatis exercitatione continetur, & nos neque diuinis institutis obsequi, neque vitia fugere, nec honestatem retinere, neque caritatis officia colere possumus; si, velimus nolimus, est nobis peccati iugum omnino subeundum; qua tandem ratione poterimus ex Christi gratia, & benignitate, cum is nondum in nobis sanguine suo, vt tui magistri dicunt, peccati vires eliserit, iustitiæ statum polliceri? Cernis, hic quomodo vir ille, diuinitus, vt ais, missus, omnẽ spem iustitiæ consequendæ suis inuentis inciderit? Vide rursus, quam acute remedium excogitarit ille, quem reliqui secuti sunt. Neminẽ quidem dicit singularem iustitiam ex Christi gratia consequi, sed Christi ipsius iustitiam fidelibus applicari per fidem, ita, vt perinde habeatur, & æstimetur in quolibet homine fideli, quamuis flagitiosus sit, ipsa Christi iustitia, atque si propria ipsius, qui fide tantum nititur, esset. Hac igitur fide, qua quilibet homo Christianus secum firme statuit, se esse gratum Deo per Christi fidem, fieri, vt Christi iustitia, illius, qui credit, iustitia putetur. Habes hic Lutheri legem, quod ad præsentẽ locum attinet, perspectã, ne de iniuria Luthero facta cõqueri iure possis. Vide hic rursus summã iustitiæ facilitatẽ. Cui enim non erit facillimum, si Lutherum audierit, hoc secũ statuere? Mihi perbelle est. Sum enim Deo gratissimus per fidem. Factum enim est, vt iustitia Christi, mea ipsius iustitia sit. Iccirco tam sum iustus, quam Paulus, quam Petrus, quam denique ipsa Dei mater sanctissima. Siquidem nemo est aliqua singulari iustitiæ laude per Christi gratiam commendatus, sed vna tãtum iustitia omnibus ex æquo, qui fidem retinent, accommodatur: quæ cum non possit a seipsa gradibus, & magnitudinibus distingui, sequitur, vt tam iustus ipse sim, quãnis in me scelus insideat, quam qui iustissimus. Cernis iam egregij hominis opera metum depulsum, confidentiam erectam, corroboratam audaciam. Cum igitur nec in re desperata, nec in summa confidentia quisquam acriter, & vehementer in virtutis officium incitari possit; & Lutherus partim iustitiæ spem omnino præciderit, partim alterius iustitiæ numquam auditæ ratione, summam illius potiundæ confidentiam suis attulerit; non ne liquet, quamuis interdum is inuidiæ declinandę caussa, de operibus iustitię multa dixerit, illum studia, & officia virtutis exstinxisse? quo modo enim, quæso, hominem languentem stimulabis, vt virtutis officio perfungatur, qui ab homine grauissimo accepit, eos, qui in virtutis officium incumbant, frustra contendere? Quo modo rursus metum exitij sempiterni illis incuties, qui valde securi sunt, seq. tantis iustitię ornamentis affectos esse confidunt, vt neminem esse credant, qui illos splẽdore iustitię superare possit? Nemo igitur erit, si magistrum Lutherum audierit, qui opera sancta moliatur, cum fieri non possit, vt quisquam vel in summa honesta-

tis

tis desperatione, vel in summa salutis confidentia, in pietatis studium vigilanter incumbat. At Lutherus, inquies, fortasse scriptis, & concionibus popularts suos ad officia cohortabatur. Id quidem scio. Sed Epicurus etiam, cum decretis suis virtutem sustulisset, de virtuto interdum magnifice disserebat. Non video, quid homo leuissimus aliquando vel naturæ vi, vel inuidiæ metu confirmet, sed quid sit illius decretis, atque disciplinæ consentaneum. Hoc certe constat, in rebus aut desperatis, aut ex animi sententia constitutis, non esse quemquã, qui magnum in honestatis studio laborem velit excipere. Cum igitur Lutherus, & istius extremæ desperationis, & summæ confidentiæ se auctorem præbuerit; quis non videt, per eum fuisse omnia officia virtutis, & pietatis euersa? Fuit igitur hoc illius scelus ingens, facinus immane, crimen impudens, minimeq. ferendum flagitium; sed illud multo scelestius, quod Pauli mentem, & sapientiam ad suam libidinem inflectere, diuinique viri testimonio ad impudentiam suam confirmandam abuti voluerit. Sed videamus, quo modo tu defendas, Lutherum virtutis, industriæ, diligentiæ, sedulitatis exstinctorem, cum Paulo sanctitatis, religionis, officij summo magistro consentire. Paulus inquit, nihil esse, quod quidquam ad salutem valeat, præter fidem per caritatem operantem. Idem Paulus ait: Neminem ex operibus iustificari. Constat igitur, inquis, hæc esse coniuncta. At ego contra dico, cum hæc vehementer a se inuicem dissideant, fieri minime potuisse, vt Paulus ea coniungeret. Sed, vt cerni posit, quam male magistri tui Paulum intelligant, animaduertendum est, quæ fuerit illius mens, quid susceperit, quid propositum habuerit, cũ in omnibus epistolis suis, tum in ea præcipue, quam ad Romanos scripsit, vnde tu hæc testimonia perperam intellecta promis. Quid igitur sibi Paulus proposuit? Hoc nempe, vt homines ab humanarum rerum confidentia, ad Christi fidem traduceret. Docet igitur, nec in natura, nec in priscæ legis institutis vllum fuisse hominibus firmum salutis præsidium constitutum. Nec enim natura, neque lex iniquitatem sustulit, & iustitiam attulit, in qua sola est salus, & dignitas collocanda. Sola namque iustitia Deum generi humano conciliat. Quo modo autem natura nullam opem per se rebus humanis attulerit, eo argumento probat, quod omnes, qui natura sola nitebantur, quamuis fuissent excellẽti ingenio præditi, fuerint iniquitate, libidine, malitia, auaritia, improbitate, crudelitate, & infandis sceleribus inquinati. Quasi diceret: Si naturæ præstantia, si acumen ingenij, si vis mentis, & rationis aliquid opis ad iustitiam attulisset; gentes certe, quæ natura, quæ ingenio, quæ ratione præcellebant, omnibus iustitiæ præsidiis instructæ, & ornatæ fuissent. Sed nullus in eis iustitiæ splendor eluxit: fuerunt enim repletæ iniquitate, & flagitiis innumerabilibus: nullum igitur illis adiumentum ad iuste viuendum attulit naturæ præstantia. Deinde ad Iudæos conuersus, idem argumentum maiore vi, & contentione vibrat. Erat enim ei cum Iudæis summum certamen de cærimoniis antiquæ legis institutum, cum Iudæi eas omnes retinendas esse crederent, quod existimarent per illas animos expiari. Contra Paulus disputat, omnia legis instituta, quæ iustitiam adumbrabant, interuentu solide, & expressæ iustitiæ euanuisse; & eos, qui in illis vmbris iustitię rationem collocabant, Christi numen violare. Meritis namque illius, atque numini diffidebant. Iccirco ad Galatas scribens, ait: Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Similiter ad Hebræos scribens, ait: Legem nihil ad perfectionem attulisse, sed vmbris tantum, & imaginibus homines ad spem futuræ salutis erexisse. Eas autem cęrimonias, & instituta a lege piacula, quę hoc in loco, & in epistola ad Galatas opera legis nominat, dum ad Hebręos scribit, iustitias carnis appellat. De hac igitur legis parte, quę in vmbris institię consistebat, quę corporis lustrationem continebat, & ad animum minime permanabat, loquitur Paulus, cum ait: Neminem ex legis operibus iustum fieri. Fuit enim hęc sententię illius longę, & serię, vt ais, disputationis conclusio. quasi diceret: Si circũcisio, si cineris adspersio, si brutorum animantium victimę, si reliquę legis expiationes homines iustos efficerent; sequeretur, omnes Iudæos, qui sacra legis rite procurabant, iustitiæ compotes exstitisse: at cõstat, Iudæos omnes, qui lege tantum nitebantur, atque confidebant, fuisse tętros, impuros, maledicos, homicidas, atque sceleratos; nullum igitur ex lege iustitiæ fructum percepérũt. itaque relinquitur, ex legis operibus neminem iustum fieri. Si aliquid ingenio vales, huius tam aptæ conclusionis ratio te docebit, de quibus operibus Paulus intelligat, cum ait, Neminem ex legis operibus iustificari. Aliter enim, quid magis ineptum, quid minus cohærens, & consentaneum dici potuisset? Si enim Paulus dixisset, Iudæos fuisse quidem puritatis, & pietatis, & innocentię laude præstantes, & tamẽ illa virtutis officia eis nullum ad iustitiam præsidium contulisse; & tum demum concluderet, eos ex legis operibus non iustificari; recte coniiceres, illum per legis opera, virtutum maximarum officia intellexisse. Sed id numquam in oratione posuit. Immo eos, qui multum studij in legis institutis, & opere consumebant, testimonium scripturæ ipsius demonstrat, fuisse omni diritate, & immanitate tęterrimos: vnde colligit, non legis opera iustitiam efficere. Quid igitur? Num suspicaris, Paulum ex rebus minime probatis, & constitutis, argumentum sumere, quod tu facis? Si id ausus fueris, hominis diuini sapientiæ temeritatis, & amentiæ crimen affinges. Quod quam longe absit a Paulo, nouerunt omnes, qui scripta illius pura mente percipiũt.

Quid

Quid enim aptius, quid acutius, quid sapientius, quid vehementius Pauli oratione, & stylo excogitari potest? Ita sunt enim omnia illius argumenta inter se nexa, & alia ex alijs apta, & colligata, & ita respondent secunda primis, postrema medijs, & tam singulari ratione omnia deuincit, vt nihil possit in illius oratione reperiri, quod non mirifice cum illius mente prius explicata consentiat. Ex ipsa igitur conclusionis aptissimæ ratione concluditur, quæ sint illa legis opera, e quibus Paulus dicit, neminem iustum fieri. Illa namque sunt, quæ Paulus perpetua disputatione conuellit: contra, quæ summa contentione pugnat; a quorum confidentia Iudæos abducere conatur; quorum caussa fuit a Iudæis crudeliter oppugnatus, & in maxima sæpe discrimina salutis inductus. Qua ratione hæc piacula legis, opera legis appellentur: quo modo illa etiam opera, quæ vi tantum humanæ rationis efficiuntur, quibus homines confidentius innixi, munus, & præmium non secundum gratiam, sed secundum debitum importune flagitant, sint ad legis opera reuocanda: quo modo pietatis, caritatis, humanitatis, & honestatis officia sint ad fidei vim, & sanctitatem referenda: in quanta cæcitate versentur illi, qui locis his Pauli minime perceptis, & a verissimo sensu detortis abutuntur, vt opera sanctorum hominum non inutilia tantum, sed etiam scelesta esse confirment; satis aperte in nostris de Iustitia libris, qui iam in lucem prodierunt, ostendi: & iccirco ea repetere hoc in loco minime necessariū duco. Non igitur, quæ sunt ratione coniuncta, dissoluo: immo, quæ sunt maxime dissidentia, atque repugnantia, temere coniungi, & conglutinari, non patior. Cum enim nos perpetuo Paulus ad virtutis, & innocentiæ, & caritatis studium ardenter exsuscitet: cum dicat, vnicuique secundum operis rationem esse mercedem, & præmium constitutum: cum eos, qui sunt ad Christum adiuncti, ablutos, & expiatos omni flagitiorum macula, & sanctos asserat: cum eosdem vitæ puritate, & virtutis splendore astris simillimos esse confirmet: quid magis huic sententiæ, toties, & cum tanta constantia repetitæ, contrarium esse potuisset, quam affirmare, eos, quos puros, sanctos, claros, splendidos, diuinis virtutibus ornatissimos esse prædicat, peccatis infectos esse, eorumq. opera non solum nullam ad iustitiæ cumulum, & perfectionem vim habere, sed esse impura, & flagitiosa, & naturæ corruptæ vitijs infecta? Ipsum autem locum Pauli, quem adducis, videamus. Paulus, inquis, asserit, nullum in illis exitij periculum esse, qui in Christo sunt insiti. Sed assumimus etiam illud, quod in eodē contextu est: Qui non iuxta carnem versantur, sed secundum spiritum. Recte quidem assumitis. Sed videamus, qui sint illi, qui secūdum carnem, vt Paulus inquit, ambulant. Illi certe, vt ipse scribens ad Galatas affirmat, qui adulterio, qui flagitiosa libidine, qui vitæ turpitudine, qui dira superstitione, qui odio, simultate, partium contentione, qui turbulentis dissidijs, qui sectis pestiferis, qui inuidia, cæde, & crudelitate, qui ebrietate, & ingluuie, qui his, & alijs eiusmodi flagitijs corrupti, & contaminati sunt. De quibus, inquit ille, prædico vobis, quemadmodum & ante denuntiaui, quod, qui talia faciunt, hereditatem Dei minime possidebunt. Neminem excipit: non dixit, nisi fidē habuerint. Nondum scilicet ista noui Euangelij lux oculis illius affulserat. Qui autem secundum spiritum versentur, eos esse dicit, qui fructu spiritus suauissimo, & iucundissimo potiuntur. Fructum autem spiritus esse dicit, caritatem, gaudium, pacem, virtutis constantiam, benignitatem, bonitatem, fidem, non remissam videlicet, sed eam, quæ quidem est cum obedientia coniuncta, mansuetudinem, continentiam, & reliquas eiusmodi laudes, aduersus quas nullum crimen ex lege potest intendi. Posset autē, si fuissent aliquo flagitio maculatæ. Nullo igitur modo Paulus ijs, qui sola fide Lutheri nixi sunt, sed qui opera sancta moliuntur, omniaq. officia vitæ ad gloriam Christi dirigunt, regni sempiterni patrimonium pollicetur. Hic tu rursus clamabis, & hominum, atque diuorum fidē implorabis, tam insignem calumniam ferri, atque sustineri non posse. Vos enim non ita in sola fide spem habere repositam, vt nō simul opera ad salutem esse necessaria statuatis. Iam non disputo, quam sit absurdum, in ea re aliquod salutis præsidium reponere, quæ scelere infecta sit. Et iccirco, si opera omnia, vt Lutherus ait, sunt infecta flagitijs, ea non diligenter efficienda, sed contemnenda, & repellenda sunt. Id tamen omittamus, & consideremus, quo modo sint opera, quantumuis illa sint vitijs inquinata, vobis tamen necessario suscipienda. Id enim etiam diligenter inquisiui. quia, inquiunt, fidē necessario consequuntur. Non quidem, quod opera viam ad salutem muniant, (nec enim ea per se in iudicium veniunt) sed quia in illis fidei quidam partus insit. Vt enim arbor fructū ex se vi naturæ profundit, ita fides opera necessario gignit. Hæc quidem vestri dicunt: quorum vtrumque falsum est. Primum enim opera ipsa vel salutem, vel exitium afferunt. Ipsa nāque per se diuini iudicij ponderibus examinanda sunt. Secus enim numquam Dauid diceret, Deum redditurum vnicuique secundum illorū opera. Numquam Paulus assereret futurum, vt Dominus redderet mercedem cuilibet secundum operis vel boni, vel mali rationem. Numquam homines ea comminatione perterreret, quod simus omnes ad tribunal Christi statuendi, vt referat vnusquisque quidquid vel boni, vel mali gessit in vita, & proprium cuiusque opus exactissime ponderetur. Numquam, ne plura testimonia consecter, (sunt enim innumerabilia) sanctissimus ipse iudex diceret, ibūt, qui bona egerunt, in vitam æternam: &, qui mala egerunt, in ignem æternum. Deinde illud etiā

falsum

falsum est, ex Lutheri fide necessario opera nasci. Meam quidem fidem, Haddone, non tuam, si Lutherum audis, opera consequuntur. Quomodo, inquis? quia fides ex auditu, auditus per verbum Christi. Ergo, cum mea, hoc est, Ecclesiæ sanctæ fides Christi verbis innitatur, & Christus ipse dicat, omnes, qui pænitentiam nō egerint, interituros; illa fides, quam Christi verbis adhibeo, facit, vt pænitentiam agam. Rursus, cum idem Dominus ait: Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis: si fidē Christi verbis habeo, & in illius amicitiam recipi vehementer exopto, omnes neruos animi contendam, vt, quæ sunt ab illo imperata, conficiam. Cum vero idem prænuntiet, non eum, qui illū Dominum appellat, sed qui omnia opera ad voluntatem sempiterni patris administrat, in Regni cęlestis possessionem vēturum; si fides mea non languescit, sed viuit, atque viget, & Regni illius cupiditate flagrat, ea fide stimulor, vt ad Dei voluntatem omnia studia mea dirigam. Iā ne vides, qua ratione fides hæc opera sancta gremio, & complexu suo contineat, quæ ex illius fecunditate generata sunt? Nunc Lutheri fidem videamus, an parere aliquem vitalem fetum possit. Nullo modo. Primum quidem, quia opera omnia, quamuis sancta videantur, scelere contaminata esse dicit. Nemo enim, quod est contaminatum, atque flagitio pollutum, aliqua æstimatione dignum iudicat. Deinde, quia tantas vires esse cupiditatis statuit, vt illi resisti nulla ratione posse confidat. Cum vero nemo possit opera sancta moliri, nisi primum regnum peccati exscindat, peccati vero regnum, si Lutherus vera prædicat, exscindi non possit; restat, vt nemo queat vlla ratione aliquod opus sanctum exsequi. Quis enim est tam sine mente, qui velit frustra, atque sine vllo fructu, in re aliqua operam suam ponere? Postremo, quia illa est a Luthero iustitia constituta, cui non sit necessarium operis, & muneris adiumentum. Nā, si ego mecum statuo, per fidem iustitiam Christi, perinde atque si mea esset, a Deo mihi attribui, atque ita me, quamuis in flagitijs verser, & in illis perseuerem, esse tamen illam summam Christi iustitiam consecutum; quo studio, qua cura, qua solicitudine stimulari possum, vt aliquod præclarum opus efficiam? Cum igitur Lutherus & opera sancta contemnat, & spē puritatis, & sanctitatis incidat, & per eam fidem, quam finxit, omnem supplicij metum tollat; nōne constat, illum fuisse sancti operis euersorē? honestatis, & pietatis exstinctorem? quamuis aliquando populares suos se in studium virtutis incitare simulasset. Itaque perspicuum est, virum istum cælestem, quem laudibus diuinis afficis, & operum contemptione, & honestatis desperatione, & commentitiæ iustitiæ confidētia, omne agendi, & operandi studium sustulisse. Ad aliam deinde querellam tuam veniamus, in qua dicis, me nullum dicacitati modum statuere, cum stupiditatem illam deplorem, qua Lutherus humanam voluntatem fatali necessitate constrinxerit. Equidem, inquis, iracundia non soleo commoueri; tamen me diutius tenere non possum. Magna culpa mea est, Haddone, quod te, hominem natura mitem, atque mā-suetum, hac mea, vt ais, loquacitate insanire compulerim. Audiamus igitur hominis iracundia iustissima furentis orationem. Quid igitur ais? Non solum, inquis, hebes, & imperita, sed etiam blasphema hæc est tua calumnia, quam ne lapides quidem ipsi, de quibus commemoras, si loqui possent, contra nostros intorquerent. Noui, Haddone, locum isti amplissimo dicendi generi, quo nunc vteris, accommodatū. Itaque exspecto, dum lapides ipsos loquētes inducas. Ais deinde: Sed animaduerte paullisper ad scripturas, & resipisce. Eas quidem ego diligenter animaduerto. Sed nondum Gualtero doctore vsus sum. Attendo nunc igitur, an possim, te duce, ad clariorem consiliorum diuinorum notitiam peruenire. Velim igitur istam admirabilem sapientiæ supellectilem nobis explices. Quid igitur ais? Deus Pater in Christo nos elegit, ante quam iacerentur fundamenta mundi, vt essemus sancti, & irreprehensibiles corā ipso. Vnde, quęso, nosti, Gualtere, te esse electis annumerandum? Præterea, qui sunt sancti, & irreprehensibiles coram Deo? Illi certe, qui omni vitio carent. At, auctore Luthero, vos vitio carere non potestis. Peccatum enim deletum esse negat, sed omnium flagitiorum incendium ex illo, tamquam ex incenso fornace, prorumpere dicit, quod omnia circumquaq. deuoret, atque consumat: ex quo fit, neminem esse irreprehensibilem. Quod si tu fortasse non de te, sed de genere vniuerso loqueris, cum nemo sit, qui omnino crimine, si Lutherus verum loquitur, liberatus sit; nemo poterit irreprehensibilis esse. Diuinam, inquis, electionem audis ex Euāgelio, quam tuus sermo tantopere detestatur: & tempus audis. Ego electionem detestor? quo ore id dicere audes? quo in loco? quibus verbis? apud quem? quo teste? quo conscio? quibus in scriptis id a me dictum esse conuincere potes? Adeo ne iuuat, quidquid in buccam, vt aiunt, venerit, effutire? Nec id affert, inquis, hęc electionis necessitas, vt in omnes libidines, & nequitias effundamur, quemadmodum tu quidem impie iocaris; sed vt sancti simus, & irreprehensibiles coram Deo per caritatem; vt in expressis Euangelij verbis positum est. Quāuis non te plane intelligo, arbitror tamē te mecum facere. Idem enim dico, nos nulla necessitate ad malum compelli, cum Deus nobis liberam, vt ex multis Scripturæ locis constat, & vitæ, & mortis optionem fecerit. Ergo liberi sumus, & non vlla fatali necessitate cōstricti. Sed rursus, huius oblitus sententiæ, Pauli locos adducis, quibus, vt suspicor, libertatem nobis eripere conaris. Deus, inquis, est, qui in nobis operatur, & velle, & perficere. Paulus istis verbis voluntatem alligauit, & adstrinxit facultatem.

Neque

Neque Paulus id vmquam cogitauit, neque magistri tui mentem Pauli percipiunt: tantum abest, vt tu, qui multo illis inferior es, illius sententiam consequi posis. Verum quidem esse fatemur, & cogitationes, & opera nostra, quæ cum vera laude suscepta atq. perfecta sunt, ad Deum, cuius illa numine perficiuntur, referenda esse. Nisi enim me Deus in pestem ruentem auocauisset, nisi me spiritus sui consiliis admonuisset, ne me præcipitem in sempiternam miseriam darem, nisi me salutari, atq. firmo præsidio confirmasset, vt pietatis munus, quod mihi imperabat, exsequi possem; neq. boni quidquam cogitare, nec exsequi valerem, omneque meum studium frustra fuisset in opere vel designando, vel perficiendo consumptum. Id tamen dicimus, posse nos non assentiri monitis, posse aspernari beneficentiam, repudiare clementiam, & collectam gratiam per flagitium, & scelus effundere. Ego, inquit ille, sto ad ostiū, & pulso. Non ait, Fores effringo, aut cardines conuello, atq. violenter irrumpo. Sed, Pulso, tātum. hoc est, admoneo, periculū denuntio, spē salutis ostendo, auxilium polliceor, & ad me beneficiis allicio. Ais tamen: Quid igitur? Nihil inter nos, & lapidem interest? Obtusior sit lapide, qui sic colligat. Quasi ego, Gualtere, id ex Pauli sententia, & non ex Lutheri tumulentia collegerim, vt paullo post videbimus. Idem, inquis, ipse Paulus nos Dei cooperarios appellat, & in timore iubet, atque tremore propriam salutem operari. Non vides igitur ex ipsis Pauli verbis, libertatem illius auctoritate constitui, quam Lutherus conatur euertere? quo modo enim dixisset, nos esse Dei cooperarios, si nemo quidquam in opus, quod Deus in nobis efficit, contulisset? quo modo admonuisset, vt salutem nostram operaremur, si id in nostra manu minime fuisset? Sed tu, quemadmodum in illa coniunctione fidei per caritatem operantis, & operum prorsus inutilium, ea conglutinare Pauli testimonio frustra contendebas, quæ nulla ratione cōiungi possunt; sic acumine isto tuo singulari, quod nos idiotæ minime cōsequimur, efficere vis, vt Pauli mente, & sententia, libertas simul, & seruitus, arctissimo societatis vinculo constringatur. Nūc igitur Pauli locos adducis pro libertate; rursus alia testimonia, quę tibi seruitutem cōfirmare videntur. At ego eo ipso argumentō pugno, vos numquam, quanta sit in Paulo sapiētia, nēpe, in cuius animo Christi spiritus insidebat, suspicari potuisse, quod illum ea, quæ sunt valde pugnantia, dicere contendatis. Et tamen dicis, me Euangelium detestari. Lutheri quidem Euangelium. Cum Lutherum dico, Melanchthonem, Bucerum, Caluinum, & reliquos heroas vestros intellego. Quāuis enim illa multiplicia sint aquarū diuortia; omnia tamē ex vno fonte manarūt. Quod Pauli vero testimoniis ad astruēdam impietatem vestrā abutamini, id ferendū nō puto. Ais deinde: Ex Pauli tribus verbis cognosces. Quid? Omnia possum in Christo, qui me corroborat. & Augustinus eādem sententiam aliis verbis elegantissime conclusit: Deus in nobis ipsa sua coronat opera. Recte. Sed quorsum ista? Num ij sumus, qui cum Pelagio faciamus? Diximus ne aliquādo, posse nos viribus nostris, & industria nostra opus aliquod dignum vera laude perficere? Numquam profecto. Et tamen tu hoc in loco, quasi profligato iam bello, intēperantius exsultas; & ais: Quid est? An non vtique communitam eernis auctoritate sacrarum litterarum Dei prouidentiam? Et tamen intelligis, eādem non esse peccati matrem, sed alumnam omnis officij? Haddone, quæ te febris tenet? Quæ furiæ exagitant? quæ pœnæ scelerum persequuntur? Vbi audiisti, aut legisti, me Dei prouidentiam negare, aut asserere, ex ea maleficium aliquod oriri? Huneeine furorem? Hanccine dementiam? Hanccine impudentiam? Id enim ex meis scriptis colligere minime potuisti: nisi fortasse putas, Dei prouidentiam non posse vllo modo consistere, nisi libertas humanæ voluntatis omnino sublata sit. Si id putas, es amentissimus. Si non putas, & tamen falso mihi crimen intendis, impudentissimus. Et tamen ais: Sed fontes ipsos adeamus, e quibus cum mella dulcissima manent, tua tamen corruptissima mēs pestilentissimum ex illis venenum exsuxit. O Gualtere, quantum te delectat, istud maledicentiæ venenum, quo repleti estis, euomere? Dicebat Paulus, ad Galatas scribens, Vtinam abscindantur, qui vos conturbant. Similiter ego Christum Deum meum, meæque puritatis, & integritatis auctorem, precor, vt omnes, qui impura mente, contaminatis oculis, sacrilego conatu ad trāctandas sanctas litteras accedunt, aliquando tandem resipiscant: aut, si id facere noluerint, diro supplicio mactentur potius, quam tantam vim malorum communibus Ecclesiæ rebus importent. Hoc in loco, Christe sancte, quos impetus facis? Quam mirifice pugnas? quibus verbis tamquam victor insultas? Non enim solum cornua, vt dicebas, commouere, sed totam aciem fundere tibi plane videris. Varios Pauli locos adducis minime necessarios, quibus prouidentiam esse confirmes. Deinde in me inueheris; quasi ex Dei prouidentia, si esset vlla, collegerim, hominem sensibus orbari. Quod quidem est mendacium impudentissimum. Numquam enim id in oratione mea legisti. Nec ex Dei prouidentia sequitur, hominem esse stipitem, sed ex Lutheri dementia, qua contra Dei prouidentiam libertatem tollit. Sed tu fortasse Lutheri scelus ita cum prouidentia coniunctum opinaris, vt, qui Lutheri furorem insectatur, eundem Dei prouidentiam labefactare putes. Ego contra statuo, eum, qui Lutheri scelus imitatur, Dei prouidentiā quantum potest, euertere. Sed quid hoc est? Cur nō aperte, quod sentis, edisseris? Cur te in latebras istas cōiicis? Cur Babylonicę seruitutis

scelere plectamur, quod sponte nostra non suscepimus. Est id, Haddone, verum. Neque tu argumenta mea diluisti: nec vllum Pauli testimonium, quod me a sententia depelleret, attulisti. Et tamen, quasi iam id quod volebas effeceris, exsurgis, & vehementius insistis, illaque verba ex intimo artificio depromis. Ais enim: Num fingo quidquam? Num muto? Num voces tuas recognoscis, partim falsas, partim impias? Hæc cum satis oratorie declamares, eaque te dicendi acrimonia paullo insolètius extolleres, istud tam clarum dicendi lumen conuicio de more tuo multo clarius illustras. Inquis enim: Nimirum tu ille superbus responsator es, cuius factũ acerrime Paulus obiurgat. Tu, cum vas testaceum sis, ex luto, & argilla factum, a figulo scire vis, quem ad vsum te temperauerit? Hæc, & his similia in me conuicia iactas, & admones, ne mea hac tam intoleranda superbia velim homines Dei prouidentia nixos euertere. Hæc tu quidem nimis iracunde. O vas aureum, Buceri artificis excellentis opere perfectum, ne contemnas oro vasa fictilia. In illorum namq. manu positum est, aurea vasa fieri. In magna, inquit Paulus, domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, & quædam in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile domino, & ad omne opus bonum paratum. Vides, quomodo Paulus ostendit, fore nobis facillimum, si velimus, ex vasis ligneis, & fictilibus in aurea, & argentea vasa conuerti? Quomodo autem id fieri possit, aperte demonstrat, cum ait, Si emundauerit se ab istis. A quibus? Ab illis nempe, quos paullo ante dixerat, quorundam fidem subuertisse. Sed, vt intelligas, quam male tui doctores ea Pauli testimonia, quæ in aceruum congessisti, interpretati fuerint, necessarium arbitror Pauli mentem explicare. Quod vt conuenientius fieri possit, est animaduertendum, in quem finem Paulus ea omnia argumenta contulerit. Cum is igitur amplissima oratione felicissimum illum statum eorum, qui, contempto, & abiecto naturæ humanæ fastu, & antiquatæ etiam legis institutis neglectis, totos se in Christi studium contulerant, & ita contulerant, vt non secundum carnem ambularent, sed secundum spiritum, hoc est, vt omnes labes impuritatis, & nequitiæ repellerent, & cupiditatis nefariæ fibras amputarent, & virtutis, & pietatis, & iustitiæ officia ardenti studio colerent: cum ita munera, & dona, quibus mentes eorum, qui fuerant in Christi fidem recepti, & moderatione sancti spiritus instituti, mente recoleret, gaudio incredibiliter exsultauit. Quo autem maior hæc lętitia fuit, eo grauius afflictari cœpit recordatione casus acerbissimi, quo gens sua corruerat, & propter immanem perfidiam, & diram mentis cæcitatem illas tantas opes amiserat. Sed, cum multi ex illa Iudæorum ruina materiam sibi compararét, ad Dei fidem labefactandam: dicebãt enim, esse indignissimum veritatis diuinæ constantia, gẽtem in exspectatione summæ libertatis, & felicitatis enutritam, promissisq. diuinis ad spem cœlestis, atque sempiternæ hereditatis excitatã, euerti bonis omnibus, & in tætra, & detestanda caligine relinqui: & icirco colligi posse, vel nondum esse lucem per Christum rebus humanis allatam, vel Dei fidem concidisse. Cum igitur his argumentis homines effrenata mente Dei gloriam indignissimo conuicio maculare conarentur, Paulus pro Dei gloria pugnat, argumentisq. firmissimis ostendit, Deum in fide permansisse, & ea omnia, quę promiserat, cumulate præstitisse. Hoc autem significat, cum ait: Nõ quod exciderit verbum Dei. Huius autem defensionis probationem ex quattuor locis assumit. Primus autem est, veri Israelis explicatio, vt, cum esset intellectum, gẽtes ad Christũ aggregatas in Israelis stirpe censeri, perspicuũ fieret, in earum salute, & dignitate Deum promissis egregie satisfecisse. Alter locus fuit, quo demonstrauit, multos etiam Israelis sanguine propagatos salutem fuisse consecutos. In illo namque naufragio reliquiæ per fidem ex immanissimis illis perfidiæ tempestatibus, & fluctibus euaserunt. Tertio vero loco docet, per Deum minime stetisse, quo minus omnes Iudæi ad salutem peruenirent. Nam Deus ipse opes suas promptas, & paratas habebat, eosq. ad se crebris vocibus alliciebat, & ad fructum suæ benignitatis inuitabat: illi vero, confidentia legis inflati, & superbia furentes, inuitantis liberalitatem animo ingrato, & in sceleribus obstinato repudiarunt. Postremo prænuntiat futurum, vt, postquam plenitudo Gentium intrauerit, omnis Israel saluus fiat. Et his quidem argumẽtis, quæ fuse persequitur, quanta constantia Deus in fide manserit, sane luculenter ostendit. De quibus ea tantum attingemus, quæ ad præsentem disputationem faciunt. Itaq. primum Israelis definitionem cum æquitatis explicatione coniungit. Docet autem, Israeliticæ nobilitatis rationem nõ sanguinis communione, sed fidei propagatione contineri, eumq. esse verum Abrahami filium, qui secundum diuinam promissionem, quam fides intuetur, & non secundum carnem, qua homines humi strati tument, exoritur. Non qui filij carnis sunt, inquit, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis autem verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Ne autem dici posset, ideo fuisse Isaac Hismaeli prælatum, quod fuisset ex matre libera susceptus, aliud geminorum fratrum exẽplum similiter adducit. Iacob enim, & Esau ex eodem patre, & ex eadem matre, & eadem hora suscepti, & in lucem editi sunt: & tamen Iacob fuit in patris hereditate constitutus, e qua Esau Dei prouidentia eiectus fuit. Quod si nascendi condicionem respicias, Esau videbatur esse praferẽdus, cum prior in lucem pro-

diisset. Si operum merita consideres, ante quā nati essent, aut quidquam boni, aut mali egissent, diuino consilio decretum fuerat, vt Iacob principatū obtineret. Hac similitudine in oculis constituta, confirmat Paulus, hanc Israelis nobilitatem, nec ad humanum genus, nec ad antiquitatē, nec ad antecedēs meritum, sed ad Dei gratiam, quæ secundum electionem omnia merita virtutis, & pietatis antegreditur, esse reuocandā. Gessit enim Iacob eorum imaginem, qui, fide nixi, gratiam, & benignitatem Dei respiciunt: Esau vero illorum speciem retulit, qui operum humanorum confidentia, sine respectu ad diuinam gratiam, efferuntur. Hoc igitur ex hoc Pauli loco colligimus, nec humanum genus, nec opus, neq. legem, sed Dei electionem, & vocationem, & gratiam veros Israelitas efficere. Sed videamus. Hæcne tā insignis Dei misericordia nobis absq. vllis nostris meritis adhibita, sine vllo delectu tribuitur? Minime. Sic enim casus, atque temeritas in Dei iudicio versaretur, quod nemo potest absque scelere nefario suspicari. Vt igitur Paulus hanc opinionem sceleris plenam depellat, ait, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictū est, quod maior seruiet minori. Electionis nomen, discrimen consilio sapiēter animaduersum designat, & aliquid in re delecta fuisse indicat, quod in neglecta, & repudiata nō fuerit. Propositū enim Dei, est anticipatum iudicium, quo Deus secundum electionem, & prænotionem eorum, quæ futura cernit, alios clementer ad gloriam destinat, alios iuste exitio sempiterno deuouet. Nō enim Dei sapientia, quæ omnia, quæ fuere, quæ sunt, quæ euentura sunt, infinita mente complectitur, ad hoc iudicium faciendum, res ipsas exspectare compellitur. Quid autem illud fuit, quod ante delegit? Num opus, aut meritum illius gratia dignum? Non certe. Sic enim gratia non esset gratia. Constat autem, gratuita tantū Dei clementia nos e flagitiorum tenebris ereptos, in iustitiæ possessione constitutos fuisse. Nihil enim nobis debebat. Immo, propter insitum in corporis natura, immanitati cupiditatis obnoxia, post peccatum erga diuinam legem odium, omnes eramus supplicio sempiterno dignissimi. Porro autē, quamuis illa summa, atq. sempiterna bonitas velit, vt Paulus ait, vt omnes homines salui fiant; iustitiæ tamē ratio minime patitur, vt, qui diuina beneficia ingratis animis aspernantur, & in cō scelere ad extremum perseuerant, ea percipiāt. Iustissime sunt igitur diuinis opibus exclusi, qui cum Dei bonitate pugnant, neq. volunt vllo modo in illius gratiam recipi. Cum vero Deus id ab omni æternitate futurum prænouerit, eos clementer elegit, qui non erant illas tantas opes ad extremum contumaciter aspernaturi. Sic igitur factum est, vt alij iusto iudicio improbati, alij vero summa clemētia ad sempiternas opes fruendas euocati sint. At, inquis, fortasse, tu humanum aliquod meritum Dei gratiam antegredi dicis? Nullo modo. Nam & ipsa animi inductio, qua Dei monitis, & consilijs assentior, & beneficia illius non abijcio, ad gratiam, & benignitatem illius, qui me vocauit, & mentem meam inflexit, referenda est: & in salute, & dignitate recipienda nullum meritum exstat. Si enim sum tenuis, & egens, extremaq. rerum inopia conflictor; quod nam meritum meum est, cum principis magnificentissimi, qui mihi nihil omnino debebat, opibus sustentatus, & locupletatus sum? Quid mihi debet medicus, qui vulnera mea sponte sua sanauit, eo quod me ab illo curari permiserim? Quid rursus is, qui me latronum insidijs circumuentum e mortis ipsius faucibus eripuit? Nihil prorsus. Sic igitur fit, vt, qui in gratiam Dei recipiuntur, clementissime conseruentur; &, qui gratia illius excluduntur, rectissimo illius iudicio repellantur. Sequitur deinde: Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deū? Absit. Mosi enim dicit: Miserebor, cuius misereor: Et misericordiam tribuam, cui misericordiam tribuo. Rationem assignat Paulus, quare nullo modo possit quisquam Deo iniquitatem assignare. Defensio namque iustitiæ, tota est in misericordia constituta. Illa namque misericordiæ diuinæ repetitio significat summam illius in misericordia tribuenda constantiam. Misericordia autem Dei, illius iustitiam omni calumnia liberat. Quasi dicat ipse dominus, ita sum natura misericors, vt nihil libentius faciam, quam peccatis veniam impertiri; & in eis tuēdis, quos in fidem recepi, summam, atque sempiternam in adhibenda misericordia constantiam cōseruare. Ergo cum peccatis suppliciū irrogo, satis explorate cerni potest, eos, qui supplicijs afficiūtur, culpa sua perire. Nam, si voluissent ad officium redire, eadem misericordia conseruati fuissent. Sed, cum sponte sua tenebras luci, seruitutē libertati, egestatem diuitijs, mortem vitæ prætulissent; iustum fuit, vt in acerbum supplicium traderentur. Hoc quidem loco, quem Paulus de misericordiæ diuinæ firmitate diuinitus adducit, cernimus diuinam iustitiam omni calumnia liberari. Itaque nemo poterat in Iudæorum calamitate Dei fidem requirere, sed eorum, qui seruari misericordia illius noluerant, perfidiam, atque scelus insectari. Tum, vt magis eandem sententiam confirmet, atque doceat, omnem spem salutis esse in tam proposita omnibus clementia collocandam, ait, Non igitur volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Voluntas studium designat: cursus, egregium ad honestatem conatum: quorum vtrumque Dei beneficio continetur. Is enim est, qui me crebris monitis impellit, vt velim: is etiam est, qui mihi alacritatē addit. Attamen neque studium meum, nec alacritas prospere cadet, nisi is clemētia sua & voluntatē, & egregiū conatum ad perfectionē adduxerit. Vires enim franguntur, & spes omnes euane-

euanescunt, quoties Dei misericordia propter ingrati animi crimen a nobis abscedit. Cum igitur aliquid præclarum gero, id neque est humanæ voluntati ad honestatem natura propensæ, neque contentioni, sed Dei clementiæ tribuendum. Vt autem clarius cerni posset, Iudæos nō Dei iniquitate, vt perfidi homines asserebant, sed sua perfidia, & scelere voluntario concidisse, simile exemplum improbitatis, & perfidiæ commemorat. Pharaonem namque Deus simili ratione ad officium inuitabat, & a perfidia deterrebat. Ille tamen Dei clementia, insita superbia, & contumacia, ad suppliciū multo grauius abuti voluit. Ait igitur: Dicit enim Scriptura Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Quo in loco duo sunt annotanda. Primum quidem, Pharaonem nullo modo fuisse in eum furorem impulsu numinis incitatum, vt Paulus ipse paulo inferius aperit. Alterum est, ideo fuisse Pharaonis scelus a sapientissimo, & optimo rerum omnium Domino, qui ex malis bona semper elicit, & perturbata in ordinem reducit, diu toleratum, vt, exemplo seueritatis edito, multos mortales in officio contineret. Hoc autem clarius potest animaduerti, si hæc ad Hebræū fontem exquiramus. Sic enim hæc oratio verti commode potuisset. Propterea te consistere passus sum, vt ostendam tibi potentiam meam, & prædicetur nomen meum in vniuersa terra. Non dicit, Ego tibi mentem eripui, & te insanire compuli, vt mihi perpetuo repugnares: sed, Te diu sustinui, debitumque supplicium distuli, vt id ad ampliorem gloriæ meæ fructum, multorumque mortalium salutem reseruarem. Vocabat ille quidem Pharaonem ad fidem, & officium. Pharao vero, cum illius benignitatem contemneret, & quasi equus indomitus effrenata mente rueret; fuit non diuinæ tantum seueritati, sed etiam misericordiæ consentaneum, vt iustissimo Pharaonis supplicio multi perterriti, ad officium reuocarentur.

Vt enim reip. moderatores, eos, quos lenioribus pœnis sanare non possunt, constantia seueritatis exscindūt, vt illius supplicij metu ciues reliquos in officio contineant; sic summus ille rector in eos, qui corrigi nolunt, susceptumque scelus impudentia cumulant, exemplum summæ seueritatis edit, vt illorum exitio hominum vniuersati prospiciat, &, cum pœnā sceleratis imponit, multas summæ clementiæ partes tueatur. Quid igitur est, quod tam sæpe videmus illud repetitum, Et indurauit cor Pharaonis? Indurare, est, materiam improbis, & sceleratis, qui bonis ad malitiam abutuntur, maioris sceleris, & contumaciæ præbere. An ignoras, inquit Paulus, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. Ad hunc igitur modū Deus eam Pharaonis duritiem non efficiebat, sed Pharao Dei clementiam repellebat, & propter insitam duritiem, & prauitatem, ipsius Dei clementia ad immanius scelus abutebatur, & iræ diuinæ cumulum sibi miris in dies accessionibus amplificabat. Animaduerte autem mirabilem argumentorum connexionem. Primum quidem demonstrat, Israelis veri vim, & rationem non humana natura, sed diuina gratia contineri. Gratiæ vero diuinæ magnitudine, quæ omnibus exposita est, qui illa frui voluerint, iustitiam diuinam confirmat. Ex ea namque misericordia constat, eos, qui perierunt, suo scelere perijsse. Id autem clarius ostendit Pharaonis exemplo, qui clementiam repudiauit, & voluntate sua in pestem irruit: vt intelligi posset, Iudæos similiter voluntaria cæcitate, & animo in scelere nimis obstinato, & obfirmato, cecidisse: nec illorum exitium esse ad Deū, qui eos ad salutem vocabat, sed ad eorum immanitatem, & peruicaciam, qui illius benignitatem respuebant, referendam. Adiungit deinde: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Quod non sic est accipiendum, vt ille sine summa ratione velit, quod vult. Non potest enim illius sempiternæ sapientiæ voluntas a mentis, & rationis, & consilij coniunctione diuelli. Vult autem electorum fidem non secundum debitum, sed secundum gratiam remunerare. Vult etiam eos, qui opē illius repudiāt, præsidio spoliare, iudicioque peruertere. Subiungit deinde: Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur. Voluntati enim eius quis resistet? His verbis Paulus personam hominis audacis, atque de consilio diuino temere iudicantis, & sententiam hanc perperam intelligentis, inducit, cui impiam orationem attribuit, vt commodius ipsius impietatis vocem comprimat. Si verum, inquit quilibet homo nefarius, est, Deū cuius velit, misereri, & quem velit, negligere, & in animum duritatem inducere, nemoq. potest illius voluntati resistere, qui peccat, necessario peccat. Si necessario peccat, cur Deus tam sæpe de improborum hominum duritie, & immanitate conqueritur? Hanc orationem sceleris, & audaciæ plenam duplici ratione Paulus refutat. Primum namque ostendit, esse facinus audax, de iudicio diuino iudicare. Eo enim, quod res quælibet a Deo facta est, statuendum est, licet rationē illius minime teneamus; eam non sine summa ratione fieri. Deinde, consiliū, quo Deus improbos indurat, hoc est, diu tolerat, opeq. sua tandem destituit, vt eos cum multorum vtilitate peruertat, exponit. O homo, inquit, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui illud finxit, quid me fecisti sic? An non potest figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? In quo loco considera, figuli nomine, non opus absque ratione designari, sed illud, quod artificio fit. Vt intelligas, si figulus ea ratione, qua figulus est, artificio facit, quidquid facit; multo magis Deum arte, ratione,

consilio omnia perficere. Sic igitur Paulus ait: Homo non te circumspicies? Non tuæ naturæ fragilitatem recognosces? Non Dei sapientiã, atque potentiam cogitabis? Non denique numen illius horrebis? Si esset aliquis sensus in vasis fictilibus, non essent ea vasa ferenda, quæ cum figulo, a quo ficta fuerant, de fingendi artificio contenderent. Multo igitur minus est homuncionis audacia toleranda, qui iudicium summi illius rectoris accusat, & in ipsa immensa, & infinita sapientia consilium, & artem requirit. Ita ne vero? Cuius tu rei caussam, & rationem ingenio consequi non potes, continuo nullam rationem subesse contendes? Facit figulus arte sua aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: quod autem arte fit, nemo potest iure reprehendere. Tu vero, quod ab illa summa sapientia, in quam neque temeritas, nec iniquitas cadere potest, factum est, temere, & iniuste factum dices? Hac quidem oratione hoc vnũ suscipit Paulus, vt admoneat, summum facinus esse, diuina consilia ad examẽ humanæ rationis exquirere, & de illius æquitate dubitare. Comprimit igitur tantum audaciam importunam, hominesq. temerarios, & insolentes diuini iudicij denuntiatione perterret. Deinde, quid de hac quæstione sit statuẽdum, explicat. Sic enim subiungit: Quod si Deus, volens ostendere irã, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quæ præparauit in gloriam? Oratio præcisa est: qua loquendi figura Paulus frequẽter vtitur. Hoc enim, aut aliquid aliud simile deest. Et tamen tu tam sapiens, & iustum Dei consilium vituperabis? In his quidem verbis primum notandum est, Deum vasa iræ minime finxisse. Vasis quidem naturam finxit, non flagitium, non impietatem, non reliqua scelera iudicij seueritate, quam sanctæ litteræ appellant iram, acerrime punienda. Improbi enim cuiusque voluntate fit, vt iræ vas efficiatur, qui vas misericordiæ fieri noluit. Quod vt luculentius explanet Paulus, ait, Sustinuit. Nec hoc verbo contentus, addidit, in multa patientia vasa iræ. Quid hoc est? quis tantus ille dolor fuit? Quod tam crudele supplicium, ad quod perferẽdum, non mediocri, sed summa patientia Deo opus esset? Id certe, si dolor in Deum caderet, quo nullum fingi posset acerbius, nempe flagitium, & scelus, & in suscepto scelere pertinacia. Nihil enim aliud pugnat cum illius probitate, benignitate, sapientia: nihil aliud sanctissimis illius institutis, & legibus aduersatur: nihil denique est aliud, quod summo illi odio sit. Itaque mirum esse non debet, si summa illi patientia, vt ita dicam, necessaria fuit, ad tam acerbum supplicium subeũdum. Non igitur is vllo modo Pharaonis duritatem effecit; sed magna quadã patientia voluntariam hominis improbissimi contumaciam, quæ spiritum illius afflictabat, sustinuit. Quod vt magis Paulus explicet, adiungit: Aptata in interitum. Non dicit, quæ Deus ipse aptauit in interitum, quemadmodũ dicit paullo inferius de vasis misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: vt intelligas Dei volũtate, & clemẽtia destinari pios homines ad gloriam, scelere autem vniuscuiusque voluntario exturbari improbos in supplicium, quemadmodum Isaias ait: Ite in ignem, quem vobis ipsis accendistis. Sed in quem finem, quæso, summus Dominus tanta cum patientia, atque tam diu contumeliæ vasa sustinuit? Vt ostenderet, inquit, iram, hoc est, sanctissimi iudicij seueritatem, numinisq. sui potentiam. Rursus interrogo, quorsum attinebat, velle id hominibus explicare? Vt ostenderet, inquit, diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Omnia namque facit propter electos. Restat nunc, vt videamus, quem fructum electi ex diuino iudicio in oculis constituto percipiunt. Maximum certe. Primum enim electi, dũ improbos excruciari debitis supplicijs animaduertunt, metu diuini numinis eorum animis iniecto a maleficijs abstinent. Fundamentum enim veræ sapientiæ in Dei metu consistit. Deinde bonorum virtus, improborum insidijs, & viribus oppugnata, multo clarius splendet. Magnum namque sui specimen virtus ipsa prębet, cum neque flagitiosorum hominum exemplo corrumpitur, neque perditis consilijs a studio pietatis auertitur, nec vllis minis, aut cruciatibus ab amore sanctissimæ religionis abstrahitur. Deinde, cum impiorum casu, ex quãtis sint ipsi Christi misericordia supplicijs erepti, considerant, parentem, & liberatorem suum multo ardentiore studio, & amore complectuntur. Postremo ipsa sempiternæ legis sanctitas, & diuinæ seueritatis ratio, in bonorum oculis, & adspectu proposita, clariorem Dei cognitionem tradit, & clementiam sanctis hominibus attributam illustriorem efficit: & ita eos maiore quodam gaudio perfundit. Quia igitur tantus, & tam multiplex fructus erat bonis ex improborum exitio capiendus, non attulit Deus eã improbis vim, vt coacti necessitate scelus susciperent; sed illorum voluntariam peruersitatẽ, & contumaciam patiẽtissime tolerauit, vt omnia tandem in suorum gloriam conferret. Si nõ omnẽ prorsus sensum sobrij hominis amisisti, clare cernes, Pauli sententia nullo modo libertatem tolli, sed admodum firme constitui. Hæc deinde fusius persequitur, & ostendit tandem, Iudæos superbia, & arrogantia, & perfidia, & contumacia concidisse. Elati namque iustitiæ adumbratæ confidentia, quæ sita erat in legis operibus, veram iustitiam, quæ in puritate, in sanctitate, in caritate, in pace, in gaudio consistit, & in reliquis virtutum diuinarum ornamẽtis, quæ spiritu Christi apud animos piorũ hominum collocantur, nimis contumaciter, & impie contempserunt. Hæc cum sit Pauli mens, & sententia; quis tantus ille vęsani hominis furor exstitit, vt Pauli auctoritate conaretur eã sen-

tentiam

tentiam persuadere, quæ simul hominum statū euerteret, & Deum iniquitatis insimularet? Quod nam ius est, vt improbi ipsius improbitatis, quam non sponte sua, sed vi sempiterna extrinsecus illata suscepere, pœnas luant? Lutherus, inquis, libellū edidit, quo Germaniæ tumultus exagitauit. Quod si dixisset tunc eorum aliquis, quos arguebat: Luthere, quid insontes criminaris? quid tumultuaris? quid insanis? Nos enim hoc a te didicimus, nihil esse in nostra manu positū, neque boni, neque mali, vsque adeo, vt ne cogitare quidem, quæ volumus, nobis liberum sit. Omnia siquidem Deus in nobis efficit, vt asseris, nosque tantum instrumenta quędam sumus, manu illius, quocumq. illi libuerit, emissa, summaq. vi contorta. Has igitur seditiones, & tumultus, quos accusas, solus Deus, vt tu doces, excitauit. Cum igitur summus ille Dominus, cuius potentia nullis potest humanis viribus impediri, huius tanti motus impulsor, machinator, effector exstiterit; cur nos in crimen vocas? cur contumelijs exagitas? cur ab hac seditione frustra deterrere conaris? Si hęc, inquam, aliquis ex ea multitudine, quam Lutherus asperrimis verbis accipiebat, dixisset, Quid quæso Lutherus responderet? Quam honesta ratione disciplinæ suæ constantiam cum diuinæ æquitatis defensione coniungeret? Sed, vt Lutherum omittamus: Tu, Lutheri patrone, qui illum a Deo missum asseris, quo tandem modo poteris, illius decreto firme constituto, supplicium maleficis irrogare? Si enim libertas nulla est, si voluntas est adstricta, si omnis facultas erepta, si cogitationes impeditæ, si omnia, maxima, minima, mediocria, necessitate sempiterna constringuntur, si rerum omnium siue bonarum, siue malarum solus Deus auctor, & effector est; nihil certe illi miseri, quos ad suppliciū trudi fortasse iubes, admiserunt. Quo iure igitur plectis insontes? Qua ratione innoxios supplicio mactas? Quis hanc legem sanxit, vt auctores maleficiorum crimine liberi sint, & maleficiorum instrumenta pœnas exsoluant? Quo genere orationis, si hoc defendere niteris, summum illum iudicem iniquitatis infamia liberabis? Hoccine scelus? Hanccine dementiam? Hanccine effrenatæ mentis audaciam? Et tamen Lutherus, cum eadem opera, & humanæ vitæ rationem perturbet, & Deo impudentissime crimen iniquitatis affingat; se pro Dei gloria pugnare dicit, quam deformare, & euertere conatur. Dicis autem, me eos, qui huius sententiæ auctores sunt, non minus damnare impietatis, quam si essent Protagoræ, aut Diagoræ similes. Non sum adeo hebes, vt ista dicam. Scelestiores quidem Diagora illos arbitror, & non scelere pares. tolerabilius namque puto, Deum non putare, quam maleficum, & iniustum putare. De prouidentia vero, vt iam hunc locum concludam, id tantum dico. Cum Dei prouidentia, sit consilium ex rerum prænotione definitum, si electionis verbum, si Dei propositum, hoc est, anticipatum iudicium, atque decretum sempiternum rationem, & mentem designat; is Dei prouidentiam cōfitetur, qui credit, nihil a Deo fuisse ex æterno tempore, sine summo consilio, æquitate, ratione designatum, atque constitutum. Contra vero, qui Deum asserunt, non alia ratione, nisi, quod ita illi libuerit, ex communi generis humani massa secreuisse, quos ad gloriam sempiternam dirigeret, & quos exitio sempiterno destinaret; Dei prouidentiam, quā verbo tuentur, re, atque facto conuellūnt. Qui enim mentem, & rationem tollit, prouidentiā tollit. At, quam procaciter reliqua persequeris? Tandem, inquis, satis perbacchatus, aliquid incipis concludere, summam eorum faciens, quæ nostros quereris esse demolitos, & interrogas, quid in eorum locum successerit. Iustissime queror, Haddone. nihil enim aliud video substitutum, nisi facinus illud egregiū, de quo tantopere gloriaris. Et iccirco tam crebro idem factum repetis. Pro superstitioso, inquis, delitescētium hyprocritarum otio, necessarium Christianæ professionis negotium: pro vagis libidinibus, honoratissima coniugia: pro somnijs humanorum inuētorum, sacras Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi Scripturas. Immo nihil aliud video, vt iam dixi, post sanctarum rerum vastitatem, in locum earum rerum restitutum, nisi pro sanctissimo otio, flagitiosissimum negotium: pro studio pudicitiæ, sacrilega, & incesta connubia: pro sanctissimæ disciplinæ puritate, perditorum hominum errores pestilētissimos. Vtinam, inquis, hic abrupisses contumeliosissimam epistolam tuam. etenim te fortasse conuiciorum non piget, sine caussa coaceruatorum. Me profecto tædet illa recensere. Quorsum attinet, sine argumento, sine sale, sine vlla verisimilitudine tuos te tam procaces, tam absurdos errores in auribus Regalis maiestatis, atque adeo in vniuersi orbis Christiani toties repetere? Qui tibi constas, Haddone? Non dixisti, me summum esse verborum atque sententiarū architectum? Non confessus es, meum tibi dicendi genus probari? Non me sæpe in hoc libello tuo discipulum Ciceronis appellasti? Quo modo igitur nunc dicis, epistolam illam meam sine argumento vllo (vt de sale, & iucunditate sileam) conscriptam fuisse? Non igitur, cū eloquentiā meam laudabas, vere, & ex animo laudabas. Ludebas homo vrbanissime, ludebas, ipsaque Venus, in cuius honorem templa pudicitiæ polluistis, & profana reddidistis, te salibus suis adspersit. Quamquam hoc valde vitiosum in ista vrbanitate tua puto, quod non satis potest intelligi, quando vel serio, vel ioco loquaris. Sed fortasse laudem acuminis in obscuritate positam censes, quod etiam in disputando facis. At quam crebro mihi nomen Ciceronis obijcis? Quasi me illius pudeat, aut existimem, me aliqua ex parte illius acumen, & vim, & amplitudinem scriptis expressisse: aut vno Cicerone contentus, non diutissime in maxima-

rum

rum artium disciplinis versatus sim. Tu vero, vt leguleus veteratot, & callidus, ne tibi quisquam Ciceronis nomen opponeret, diligentissime præcanisti. Nihil enim pure, nihil dilucide, nihil distincte, nihil enucleate, nihil grauiter, nihil ample dicis. Quidquid libet, in oratione ponis. Idque non argumento, & ratione, sed conuicio, & linguæ petulantia confirmas. Tum, quasi iam bellum confeceris, contumeliarum aculeis pungere, & ineptissimis interrogationibus vrgere conaris, & ante victotiam ridicule triumphas. Vnde illud: Quid ais, optime vir? Tum illud, Paulus abominatut, Hieronymus Osotius affirmate non dubitat: quasi vero id, quod impugnas, asseruerim, aut fuerit mihi cũ Paulo, & non cum Luthero certamen institutum. Illud præterea: Quid Hieronymus Osorius? Illud etiam: Num fingo quidquam? Num muto? Et his quidem verbis acer in dicendo videri concupijsti. Disce hoc ex me, si potes, quando tam infelix fuisti, vt in magistrum istũ nescio quem incideres, qui te tam inepte, & imprudenter erudiuit, interrogationes istas tum demum & graues, & vehementes esse, cum aduersarius est aliquo firmo argumento conuictus. Aliter enim ridiculæ, & ineptæ sunt, neque vim aliquam continent, sed miserandi cuiusdam futoris indicium. Ita me Christus amet, vt interdum, quamuis oratio tua mihi admodum miseranda videretur, risum minime tenuerim. Itaque liberatus sum illa fide, quam tibi dederam, fore, vt si me argumentis firmissimis, & exemplis verissimis tibi assentiri cogeres, minime repugnarem. Tu enim nec argumentum vllum attulisti, nec exemplo aliquo, quod ad rem pertineret, vsus es: & tamen, tamquam rem strenue gesseris, insultas, & inclamas, & inanes futoris, & amentiæ voces emittis. Nescio igitur quis malus genius istam tibi mentem iniecit, vt scribendi munus susciperes. Id tamen pro tuo arbitratu facies: nec enim tibi præfinio, quo minus, quantum tibi libuerit, ineptus in scribendo sis. Quod vt liberius facias, hoc tibi plane confirmo, neminẽ, qui iudicio valeat, hoc tibi crimini daturum, quod plus nimio sis Cicetoni deditus.

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN EVNDEM GVALTERVM HADDONVM

LIBER TERTIVS.



NVNC ad aliam querellam tuam, consequens est, vt respondeamus, qua indigne ad modũ mihi pati videris orationem illam meam, qua impudentiam, latrocinia, venena, conspirationes, & tã multa scelera persecutus sum, vt nõ plura olim præceptor, vt inquis, meus Cicero in Verrem congesserit, quibus Britanniam alligatam esse dixerim. In quo quidem ostendis, te litteras illas meas parum considerate legisse. Nec enim vmquam ea mens mea fuit, vt vniuersam Britanniam scelere condemnarem. Scio enim esse quã plurimos homines in ista insula, pietate, & religione præstantes, qui nũquam ab Ecclesia sancta desciuerunt, & pro Christi gloria caput, si opus ita fuerit, libenter obijcient. Quin etiam multi iam clarissima morte fidem suam vehementer illustrarunt: multi vincula, contumelias, incommoda varia pertulerunt: multi, ne tã tam religionis pestem adspicerẽt, sponte sua extorres, & exsules vagantur, maluntq. cum ærũnis, & inopia conflictari, quam tantum dolorẽ oculis suis haurire. Quod alij etiam permulti facerent, si id illis per vos aliqua ratione licuisset. Audio præterea, esse quasdam Britanniæ partes, ad quas numquam istius luis contagio peruasit, & multos etiam Principes esse, quos nulla ex parte morbus iste tam grauis oppressit. Illud etiam quidam amicus meus, homo fidedignus, qui in ista insula negotia gerit, constanter affirmauit, multo plures esse, qui in fide permanent, quam qui eam violarunt. Sed eos, ne id publice profiteantur, metu, atque minis eorum, qui rerum potiuntur, impediri. Quamdiu enim non coguntur fidem suam aperte profiteri, licet illis, quod sentiunt, taciturnitate cõprimere, vsque eo, dum vel opus sit, morte etiã proposita religionem publice tueri, vel se ad feliciora tempora, ne bonorum internecio fiat, reseruare. Accedit, quod illi, quorum mens nõ est superbia occæcata, qui non tam malitia, & improbitate, quam animi simplicitate fuerunt in fraudem istam inducti, quorum maxima copia est, facillime resipiscunt. Itaque neque totã insulam istis flagitijs affinem esse dixi, neque de omnium salute spem omnino deposui: immo confido futurum, vt breui tanta rerum conuersio fiat, vt istius pestis funestissimæ memoria deleatur. Præterea, vt iam dictum est a me, litteris illis non accusationem institui, sed Principem vestram, ne se pestiferis perditorum hominum sectis infici sineret, admonui: quod vt rectius facerem, signa, quibus vera religio a falsa distingui, veri prophetæ a falsis internosci possent, ostendi. Id si parum sapienter feci, statim videbimus. Et hæc quidẽ de litteris illis meis, quas quidem sine vllo argumento, & sine sale conscriptas esse dicis. In quo quidem grauitatem tuam requiro. Non est enim grauis hominis, oratione, quæ nullum argumentum habet, commoueri. At tu, vt conijcere ex scriptis tuis licet, lectis illis litteris, iracundia, furore, & insania flagrare cœpisti, doloremq. tuum conuicijs, & contumelijs aperuisti: eoq. progressus es, vt hæsitantiam linguæ tuam in lucem proferre minime dubitares. Fateris præterea, litteras illas nostras per omnes reip. Christianæ nationes circumferri: quod numquam fieret, si nullo argumento compositæ fuissent. Sed videamus, quo modo tu, qui nullo argumento me nixum fuisse contendis, argumentum illud meũ dissoluis, quo asserui, nõ esse a vestris magistris Euangelij puritatem restitutam, cum apud illius auditores innumerabilia flagitia dominentur. Falsum, inquis, est, quod de peruersitate nostrorum assumis. Id quidem, Haddone, tuæ impudentiæ est, id quod est notum, peruulgatum, omnium mortalium testimonio consignatum, negare velle. Non fateris Germaniæ tumultus? Non cernis oculis tuis erectam volitare libidinem? Non flagitiorum licentiam impunitam discurrere? Non templa religiosorum hominũ sanguine funestari? Non fana omnia compilari? Non insidias principibus a vestris comparari? Non omnia loca, vbi vestri ludum aperiunt, seditionibus perturbari? Quid igitur audes, id, quod non modo fieri audis, sed oculis tuis frequenter vsurpas, numquam a vestris factum esse dicere? Sed adiungis, Et id, si verum esset, ex eo, quod tu colligis, numquam efficeretur. Quo modo id non efficiatur, velim me doceas. Semper, inquis, Zizania fuerunt in messem inspersa. Semper ex vario genere semina fuerunt partim spinis suffocata, partim æstu solis inarescẽtia.

tiæ. Prophetis opponebant se pseudo prophetæ: dominus noster Iesus Christus Caiphas inuenit: Apostoli Nerones,& Decios, qui persecuti sunt Martyres. Sed hæc obsoletiora linquamus. Domum te deducam. in Ecclesia vestra nõ publice peccatur? Non aperte delinquitur? Annuis. Tuum igitur argumẽtum proijce, quod aut omnino non valet, aut contra te primum, tuamq. Ecclesiam valere debet. Hac quidem oratione nostri mucronis aciem retusam esse cõfidis. Sed, quanta sint in illa vitia, non attendis. Primum quidem non nego, id semper vsu venisse, quemadmodum in litteris illis asserui, vt in omni rep. vitia multa versarentur,& in lætis frugibus improbitatis semen spargeretur. Officium tamen diuinorum hominum, qui hoc in se receperant, vt segetes perpurgarent,& herbas frugibus noxias euellerent, optimo iure flagitabam. Quod cum ab illis factum minime cernerem, immo multo plura vitia pullulare opera eorum conspicerem; ex eo colligebam, eorum disciplinam minime salutarẽ fuisse. Quod prophetæ pseudo prophetas, Christus Caipham, Apostoli Nerones, Martyres vero Decios aduersarios habuerint, fateor. sed id multo magis argumentum meum confirmat. Semper enim virtus improbis inuisa, sceleratis odiosa, a perfidis impugnata fuit. Tantas tamen semper vires habuit, vt contra omnes fraudes, insidias,& sceleris, & improbitatis vires, salutem rebus humanis attulerit. Non enim, qui prophetas audiebant, qui Christum sequebantur, qui fidem Apostolorum conseruabant, qui Martyrum cõstantiam admirabantur, erant audaces, & facinorosi,& turbulenti, & vitijs vllis cooperti; sed sapientes,& moderati,& mites, atque mansueti, multisq. virtutibus ornati, & instructi. Quo enim magis sanctorum virtus oppugnabatur; eo segetes diuini fructus maiores, & lætiores efferebant. At vestri doctores e cælo in terras, vt inquis, missi, a magnis principibus adiuti, multitudinis præsidio constipati, nullum integritatis,& castitatis,& mansuetudinis fructum suis ciuibus attulerunt. Non de aduersariorum iniuria disputo, qua tu fortasse tuos, vt olim Martyres a Decijs, oppugnatos esse lamentabere, sed de illis ipsis, qui Lutherum, qui Bucerũ, qui Zuinglium, qui Martyrem amant, laudant, admirantur, in cælitum numero reponunt, dico, eos, qui hos tã sapientes sibi magistros adsciuerunt, nihilo meliores effectos esse: ex quo efficitur, eorum disciplinam parum salutarem illis ipsis, qui eam non impugnabant, sed mirifice comprobabant, exstitisse. Quod vero de Ecclesia nostra, (sic enim ais) an vllo flagitio laboret, interrogas: Iam de nostrorum hominum labe sæpe conquestus sum. Adhuc enim apud nos in multis regnat auaritia,& ambitio, nec libidinis radices funditus euulsæ sunt. Argumentum igitur, inquis, quo sum vsus, potest in nos facile retorqueri. Quo modo? Si enim apud nos aliquis propheta nouus exsurgeret, qui istud tantum munus susciperet, vt Euangelium perpugnaret, antiquam disciplinam restitueret, ruẽtem Ecclesiam cælesti disciplina fulciret, auditoresq. ad Apostolorum similitudinẽ transferret, nosq. illum sequeremur, nihilominus tamẽ in eisdem vitijs versaremur, tunc contra nostrum prophetam,& contra nos ipsos argumentum meum valeret. Sed nondum nobis hic tam claræ lucis splendor illuxit. quare minime mirandum est, nos adhuc in ijsdem flagitijs volutari. Vobis autem, quos noua quadam luce spiritus diuinus compleuit; qui ab hominibus, ad salutem vestram diuinitus missis, instrui de rebus diuinis facillime potuistis; qui estis iam hypocritarum superstitionibus diuino beneficio liberati; qui omnia humana contẽnitis, nihilq. omnino, quod non sit e cælo tractum, admisceri disciplinæ vestræ sanctitati permittitis; minime decorum est, aliquo flagitiorum morbo periculose laborare. Vestris namque doctoribus, quos diuinis laudibus in cælum effertis, dedecoris maculam sempiternam inuritis, illorumque doctrinam non inutilem tantum, sed etiam noxiam, atque pestilentem esse factis ostenditis. Et tamen, quoniam scire vis, qualis nostræ Ecclesiæ status sit, illum breuius, quam fieri potest, exponam. Primum quidem Euangelia neque Lutheri, neque Melanchthonis, neque Carolstadij, neque Zuinglij, neque Caluini, neque Buceri, sed Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis summa constantia retinemus: & vnam fidem, non nuper exortam,& cum temeritate,& inani cõfidentia coniũctam, sed ab Apostolis traditam, & nulla furoris,& amentiæ prauitate corruptã, colimus. Similiter in vnam Ecclesiam a Christo conditam, ab Apostolis instructam, Martyrum præsidio munitam, sanctorum hominum disciplinis illustratam, & contra omnes hæreticorũ impetus Spiritus Sancti numine defensam, & semper inuictam, inclusi sumus; extra quã pro certo habemus, nullam spem salutis ostendi. Hanc vero Ecclesiam vno sensu, vno spiritu, vnius fidei consensione constrictam,& tanta religionis conspiratione conglutinatam agnoscimus; vt nemo illam nouis opinionibus ad summam religionis spectantibus, in multas inter se temere, & turbulente dissidentes sectas deducere,& dilacerare possit. Et, quia ex Euãgelio, ex Martyrum testimonio, ex sanctorum hominum fide,& consensione, ex vsu denique rerum, & ratione cognoscimus, fieri non posse, vt Ecclesia vna sit, nisi vnum Principem summum, Christi Vicarium habeat, qui disiuncta coniungat, & dissoluta connectat, & omnes in fide, & officio auctoritate sacrosancta contineat; Pontifici Maximo, qui Christi vice hoc tanto munere in terris fungitur, libentissime paremus, &, quod ab illo nobis imperatum est, sine vlla recusatione conficimus. Vt autem hoc libentius faciamus, nos impellit rerum experientia, quod cernimus, hac auctoritate sublata, continuo sectas pestiferas, atque turbulentas irrumpere.

Hanc

Hanc vero poteſtatem non humanis inſtitutis, ſed Chriſti optimi maximi decretis contineri, præter ſacræ Scripturæ auctoritatē, totius antiquitatis, cuius minime ignari ſumus, teſtimonio compertum, & exploratum habemus. Nullius vero legitimæ poteſtatis imperium recuſamus. Auctore namque Paulo credimus, omnem legitimam poteſtatem moderatione diuina cōſtitutam eſſe, ita, vt is, qui poteſtati legitimæ reſiſtit, non tam hominibus, quam ipſi Deo reſiſtere iudicandus ſit. Inde adeo fit, vt non modo Pontificum decreta, ſed etiam regum inſtituta, quæ non fuerint legi diuinæ contraria, diligentiſsime ſeruanda ſtatuamus. In humanis autem inſtitutis hunc delectum adhibemus, vt omnia, quæ diuinæ legis ſtudium debilitant, vt inuenta humana repellamus: quæ vero ad ardentius ſtudium ipſius legis incitant, non abſq. cæleſtis numinis inſtinctu conſtituta fuiſſe iudicemus. Chriſtus namque dixit, Qui non eſt contra vos, pro vobis eſt. Iccirco fit, vt Baſilij Magni, Benedicti, Bernardi, Bruni, Franciſci, Dominici, & reliquorum hominum ſanctitatis laude præſtantium inſtituta, quæ ad vitæ Chriſtianæ perfectionem referuntur, minime conuellamus. Omnia ſiquidem illa eo diriguntur, vt ij, qui ſeſe illis adſtrinxerūt, vitæ caſtimoniam, & animi puritatem, quæ Euangelij admonitione, atque diſciplina continetur, multo ſtudioſius conſeruent, multoq. liberius, & alacrius Dei laudes nocte, atque die concināt, & ita facilius in terris cæleſtium vitam imitentur. Si quid autem fluxum, & negligentia collapſum in eorum moribus cernimus, vt id continuo antiquæ diſciplinæ ſeueritate adſtringatur, nō vt omnino tam admirabilis vitæ gymnaſium euertatur, operam dandam arbitramur. Et, quia non tantum a corporis conſuetudine, quantum optandum erat, abſtrahi poſſumus; & intelligimus, omne miſeriæ humanæ principium in negligentia, & obliuione conſiſtere; quidquid in nobis poteſt aliqua ratione memoriam diuinæ benignitatis, & clementiæ renouare, id diligenter, & ſedulo ſuſcipimus. Iccirco, quemadmodum frontem Cruce ſignamus, quem morem Baſilius ad Apoſtolorum traditionem reuocat; ita etiam Cruces non in templis tantum, ſed in ædibus etiam, & vijs ſtatuimus, vt numquam tanti beneficij memoria ex animis noſtris vllo in loco diſcedat. Nam, ſi, cum Deus Iſraelem opera Moſis ex impotenti Pharaonis dominatu liberauit, populo illi præſcripſit, vt in oculis, in manibus, in ædium locis in adſpectu propoſitis haberet ſemper aliquod monumentum illius muneris, ne vmquam ex hominum animis elaberetur; quanto id nobis diligentius faciendum eſt, qui non Moſis, ſed ſummi Domini opera, & beneficio, qui pro nobis immolatus eſt, e ſempiternis tenebris, & cruciatibus in lucem, & libertatem, & gloriam ſempiternam vindicati ſumus? Eadem ratione ſanctorum hominum ſigna ſtatuta ſunt olim, vt demonſtratum eſt, vt eorum admonitu homines frequentius mentē ad cogitationem eorum, qui ardentius Chriſti veſtigijs inſtiterāt, excitarent, & ſe facilius ad ſtudium diuinæ virtutis imitandæ conferrent. In ſanctis enim hominibus non tam homines ipſos, quam Chriſti ſanctiſsimum numen, quod in eorum animis inſidet, veneramur. Sunt enim Dei filij, Chriſti fratres, regni ſempiterni, atque cæleſtis heredes: quem ſtatum Chriſti beneficio conſecuti ſunt omnes, qui ſenſus ſuos Cruce confixerunt, vt nihil aliud in illis, quam Chriſti ſpiritus, & voluntas, & ratio vigeret: quemadmodum Paulus dicebat, Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Itaque in ſanctis hominibus opus Dei præcellentiſsimū, & naturæ diuinæ expreſſam ſimilitudinem, atque adeo Deos quoſdam admiramur, & in illorum claritate Dei ſummum, atque ſempiternū beneficium laudibus ſempiternis extollimus. Fides vero, qua viuimus, neque ſpem honeſtatis conſequendæ debilitat, neque metum ſalutis abſtergit; ſed ad diuinæ virtutis ſpem animos pios rapit, & metum etiam omnibus, qui de diuinorum iudiciorum ſeueritate cogitant, frequenter inijcit. Chriſtus enim, qui peccata, vt ſcriptum eſt, per ſanguinem ſuum in profundo demerſit, & omnes, qui ad illum cum incenſa fide acceſſerunt, ſanctitatis, & puritatis, & iuſtitiæ muneribus illuſtrauit, eis, qui detrectarent illius imperium, cruciatum ſempiternum propoſuit. Factus eſt enim, non omnibus, qui fidem oſtentant, ſed obedientibus ſibi, vt Paulus ait, cauſſa ſalutis æternæ. Itaque fit, vt ſanctorum hominū opera minime credamus eſſe cōtagione impuritatis inquinata; (id enim in Chriſti dedecus, & ignominiam redundaret: illius enim gratia, & numine perficiuntur) & eis, qui non putant vitam eſſe in ſanctis operibus exercendam, ſi in ea improbitate perſtiterint, certiſsime nouimus, eſſe ſupplicium ſempiterno tēpore ſubeundum. Confitemur, homines Chriſti auxilio, atque gratia deſtitutos, neque facere, neque moliri, neque cogitare poſſe quidquā, quod ad æternam ſalutem valeat: & proinde omnem ſpem ſalutis, omnem veriſsimæ dignitatis rationem, omne vitæ ſempiternæ præſidium eſſe in illius benignitate collocandum. Id tamen firme credimus, eſſe in manu noſtra ſitum, vel oblatum beneficium aſpernari, vel grata voluntate complecti. Cum vero neque ſanctę Crucis imagines, neque Chriſti ipſius ſigna, neque ſanctorum hominum monumenta demoliamur, tum omnium cærimoniarum ſanctitatem, ſacrorumq. religionem, non nuper inſtitutam, nec Haddoni hominis elegantis ingenio concinnatam, ſed vetuſtiſsimam, & antiquiſsimam, & ſummo ſanctorum Patrum, vt ex illorum ſcriptis facile conſtat, conſenſu retentam, caſte, & pure colendam cenſemus. Cum vero labimur, ad Eccleſiam, & ad ſacerdotis iudicium continuo recurrendum eſſe decernimus. Ibi igitur flagitij diſquiſitio fit, &, quāta ſit in illo

defor-

consecuti, retinendam, vocē patris, vt illi obediamus, imperautis, intimis animis accipiendam, corpus ieiunio coercendum, cum antiquo hoste congrediendum, vt sic tandem, armis diuinis tecti, victoriam consequi, dapibusque ab angelis ministratis refici, & recreari possimus. Cum autem tempus aduentat, quo cœnam Domini celebrandam suscipimus, ad tantum munus sanctius obeundum, nos multo diligentius solito comparamus: idq. cum lætitia, & tremore simul exsequimur. Tum oleorū consecrationē, per quam varia sancti Spiritus dona, atque munera designantur, ex Dionysio, & sanctorū hominum commentarijs conficimus; & corpus Domini omnibus, qui tunc ad illud sumendum parati sunt, porrigimus; & pauperum pedes nō aqua tantū, sed lacrymis etiam multis interdū abluimus; & eos, qui adsunt harum rerum spectaculo, cernimus, vim lacrymarū profundere. Cum vero Christum in Cruce animis intuemur; cum ludibria, contumelias, mortem, & cruciatum cogitatione percipimus; cum orationes pro omnium salute fundimus; cum Christum in ipsius imagine nudis pedibus adoramus; cum Deum ipsum de sceleribus nostris conquerentem inducimus; cum veniam suppliciter, atque demisse poscimus; quem existimas esse in Ecclesia, qui non facile ad improbitatis odium, & studium vitæ melioris excitetur? At, cum Paschæ dies venit, pompa, & celebritate, & laudibus, & hymnis ita Christi a mortuis excitati victoriam, & triumphum, & hostibus detracta spolia, & Regnum, & Imperium sempiternum prædicamus, vt præ gaudio, & lætitia desipere videamur. Sic etiam illius in cælum adscensum mente recolimus, vt arbitremur esse nobis cum illo similiter in cælestes illas sedes summis conatibus adspirandum. Quid de immenso illo beneficio dicendum est, quo diuinus Spiritus Christi discipulos diuini amoris incendio, & linguis igneis inflammauit, vt per vniuersum orbem terrarum ignem cælestem hominum fidelium visceribus implicarent? Quanto id etiam gaudio ab omni Ecclesia celebratur? Deinde, cum memoriam sanctorum hominum, in quorum animis fuit Christi numen inclusum, debita veneratione prosequimur, (nec enim fas est eos a Christi coniunctione diuellere, quos ipse secum bonorum omnium communione consociat) excitamur ad spem cuiusdam diuinitatis, cum nobiscum reputamus, eos, qui sunt eiusdem naturæ participes, fuisse propter virtutis diuinæ similitudinem diuinum etiam statum felicissime consecutos. Cum vero aliorum sanctitatem summis, vt par est, laudibus afficimus, tum vero illud vnicum puritatis, integritatis, pietatis exemplum, illud cæleste, & admirandum numinis diuini sacrarium, illud sanctissimum, atque sempiternum fœderis sempiterni tabernaculum, e quo sol iustitiæ, vt radijs suis tenebras orbis vniuersi discuteret, exortus est, colimus, admiramur, atque suspicimus; eiusdemque sanctissimæ virginis opem in rebus asperis, & afflictis sane fidenter imploramus, illiusque precibus apud filium nos sæpe iuuari perspicimus. Sic autem, anno vertente, sacra omnia conficiuntur, vt nullum beneficium Dei sit, cuius memoriam oblitterari sancta Ecclesia patiatur. Horum autem omnium bonorum ita memoriam Ecclesia repræsentat, vt non tam verbis enarrari, quam actionibus explicari videantur. Vt enim summus ille poeta dicit, Segnius irritant animos demissa per aures, Quā quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Fateor equidem, hæc omnia, quæ commemoraui, & alia eiusdem generis, quæ prætermisi, (nec enim arbitror omnia persequi necessarium) perfectionis non esse. Sunt enim rudimenta quædam, & adminicula nobis necessaria, quibus est adhuc aliquod cum mortali condicione commercium, quod quidem experiundo sentimus. Quoties enim hæc Ecclesiæ instituta negliguntur, hebescit mens, languescit industria, remittitur religionis studium, atque ita paullatim irrepit in animos pietatis obliuio. Rursus vero, cum ad ea instauranda mentem acriter applicamus, pietatis, atque religionis studium in nobis incendi, & incitari sentimus. Quod mirum videri non debet. Nondum enim nobis istius lucis splendor, qui animos vestros incredibiliter illustrauit, exortus est: nec ita sumus a consuetudine corporis abducti, vt diu omnibus istis rerum cælestium signis carere sine periculo possimus. Hæc est Ecclesiæ sanctæ, simplicis, & vnicæ moderatio, hæc institutio, & disciplina, quibus nos omnes, qui nondum summum sapientiæ gradum consecuti sumus, instruimur. His explicatis, consequens est, vt ad tuos illos homines cælestes, atque diuinos, qui, hac trita, atque vulgari disciplina minime contenti, aliam nouam, multoque magis admirandam disciplinæ rationem ciuibus suis tradiderunt, orationem conuertam. Fac igitur me cum illis ad hunc modum loqui: Magnum quidem, & difficile negotium, admirandi viri, suscepistis, & tantum, quantum numquā aliquis ex illis sanctis patribus, quorum virtutem, & ingenium admiramur, in vita suscepit, vt nouo genere medicinæ morbum inueteratū depelleretis. Cum enim cerneretis, antiquam disciplinam labi, mores corruere, cupiditatem nullis finibus arceri, Ecclesiam præcipitare, id, quod homines sanctos, atque diuinitus missos facere oportebat, admodum dolenter passi fuistis. Nec iniuria. Res enim erat multis lacrymis & acerbissimo fletu dignissima. Non tamen hoc satis vobis fuit. Mollis namque, & eneruati animi est, casum, & ruinam lamentari, nullumque remedium calamitati, præter lacrymas, adhibere. Nō igitur, quod nos faciebamus, querellis, atque lamentis, & fusis ad Deum precibus tātum malum prosecuti estis, sed opera, studio, & vigilantia vestra, ne Ecclesia omnino

concideret, curãdum eſſe duxiſtis: Et hoc quis negare poteſt, eſſe animi maximi, & egregiæ cuiuſdam virtutis argumentum. Sed videamus, quo modo id tantum, tam præſtans, & eximiũ officium fuerit a vobis effectum. Repeto igitur eam ſententiam, qua in meis litteris vſus ſum, de quibus Haddonus, vir in diſciplinis veſtris educatus, mecum aſperrimis verbis expoſtulat, Num ea ratione, qua olim ſanctiſsimi viri labantem Eccleſiam fulciebant, inflicta reip. Chriſtianæ vulnera ſananda putaniſtis? Minime. Erant enim inuẽta, vt dicitis, humana, malumq. tantum, non poterat humanis opibus, ſed diuino ſolum præſidio, atque numine propulſari. Contemptis igitur, & abiectis omnibus rebus humanis, verbo tantum diuino nitendum eſſe decreuiſtis. Recte. Illud enim eſt, quod ſanat animum, & vires confirmat, mentem illuſtrar, ad ſempiternamq. gloriam perducit. Exſpecto igitur iſtius diuini verbi, quo gloriamini, opus aliquod memorabile, atque plane diuinum; quo teſtatum ſit apud omnes, nõ ſine cauſſa vos reliqua omnia remedia pro nihilo putaſſe, & in iſtius Euangelij tantum præſidio ſpem omnem ſalutis repoſuiſſe. Sed, cum regnum Dei, hoc eſt, Euangelium, & verbi diuini numen non ſit in verborum oſtentatione, ſed in admirabili virtute conſtitutum, ipſaq. virtus non in procacitate, & petulantia, non in flagitiorum licentia, & impunitate, non in odij acerbitate, & proiecta audacia, ſed in modeſtia, continentia, & caritate, & in iuſtitiæ operibus, atque pietatis ſtudio poſita ſit; cupio propius intueri iſtam admirabilem manſuetudinem, lenitatem, patientiam, vitæ continentiam, caritatem, ſanctimoniam, & reliquas virtutes, quæ vobis Eccleſiæ conſeruatæ teſtimonium dare poſſint. Sed dicitis, hoc fieri non poſſe, antequam omnia tanti, atque tam præclari facinoris impedimenta funditus ſublata ſint. Verbi namque diuini munus, & officium eſſe, prius vetus ædificium diruere, quam noui fundamenta iaciantur. Et hoc admodum ſapienter dictum exiſtimo. Vt enim medicina prius bilem, aut reliquos humores noxios, qui valetudinem perturbant, expellit, quam naturam afflictam, & attenuatam reficiat; ſic commodum vobis fuit, prius ſuperbiam, auaritiam, libidinem, & reliquas animorum labes eijcere, quam virtutis diuinæ nutrimento Eccleſia recreari, & refici poſſet. Id etiam valde probo. Sed, quo modo hi peſtilentes humores a vobis purgati ſint, ſcire deſidero. Sed dicitis, nihil eſſe tam aduerſarium pietati, quam ſuperſtitio. Quo circa nihil prius eſſe vobis faciendum, quam omnes ſuperſtitiones tollatis. Nec hoc etiam vitio vertendum eſt. Nihil enim tam eſt veræ virtuti, quam virtus aſſimulata, contrarium. Iam non interrogo, quo modo ſuperſtitiones a vobis ſublatæ ſint. Id enim ſatis apparet. Vos auctoritatem Romani Pontificis afflixiſtis: vos monachorum, & ſanctarum virginum collegia funditus euertiſtis: in opes ſanctis vſibus deſtinatas inuaſiſtis: Eccleſias diripuiſtis: earum bona quibus libuit addixiſtis: cærimoniarum antiquarum ſanctitatem, & ſacrorum religionem polluiſtis: imagines & ſigna, Cruces, aras diſiecistis: lacrymas pias, hominumque ſanctorum opera tolerare condemnaſtis: ſacras ſanctiones, leges, & inſtituta Eccleſiæ conuelliſtis: ſpem vero virtutis, & honeſtatis, inuicta peccati immanitate per vos egregie conſtituta, præcidiſtis: nec hac rerum vaſtitate contenti, humanæ voluntatis libertatem omnino ſuſtuliſtis: & contra naturam, & rationem, & diuini iuris æquitatem, omnes hominum cogitationes, & actiones, ſiue bonæ illæ ſint, atque ſalutares, ſiue malæ, atque pernicioſæ, fatali quadam neceſſitate deuinxiſtis. Hæc & alia eiuſmodi multa ſunt, quæ per vos, tamquam diſciplinæ ſalutaris impedimenta, perdita, afflicta, funditus euerſa, diſſipata, & comminuta perſpicio. Non iam ſacrarum rerum exitium, & vaſtitatem lamentor. Si enim aliter non poterat ſanitas Eccleſiæ recuperari, & Euangelium in priſtinum ſplendorem, & dignitatem reſtitui, facile iacturam iſtam patiar, minimeq. moleſte feram, ea etiam, quæ integra reſtant, quibus nondum interitum attuliſtis, exſcindi. Si quid igitur intactum a vobis reliquum eſt, id etiam oppugnate, ſi lubet, labefactare, conuellite, in terram proijcite, dum modo illum antiquum pietatis ardorem, illud iuſtitiæ, & integritatis ſtudium, illam caritatis magnitudinem, illam rerum humanarum contemptionem, illam cæleſtis vitæ cupiditatem, qua olim Apoſtolorum tempore Eccleſia flagrabat, reſtituatis. Hæc eſt enim Euangelij puritas, hoc verbi diuini præcellens opus, & in hoc promiſſi veſtri fides tota conſiſtit. Non enim mediocri virtute officio veſtro ſatisfacere poteſtis. Cum enim tantam rerum ſtragem a vobis editam eſſe conſpiciam, quo tandem modo æquum eſſe putem, id vulgari, atque mediocri vtilitate reſarciri? Rurſus igitur, quamuis Haddonus id moleſte ferat, vrgeo, inſto, & inſector, &, quid ſit a vobis in earum rerum locum, quas demoliti eſtis, reſtitutum, flagito. Eadem namque verba repetam, quæ in litteris, quas Haddonus maledictis omnibus proſcindit, vſurpaui. Quid ſit euerſum, video; quid ſit exſtructum, non video: quod exſtirpatum eſt, ſentio; quod ſatum, nondum perſpicio. Quid enim, quæſo, eſt, Euangelij diſciplinam laborantem reficere? Quid omnia propinquiſſime, vt diſcipulus veſter Haddonus ait, ad Chriſtianæ pietatis inſtituta, ad Apoſtolorum ſanctiſſimam diſciplinam reuocare? Quid noua luce, & ſplendore errorum tenebras, & flagitiorum caliginem, in quibus homines verſabantur, diſpellere? Hoc, opinor, efficere, vt homines terram intueri deſinant, cælumque

ſuſpi-

ſuſpiciant,modeſtiam, & humilitatem colant; ſanctitatis, & caſtitatis ſtudio flagrent; laudibus manſuetudinis,patientiæ, grauitatis,& cōſtantiæ culti, & ornati ſint; ſumma Eccleſiæ Principes obedientia, & ſingulari etiam ſtudio reip. moderatores obſeruent; ſtudia vitæ, cogitationes, & actiones in communem vtilitatem conferant; ardore pietatis, & religionis inflammentur; & diuinis denique virtutibus in cælum viam muniant. Quæro igitur, an ſit aliquis ex iſtis, qui vos admirantur, atque ſuſpiciunt, & in cælo denique reponunt, tam ardenti rerum diuinarum ſtudio, tanta vitæ puritate, & caſtimonia, vt nulla turpitudinis labe ſe commaculari patiatur; tanta patientia, & manſuetudine, vt, quamuis ſit offenſus maledictis, eos, a quibus iniuria affectus eſt, verbo non violet,ſed illis potius omnia bona precetur; tanta humanitate, & caritate, vt omnes opes ſuas in communem vtilitatem cōferat; tanta grauitate, & conſtantia, vt numquam tumultuetur; tanta denique cupiditate gloriæ immortalis, atque diuinitatis incenſus, vt omnes futiles, & inanes voluptates aſpernetur; Crucemque ſibi defigat, qua compreſsis, & illiſis nefarijs cupiditatibus, ſolum Chriſtum cogitet, ad illius pedes aſsideat, illius amore incenſus, in cælum mente, & cogitatione rapiatur. His omnibus virtutibus olim Eccleſia florebat: his amoris diuini facibus erant tunc homines inflammati: ab hoc ardentiſsimo pietatis ſtudio nullis terroribus, atque ſupplicijs abduci vllo modo poterant. Hoc autem vos ſuſcepiſtis, vt, Euangelio perpurgato, & ſuperſtitionibus exterminatis, antiquæ Eccleſiæ lumen exſtinctum reuiuiſceret. Fidem igitur veſtram liberate, promiſſum conficite, hoc æs alienum, quo eſtis obſtricti, diſſoluite. Reddite puritatem, reddite caſtitatem, reddite pietatis ardorem, continentiam, manſuetudinem, pacem, concordiam, caritatis, & amicitiæ vinculum, populareſque veſtros in eundem ſtatum, vnde vniuerſi concidimus, reſtituite: vt tam admirabili rerum conuerſione, & tam diuino virtutis exemplo, nobis, quibus nouitas iſta ſuſpecta eſt, & inuiſa,ſilentium imponatis. Nos quidem ſi nondum iſtam ampliſsimam virtutis dignitatem conſecuti ſumus,mirum videri non debet. Nōdum enim videlicet nobis iſtam clariſsimam lucem prætuliſtis. De illis igitur tantum quæro,qui vobis operam dant,quam ſancte,quam pure,quam religioſe viuant. Non enim par eſt, vt diximus, vt a vobis mediocre virtutis officium requiratur. Id enim munus ſuſcepiſtis, quo nullum clarius,& amplius,& ſalutarius cogitari poteſt. Itaque,ſi veſtri ſectatores, atque diſcipuli,non tantis opibus virtutis,& honeſtatis excellunt,vt reliquorum omniū,qui in pietatis ſtudio verſantur, & vos non audiunt,virtutibus obſcuritatē attulerint, fidem minime præſtitiſtis. Si enim ſine earum rerum, in quas impetum feciſtis, ruina, idem a nobis gradus honeſtatis retineri,& conſeruari poteſt; ſi non multis partibus veſtrorum hominū virtus noſtrorum virtutem ſuperauerit;non ne ſatis apparebit, vos homines ſapientes temere, atque ſine vllo fructu tantam operam in rerum illarum, quas euertiſtis, demolitione ſuſcepiſſe? Nūquid erit obſcurum, illa vobis minime fuiſſe impedimento,quo minus iuſtitiam,& pietatem coleretis? Quid,ſi veſtri auditores non modo meliores facti non ſunt, ſed magis feroces, & infeſti, multoq. pluribus flagitijs inquinati? Quid, ſi nunc eſt magis impunita libido,& audacia ad facinus maior, diſsidiaq. multo plura, & magis turbulenta, poſtquam vos ad docendos homines contuliſtis, concitata ſunt? Quid,ſi nunc plura latrocinia,tætriora facinora apud vos paſsim,ſi vera eſt fama,committūtur? Quid, ſi ab illis ipſis, qui ſe penitus in veſtrā diſciplinam tradiderunt, crebrius inſidiæ contra Principū dignitatē comparantur? Sed, vt illos tuos magiſtros omittam, te, Haddone, rurſus vrgeo. Quid affers? Quod exemplum antiquiſsimæ illius virtutis adducis? Quam defenſionem iſtius nouitatis inſtituis? Et tamen affirmas, Eccleſiam veſtram nulla in re ab Apoſtolorum inſtitutione, & diſciplina diſcrepare. Multa tu quidem dicis: ſed tibi nemo ſanus vnquam credet. Verbis, quidquid libet, affirmare,non eſt ſatis. Exēpla diuinæ virtutis,non voces inanes,requiro. Si libidinem ſolutam cernis, ſi improbitatem erectam volitare conſpicis,ſi vias latrocinijs infeſtas adſpicis,ſi motus paſsim conciri, & coniurationes fieri, & pericula rebus communibus ſtrui conſideras: ſi hęc omnia mala,non modo,poſtquam iſtorum hominū,quos eximie laudas, doctrina increbuit, ſublata non ſunt,ſed multo magis amplificata: quo ore,qua fronte,dicere audes,iſtam nouam diſciplinam ab Apoſtolorum inſtitutione minime diſcrepare? Dicis,me perfectionem requirere,quę in hac vita exhiberi non poteſt. Scilicet, de flagitijs leuiſsimis, in quæ homines caſti, & integri ſingulis horis labi poſſunt,& non de grauiſsimis,& ſceleſtiſsimis criminibus,quæ vaſtitatē,exitium, & inflāmationē rebus ſacratiſsimis, ſine vllo fructu pietatis, & religionis, quē homines iſti pollicebantur,intulerunt, orationē habeo. Poſtulas a me,vt noſtræ, vt ais, atque veſtræ Eccleſiæ contētio fiat,vt ſic tandē appareat, vtra ſit magis Apoſtolorū auctoritate, & diſciplina cōfirmata. Iniqua eſt poſtulatio tua. Non enim diſputo, nullā omnino eſſe apud nos impuritatis labē. Sed,eas labes,& maculas non eſſe apud vos iam opera veſtrorum Apoſtolorum deletas, id indignum facinus eſſe contendo. Nos enim nihil polliciti ſumus, non fidem noſtram obſtrinximus, fore, vt omnia in antiquam dignitatem opera noſtra reducerentur: nemo nos poterit in iudicium, quod promiſsis non ſteterimus, vlla condicione vocare. At iſti viri,quos diuinitus miſſos aſſeris,hoc in ſe rece

perunt, vt Euangelij puritatem, caritatem, sanctimoniam, continentiam, impetum mentis ad sempiternam gloriam, & reliquas virtutes, quę verbi diuini virtute continentur, quæ erant iã sepultæ tenebris, in lucem vindicarent, & cælestem rursus istam remp. in terris conderent. Vt autem videas, quanta humanitate, & moderatione in certamen istud descendam, non iam a vobis, vt vestros mores ad Apostolorum disciplinam, & purißimam illam religionis sanctißimæ rationem exquiratis, efflagito; sed vt statum istius Ecclesiæ, cum maiorum vestrorũ grauitate, virtute, religione, dignitate cõparetis: quod si a vobis impetro, intelliges, tantum inter vestram, & antiquæ Britanniæ religionem, & gloriam interesse, quantum verbis explicari non potest. Quid hoc igitur est? Si nulla ex parte, postquam ipsi vos istis nefarijs disciplinis addixistis, adspirare potuistis ad maiorum vestrorum gloriam; quo modo tandẽ antiquißimam Ecclesiæ dignitatem, quæ Apostolorum temporibus maxima cum hominum admiratione florebat, consequi imitando poteritis? Adeo ne mentis expers es, vt arbitreris, satis esse, verbo tantum affirmare, vestram Ecclesiam ab Apostolorum sententia minime dissentire, vt id cõtinuo credendum sit? Id quidem non iactatione, & leuitate, non ostentatione, & conuicio, sed admirandis iustitiæ, innocentiæ, castitatis, & puritatis, & religionis, & caritatis exemplis, vita sanctißima, & moribus probatißimis, & studio diuinę virtutis ardentißimo, demonstrãdum est. Rursus enim dico, non sufficere illis, qui fidem dederunt, fore, vt fluxos mores ad statum Ecclesiæ florentißimum reuocarent, mediocre virtutis officium, sed excellens, & admirandum. Quod cum non faciunt, sed, vbi pedem ponunt, terram pluribus flagitijs contaminatam relinquunt; certe constat, eos minime, quod fuerant polliciti, præstitisse. Pro Euangelij namque puritate flagitia, pro pace, & caritate dißidium, pro modestia superbiam, pro religione scelus, pro libertate seruitutem, pro moderatione licentiam, pro tranquillitate sæuam tempestatem in resp. inuexerunt. Et tamen, homo pius, mihi iudicium illud diuinum ad timorem proponis, in quo ais, me miserum (sic enim appellas) huius tanti sceleris, & immanitatis ad Christi tribunal rationem esse redditurum, qua sum ausus homines sanctos, & castos, & religiosos insectari. Est sane, quod extimescã. Haddonus enim, vir sapiens, & qui colloquio diuino perfruitur, nũquam id dixisset, nisi fuisset id ei oraculo diuino prænũtiatũ. Ratio igitur admonet, vt hoc metu iudicij, quod tu minime times, & mihi tam seuere denuntias, perhorrescam. Dicis, me non modo vestrum Euangelium illudere, & doctores vestros, homines plane cælestes, violare, sed etiam vim Ieremiæ inferre, quod quam falsum sit, paullo post aperiam. Ais deinde, totum illud testimonium Ieremiæ de falsis prophetis ad nos pertinere. Quo modo? Audijstine aliquando, aliquem nouum prophetam inter nos exstitisse, qui nos ab antiqua religione conaretur auertere? qui nobis, quasi de Christi sententia, pacem, & iucunditatem promitteret? Qui flagitijs impunitatem proponeret? Rursus ad Ecclesię insectationem redis, cuius iam rationem exposui: in qua, licet morbi vigeant, sanabiles tamen sunt. Non enim medicinam respuimus: quæ nulla potest extra Ecclesiam reperiri. Vestram deinde Ecclesiam laudibus exornas. Publicas, inquis, deinde conciones ad fraterculos nescio quos delegatis, & ij etiam more suo declamitant, in reliquis obmutescunt. Iam de concionibus dixi, non esse hoc studiũ ab Episcopis vllo modo negligendũ: nec eam negligentiam Ecclesia sancta comprobat; immo Episcopos omnes ad id munus strenue peragendum monitis sanctißimis exhortatur. Par autem non est, vt hominum quorundam negligentia Ecclesiæ tribuatur, quæ tanta solicitudine singulis, vt officiũ suum faciant, sanctione admodum salutari præscribit. Deinde, vt iã dixi, multi sunt apud nos Episcopi, qui crebris concionibus subditos ad studium pietatis excitant. Vt autẽ id semper fiat, vt conciones a monachis habeantur, multo certe tolerabilius est, homines sanctos, & religiosos, qui id munus obeant, ab Episcopis accersiri, quam homines obscuros, prauißimisq. disciplinis infectos, Ecclesijs præponi. In eo vero, quod dicis, nostrorũ concionibus auditores ad somnum inuitari, id quidem aliquando fieri necesse est, vbi is, qui concionatur, ad tuam eloquentiam adspirare non poterit. Ob id igitur, quod aliquis interdũ dormitet, reliqui non se ipsos ad audiendum excitabunt? Et nemo erit, qui auditores commoueat, & in studium pietatis ardentius impellat? In sacramentis ais solos sacerdotes officiũ peragere, reliquos spectare tantum. Id scilicet tu non probas. Modestia tibi minime placet. velles igitur, vt munerum confusio, atque perturbatio fieret, omnesq. officiũ sacerdotis vsurparent. At nobis is mos diuinitus institutus esse videtur, vt sacerdotes tantũ sacramenta conficiant, & reliqui cum silentio illorum vtilitate perfruantur, seq. minime sacris peragendis interponant. De ignota lingua, qua sacra conficiuntur, satis multa iã diximus. ne toties eadẽ mihi verba repetenda sint, ad ea te, quæ sunt iã dicta, reijcio. Intremus, inquis, ad missas, in quibus religionis medullã perfundi vultis. Verum id quidem est. Continent enim vota pietatis ardentißima, precationes sanctißimas, Christi monumenta, quæ vitam illius, quę mortem, quę cruciatum, quæ merita, quæ salutis nostræ rationem, quæ numinis placationem designant. Et, vt nihil aliud dicam, in illis Christi sanctißimum corpus immolatur, & sacrificium illud offertur, quod peccatorum maculas delet; quod gratias summo Domino, atque optimo parenti, persoluit; quod animos pios incendit, & studio immortalitatis, & diuinitatis inflammat.

Dicis

Dicis præterea, neminem apud nos Euangelium interturbare. Recte tu quidem. Nec enim patimur, vt omnes sint lectores, & omnes doctores, & omnes prophetæ. Operam namque dandam censemus, vt ordinate, & moderate omnia fiant. Quod autem dicis, omnes cohortationes ex Euangelio conticescere, falsum est. Concio enim continuo fit, &, quod ad salutem pertinet, nec indocte, nec insulse, vt suspicaris, exponitur; &, qui audiunt, summa cum modestia silent. Semel, inquis, fortaßis ad Domini mensam singulis annis acceditur, magis sollemni cærimonia, quam afflicta conscientia. Et hæc etiam diuinatio vanißima est. Semel quidem lege, atque disciplina coguntur omnes quotannis ad Domini cenam accedere: sed, qui hoc semel tantum annis singulis faciunt, minime laudari solent. Porro autem, qui sæpenumero hoc epulo diuino reficiuntur, apud nos sunt innumerabiles. In eo etiam, quod dicis, id ritu sollemni tantũ, & non afflicta conscientia, fieri; diuinas tu quidem more tuo. Cum vero vaticinatio tua falsa sit, merito videris esse falsis prophetis annumerandus. In quo vero dicis, in ea cena non Domini mortem a nobis recoli, simili modo, & ratione vaticinaris. Quamquam, de cena Domini quid tibi dicam, nescio. Nondum enim mihi liquet, an Martyris tui sceleratam sententiã sequaris. Si enim sequeris, quo timore aut tremore ad eucharistiæ sacramentũ potes accedere, cum in eo nihil aliud esse credas, quam nudum mortis, quam Christus pro nobis in Cruce pertulit, monumentum? Si non sequeris, cur hominem scelestum, & impiũ non exsecraris? Id etiã reprehendis, quod non sit apud nos publica peccatorum confeßio. Id quidem vellem ostenderes, quo modo sit id, quod est secreto commissum, in omnium conspectu proferendum. Vestrum, inquis, morem exposui. Vitio mihi dabas, quod, Anglicarum rerum insolens, ea facinora, quæ sunt notißima, quæ litteris, quæ sermonibus omnium, quæ fama constantißima omnes regiones, omnes oras, & terras etiam vltimas, cum omnium, qui audiunt, offensione, peruagantur, exponerem: & tamen de rebus nostris, quas nec vidisti, neque scire potuisti, (& iccirco hac particula, Fortaßis, vteris) temere loqueris, &, quasi omnia, quę dixeris, essent tibi notißima, pronuntias, nostrum esse tibi morem sane luculenter expositum. Deinde ad Ecclesię tuæ laudes converteris. Multa dicis de cõcionibus aßiduis, de humanarum traditionum contemptione, de psalmis, & hymnis, & laudibus, quibus numen Domini celebratis. Ais deinde: Sequitur sacrosancta Domini mensa, quæ perpetuũ in festis diebus vsum habet. Euocat Dei minister omnes, qui quidem ad epulum tam diuinum se præparauerint. Epulum diuinum appellas, quod Martyr ille tuus, quem diuinis ornas laudibus, diuinitate spoliare conatus est? Deinde, quam sobrij sint tunc, qui ad cenam accedunt, quam diligenter nuptiali veste culti, quo examine, quo studio, qua vigilantia præparati, non dicis. De Dei autem ministro nihil dicis, quo modo, aut quo ritu, qua religione, aut per quem, dignitatem illam consecutus fuerit. De puritate concionum multa commemoras, cum nulla puritas inesse poßit in tam corrupta, atque pestifera disciplina. Postremo, quis fructus istius religionis sit, non explanas. Non enim admirabilem castitatem, & puritatem, & sanctimoniam, opera pietatis, & caritatis admiranda demonstras. Sic tamen ais: Hio exemplo tuo liceret antithesim instruere, ne mihi verba deessent, quibus, si velim, eandem perpolire queam. Quam vellem id efficeres, Haddone. quanta illa tua laus fuisset, si, collatis vtrimque varijs exemplis, demonstrauisses, istam Ecclesiam, quam celebras, esse Ecclesiæ antiquißimæ, Christi sanguine dedicatæ, & Apostolorum disciplinis illustratæ, vitæ cælestis integritate, innocentia, virtute, constantia, mansuetudine, patientia, castitate, moderatione simillimam. Totum negotium facillime confecisses. Cur igitur non antithesim illam, quam dicis, instruxisti? Cur non præclaris magistrorum tuorum factis, & operibus sanctißimis in omnium adspectu propositis, id, in quo erat caussæ totius firmamentum, exposuisti? Litem namque obtinuisses, si, quantum isti noui prophetæ diuinis virtutibus excellant, aperuisses, & ostendisses, nihil inter illos, & antiquos Christi discipulos interesse. An tibi, homini miro ingenio, & eloquentia singulari prædito, in tam vera, & honesta defensione, verba deficere potuissent? Illa demum cõclusio mirifice mihi placet. Sic enim ais: Plus in vna, quam nostri frequentant, sacrosancta Domini cena gemituum, & suspiriorum cerni posse, quam in sexcentis vestrorum sollemnibus mißis. Primum quidem, si putas, omnia sacra esse lacrymis, & suspirio procuranda, vehementer erras. Aliud enim tempus est lacrymis, aliud lætitiæ destinatum, vt Solomon ait. Deinde, fit sæpenumero, vt multo acrius, & attentius de rebus diuinis sine vllo gemitu, quam cum gemitu cogitemus. Postremo, velim scire, quid ista vestra suspiria designent. Nũ antiquæ religionis desideriũ? An continent nouæ, & aßimulatæ religionis inuolucrum? An nulla omnino sunt? Nam Erasmus, & alij quidã docti viri eam notam vestris sacris apposuerunt, quod nec in illis quidem diebus, qui lacrymis celebrandi sunt, quisquam suspirium edat. Ipseq. Lutherus, istius sectæ Princeps, neque lacrymatus est vmquã, nec ingemuit, cũ in memoriam redigeret, quos cruciatus atque supplicia Christus pro nobis in Cruce pertulisset. Erat enim vir ille incredibili robore sæptus, & lacrymis vehemẽter infestus. De varijs nostrorũ interpretationibus, quas dicis, id quidẽ ad caussã minime pertinet. Nõ enim est inter nos vlla dissẽsio in rebus, quæ ad fidei, atq. religionis summã cõferuntur.

runtur. Sed, quorsum hæc omnia, Gualtere, quorsum? Sint a vobis ista sollemnia quanta velis cærimonia celebrata, nondum tamen apud vos istis tam sollemnibus sacris ingenio suo, aut tuorum recenter excogitatis, ista religione tanto studio, & prouidentia constituta, istis tã assiduis concionibus, istis suspirijs, atque gemitibus video statum illum Ecclesiæ constitutum, quem vobis magistri vestri spoponderant. Quare mihi debes ignoscere, si tam sæpe eadem requiro, & nimis importune flagito. Reddite, inquam, nobis Euangelij puritatem, explicate magnificam illam virtutis diuinæ supellectilem, in publicũ proponite religionis istius insignis documenta, vt, cum ex operibus admirandis, & ex factis illustribus perspexerimus, in vobis Spiritus Sancti numen inesse, admiratione perculsi, fateamur, eos prophetas, qui vos erudierunt, a Deo missos fuisse. Attende, quæso, diligenter, quid Dominus de propheta falso dixerit. Propheta, inquit, qui, arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quod ego non præcepi illi, vt doceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis, quo modo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, Quod enim in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & iccirco non timebis eum. Quid hoc signo clarius? quid ad salutem prouidentius? Iam, diuinis monitis eruditus, non audio verba: ad opus attendo; quanta fide prophetæ promissa conficiant, exspecto. Consequens igitur est, vt videamus, quid Lutherus, quid Melanchthon, quid Bucerus, & Caluinus, quid reliqui vestri heroes promiserint, receperint, quam spem magnificis sane verbis popularibus suis attulerint. Hanc certe, futurum, vt Euangelij disciplinam ad pristinam puritatem reuocarent, religionem instaurarent, Ecclesiam labantem fulcirent. Hæc autem Euangelij puritas, religionis sanctitas, hoc Ecclesiæ firmamentum, quibus opibus, atque præsidijs continetur? Fide, mansuetudine, castitate, pace, concordia, moderatione, obedientia, caritate, & pietate, & amoris diuini magnitudine. At illi, pro fide, & religione sacrilegium, pro mansuetudine sæuitiã, pro castitate libidinis indomitæ laxamentũ, pro pace tumultum, pro concordia bellum intestinum, pro moderatione superbiam, pro obediẽtia imperij legitimi contẽptionem, pro caritate odiũ in omnes bonos acerbum, pro pietate scelus immane, pro diuini amoris studio rerum sacrarũ, quæ amorem diuinum excitabant, exitium rebus communibus attulerunt. Tantum igitur abest, vt præstarent, quæ fuerant large, atque prolixe polliciti, vt potius omnia, quæ se instauraturos, & in antiquã puritatem reducturos esse promiserant, multo magis peruersa, inquinata, atque deformata, quam fuerant, opera sua tam preclara reliquerint. Non fuerunt igitur a Deo missi. Sic autem sit, vt Dei ipsius lege, non laudibus, quas illis tribuis, sed exitio sempiterno, digni sint. Quæro enim rursus. Euãgelij vim, & puritatẽ credas ne magis in factis egregijs, an potius in verbis consistere? Profecto, si fidem habes ipsi Domino, in factis potius, quã in verborum magnificentia, Euangelij sanctitatem constitues. Ergo, cum magistri isti, cum nõ factis egregijs, non virtutibus admirandis, non vitæ continentia, non morũ integritate, non mentis ardore, nõ inflãmato diuinarum rerum studio, sed verborum ostentatione, Euangelium istud nouum testificati sint; nonne constat, eos cælestis regni participes esse non posse? Non liquet, eos a Deo missos minime fuisse? Non est valde perspicuum, eos falsos prophetas exstitisse? Sed ad Hieremiam redeamus. Et primum, in eo, quod dicis, me velle fastu nescio quo minime ferendo Dei consiliarium existimari, libenter ex te audierim, vnde id collegeris. Audisti ne aliquando, me nouum quoddam Euangelium enunciare? Disciplinam aliquam priscis temporibus inauditam profiteri? Populum promissis magnificis a vetere fide, & antiquis institutis abducere? Meam sententiam a me ipso promptam adeo constanter affirmare, quasi fuisset a diuina mente prolata? Non profecto. Quo igitur argumento duceris, vt confirmes, me hoc tantum nomen assumere, cum nullum vestigium istius insolentiæ nimis intolerandæ perspicias? Ais deinde: Rursum Hieremiæ molestiam exhibes, neque venerandum prophetam respirare permittis. Si prophetæ sanctissimo molestus fui, non mediocre in me facinus admisi. Sed videamus, quo modo id probes. Adiungis autem: Eius hæc verba profers. Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissent eum profecto a via sua mala, & a cogitationibus suis pessimis. Verba prophetæ clara sunt admodum. Nescio igitur quo modo illa verbis tuis obscurare niteris. Inquis deinde: Ordiamur ab ipso Hieremia, qui fuit egregius propheta, dici secus non potest. Si secus dici posset, Haddone, tu id fortasse faceres. Adiungis deinde: An ille Iudæos vniuersos a vitijs deterruit? An omnes ad virtutem inflexit? Inspice totam vaticinationis seriem, & lamentationum considera sane lugubres querellas. hucusque non contra me disseris, sed sanctissimum prophetam vanitatis insimulas: repugnantia namque illum dixisse contendis. Dixerat enim, tantã esse verbi diuini vim, vt homines a vitijs ad virtutẽ traduceret. Lamentatur deinde, se, quamuis fuisset verbi diuini viribus excitatus, nõ potuisse vllo modo ciues suos a sceleribus auocare. Ergo a se ipso dissidet, & secum acerrime pugnat. Vt igitur in Paulo faciebas, non tu me redarguis, sed hominem diuinum repugnantia dixisse confirmas. Ego contra statuo, eo ipso argumento posse facillime conuinci, te nullo modo prophetæ

mentem

mentem consequi potuisse, quod illum a se ipso dissentire arbitreris. Non enim esse potest in diuino verbo, cuius Hieremias minister exstitit vlla dissensio. Tu tamen, vt Prophetæ sententiam clarius oppugnes, Petri, & ipsius Christi exemplo pugnas, quorum concionibus non omnes, qui eos audiebant, fuisse dicis a flagitio, turpitudine, & improbitate deterritos. Atque tandem eo deuolueris, vt asseras, id, quod alius monitis diuinis assentiatur, alius non assentiatur, non esse in libertate vniuscuiusque positum, sed ab omni iam æternitate definitum: & illam rursus vim fatalem confirmas. &, cum audias ipsius Domini querimoniã sane lugubrẽ, qua Iudæorum perfidiam lamentatur, qui sub illius alas, ad quas illos admodum clemẽter inuitabat, recipi noluerint: illorum tamen interitum non in hominum perditorum scelus, sed in Deum auctorem reiicis. Quæ quidem impietas satis iam, quantum locus poscebat, redarguta est. Sed neque tu, neque magistri tui prophetas intelligunt: & ideo illos pugnantia dicere confingunt. An tu putas, Deum per Hieremiam illo signo voluisse verum prophetam a falso distingui, quod omnes, qui veri prophetæ sermonibus interfuissent, continuo a flagitiis abducerentur, quod nullo pacto falsi prophetæ faciebant? Si, id prophetam dixisse, suspicatis, multum te fallit opinio. Nam nec ipse Dominus, cuius spiritu omnes sancti prophetæ incensi, & incitati sunt, homines in sceleribus obstinatos, qui sponte sua oculos claudebant, & aures obstruebant, ne illos cæleste lumen illustraret, aut verbum diuinum eorum animos commoueret, a sceleribus abducebat. Et ideo de Capharnaitis, & de reliquis, qui nimis obstinate disciplinæ illius repugnabant, conqueritur. Quid est igitur, quod Hieremias dixit? Hoc certe. Quod ij, qui fidem prophetis dabant, qui eos admirabantur, qui eorum sententias oracula esse diuina statuebant, si prophetæ illi a Deo missi fuissent, dubium non esse, quin a perfidia ad fidem, & officium facile traducerentur. Quod cũ non fieret, argumentum firmissimũ esse, eos a Deo missos minime fuisse. Exempli gratia. Erat Phasur sacerdos in honore summo. Is Hieremiam acriter impugnabat. Hananias se prophetam dici, & existimari cupiebat. Erat is Hieremiæ similiter infensus. Hieremias eo tempore cladẽ impendentem denuntiabat, illi res lætas populo multis verbis ostendebant. Illos multi sequebantur, Hieremiam verò pauci admodũ. Tunc igitur, cum esset inter vtramque factionem tanta dissensio, quo signo intelligi potuisset, vtri essent a Deo missi? virtutibus, aut vitiis eorum, qui alterutrã partem sequerentur. Ergo, si fuisset tunc animaduersum, eos, qui Phasurẽ, aut Hananiam, aut reliquos prophetas falsos, atq. fallaces sectabantur, meliores non fieri, sed in eisdem flagitiis turpissime volutari; facillime potuisset intelligi, eos prophetas, quibus se addixerant, a Deo missos non fuisse. Contra vero, qui viderent eos paucos, qui Hieremiæ operam dabant, qui ad illum ventitabant, qui disciplinam illius libenter audiebant, flagitia detestari, pietatem colere, Dei iudicia timere; facile potuissent iudicare, illum a Deo missum esse, nec id, quod enuntiabat, ex se promere, sed, quę a Deo didicisset, effari. Cum igitur tunc multi fuissent, qui se prophetas nominabant, qui dicebant, Hæc dicit Dominus, cum Domini vocẽ numquam auribus suis accepissent, qui multitudini assentabantur, illamq. ad spem summæ felicitatis excitabant, qui dicebant, Pax pax, cum non pax, hoc est, summa tranquillitas, & omnium bonorum affluentia, sed calamitas extrema Iudæorum rebus impenderet, ipsaq. multitudo, quæ erat in illis defixa, eosque diuinos viros existimabat, nihilo melior fieret, sed in eadem improbitate perseueraret; certe constabat, illos esse fallaces, atque fraudulentos, & erroribus pestiferis eosdem ipsos, quos erudiendos suscipiebant, inficere. Idem de Christi tempore, & de Apostolorum memoria dici poterat. Erant sacerdotes, & Pharisæi, & Saducæi, & Herodiani Christi disciplinæ contrarij. Qui Christum libenter audiebant, & sese summo studio ad illius disciplinam applicabant, vitiis obsistebant, & pietatis, & honestatis cupiditate flagrabant: qui vero sacerdotes illius ætatis, & Pharisæos sequebantur, erant multis inquinati flagitiis. Hoc igitur signo perspici poterat, Christum diuino spiritu niti, verbaque diuina pronuntiare: Sacerdotes vero, atq. Pharisæos proprio sensu nimis effrenatæ, & inconsideratę mentis insolescere. Hoc etiam de Apostolis est statuendum, quibus erat cum falsis sacerdotibus, & philosophis, a studio veritatis auersis, summa contentio. qui Apostolos enim audiebant, erant veræ virtutis ornamentis exculti; qui se ad illorum aduersarios conferebant, erant infandis sceleribus alligati. Hieremiæ igitur testimonio, poterat quiuis homo, sana mente præditus, intelligere, Apostolos a Deo missos esse; aduersarios autem spiritu dæmonis infestissimi cõmoueri, & incitari. Hunc esse Prophetæ sensum, omnes, qui non fuerint in furore, & amentia pertinaces, clare cernent. Secus enim mens diuina, quæ in propheta sanctissimo loquebatur, sibi ipsa repugnaret: quod in animum inducere, est immane scelus, & nimis exsecrandum flagitium. Iam hoc licebit ad recentiores prophetas transferre. Exstitit eximius quidam propheta, quem tu minime dubitas diuinitus esse missum. Multi illum sectati sunt, & laudibus summis ornarunt, & corporibus, & armis stiparunt, & opibus suis munierũt. Non de omnibus igitur, sed de illis tantum, qui Lutherum non modo quasi virum beneficum, & salutarem amabant, sed tãquam virum e cælis missum admirabantur, illiusque disciplinam attentis animis, & auribus accipiebant, interrogo, num repente commutarentur animis, & paullo meliores fierent. Immo illo audito, multo ma

gis

gis andaces, & insolentes, & incontinentes, & seditiosi, & contumeliosi, & infesti reddebantur, vsque adeo, vt eos ne Lutherus quidem ipse, qui eos disciplinis instruxerat, regere posset. Id igitur maximo argumento esse poterat, numquam Lutherum in consilio diuino constitisse. Nam, si stetisset in consilio Domini, & Dei ipsius verba illis, qni sese ad nomen illins adiunxerant, exposuisset, admirabilis certe vitæ cōuersio cerni facillime potuisset. Sic etiam de Melanchthone, Zuinglio, Bucero, & Caluino, & reliquis eiusmodi prophetis, statuēdnm est. Non enim ij fuerunt, qui continentiæ, & honestatis exemplo libidines suorum frāgerent, sed e qnorum disciplinis homines petulantes, & incontinentes sæpenumero prodirent; neqne solum intemperantiæ morbo grauissimo laborarent, sed etiam in res sacrosanctas impetum darent; & bonis legibus interitum afferrent; & pestem etiam in Principes machinarentur; & loca sanctissima cæde, sanguine, & incendio permiscerent. Non fuerunt igitur illius doctores a Deo missi. Nam, si diuinitus missi fuissent, eos certe, qui illos, vt cæleste numen, intuebantur, a flagitiis anertissent. Præterea, cum in diuino spiritu nulla dissensio sit, si fuissent a Deo legati, summus inter illos consensus, & summa conspiratio fuisset. Cum vero constet, acerbissimum esse inter illos dissidium; necessario sequitur, illos non inflatu, & impulsu diuini numinis incitatos, sed furiarum tædis ardentibus exagitatos, sese ad homines non docendos, sed euertēdos dedisse. Summam inter vos esse consensionem dicis. De te iam non loquor. Fortasse namque hominum furentium andaciā, imposito supplicio, (quod remedium, vbi mens sana non est, non potest esse diuturnum) ad breue aliquod tempus comprimere potuistis. de reliqnis, non vides, quanta sit intet eos, qui sunt a Luthero profecti, dissensio? Quanta verborum concertatio? Quanta opinionum varietas, & inconstantia? Quo modo perturbate, perplexe, & implicite loquantur? quam variis rationibus id, quod tueri volunt, defendere frustra conentur, ita, vt non modo cum aliis, sed secum ipsi dissideant? Symbola commutant, & versant: & nunc hoc, nunc illnd affirmant, neque in vna stabili sententia permanent; et, ad quos de rebus dubiis referendum sit, numqnam firme constitnnnt. Vos ad Parlamentum, vt dicis, aut ad Bucerologos, quemadmodnm eos non inuenuste Episcopus Angrensis appellat; alij ad alias fidei confessiones, quę identidem variari, & commutari solent, omnes religionis quæstiones referendas statuunt. Te vero, si, quemadmodnm ego scriptis, ita coram verbis vrgerem, & argnmentis huc & illuc contorquerem, num tibi constare posses? Non profecto. Sed varias, & instabiles caussæ tuæ defensiones excogitares, & in omnes latebras te frustra coniiceres; vt facile appareret, tibi neque linguam, neque mentem vlla ratione consistere. Vnum certe remedium (quod est singulare vobis in rebus perditis alleuamentum) inuenires, nempe contumelias, iurgia, conuicia, maledicta. Ais deinde, vt Ecclesiæ istius auctoritatem constituas, Si dubitas, ad apologiam te ablego. Scio, te Apologiam scripsisse, qua Ecclesiam tuam miris laudibus exornare contendis. Si eam argutius, & elegātius scripsisti, quam libellnm istum tuum, quē in me edidisti, sum certe abs te magna iniuria affectus. Contempsisti nempe me, neque dignum existimasti, quem maioribns eloquentiæ viribus oppugnares. Si eodē stylo, & iisdem argumentis vteris, hoc est, si eadem confidentia, & eodem conuicio pugnas, non tantum mihi otium est, vt illam in manus sumere studeā. Nihil enim explicas, nihil pure dicis, nihil argumento concludis. Ais tandem, Si potes, refelle. Sed non potes. Id vero quam confidenter? quis tibi, quæso, spiritus istos extulit? Eloquentia? an veritatis studium? Si eloquentia niteris, infans es. Si veritate confidis, multa confingis. Dicis, quendam contra Apologiam tuam oblatrasse. Apologiam tuam non legi. Scio tamen eam, quam refelli minime posse confirmas, fuisse per virum grauem, & pium, & doctnm egregie refutatam. quod tu negas. Sed hoc etiam a magistris accepisti. Conuicti vociferātur, confixi tumultuātur, &, cū nihil, quod ad firmamentum caussæ pertineat, dicere queant, & mnlta sine vllo modo extra causam congerant, se tamen apud populares suos immoderate iactant. Fgo vero non iactationem, & leuitatem, non arrogantiam, & insolentiam, sed veritatem, & rationes, & argumenta perpendo. Istius autem insulæ nobilitas, & regni splendor, facit, vt neque vitia latere, nec obscuræ virtutes esse possinr. Frustra igitur verbis, quod fama constans asserit, obscurare niteris. De immortalitate animorum quid dicas, nescio. Numquam enim dixi, immortalitatem animotum a magistris tuis negari. Scio tamen, quibus gradibus ad summum istud sceleris infandi fastigium peruenire soleat. Quod vero dicis, multos fuisse apud vos, qui Euangelij sincerum cultum exsilio, nuditate, fame, sanguine etiam, atque spiritu sanxerint: fateor. Sic enim Eṗs Rosensis, sic Morus, sic sancti Carthusiani, vt reliquos taceam, clarissimam pro Christi gloria mortem obierunt. Sic sancti Pontifices, euersi bonis, spoliati dignitate, in carcerem coniecti sunt. Sic alios Episcopos, sacerdotes, & monachos, singulari pietate, & religione præditos, ex Anglia, & Hibernia expulsos, & eiectos intuemur, extorres, & exsules; qui si e manibus vestris effugere minime potuissent, morte fortasse crudelissima per Euāgelij istius ministros affecti fuissent. Si alios ex vestris intelligis, audi, quid Cyprianus dicat, eos scilicet, qui extra Ecclesiæ septa sunt, & pro Christi gloria mortem oppetunt, non coronam martyrij consequi, sed perfidiæ pœnam sustinere. Si illi igitur, qui Ecclesiæ septa reuellunt, seq. ab illa seiungunt, quamuis Christi religioni,

ligioni, quam Ecclesia retinet, sanguinem suū largiantur, martyres habendi non sunt, sed scelerati, atque sacrilegi: quid de illis est existimandum, qui extra Ecclesiā cum sint, pro ipsius rebellionis, & impietatis scelere sanguinē suum profundere minime verentur? Venio ad illum locū, qui est a te, homine ab artificio adulandi, atque mentiendi remotissimo, satis eleganter inductus. Sic enim ais: Longius te fateris euectum, quam statueras. Certe quidē multo longius, quam decuerat, præsertim in doctissimis, & sollertissimis auribus Regalis Maiestatis, cuius acumen, & iudicium reformidasses, si, quantum in illa neruorum esset, tecum ipse considerauisses. O vir præstantissime, Gualtere, mirifice tuum ingenium aperis. Dic, quæso, non cernis, immodicas laudes non ornare Principum dignitatem, sed sæpe mentem, & iudiciū omnino peruertere? Neque sentis, summum ingenium, & acumen veritatem amare, mendacium, & adulationem vehementer exsecrari? Quid enim est, immodice laudare Principes, nisi eos publice deridendos proponere? Profecto, si vestra Princeps tantū valet ingenio, quātum non ex tuo, sed ex aliorum sermone iudicare possum, illa te, tamquam adulatorem satis apertum, e familiaritate sua longissime segregabit, neque se a te impudentissime deludi sinet. Si laudas ingeniū, si linguæ Latinæ, & Grææ peritiam, si sermonis elegantiam, & cultum; recte facis. Cum vero illi non mediocrem theologiæ cognitionem tribuis, cum ingenium illius mihi valde pertimescendum asseris, illam dolis, & fraudibus oppugnas. Hæc est fides? Hoc animi grati, atque beneficiorum memoris, officium? A te, Regalis, vt inquis, Maiestatis alumno, clarissimam Principem, singulari ingenio præditam, derideri? Adeo ne iudicium illius cōtempsisti, vt dignam existimares, quā ludibrio haberes? quam assentationibus immodicis de mentis statu deiiceres? quam quæstus, & compendij tui gratia in fraudem induceres? Quod si ad istam prædam magis tecte viam muniuisses, non esset ista tam turpis assentatio, tanta contentione repellenda. Potuisset enim quispiam suspicari, te, quod Reginæ ingenium, & sollertiā extimesceres, occulte cuniculos agere instituisse, per quos in arcem, quam expugnare cupis, adscenderes. Nunc vero, quando tam aperte ludis, easq. illi laudes tribuis, quæ nec in ætatem, nec in sexum, nec in mollem, & delicatam vitam, nec in statum tantis curis exercitum, vllo modo conueniunt; non ne liquet, te acumen illius contemnere? Sic tu beneficia, quæ ex illius benignitate consecutus fuisti, remuneras? Quod si illa tam prudens est, quantum prædicas, & tantis laudibus excellit, quantis illius dignitatem semper ornatam esse cupio; modicas quidem meas laudes, quibus illam afficiebam, libenter agnoscet; tuas vero, vt immodicas, aspernabitur, atque reiiciet: neque se deludi ab hominibus audacissimis, cum maxima suæ dignitatis imminutione, patietur. Nam de rerum tranquillitate, quam oratione persequeris, hoc dicam, hominis esse dementis, & communis fragilitatis ignari, nimium rebus secundis confidere, neque mala, quæ fortasse imminent, ex antecedentibus caussis multo ante prouidere. Deinde, nihil esse posse sanctæ Ecclesiæ, fide seclusa, tranquillum. Animus namque sceleris conscientia, quam neque confidentissimi homines possunt opprimere, sæpenumero conturbatur, atque de statu conuellitur, licet id plerique dissimulent. De comparatione vero Ecclesiæ vestræ, cum antiqua, quam annalibus confirmari dicis; aut annales numquam legisti, aut frōtem funditus amisisti. Debuisses autem aliquod vel exemplum, aut testimonium ex ipsis annalibus sumere, quo nos posses obruere. Quod numquam facies, cum antiquitas vniuersa contra te testimonium ferat. Quod vero nobilitatis vestræ dicis summum esse consensum; vellem ita esset: sed contrarium fama prædicat. Multa consulto prætereo, partim, quia nihil ad rem faciunt; partim, quia iā superius refutata sunt. In eo vero, quod ais, Ah, noli, vir optime, conturbari: tuas dicendi festiuitates agnosco. De cælesti cognatione, cuius vos valde appetentes esse dicis, recte facitis. Sed alios huius stirpis, & agnationis vellem diuini iuris magis peritos interpretes haberetis. Illud deinde quam falsum? Cur, inquis, a nostris homines ab antiquissima, sanctissimaque religione dicis abductos, quæ Iesu Christi sanguine sancita fuerit, & eadē ad hæc vsque tempora permanserit, & ad aliam traductos exsecrabilem, & perhorrescendam? Tum addis: Hæc tu ita credis, quemadmodum a te ponuntur? Profecto non credis. Hæc quidem, Haddone, a te sane lepide dicta sunt. Miri namque sunt ingenij tui lepores, maxime vero, cum te in tranquillo esse suspicaris. Tunc enim, quasi iam e scopulis emerserit oratio tua, libentissime iocaris, atque ludis. In quo vero dicis, me non credere ea, quæ a me in oratione ponuntur, plane deliras. Hæc enim credo, confiteor: nec me vmquam hominum perditorum furor, & effrenata libido ab hac fidei constantia dimouebit. Quibus autem argumentis effectum putas, vt homo, qui sanus sit, id non credat, quod est sacrarum litterarum testimonio, sanctorum Patrum auctoritate, totius antiquitatis memoria, consecratum? Addis deinde: Nam & in priscis, & optimis Ecclesiæ temporibus, neque Papatus fuit, neque plumbeæ peccatorum redemptiones, neque purgatorij nundinationes, neque adorationes imaginum, neque vagæ diuorum v[illegible]tiones, nec in missis immolationes pro viuis, & mortuis, & huius consimilia. Hæc enim religionis dedecora, quibus temporibus, & per quos ad Ecclesiam obrepserunt, ignorare non potes. Sed dissimulas, tuorum auribus inseruiens. Exhala, quantum potes, Haddone, istam immanissimi furoris, & amentiæ

crapu-

crapulam: euome virus istud, & effunde venenum: & palam apud tuos ista tam inani oratione triumphabis. Cum nihil dixeris, nihil definieris, nihil probaueris, nullum verum testimonium antiquitatis adduxeris; cum pro argumento maledicentiã, pro ratione dementiam, pro exemplis verissimis impudentiam attuleris; adeo te furenter extollis, atq. si iam bellum magna cum tua gloria confecisses. At nos contra, sanctarum litterarum auctoritate, sanctorum hominum testimonio, antiquitatis totius memoria repetita, ratione deinde, vsu, & experientia, innumerabilibus exemplis, demonstrare solemus, hunc Ecclesiæ Principatum semper exstitisse: &, qui illum labefactare conatur, turbatorem pacis, euersorem religionis, auctorem seditionis esse; & pro vna Ecclesia multiplices, & inter se dissidentes Ecclesias instituere, aditumq. ad innumerabilia flagitia, & turbulẽtissimos errores, aperire. Purgatorij vero nundinationes nullæ sunt. Si aliquando in tam multis sęculis aliqua sacrorũ nundinatio facta fuit, eam minime sancta Ecclesia comprobat, sed tamquam detestabilem pestẽ a Christianę reip. finibus auertit. De imaginibus similiter, omnes, qui fidem sancte colimus, & rationibus, & argumentis, & exemplis probamus, iam inde ab Ecclesiæ primordio; maxime vero, cum primum per tyrannos licitum fuit, eas in templis statutas fuisse, ad virtutis memoriam sempiternam, & eiusdem religionis inuitamẽtum, & ad Christi gloriam, quę in diuinorum hominũ admiranda virtute perspicitur. Dicimus pręterea, multis sanctorum Patrum auctoritatibus, & antiquorum Conciliorũ decretis fuisse damnatum errorem illorum, qui imagines deiiciebant: quod magistri tui, quamuis sint impudentissimi, negare minime possunt, nisi prius omnia sanctorum Patrum scripta, omnes annales, omniaque Cõciliorum decreta combusserint. Quid de honoribus, olim sanctis hominibus institutis, edisseram? Numquam ne potuisti aliquod tempus ab elegantissimis Accursij lucubrationibus eripere, quod ĩ lectione Gregorij, Nazianzeni, Basilij Magni, Hieronymi, & Ambrosij consumeres? Quod si fecisses, quot in eorum scriptis hominum piorum cõuentus, quantam frequentiam, & celebritatem, quam amplo, & elaborato dicendi genere diuorum laudes celebratas, quantam multitudinem ad eas orationes audiendas olim conuenire solitã fuisse, perspiceres? Iam vero, quam inflammato studio, & religione quamplurimi ad Martyrum sepulcra pernoctarent, est explicatu difficillimum. Nemo tunc ex sanctis Pontificibus multitudinem illam a martyrum prædicatione repellebat: nemo ab illo ardentissimo diuorum studio deducebat: immo ad illorum monumenta perlustrandã, & ad laudes celebrandas, & ad eorum cultum, & obseruantiam, omnes, qui aderant, inuitabant. Cernebant enim, in illis conuentibus, cum martyrum nomen laudibus in cælum ferebatur, non in illis corporis naturam, sed Dei gratiam, & sanctissimum ipsius Christi numen, debita laudatione celebrari. Si enim sanctissimæ Crucis imagines, si diuorum signa religiose dedicata Christiani tunc tanto studio retinebant, & eorum signorum admonitu cogitationem suam ad virtutis illius recordationem, quam imagines illæ mutæ referebãt, frequenter excitabant: non erat multo magis consentaneum, vt multo ardentius viuæ Christi imagines colerentur, &, vt id melius fieri posset, omnes, qui vere, & ex animo pietatem colerent, sepulcra martyrum, & ædes in honorem eorum exstructas inuiserent? An parũ constat, diuos esse ad Christi similitudinem operè sancti Spiritus effictos, expressamq. illius formam, & imaginem continere? Quod autem ad Purgatorij iocos attinet, (nihil enim intentatum relinquis) poterit ne contra vos grauius proferri testimonium eo, quod homo, diuinitus, vt inquis, missus, publice dedit? quis, inquis, ille est? Lutherus ille, quem colis, & suspicis, quem in diuorum numero reponis, quem ad salutem vestram natum esse confirmas. Is autem non semel dixit, & confirmauit, esse Purgatorium. Idq. se non opinari, nõ arbitrari, non credere, sed certo scire. Ad quod probandum, locum ex Matthæo constanter afferebat, quo Christus ait, eorum peccatum, qui sancti Spiritus testimonio pertinacissime repugnabãt, nec in hoc sæculo, nec in futuro remittendum: quo significatur, esse in sæculo futuro multis spem veniæ a Deo clementer ostensam. Adducebat etiam & illud de muneribus a Iuda pro peccatis mortuorum oblatis. Aliis item eiusmodi testimoniis, & argumentis, in eo pugnauit, vt peruinceret, esse Purgatorium. Quid igitur? Si Lutherus Purgatorium esse dixit, & tu Lutherũ diuinitus missum esse cõfirmas; & si missus a Deo fuit, quã diu ea functus legatione fuit, mẽtiri non potuit; certe constat, illius sententia, cui tibi refragari minime licet, esse Purgatorium. Quod si Purgatorium non est, Lutherus mentitus est. Si mentitus est, a Deo missus non fuit, sed ab eo, qui mendacij pater est. Elige igitur, vtrum malis. Nam vel Lutheri auctoritas, esse Purgatorium, confirmabit; vel Purgatorij conficta, vt dicitis, fabula Lutherum vanitatis, & amentiæ conuincet. At is postea Purgatorium negauit. Mirum quidem non est. Nec enim ille solum, sed omnes, qui ex stirpe illius orti sunt, nunc hoc, nunc illud affirmant; & multa corrigunt, & immutant; nec in vno gradu resistunt; immo susceptum semel errorem, aliis erroribus cumulant, & adaugent. Sed libenter ex te audierim, vtram sententiam, cum ambæ Lutherum auctorem habeant, veram esse statuas. Posteriorem, inquies. Illam igitur primam non a Deo acceperat. Nondum igitur tunc a Deo missus fuerat. At, postquam se incesto matrimonio commaculauit, postquam ciues suos ad defectionẽ solicitauit, posteaquam

bellum nefarium pudicitiæ, & cunctis sanctitatibus indixit, cum tumultus, & seditiones excitauit, quas ipse postea sedare non posset, cũ conuicijs, & contumelijs, & impudentissima linguæ petulantia in Ecclesiæ statum inuectus est, cum furiales voces emisit, cum omnibus rebus sacris exitium, & vastitatem, & inflammationem attulit; tum demum, cum has strages edidit, dignus Deo visus est, quem sibi cõsiliarium adhiberet, & cui, præter alia arcana, illud etiam ei de conficto Purgatorio clementer aperiret. Tunc igitur demum intellexit vir iste sapiens Augustinum, qui pro mortuorum salute in sacrificijs Deo supplicandum censuit; Cyprianum, qui pœnam illam grauissimã eis, qui liberis suis testamento sacerdotes tutores instituerent, imposuit, ne in ecclesijs pro eorum salute sacra fierent; Chrysostomum, qui hoc institutum ad Apostolorũ traditionem reuocauit; &, vt alios innumerabiles præteream, diuinum Dionysium, qui de mortuorum fidelium curatione, & de precibus pro eorum liberatione ad Deũ adhibendis, diligentissime cõscripsit: omnes, inquam, istos Lutherus diuinitus intellexit, in magno errore, atque dementia versatos fuisse. Magnum profecto istius sectæ princeps nequitiæ, & amentiæ fructum tulit, si eo errore, quo viri sanctissimi, & sapientissimi, diuinisque disciplinis instructissimi, & Christo amoris diuini fœdere coniunctissimi, penitus imbuti fuerunt, diuino beneficio, postquam tam multa turbauit, atq. commiscuit, liberatus est. Quod si, hoc in animum inducere, est hominis vęsani, dementis, & furiosi, neque solum castissimæ religionis, sed etiam communis sensus ignari; quis non videt, istam Lutheri sententiam fuisse impiam, & sceleratam, nec ab alio, quam ab infestissimo dæmone, traditã, & constitutam? At hoc in Scriptura sancta non legitur. Quid igitur? quod Apostoli sermone tradiderunt, quod illorum discipuli ad posteros transmiserunt, quod ab antiquissimis temporibus summa constantia retentum fuit, quod est summa per tot sæcula totius Ecclesiæ fide, & consensione comprobatum, id Lutherus, vir turbulentus, & insanus, post tam multas ætates commentum esse furenter asseuerabit? Et illum homines, qui sibi religionem, & pietatem arrogant, vt cæleste numen sectabuntur, qui cælum perditissimis conatibus oppugnat? Contra cælum namq. bellum comparat, qui arma contra Ecclesiæ fidem sumit. Non, inquies, fortasse, quantus vir ille fuerit, suspicione cõsequeris. Noluit enim quidquã probare, quod in sacris litteris scriptum non inueniret. Iam non disputo, quod olim patres sanctissimi faciebant, quo modo Euangelium non tantum scripto, sed etiam moribus, & institutis sine vllo scripto receptis, Apostolorum oratione, & disciplina traditis, contineatur: quanti constans, & firma auctoritas Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis, existimanda sit: quantum valere debeat omnium sanctorum hominum in eadem sententia sine vlla varietate consensio: Hæc omnia nunc omittam; & illud tantum quæram, quo modo Lutherus, cum Purgatorium esse confirmabat, ad id probãdum ex sacra Scriptura testimonia sumebat, si nullum erat in ea testimonium, quod Purgatorium esse testificaretur? Deinde, cum Purgatorium esse negauit, quo Scripturæ testimonio Purgatorij fidem prorsus abrogandam arbitratus est? Adduxit ne locũ aliquem, ex quo, Purgatorium non esse, conuinceret? Nullum certe. Tantum igitur sibi assumebat, vt, quod ei in mentem veniret, constanter affirmaret; rursus illud idem, si ei videretur, pernegaret; & discipuli tamen, neque illius inconstantia, neq. moribus offensi, quidquid ille nauseans effutiret, quasi diuinum oraculum libenter arriperent. Sed, ne diei posset, id nullo Scripturæ testimonio demonstrari posse; quamuis id minime necessarium sit, præter locos, qui in Purgatorij fidem adduci solent, libet paucos afferre: qualis est ille apud Marcum, in quo Dominus, cum regionem tartaream, in quam detrudendi sunt omnes, qui pręlibidine sua officium produnt, diceret ea condicione fore, vt nec eorũ, qui essent illuc præcipitandi, vermis moreretur, nec ignis exstingueretur, adiecit cõtinuo, Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. Hoc in loco duo sunt annotanda. Vnum est, esse vermem aliquem, hoc est, conscientiæ angorem, & cruciatum, qui animum morsu lacerat, cui finis statutus sit; & tormentum etiam illud, quod flammis excruciat, esse in quibusdam fine aliquo terminandum. Aliter enim numquam illud ex Isaia Dominus vsurparet, Vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Ex quo loco docemur, alium esse cruciatum sempiternum, alium tempore definitum. Cum igitur vermis, & ignis animi cruciatus exsistat, & alius eiusmodi cruciatus sit per diuinum iudicium tempore circũscriptus, alius vero sempiternus; non aperte liquet, esse Purgatorium? Sic enim appellatur illud supplicium, quo Dei sententia iustæ animis maculæ intra certum tempus eluuntur. Alterum, quod animaduertendum est, nullum scelus absq. pœna, atque supplicio oblitterandũ esse. Vt enim olim nullũ sacrificium sine sale offerri licebat; ita nec mentibus ad solium Diuinæ Maiestatis adire fas est, nisi prius fuerint eorum labes sale, & igne, hoc est, diuini iudicij seueritate, debitisque pœnis, absterfæ: vt, omni affectionis impuræ macula deleta, & prorsus absumpta, eam puritatem fideles animi consequantur, qua possint Dei in se lumen recipere, & gloriæ diuinæ similitudine cõformari. Quamuis enim Christi clementia peccatum in illis, qui vigenti fide nituntur, omnino deleatur, aliquo tamen plerumque nexu iuris obligati sunt, ita, vt sit necesse iustitiæ diuinæ satisfieri. Summus enim Dominus ita clemens est, vt immemor

iustitiæ

Iustitiæ non sit; ita iustitiam tuetur, vt maximas etiam in iudicio seuere administrando clementiæ partes suscipiat. Præterea puritas ipsa, Christi beneficio parta, gradus habet, ita, vt, qui purus est, purior esse possit, clariuremque diuinæ naturæ cognitionem adipisci. Ipsius vero puritatis augmentum, & amplificatio in sale, & in igne, hoc est, in pœna, purgandis flagitiorum reliquijs statuta, consistit, vt victima sit purior, & sanctior, & numini Diuino gratior. Quo circa necesse est, vt victima, quæ Deo est sacris a summo sacerdote Christo constitutis offerenda, aliquo supplicio flagitijs irrogato, vel in hac vita, vel in futura absterſa, & valde purgata sit. Vt enim, cum Deus veniam Dauidi tribuit, non illum omnino pœna liberauit, (fuit enim orbatus filio, & Regno, per summum Absalonis filij scelus expulsus, & domus illius insigni dedecore maculata) ita, quamuis, peccatis ignoscat, vult tamen nihilominus aliquas flagitiorum pœnas expetere, vt admissi criminis compensatio fiat. Quæ tamen compensatio non pondere, & æstimatione sua, sed meritis Christi infinitis innititur. Secus enim nullo modo posset finis supplicijs imponi, cũ offensa sceleris fuerit infinita. Numen enim Diuinum læsum, & offensum fuerat. Ad hanc pœnam, quæ perferenda est omnibus, qui non debitis laboribus flagitiorum sordes omnino eluẽdas susceperunt, respiciens Petrus, ait, iustum vix salutẽ consequi, tantum abesse, vt impij salutem sibi polliceri queant. Certissimam quidem spem salutis iustis ostendi, non negat; sed, eam nisi laboribus, & doloribus ante constitutis tribui, id plane negat. Idem Petrus in eadem epistola, vt doceat, non esse mortuis aditum ad salutem interclusum, asserit, Christum eis mentibus, quæ erant in custodia, Euangelium enuntiasse. Non dicit, Christum apud inferos solum sanctis patribus faustum illud, atque lætum nuntium, sed hominibus etiam in custodiam traditis, hoc est, ob admissa flagitia carcere inclusis, attulisse. Et, ne credi posset, eos, quos tunc clariore notitia cælestis numinis instruxit, fide omnino vacuos exstitisse, addidit, Qui increduli fuerant aliquando. Et, ne rursus aliquis auspicaretur, eam sententiam de illis, qui maximam vitæ partem, quamuis aliquãdo scelera suscepissent, in fide, & religione consumpserant, prolatam fuisse, illis ait Euangelium traditum, hoc est, sempiternæ salutis nuntium allatum fuisse, qui in diebus Noe, sancti illius viri consilia, & monita spreuerant: qui tamen, vt apparet, ante quam fuissent eluuione illa consumpti, ad bonã mentem rediere, veniamque scelerum, & flagitiorum consecuti sunt: ita tamen, vt diuturni sceleris apud inferos diuturnã pœnam luerent, Ex quo loco, Petri auctoritate colligitur, eos, quos simili ratione in vitæ fine impuritatis, & flagitij pænitet, & cum incensa fide excedunt e corpore, similiter esse carcere detinendos, vsq. eo, dum pœnas moderatione diuina cõstitutas exsoluant, &, multo clarius de rebus diuinis eruditi, in qua eruditione, & illustratione Dionysius purgationis summam ponit, in cælestes illas sedes euehãtur. Paulus item, ad Corinthios scribens, ait: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui nõ resurgunt? Quid & baptizantur pro illis? Baptizari est, se hostiã piacularem ad abluendas, atque delendas animorum maculas offerre. Vnde Dominus ipse ostendit, se vehementissime cruciari baptismi, hoc est, lauacri illius salutaris desiderio, quo se ipsum erat pro peccatis generis humani in ara Crucis immolaturus. Et duos illos fratres, qui maximum, apud illum, locum in regno illius obtinere cupiebant, interrogat, an sint parati ad eiusdem baptismi societatem. Baptizari igitur pro mortuis, nihil aliud est, quam pro mortuorum salute Deum piaculari victima, & sacrificio venerari, atque corporis etiã hostiam pro salute eorum libenter offerre. quod Paulus, vt apparet, non pro mortuis tantum, sed pro viuis etiam faciebat. Sic enim statim ait: Cur & nos singulis horis periculum adimus? quotidie morior per vestram gloriam, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Ex quo loco potest intelligi, Paulum, quoties pro Ecclesiæ sanctæ statu capitis periculum adibat, toties huius baptismi sacramentum, atque sacrificium procurasse: quod tunc multo perfecit magnificentius, cum mortem clarissimam pro Christi gloria, & omnium salute, oppetiuit. Se enim tunc præcipue immolandum esse dicit, cum mors, qua erat ex corporis ergastulo liberandus, appropinquabat. Hoc ex loco constat, non Paulum tantum, sed multos etiã alios pro mortuis, hoc est, pro mortuorũ salute, sacrificia sanctissima peregisse. Quod si frustra semper fieret, concludi posset, non esse mortuos vllo tempore in vitam reuocandos. Cum vero non temere fieret, (aliter enim numquã id a Paulo permissum fuisset) sequitur necessario, preces pro mortuorum salute adhibitas, minime superuacaneas esse, & eos, qui vita functi iam sunt, viuorum precibus, & votis, & sacrificijs adiuuari. Quæ mentes cum neque sempiternis tenebris sepultæ sint, (nullius enim precibus inde emergere possent) nec in sedibus celestibus locatæ sint, (tunc enim nullius precibus indigerent) sequitur, vt in aliqua alia sede, atque regione sint, quam Purgatorium appellare solemus. Multa alia possunt similiter afferri. Multa sunt a pijs, & sanctis hominibus ad hanc sententiam confirmandam sapienter adducta: quæ tamen, si nulla fuissent, nobis tamen Ecclesiæ sanctæ fides, quæ ab Apostolis ad hæc vsque tempora inuiolata permansit, abunde satisfecisset. At vos, cum testimonia clarissima videatis; cum argumenta minime diluatis; cum sanctorum Patrum auctoritate conuicti sitis; cum Ecclesiæ totius consensionem animaduertere possitis; in suscepto tamen scelere cum incredibili contumacia permanetis. Quid de precibus, & vo-

& votis, in ſacrificio pro mortuis, atque viuis ſanctiſsime nuncupatis, ediſſeram? Eſt ne aliquod tempus, quo Chriſtianis, quibus ſumma religio eſt in carirate ponenda, caritate vti non liceat? Aut maius caritatis ſtudium excogitari poteſt eo, quo votis ardentiſsimis Deum pro ſalute fratrum oramus? Aut eſt tempus aliud ad hoc ſanctiſsimum munus obeundum aptius, & conuenientius eo, quo non quadrupedum victimis, ſed corpore, & ſanguine Chriſti Dei numen placandum ſuſcipimus? Aut eſt aliquid inſtituto noſtræ religionis accommodatius, qui credimus, eos, qui cum vigenti fide e mortali corpore diſcedunt, non interire, ſed viuere, quam eos cum illis, qui in hac vita manent, coniungere? & tam pro viuis, quam pro his, qui ex hac vita migrarunt, Chriſto pro nobis immolato ſupplicare? Hanc tu religionis ſanctitatem, hoc ardens caritatis ſtudium, hanc ſalutarem victimam non pro nobis ſolum, ſed pro fratribus noſtris oblatam, quibus amoris fœdere ſempiterno coniuncti ſumus, dedecora religionis appellas? Huncc ine furorem? Hancelne dementiam? Hanccine impudentiam? Legitimum imperiũ recuſare, antiquum ordinem Eccleſiæ perturbare, labem ſanctis virginibus inferre, & pudicitiam caſtis eripere, memoriam virtutis, atque religionis, & iuſtitiæ delere, ſtudiumq. probitatis, & humanitatis exſtinguere, templa cõpilare, & funeſtare, ſanctos homines partim occidere, partim ſpoliare, & incommodis infinitis afficere, partim in exſilium cõpellere, odiũ pietatis in hominum diuinorum reliquias expromere, & in ſanctarum rerum vaſtitate furẽter extolli, id erit honeſtum, & glorioſum, immortaliq. laude prædicandum? imperio autẽ, præcepto, & moderatione Chriſti fundato deuinciri, pacis, & concordiæ vinculum conſeruare, iuſtitiæ ſimul, & clementiæ diuinæ coniunctionem admirari, ſanctitatis egregia monumẽta recolere, ſacrificium illud ſanctiſsimum, & magnificẽtiſſimum, cuius virtutem neque verbis exprimere, neque mente, & cogitatione cõplecti poſſumus, pro viuis, pro mortuis, pro totius denique reip. Chriſtianæ ſalute facere, id dedecus erit minime tolerandum? Et tamen hæc omnia, religionis dedecora nominare non dubitas; &, per quos obrepſerint, me non ignorare dicis, ſed diſſimulare, vt meorum auribus inſeruiam. Per lenones credo, aut per homines ventri, libidini, aut populari leuitati commodi ſui gratia ſeruientes, & non per Chriſti Spiritum, & per viros caſtiſſimos, atque ſanctiſſimos, in quibus Chriſti Spiritus inerat, fuerunt hæc omnia, quæ vituperas, & quæ labem religionis eſſe dicis, inſtituta. At tu non id, quod ais, vmquam probare poteris. Nam ratio, & antiquitatis teſtimonium, & ſanctorum Patrum auctoritas te vrget, & premit, & impudentiæ conuincit: at nos & argumentis firmiſſimis, & teſtimonijs grauiſſimis, & exemplis veriſſimis, impietatis, & ſceleris iſtius impetum repreſſimus. In quo vero dicis, me, vt meorum auribus inſeruiam, ea, quæ non ſentio, proferre, recte me noſti. Is ego ſcilicet homo ſum, cuius omnis induſtria in adulandi ſtudio conſumatur, & non quod ſentio, ſed quod gratum eſſe meis futurum exiſtimo, litteris mandem. Chriſtum iudicem viuorum, atque mortuorum obteſtor, vt, ſi non ea, quæ ſtatuo, quæ vera eſſe decerno, quæ firma fide concipio, de rebus, quæ ad religionem pertinent, ſcribo, vt ille me aditu cæleſtis illius ciuitatis, atque gloriæ ſempiternæ, prohibeat, nec illius luce frui in omni ſæculorum æternitate patiatur. Quid autem aliud Papatus eſt, niſi legitimi imperij, & diuinitus inſtituti moderatio? Quid Purgatorij fides, niſi clementiæ ſimul, & iuſtitiæ diuinæ teſtimonium? Quid honor diuinis hominibus inſtitutus, niſi operis diuini, in quo multo magis Dei virtus, & beneficentia, quam in cæli, atque adeo vniuerſæ naturæ operibus elucet, admiratio? Quid in ſacrificijs pro viuis, & pro mortuis precationes, niſi ſanctiſſimæ, & maxime admirandæ religionis, & ardentiſſimæ caritatis officium? Hæc ſunt dedecora, quæ ſuſtuliſtis. Eſt igitur, quod gloriemini, & nomen veſtrum memoriæ ſempiternæ conſecretur.

Nam pro imperij ſanctiſſimi cultu, Rebellionẽ; pro Purgatorij metu, impunitæ licentiæ temeritatem, & confidentiam; pro veneratione ſanctis hominibus debita, ſanctitatis, & iuſtitiæ cõtemptum; pro ſacrificij ſanctiſſimi religione, & hominum caritate, religionis veriſſimæ negligentiam, & caritatis obliuionem, & riſum præterea nimis inuerecundum cum ſumma linguæ petulantia ſuffeciſtis. Hæc ne decent, Haddone? Hæc glorioſa? Hæc prædicanda? Hæc præſeferenda ſunt? At dicis, Romanos Pontifices bella moliri, & Romæ Purgatorij nundinationes eſſe, multaq. ſacra venalia proponi, & multos mortales in diuorum cultu ſuperſtitione nimia conflictari, & ſacerdos parũ caſte vitam degere, & ſacrificijs ad quæſtũ frequenter abuti. Primum quidẽ, de bellis ſtatuendum eſt, non omnia poſſe iure atque merito cõdemnari. Pro religionis enim ſanctitate, & pro iuris integritate ſuſcipiuntur. Nundinationes enim, ſi in tam multis ætatibus aliquando fuerunt inſtitutæ, id neque mirandum eſt. nam, vt ais, fieri non poteſt, vt non aliquando in lætis ſegetibus herbæ noxiæ frugibus enaſcantur. Illæ deinde, ſi aliquæ fuerunt, funditus ſublatæ ſunt. Superſtitiones, ſi interdum mentes occupant, facillime Pontificum opera, atque vigilantia tolluntur. Sordes autem ſacerdotum, atque flagitia ſeueriſſime coercentur. Multoq. plures apud nos hoc tempore ſunt, qui caſtiſſime viuant, quã qui ſeſe flagitijs & impuritate contaminent. Poſtremo, vt alios prætereã, huius ſanctiſſimi Pontificis Pij Quinti, quem non ambitio, neque cupiditas, nec aura popularis, nec hominũ temeritas, ſed diuinus Spiritus in am-

plissimo illo dignitatis gradu locauit, virtutis, & pietatis, & religionis exemplum facit, vt omnia in dies meliora fiant, multoq. plures in studium verissimæ pietatis incitentur. Sed, vt hoc tempore nihil ita fiat, quemadmodum dico, sed omnia labantur, & concidant, neque sit, qui laboranti Ecclesiæ salutare remedium adhibeat, continuo verum est, omnia, quæ sunt sapienter instituta, cum primum illis homines ad flagitium abutuntur, euertere? Non profecto. Sed omni ratione prouidere, ne sanctarum rerum vllus sit abusus. Aliter enim omnia corruent, & summa perturbatio rerum, & confusio consequetur. Nam, si, quemadmodum, propter aliquorum monachorum, vt ais, offensionem funditus eorum ordinem sustulistis; & propter sacerdotum flagitia, sacerdotij dignitatē, & Pōtificum auctoritatem euertistis; ita, quod est consequens, si propter magistratū, aut Principem, aut Regem, qui officio suo functus non fuerit, ordinem Reip. & Regiam dignitatem sustuleritis; res ad chaos illud, quod poetæ ante naturæ ordine compositæ condicionem fuisse perhibent, cum omnium rerum vastitate, & exitio redibit. Quę enim res tam sancta est, qua interdum homines non ad summam fraudem, & flagitium abutantur? Et, ne longius abeamus; ipsum matrimonium, quem pudicitiæ sempiternæ præponitis, semper caste, & pure, & religiose conseruatur? Numquam a maritis vxoribus inferuntur iniuriæ? Numquam vxores viris insidias moliuntur? Numquam vlla adulteria committuntur? Committuntur certe; multaq. sæpenumero ab hominibus matrimonio deuinctis tætre, & impure fiunt, cum insigni temeritate, & impudentia. Placet igitur, hoc viri & vxoris fœdus, & coniunctionis legitimæ pactionem, propter alicuius matrimonij flagitia, dirimere? Non profecto. In promiscuos enim concubitus homines ruerent neque quidquam inter illos & quadrupedes interesset. Quamuis igitur nihil ordine, nihil cū honestate, & religione a nostris fieret, non continuo erant eæ, quæ sunt sanctissime fundata, & constituta, peruertēda, sed opera danda, vt ea, quæ non rite fiebāt, legitime fierent. Nec enim ea, quæ sanari possunt, omnino resecanda sunt; neque, si vitiosæ partes exscindendæ necessario sunt, est continuo corpori vniuerso, quod facile potest ad naturam reuerti, interitus afferendus; neque reip. status, cum primum tumultuari cœptum est, immutandus; sed omnia, quæ labuntur, ad principia rectissime constituta reuocari conuenit. Narrat Aristoteles, Hippodamum quendam Milesium fuisse, qui de repub. conscripsit. Inter reliqua autem illius decreta legem commemorat, qua Hippodamus statuebat, vt esset præmium illi publice constitutum, qui legem aliquam vtilem rebus communibus inueniret. Hoc Aristoteles improbat. Censet enim, esse modum legibus statuendum. Crebram namque earum commutationem illas in contemptionem paullatim adducere: neglectis autem legibus, non posse reip. salutem diu consistere. Itaque monet vir ille doctissimus, vt videant, qui leges ferunt, ne sit plus mali in hac iuris sæpius immutandi consuetudine, quam illud ipsum, quod noua lege depellere nituntur. Sanius enim multo putat, tolerabiles leges seruare, quam paullo meliores iubere. Et merito quidem. Illa namque perpetuo constans aduersum leges reuerentia, metum, atque pudorem sancit; & ciues inter se firmo, & stabili iure consociat. Hæc vero sine graui caussa iuris innouandi libido audaciam gignit; & ad ius ipsum nimia calliditate violandum, & tyrannidem occupandam, viam munit; &, vt nihil aliud incommodi ex ea proueniat, ordinem certe reip. perturbat. Hoc autem, quod de legum nouitate timendum est, tanto constantius est de religione statuendum, quanto maiore cum pernicie in ea delinquitur. Hoc animaduertentes olim rerumpub. conditores, religionis nouitatem aliunde accersitam sæpenumero nece, aut exsilio vindicabant, ritusque patrios constantissime retinendos esse decernebant. In quo, quamuis ab illis esset pessimis rationibus instituta religio, & in maximis erroribus versarentur, non tamen omnino sine consilio, & ratione hoc statuebant. Si enim fieri posset, vt plus vna religione aliqua alia laudabilis esset, is, qui, vt paullo meliorem religionem institueret, veterem, quæ non esset impia, tolleret, male de repub. mereretur. Cur ita tandem? Quia consuetudinem innouandæ, &, quod est consequens, negligendæ religionis induceret. Sic autem fieret, vt aliæ atque aliæ identidem religiones, vel ingenijs excogitatæ, vel ex alijs gentibus acceptæ, multas de sancienda religione discordias excitarent; &, dum quælibet aliam redargueret, eo tandem res paullatim deduceretur, vt omnis religio funditus interiret. Quod cum ita sit, vt iam ad disputationem intermissam redeamus, quid est existimandum, cum religio verissima, sanctissima, atque vetustissima, diuino testimonio, Christi sanguine, sanctorum omnium fide comprobata, noui Euangelij, hominum impurorum ingenijs excogitati, ratione conuellitur? Numquid consequens non est, quod fieri passim videmus, vt religiones multiplices, & impuræ, & inter se dissidentes, oriantur? Vt aliæ in alias insurgant? Vt quælibet aliarum amentiam facile redarguat? Vt nulla se firma ratione, atque valido argumento sępiat; & sic tandem omnes contemnantur, atque pro nihilo ducantur? His autem gradibus eo tandē peruenitur, vt multi, Arij, & Sabelij, & reliquorum scelestissimorū hominū manes exciteut, & errores sepultos instaurent: alij vero nullā religionē verā putent, Deumq. rerū humanarū procuratione spolient. Hunc fructū noui, atq. recentis Euāgelij auctores, quos diuinitus missos asseris,

rebusp.

rebusp. attulerunt, vt quiuis posset se nouæ religionis auctorem profiteri, & contra alios pestiferæ etiam nouitatis auctores arma comparare, vt ita tandem omnia religionis instituta tollerentur. O viros beneficos, & salutares, qui tam præclare viam ad summam impietatē munierunt! Et quærebas, quid mihi in mentē veniret, asseuerare, sectas istas esse Principibus vehementer infestas. Dic, quæso, qui tantum facinus ausi sunt, vt admirandum pudicitiæ, & castitatis exemplum euerterent, vt religionis, atque sanctitatis monumenta disturbarēt, vt sacras sanctiones in concione comburerent, vt statum Ecclesiæ, vbi id eis facere cōcessum est, pestiferis armis exscinderent, vt populos ad odium iuris, ad furorem, & amentiam concitarent, vt imperium omne contemnerent, vt Dei numen, atque moderationem despicerēt, vt templa, & delubra religiosorum hominum sanguine replerent, vt multitudinem imperitam spe libertatis immodicæ, ad arma solicitarent, eos existimas non eundem furorem esse, vbi primum occasionem nacti fuerint, ad Principes conuersuros? An parum constat, quod iam antea dictum est, quid in Germania cōtra Cæsarem, in Gallia contra Regis Henrici vitā, & imperium, in Britannia contra Odoardum, quem veneno sustulerunt, deinde contra Reginam Mariā designarint? Quo scelere, & furore impetum in eorum Maiestatē tulerint? Quid de Rege Scotiæ dicam, quem crudelissime necatum esse constat? Quid? Non insidias contra multos alios Principes instruxerunt? Omitto permulta huius immanitatis exempla; quæ si mihi non suppeterent, id tamen affirmare minime dubitarem. Nec enim sapientis est, cum caussam cernat, de futuro euentu rei necessario consequētis ambigere. Cum enim videam, multitudinem metu solutam, libertatis nomine ferocem, effrenata libidine furentem, falsa opinione religionis erectam volitare; possum ne dubitare, quin imperiis omnibus, quibus eam, quam appetit immodice, libertatem impediri posse credit, vehementer infesta sit? Hęc, Haddone, sunt, hæc sunt religionis dedecora, & non illa, quæ dicis. Quid enim honestius, & clarius est, quam parere imperio diuinitus instituto? Diuinum iudicium vereri? clementiā diuinam in iis, quos debitis pœnis expurgatos in sempiternam vitam reuocat, admirari? iusti tiæ, pietatis, atque sanctitatis monumenta recolere? in sanctissimis sacrificiis pro viuorum incolumitate, & pro mortuorum salute, supplices ad Deum preces adhibere? Et interim, dum res sanctissimas dedecora religionis appellare non dubitas, vestræ religionis dedecus, quantum sit, minime percipis. Vt enim nihil aliud dicam, maius ne dedecus religionis esse potest, quam omnia sacra, cærimonias, omnes Ecclesiæ sanctiones, omnia sacerdotia, atque sanctitates, imperio muliebri contineri? Non Reginæ laudes obtero, quam cupio tantis virtutibus excultam cernere, vt immortalitati possit facillime consecrari. Nec tam illi, quam vobis, qui illam in eam fraudem assentationibus vestris impulistis, crimini do, quod se Ecclesiæ Præfectam arbitretur. Dic, quæso, si lubet, vbi legisti, aliquem Christianum Principem Pontificis Maximi munus vsurpasse? Immo omnes, qui pietatem, & iustitiam colebāt, quorum nomen propter egregia facinora est memoriæ sempiternæ commendatum, sacerdotum iudicia verebantur; Pontificibus sine vlla recusatione parebant; eorumq. imperiis adstringi, sempiternæ sibi laudi datum iri, sapientissime putabant. Sic vester ille Constantinus, summum Britanniæ totius ornamentum; sic noster ille Theodosius; sic Carolus Magnus, & Ludouicus illius filius, Galliæ Principes; sic innumerabiles alij, qui victoriis clarissimis imperium latissime propagarunt, cum armis omnia vincerent, ita erant Pontificum iussis obsequentes, vt non tā imperio, quam illa obediētia, gloriari viderentur. At vos non Regi tantum, quod ipsum erat inexpiabile facinus, vt iam ostendimus, merito censendum, sed etiam Reginæ sacra omnia, contra ius, & fas, contra religionis purissimæ sanctitatem, contra cælestis numinis instituta, subiecistis, & sacratissimam Pontificatus Maximi dignitatem, legitimis Pontificibus ereptam, ad imperium muliebre transtulistis. Quod quidem dico fuisse nefariū scelus, immane facinus, detestabile, & exsecrandum flagitium. Vnde colligi potest, nullū tam infandum crimen fingi cogitatione posse, quod non ab adulatoribus cum proiecta audacia, & impudentia suscipiatur. Hic multa prætereo: & ad maledicta, quæ in me congeris, minime respondeo. Nec id curo. Neque mihi propositum est, vt conuicia tua refellā, sed vt sanctissimæ religionis, pro qua mori mihi pulchrum erit, caussam suscipiam. Reliqua igitur omnia prætermitto, vt ad locum illum veniam, quo ipse te manibus tuis cruentas, ipseq. tibi mortiferum vulnus imponis. Sic enim ais: Quid igitur? Sacrosanctam Euangelij doctrinam, in qua continenter, excepto sexennij turbulētissimo tempore, plusquam annis triginta permansum est; in qua Regalis Maiestas suam omnem traduxit ætatem; in qua Deum inuenit sibi tam propitium; in qua maximus omnium ordinū consensus interuenit; in qua legum clarissimarum decreta sunt consecuta, verum hunc, sincerum diuini numinis cultum, vndequaque tam diligenter a Regali Maiestate sæptum, atque vallatum, viri Lusitani vox perstringet? Quam multa simul, Haddone, & quam parum considerate, ne dicam furenter, & temere, dicis. Primum enim sacrosanctam Euangelij doctrinam appellas, Lutheri, Zuinglij, Buceri, Caluini, & reliquorum furentium hominum disciplinam, qui pudicitiam, sanctimoniam, modestiam, mansuetudinem, obedientiam, non modo pestiferis institutis, sed etiam vitæ turpiter

actæ exemplis funditus euerterunt. Qui, fracta, & abiecta fide, in illius sede, atque domicilio temeritatem, & confidentiam, constituerunt. Qui, sublata libertate, quamuis id oratione dissimulent, flagitiorum impunitam licentiam popularibus suis largiti sunt. Qui iustitiæ donum, quo nullũ maius, & amplius homo a Deo accipere potest, omnino sustulerunt; & pro vera iustitia commenticiam iustitiam induxerũt. Qui minime veriti sunt, caussam omnium flagitiorum, & scelerum, in summam illam bonitatẽ, a qua nullum malum emanare potest, væsana, & impia mẽte conferre. Qui, cũ id recepissent, vt Euangelium perpurgarent, & Ecclesiã laborantem reficerent, non modo id, quod insolenter, & temere polliciti fuerant, minime præstiterunt; verum Ecclesiam, cuius labem viri religiosi ferre non poterant, multis flagitiorum sordibus inquinarunt, eamque laceram, & dissidentem reddiderunt. Quidnam caussæ putandum est, cur, si quando apud nos (quod quidem monstri simile ducitur) aliquis istius doctrinæ contagione infectus esse deprehenditur, licet fronte, & supercilio, & composita vultus grauitate, sanctitatem ementiri studeat, occultæ tamen libidines emineant, multaq. illius flagitia, quæ simulationum inuolucris obtegebantur, confestim appareant? Vt enim quisq. se magis isti disciplinæ dat, ita magis est pudori, & castitati contrarius. Omitto contentionem, qua frustra Ecclesiam istam recentem, flagitiis innumerabilibus inquinatam, cum Apostolorum Ecclesia, diuinis opibus, atq. religione, & sanctitate florentissima, conferendam esse dicis. Noli antithesim illam nostram, qua demonstraui, quantum inter vtramque interesset, sine vllo fructu reprehendere. Nec enim eam refutasti, neque refutare vmquam poteris: Et, qui id tentare voluerit, non alium fructum feret, quam vt amentiam simul, & impudentiam suam in publico proponat, vt omnes illum & risu, & odio prosequantur. Vt igitur illam ridiculam, & impudentem orationẽ omittam; velim, vt Ecclesiam istam cum maiorum vestrorum Ecclesia compares: quod si feceris; reperies, pro antiqui officij religione confidentiã; pro grauitate, & cõstantia, dementiã; pro cõtinentia, libidinẽ; pro virtute, molliciem substitutam. Hanc tu igitur sacrosanctam Euangelij doctrinam nominabis, quæ tot res sacrosanctas euertit, & dissipauit; & in earum locum tantam vim nequitiæ, atque furoris inuexit? Repete, quæso, memoria Ecclesiæ istius vestræ fundamentum. Nec enim ea, quæ sunt omniũ sermone peruagata, & litteris etiam ad sempiternam memoriam commendata, dissimulare cõuenit. Eam namque Venus, & amor instituit: legitimi iuris offensio, &, propter latam sententiam, odium in Pontificem amplificauit; improborum hominum adulatio mendacij præsidio sæpsit; cupiditas etiam, & auaritia muniuit; supplicium sanctis hominibus irrogatum sanxit; metus omnibus iniectus corroborauit; atque postremo doctrina hominum, quos non Deus, sed Satanas in eas oras misit, erroribus pestiferis, atque turbulentis infecit. Hoc tu religiosum, hoc pium, hoc sacrosanctum appellare audes, cuius initium, progressionem, & incrementum, & finem, nisi iam extrema, atque miseranda cæcitate laboras, nequitia, libidine, odio, cupiditate, immanitate, furore, atque dementia susceptum, exaggeratum, & conclusum fuisse conspicis? Illud deinde quam ridiculé, in quo dicis, in ista doctrina fuisse apud vos plusquam annos triginta permansum. O venerandam Euangelij canitiem! O doctrinæ cælestis antiquitatem! O religionis purissimæ vetustatem! Sed tibi, callido videlicet, & acuto iuris interpreti, non multum de antiquitate disciplinæ curandum existimas. Iure namque vsucapionis vti videris, & ideo triginta annorũ spatio contentus es, intra quod legitime vsucaptum putas istius religionis institutum. Quamquam, si sexennium illud, quod turbulentũ fuisse dicis, ab annis triginta deduxeris, nondum istius Euangelij sanctitatem triginta annos expleuisse constabit. Sed, vt triginta iã anni prorsus elapsi sint, si hoc ius vsucapionis valuerit, vide, quanto fortius Arabes sectam suam tueri possunt. Tu namque, triginta annorum vsucapione, illi plus nongentorum annorum possessione Mahumetis nefariam superstitionem tuebuntur. Dicis præterea, Regalem Maiestatem: nam, quæ tua adulandi libido est, quasi parum dignitatis sit in Reginæ nomine, aut si Reginam appellaueris, sit continuo Maiestas interitura, numquam Reginam nominas: itaque Regalem Maiestatem dicis in ea doctrina omnem suam ætatem traduxisse. Quod ita sit, alium auctorem, præter te, non habeo. Si autem id verum est, ea culpa non tam in illam, quam in doctores, quibus in ætate tenera, & imbecilla, & ea de caussa fraudibus, & dolis obnoxia, operã dedit, conferenda est. Postremo, nondum mihi liquet, quamdiu illa tyrannide vestra, qui Regnum, vt aiunt, nomine illius possidetis, liberata non est, quid illa de tota hac ratione decernat. Illud certe scio, singulare ingenium non esse natura sua adeo in suscepta semel sententia obstinatum, & obfirmatum, atque disciplinis nefariis addictum, vt non sit valde ad rectã rationem flexibile, libentissimeq. prauam disciplinam deserat, vt veram, & incorruptam sequatur. Quare minime mihi dubium est, si illa tantum valet ingenio, quãtum prædicas, quin, vbi primum illi per vestram importunitatem licuerit, sit se confestim ab ista nefaria disciplina ad honestam, & piam, & vtilem Ecclesiæ doctrinam conuersura. In eo vero, quod addis, In qua Deum tam propitium habuit; parum mihi videris intelligere, in qua re numinis propitij testimonium consistat. Non enim tam populi gloria, & humanarum rerum felicitate, quam tranquillissima animi pace, &

mente

mente diuinis opibus illuſtrata, & fide, & integritate, & incorrupta diſciplina, & ſtatu virtutibus diuinis exaggerato, continetur. Præterea, ſi Dei numen illa valde propitium habuit, nec vllum adhuc illius in ſe iudicium experta eſt, eo eſt ei magis elaborandum, ne illum offendat, neue clementia, & lenitate illius ad contẽptum puriſsimæ, atque ſanctiſsimæ religionis abutatur. Iam vero illud, de quinquennij felicitate, quantæ tandem eſt temeritatis argumentum? Solon, cum Crœſum admonuit, ne nimiũ fortunæ florenti confideret, non quinquennij, ſed multorum annorum felicitatem timẽdam eſſe docuit; neminemq. beatum, quamdiu viueret, habendum eſſe demonſtrauit. Crœſus autem, a Cyro deuictus, & pyræ impoſitus, Solonem magnis vocibus inclamabat, a quo fuerat admonitus, de fragilitatis humanæ condicione, atque de repentina rerum ſecundarum conuerſione. Cyrus, audito Solonis nomine, de Crœſo quæſiuit, quis ille Solon fuiſſet. Reſpondit Crœſus, virũ fuiſſe Græciæ ſapientiſsimum, a quo didicerat, eſſe dementiam ſummam, rebus ſecundis extolli. Cyrus Crœſum e pyra detractum in honore ſummo habuit, & modum ſibi ipſe in ſecunda fortuna conſtituit. Hæc, & his ſimilia adeo peruulgata ſunt; & exempla quotidiana tantam nobis huius noſtræ condicionis cognoſcendæ materiam præbent, vt nullum ſit maius amentiæ, atque temeritatis indicium, quam rebus ad voluntatem fluẽtibus inſoleſcere. Nec enim intelligit is, qui ſecundis rebus effertur, quam ſubito omnes humanæ opes euaneſcant, & ex quam alto gradu multi Principes maximi, cum omniũ mortalium admiratione, conciderint, neque quanto ſeueritatis impetu ſummus ille Iudex eorum ſtatum, qui nimium ſibi præfidunt, quaſi turbine, conuellat, atque deiiciat. Cui enim exploratum eſſe poteſt, omnia ſibi ad extremum vitæ ſpiritum feliciter euentura? Quis eſt, qui ſibi queat diem, vel horam potius omni calamitate liberam polliceri? Vt enim lucem tenebræ conſequuntur, vt aduerſa tempeſtas ſolet nautas, atque vectores inopinantes opprimere; ſic acerbi caſus florentem ſtatum ſæpenumero peruertunt, malorumque omnium fluctibus obruunt, & ad miſeriæ ſempiternæ ſcopulos allidunt. Et, quo magis homines ſecuri ſunt, eo grauius, cũ in eo calamitas incurrit, affliguntur. Quocirca ſapientis eſt, omnia mala, quæ poſſunt ſingulis diebus, & horis, atque adeo momentis incidere, multo ante meditari; ſtulti vero, & inſani, in ſecũdis rebus humanæ imbecillitatis obliuiſci; maxime autem, cum ſæpenumero videamus, Dei numen interdum eis, quibus eſt magis infenſum, adumbratæ felicitatis vſuram longiorem tribuere, vt eis, qui ad officium redire nolunt, vno temporis momento vulnus multo altius infligat. Iccirco Dominus monet, ne ſimus illis ſimiles, qui Noe temporibus ſecure vitam traducebant, vſque ad illud tempus, quo fuere repentina eluuione, quam nullo modo vitare potuerunt, oppreſsi. Illo etiam ſubito ciuitatum incendio docet, iudicium illius homines improuidos quaſi occultis laqueis impedite, quo minus poſsint e ſuppliciis & cruciatibus ſempiternis emergere. Hæc cũ ita ſint, quæ tanta tua dementia fuit, vt iſta quinquẽnali felicitate, tam inſolenter, & temere glorieris? tam arroganter extollaris? tantum in illa argumentum numinis propitij conſtituas? Non vides, quã multæ nationes ſint a Chriſti fide prorſus alienæ, quarum res multo magis florentes, quam veſtræ, ſunt? Si hoc argumentum vllam vim habet, vide, quam facile Turcæ peſtiferam ſectam, qua imbuti ſunt, probare poterunt. Tu quinquẽnali felicitate cauſſam tuam defendis: illi quam plurimis victoriis, & rebus per tot annorum ſpatium valde ſecundis, ſuam religionẽ veram eſſe confirmabunt. Poſtremo, eſt ne tibi penitus exploratum, quid dies, vel hora potius rebus veſtris ſit allatura? Quid ergo, quaſi iam ſis liber, & immunis & legibus humanæ condicionis omnino ſolutus, neque poſsis vllo modo calamitate repentina peruerti, gloriaris, & intemperanter inſultas? De Concilij veſtri, ſi ita eſt, quemadmodum dicis, in antiquæ religionis negligentia, & obliuione conſenſu, de Regalis Maieſtatis amplitudine ſacris omnibus præfecta, iam demonſtraui, neutrum fieri ſine graui numinis offenſione poſſe. Quod ſi dilatione vindictæ vobis impunitatem tributam arbitramini, videte, ſi non, dum tempus eſt, reſipiſcitis, ne vobis ea confidentia impendentẽ cladem amplificetis. De ſpe vero, quam me de Regina veſtra habuiſſe dicis, & ideo litteras illas ſcripſiſſe, nondum pænitet inſtituti. Si aliquid profeci, aliquando tandem apparebit. Si non profeci, voluntatis tamen, & ſtudij noſtri ſignificatio illi, ſi humanitati ſuæ conſtare voluerit, non erit ingrata. Dicis, me, ne ſi ſexcentas quidem Philippicarum myriades ſcripſero, eam in ſententiam meam traducturum: id, velim ſcire, quo modo confirmare poſsis. Num adeo barbarum, & inhumanum ingenium illius eſſe putas, vt, quamuis argumentis firmiſsimis, & rationibus, luce meridiana clarioribus, hominum perditorũ fraudes, & inſidias oſtendero; iſtius per ſummum ſcelus, & flagitium confictæ religionis impuritatẽ, & nequitiã in illius oculis, & adſpectu defixero; ſi, quam ineptæ, & male cohærẽtes ſint rationes, quibus illorũ cauſſam defendere niteris, oratione demonſtrauero; malit tamen cum certa pernicie ſceleſtiſsimã iſtã opinionem complecti, quam cum ſalute firmiſſima, atque gloria ſempiterna religionem, monitorũ ſcelere, & improbitate intermiſſam, recolere? Si ratio illam conuicerit, ſi ſanctorũ Patrum auctoritas inflexerit, ſi diuina lex illã in eam mentẽ impulerit, vt cupiat iſtã ſectã exſecrari, tamen tantum potentiæ tuæ confidis, & illius ingenio, & acumini diffidis, vt confirmare audeas, illã, te inuito, nũquam ad eã religionis

sanctitatem, cuius illins maiores cum magno fructu, atque gloria egregij cultores exstiterũt; vllo modo, atque ratione reuersuram? Scilicet tu illam imperio, atque dominatu coercebis; tu illi leges impones; tu, quæ credat illa, præscribes; &, ne in offensionem tuam incidat, minime saluti & dignitati suæ consulet; & potius in perpetuum se abduci cruciatum sustinebit, quam sententiæ tuæ, quamuis impiæ, nefariæ, & sceleratæ, & ineptissimo genere orationis defensæ, refragetur. Sed esto. Sit illa sic in potestate tua posita, vt non audeat vllo modo a te dissentire. Quid, si diuini spiritus appulsu cõmota fuerit? Quid, si Christus ipse illius mentem, ad opes suas inspiciendas, atque perfruendas, inuitauerit? Quid, si illius animo lucem prætulerit, qua cernere possit, vitæ illius ab hominibus improbissimis insidias fieri? Quid, ne aliud dicam, si, diuina luce aliqua ex parte collustrata, perspexerit, Lutherum, & illius sectatores numquam diuino Spiritu cõcitatos, sed furijs exagitatos, sese ad homines non salutaribus disciplinis erudiendos, sed pestilentissimis erroribus imbuendos, contulisse? Etiamne tunc illam continebis, & vinculis arcebis, ne possit vllo modo Christi diuinis monitis, & consilijs assentiri? At, in sententia nefaria, & conuicta persistere, est ingenij nimis hebetis & obtusi; subditorum iniustam offensionem pertimescere, animi turpiter demissi & abiecti; Diuinæ vero clementiæ munus aspernari, & oblatam opem reijcere, mentis impiæ, & sceleratæ. Sic autem fiet, vt illi Principi, quam omnibus virtutibus ornatissimam esse dicis, & singulari laude præcellentem, dum intolerandam istam potentiam tuam ostentare cupis, eadem opèra, & ingenij tarditatem, & animi timiditatem, & impietatis scelus, affingas. Plurimum certe illam meritis tuis excellentibus obligabis, si operis tuis sic obsessa fuerit, vt, quamuis cernat, se præcipitem in sempiternam pestem, atque supplicium trudi, non se commouere, & impendentem cladem, te repugnante, & inuito, fugere audeat, ne animum tuum grauius, quam suspicari quisquam possit, exulceret. Ad illam tamen ne plura de eadem sententia scribã, iustissimis caussis impedior. Officio namque meo, & litteris ad illam datis, & his etiam, quas contra libellum tuum scribo, si in manus illius inciderint, egregie satisfactum arbitror. Aut igitur hæc scripta satis magnam vim habebunt ad animum illius inflectendum, aut alijs litteris meis id præstari nullo modo poterit. Mihi vero tantum otium non est, vt illud velim sine vllo fructu consumere. Nunc ad consilium tuum veniamus, quo me amice mones, ne litteras Sacras attingam. Laudas ingenium, & eloquentiam minime contemnis: sed dicis, me oratoribus, atque philosophis, minime vero theologis annumerandum. Meos de Nobilitate libros, nec enim fortasse alios legisti, tibi valde probatos ostendis. Gaudeo sane, scripta mea ab homine litteris, & vrbanitate limato laudari; & consilium in bonam partem accipio. Libet tamen mihi te nouum theologum eisdem versibus affari, quibus Horatius fingit, se cum Damasippo nouo Stoico fuisse collocutum. Dij te, Gualtere, Deæque, verum ob consilium donent tonsore. Sed, vnde tam bene me nosti? Quis tibi dixit, me non multo maiorem operam in sanctas litteras, quam in Ciceronem, & Demosthenem, & Aristotelem, & Platonem, contulisse? Laudas naturam meam. Quid igitur? Tardo, & hebeti tantum ingenio studium theologiæ committendum arbitraris? Probas eloquentiam. Sanctas igitur litteras hominibus tantum barbaris, & incultis tractandas existimas? Tu, cum mulierculis, cum baiulis, cum operarijs, facultatem de rebus diuinis temere garriendi concedas, mihi, non dico Pontifici, non sacerdoti, non homini denique diutissime in sanctissimis litteris cum non mediocri fructu versato, sed, vt asseris, ingenioso, atque diserto, studium sanctissimæ eruditionis interdices? Deinde, quo iure? qua auctoritate? qua potestate? tibi, homini iurisconsulto, relicto iure parietum, luminum, stillicidiorum, contemptis, & abiectis stipulationibus, pactis, & conuentis, repudiatis actionum formulis, licebit in sanctis litteris confidentissime versari; mihi vero, cui est hoc munus impositum, vt Ecclesiam mihi commissam litteris sanctis erudiam, non licebit per te in earum commentatione multum operæ, & studij consumere? Dupliciter iniquus es. Nam & in alienas possessiones irruis, & me ex meis, interdictis iniustissimis exturbas. Illæ vero minæ, quantum grauitatis habent? Quantum mihi terroris incutiunt? Sic enim ais: Quod si quibusdam te vẽditare vis, & in nos iterum incurras, iam ante tibi denuntio, venias vt multo, quam nunc es, instructior. Deinde ostendis futurum, vt, si casu aliquo fueris vita perfunctus, ne desint, qui meum impetum frangant. In quo video, te, quæ sit mea mens, ne suspicione quidem attingere potuisse. Scio quidem, esse in ista insula viros & ingenio, & eruditione, & pietate præcellentes, qui mihi molesti non erunt, cum mirifice mecum, quamuis id tu ferendum minime putes, consentiant. Deinde, si aliquis contra me scripserit, si ratione, si argumentis, si exemplis pugnare voluerit; certamen minime detrectabo. Si vero conuicijs, atque maledictis; nullo modo, vt respondeam, adduci potero. Nec enim vlla contumelia conturbor, nec in tam turpi contentione honestam mihi victoriam potero vlla condicione proponere. Si aliqua mihi spes fuerit de te, atque de tuis ostensa, tunc non dubitabo & litteris, & orationibus, quid proficere possim, experiri. Aliter enim non patiar, mihi tempus, quo minime abundo, tam male collocari. Sic enim nos Paulus docet, vt homines in erroribus impijs obstinatos, post vnam & alteram correptionẽ deuitemus, cũ sint proprio iudicio cõdemnati.

Facio

Facio igitur tibi poteſtatem in me conuicijs, & contumelijs nimis ferociter irruendi. Freme igitur, quantum lubet, &, quantum potes, inclama. Nec enim meum eſt, nec id mihi munus aſſignatum patitur, vel perturbari conuicijs, vel ad omnia maledicta reſpondere. Ego numquam te, quem minime noram, maledicto laceſſiui. Epiſtola mea, quam tu maledictis laceras, nullum verbum contumelioſum habet, niſi tu fortaſſe querellam iuſtiſſimam, & errorum, & flagitiorum explicationem veriſſimam, conuicium appellare velis. Et tamen, quaſi aper telo venenato confixus, in me furenter irruiſti. Tantum vero abfuit, vt contumelijs tuis conturbarer, vt ſæpe mihi riſum iſta tuæ linguæ petulantia moueris. Deum vero meum teſtor, me, ſi non ſtudium veriſſimæ religionis, atque ſanctitatis mihi acres ſtimulos admouiſſet, numquam hunc ſcribendi contra tuum libellum laborem ſuſcepturum fuiſſe. Si vero ſcires, quantum me tui miſereat, quanta ſalutis tuæ cupiditate flagrem, (quod enim Chriſtiani hominis officium eſt, pro tua, & tuorum ſalute libenter vitam abijcerem) tu mecum in gratiam redires. Nec enim me odium vllum inſtigauit, ſed caritas eſt, quæ mire me ad ſcribendum ſolicitauit. Chriſtum optimum maximum oro, & obteſtor, per ſanguinem illius pro omnium ſalute profuſum, per vulnera, per acerbiſsimum cruciatum, per mortem, qua morti necem intulit, per victoriam, quam de Satanæ imperio conſecutus eſt, vt Regnum iſtud, in quo fuit olim virtutis, & religionis, & grauitatis, & iuſtitiæ domicilium, hominum perditorum ſcelere perturbatum, erroribus liberet, & ſplendore ſui luminis illuſtret, & ad fidem, & religionis ſanctiſſimæ conſenſionem, & Eccleſiæ ſæpta, reducat, ſpirituſq. ſui præſidio tueatur: vt, qui ſumus modo ſententijs diſsidentes, fidei tandem conſpiratione, & veriſsimæ religionis ſtudio conſentientes, ſimul illam ſempiternam gloriam, cum ſumma cælitum omnium gratulatione, conſequamur.

F I N I S.



IN HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA LIBROS DECEM

In quibus explicantur omnia, quæ de Fide, & Actionibus, Meritis, & Gratia, Libera hominis voluntate, & Præsensione, atque Præscriptione Diuina, ad hanc diem disceptata sunt;

Et, falsis opinionibus euulsis, omnes ad pie credendum, & bene uiuendum, instituuntur;

HIERONYMI OSORII NEPOTIS SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS CONIMBRICENSIS, ET CANONICI MAGISTRALIS ECCLESIAE EBORENSIS

PRAEFATIO AD LECTOREM



EA, quæ ad philosophiam pertinent, luculenter tractare, viri sapientia præstantes in summis semper laudibus posuerunt. in quo dicendi genere, pauci quidem ex omni hominum memoria recenseri possunt, qui aliqua cum laude floruerūt. primus enim Socrates exstitit, qui philosophiam è tenebris eduxisse videtur, eamque disserendi arte instruxisse. quem secutus Plato, eam mirum in modum auxit, & amplificauit. non solum enim multa, diuino, quo pollebat, ingenio, obscuritatibus inuoluta, inuestigauit, sed ornatissimo dicendi genere explicuit. cum singulari studio cum Aristoteles illius discipulus imitari conaretur, non mediocrem laudem est consecutus. Omitto Xenophontem, & Isocratem, quos ex illa veteri Academia commemorare possemus. Si autē nos ad alias hominum nationes conferamus, num, præter vnum Ciceronem, aliquos inueniemus, qui tot ante sæculis philosophiam ornate,

nate,& luculenter explanauerint? Iam vero, si post Remp. Romanam penitus exstinctam, illorum temporum memoriam euoluas, quotus ille fuit, qui hanc laudem fuerit consecutus? nam, ab hominum intelligentia res longe distantes mente percipere, quam sit difficile, nemo non videt: sed, eas eleganter dilucide planeq; dicere, est difficillimum. quamobrem hac in laude pancos excelluisse minime mirandum est. Inter quos Hieronymus Osorius iure optimo est numerandus. is enim non solum eã philosophiæ partem, quæ ad remp. & mores pertinet, eleganter tractauit, sed Christianam philosophiam adeo culte, & graui orationis genere explicauit, vt ceteris hac in re excelluisse iudicetur. Verum, quamuis hoc dicendi genus singulari sit laude dignum, & in eo Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, Lactantius multum studij, & operæ, singulari cum laude, consumpserint; nostrorum tamen temporum condicio aliqua ex parte illius laudem imminuit, tum quia aliqui viri docti in ea sunt opinione, vt omnem orationis cultum a philosophia Christiana reijciendum esse putent; tum etiam, quia multa sunt, quæ non, vt oporter, explicari posse existiment, si sermonis elegantia, & cultus seruetur. Accedit etiam, quod impios homines odium in religionem Christianam eo prouexit, vt, quidquid ex piorum scriptis ad fraudes comparãdas, quibus imperitos irretiant, aptum sibi visum fuerit, a reliquo contextu impudentet, & nefarie excipiant, eoque impie abutantur: hoc vero dicendi genus, cum latum sit, & liberum, illorum impudentiæ, & libidini magis patet, quemadmodum & vulnus illis altius imponit. Cum igitur hos de Iustitia cælesti libros in lucem emittere curaremus, non alienum fore putauimus, pauca quædam certis in locis adiungere, quibus oratio ita flueret, & sententiam ita complecteretur, vt in illa nemo vel imprudens offendat, vel ea accuset, quæ sunt cum pietate coniuncta. quæ quidem operæpretium erit paucis attendere. Fidei ratio, quam sit multiplex, est manifestum. nam fidem adhibemus, cum dicenti credimus; & fidem præstamus, cum debitum soluimus; & illam frangimus, cum officio minime fungimur. quæ quidem in eam etiam fidem conueniunt, quæ humana auctoritate innititur: est enim aliud fidei genus, quæ a diuina auctoritate proficiscitur, & in mentes hominum, cum primum sacro fonte abluimur, Deus opt. & max. infundit. non enim mens humana eas vires habet, vt, quæ doctrina Christiana confitetur, percipiat. sed opus est, vt diuini luminis splendore illustretur, vt illa complectatur, & firmissime credat: hac autem fide animus humanus informatus, non solum trium diuinarum personarum vnam eandemque esse naturam fatetur, & Christi Domini nomen veneratur, sed, quæ ad vitæ moderationem Euangelium sancit, & reliqua Scriprura sacra præscribit, necessaria esse iudicat; quia fides ad rerum diuinarum intelligentiam nos instruit, & ad vitam moderandam erudit. quamobrem, si fides nihil aliud consequatur, nisi vt hominem instituat, ipse vero in vitæ moderatione sensus iudicium fidei monitis præferat, fides iacere dicitur, & mortua a Iacobo appellatur: propositum enim sibi finem minime tenet. omnis namque vitæ moderandæ institutio ad opus dirigitur: vitæ autem moderandæ disciplinam, fides continet. quare inquit ille, Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. fidei enim perfectio in operibus cernitur: fidei autem operum duo sunt genera; alterum ad firmissimam illam assensionem pertinet, qua ea, quæ nec videmus, nec ratione consequimur, auctoritate diuina confirmati ita credimus, vt pro illorum veritate vitam abijcere non dubitemus; alterum vitæ moderationem ad legis diuinæ normam circumscriptam continet; quæ inter sese valde differunt. non enim omnes, qui credunt, disciplinam Euangelij, ad animi salutem consequendam, esse necessariam, illius institutis vitam moderantur: ea autem, quæ de Deo, & de Christi Mysterijs dicuntur, firmissime credere non potuissent, si fides illorum mentes non illustraret. cuius quidem lumine illustrati, si vellent, ad singularem quandam vitæ sanctimoniam peruenire potuissent. ad illam enim fides ducit, quam si ducem sequamur, gratiæ diuinæ præsidio stabiliti, Christiani hominis officium minime deseremus. quo quidem vt fungi possimus, ex fide, & caritate prouenit, nisi enim fides mentis tenebras depulisset,

pulisset,

pulisset,& veritatis lumen prætulisset,a via solidæ felicitatis longissime nos ipsos seuo caremus: stabilit quidem caritas,& ad propositum finem suo quasi quodam pondere animum; rapit sed fides finem,in quē actiones sint dirigendæ, nobis ostendit, actionū genera distinguit,honesta comprobat,turpia reijcit, præmium denique, & supplicia proponit: si ergo fidei monita minime contempserimus, fidei nostræ perfectionē summa cum laude consequemur. Abrahā, pater noster, inquit Iacobus,non ne ex operibus iustificatus est, offerēs Isac filiū super altare. vides,quoniam fides cooperabatur operibus illius,& ex operibus fides cōsummata est? itaque fides non solum ad cognitionem, sed etiam ad actionem mentes hominum instruit: Christiani autem,& fidelis nomen Fide continetur.Is igitur,in quo fides iacet, & otio torpet, perfecte fidelis, & Christianus non erit dicendus;non quia non credat,sed quia ea, quæ firmissime credit, nefarie contemnat; & ideo perfectam fidem non habet: si fidem in animo illius insidentem consideres, vere Christianum, & fidelem eum esse affirmabis. si vero vitæ suæ moderationem fidei placitis omnino contrariam animo cogites, non Christianum, sed infidelem merito dicendum esse iudicabis. partim igitur fidelis,partim infidelis erit ille existimandus . quid ergo Christianum hominem proprie, & vere, hoc est perfecte constituet? obedientia fidei: omnis enim fidei perfectio obedientiæ sinu continetur. numquam enim fides sine obedientia perficitur; neque obedientia sine fide est laude digna. quamobrem Paulus Fidem Obedientiæ nomine aliquando significat, non quia eadem omnino sit obedientiæ notio cum fidei ratione; sed, quia obedientia cum fidei perfectione, & absolutione est adeo coniuncta, vt separari non possint. quæ quidem absoluta, & perfecta fides omnem sanctitatem, & cælestis iustitiæ laudem complectitur.eam Paulus legem fidei vocat,per quam iusti efficimur. Hanc fidei quorundam quasi graduū distinctionem, atque vim, quamuis auctor satis clare, & Latine disseruisset, ne tamen oratio a reliquo contextu arrepta contrariam sententiam contineret, hęc verba,vbi opportunum fuit, inseruimus,Fides perfecta; & , Fides cum viget. De peccato vero originis, cum viri docti non idē sensissent, & peccatum, vt refert Aristoteles in suis ad Nicomachū libris,quo quis est iniustus, deliberatione, & consultatione admittatur;iniustus autem,is ab eo dicatur, in quo inest principium caussæ, quæ scelus cōstat, atque perficit; & hæc quidem peccati notio eum minime in eos conueniat, qui nūquam in vita fuerunt, principium enim caussæ peccādi in solo Adamo tunc tēporis exstitit,Osorius peccatū originis a culpa distinguēdum sibi esse duxit. eum enim, qui sine vlla consultatione scelus committit, peccare Aristoteles asserit; sed iniustum eum esse negat,simili fere modo; &, si consilio, opera & studio nostro nullum scelus committimus, peccauimus tamen. sed culpam, inquit Osorius, non admisimus,quæ in eo inhærere debet, quem iniustum Aristoteles appellat; ea vero in eo solo inest, qui peccati caussæ principium in se ipso cōtinet. quapropter peccatum illud, nec sempiterni ignis cruciatibus est puniendum; nec iniustitia illa, & iniquitas, qua Deo exosi nascimur, vniuscuiusq. personæ actio fuit,& culpa. Cum ergo omnes in Adami scelere prolapsos fuisse Paulus affirmet, in quo omnes,inquit ille,peccauerunt,& peccatum omnibus inhærere Osorius putat, sed crimen,siue culpam,illud nominari parum consentaneū esse existimauit. sic enim peccarum, vt diximus, ab Aristotele vsurpari solet. quem dicendi modum illi prætulit,quo nostri peccatum, & crimen naturæ vocant: postea vero Concilium Tridētinum,Diuini Spiritus,quo regebatur, afflatu, peccatum originis ab Adamo in omnes homines infundi existimauit; & ita ab omnibus credendum deinceps fore decreuit,atque sanxit. hæc autem infusi peccati notio vtrum illi dicendi modo,quo Osorius vtitur,sit omnino contraria, tibi iudicandum committimus: Osorij tamen mentem vt facilius perciperes, in Septimo libro ea addidimus,quę ille hac de re in Apologia disseruit, quam in sua Iustitiæ cælestis reprehensores scripsit. Hæc præfari, studiose Lector, voluimus; ne in his libris legendis aliquid offenderes. Vale.



HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER PRIMVS



QVAM grauis, & acerba sit humanæ vitæ cõdicio, quam multis in commodis agitata, ne mo poterit, vel explicando consequi, vel enumerando percensere. Vt enim a natali cu iusque die capiamus exordium, omnesq. vitæ partes oratione perstringentes, ad exitum tãdem illius veniamus; horam nullam videbimus, aut dolore vacuam, aut labore solutam, aut metu liberam; sed omnem ætatem infinitis difficultatibus affectam, & summis curis, & angoribus implicatam. Vitę namque principium a fletu ducimus; deuinctisq. membris omnibus in terram abiecti, labores immensos a ploratibus auspicamur. Cum autem reliqua animantia præsidijs naturæ tecta, atque vestita in lucem prodeant, solum hominem nudum, & ab omnibus rebus inopem cernimus, atque miserabiliter impeditum, in vitæ primordio vagientem, statusq. sui miseriam in ipso statim initio lamentantem. Quis autem poterit morborum vim, & multitudinem, quæ in illam naturam teneram, & imbecillam confestim incurrit, oratione complecti? Quæ cura nutrices, quæ solicitudo parentes afficiat? quæ pericula sint pueris infantibus, primis illis mensibus, intenta? Iam vero, cum ætate progressi, metu, & cupiditate, magis atque magis turbari incipiunt; omnia mala, quæ minus antea sentiebant, fiunt eis quotidie grauiora. Cum autem ad pubertatem perueniunt, tunc ingens vis tempestatis exsistit, quæ miseros homines exagitat, nec eos vllo in loco consistere patitur. Hinc enim acerbi amores inuadunt: inde turbulenta dissidia statum animi conuellunt. Quid, cum amarissimæ voluptates multis doloribus emptæ neruos omnes incidũt? quid, cum dolores admoti totum hominem impetu prosternunt? quid deinde, cum adulta ætate dominandi libido inflammat animum? quid, cum inuidia eundem conficit, atque consumit? quid denique, cum varia, multiplex, & infinita cupiditas omnem vim suam profundit, humanãque naturam omnibus morbis oppressam, & impeditam dilacerat? Adde, si lubet, nuptiarum molestias, familiæ labes, vitæ solicitudines, fori contentiones. adde lubricam amicorum fidem, sociorum proditiones, rerum ciuilium turbines, atque procellas. adde cædes, insidias, supplicia, dedecus, & ignominiam, & reliqua mala, quibus vita florens, vel momento temporis, quasi impetu quodam turbidæ tempestatis, obruitur; vel in summa laborum omnium contentione, tandem consumitur. Quid autem ipsius ætatis extremæ morbos, atque molestias, & corporis exhausti deformitatem referam? quid denique cadaueris ipsius horrificam speciem cõmemorem? Est ne aliquid in vita, vel odore tætriùs, vel adspectu truculẽtius, vel contagio pestilentius? Sic igitur in summa vitæ breuitate, vis ingens malorum circumquaq. volitat: laborem labor excipit: dolor ex dolore nectitur: mærorem, atque luctum, grauior quidam luctus sæpe consequitur: infinitæ curæ, molestiæ, solicitudines animum peruagantur, eumq. frangunt, atque debilitant, & de omni statu deijciunt. Quamuis autem animus aliquando in tantis malis falsa quadam boni specie commotus inaniter exsultet; & futili lætitia intemperanter elatus gestiat; non tamen vmquam solidum gaudium capit. Amittendi enim metu cruciatur; &, cum id, quod valde expetendum iudicabat, effluere repente sentit, dolore conficitur; frustraq. tandẽ intelligit, non veram sese, sed falsam, & inanem voluptatem fuisse consectatum; & infinitis curis, & morbis animi contabescit. Semper igitur breuissi-

breuissimum gaudium, grauis, & diuturna ęgritudo contaminat. licet enim mors animantia cuncta populetur, nullum tamen est homine, vel pluribus mortis ipsius telis expositum, vel grauiore eiusdem sensu cruciatum. Vnde colligitur, nihil esse in terris homine calamitosius. Huius autem humanæ miseriæ caussa tota videtur esse ad duo principia reuocanda. vnum est, summa naturæ imbecillitas; alterum, immensa, & infinita cupiditas. Vt enim voluptas omnis oritur ex fructu rei alicuius vehementius appetitæ; sic omnis dolor tunc exsistit, cum non est concessum potiri rebus ijs, quas ardenter exquirimus. Quod significare volentes Poetæ, finxerunt summum illud Tantali apud inferos supplicium. Aiunt enim, illum in medijs aquis positum, siti argentissima cruciari. quoties enim se aquis, quas mento attingit, ingurgitare properat, vt sitim expleat; toties aquas euanescere, abscessuque repentino conatum miseri hominis ludificari. hac quidem pœna torqueri necesse est omnes, qui multa cupiunt, ad quæ propter inopiam, & imbecillitatem adspirare non possunt. humanæ autem naturæ imbecillitas tanta est, vt explicari nequeat. Est enim hominis vita, imagini similis, & vmbræ; atque, vt Pindari verbis vtar, cum vmbræ somnio comparanda. illius autem cupiditas nullo termino circumscribitur. Semper enim animus humanus eget: semper aliquid cum solicitudine inquirit: nec in vno tantum genere diligentiam, & industriam suam consumit. Expetit enim honores: exquirit voluptates: imperia consectatur: in ore hominum cum gloria, & dignitate versari desiderat: ad ea omnia cōparanda summas opes, ad fruenda vitæ diuturnitatem acerrime cōcupiscit; &, cū ad aliquā partem earum rerum, quæ bona eximia putat, peruenire potest, maiore quadam indigentia laborat, & immaniore cupiditate flagrat. nulla rerum copia animum illius explere, nulla vitæ longitudo illū satiare potest. Ex quo planum fit, omnes homines impetu quodam naturæ, vim sempiternam, & opes immortales appetere, ipsiusque diuinitatis imitandæ studio ardentissimo concitari, vsque adeo, vt in sceleratissimis etiam hominibus hic ardor mentis insideat. Omnes enim immortalitatem apperunt; summamque vim, atque sempiternam desiderant; eaque de caussa, tætra, & impia facinora moliuntur. Cum igitur nihil sit homine magis fragile, & caducum, & immortales opes ardenter sitiat, & iccirco mortem semper anxie reformidet; restat, vt sint eius spes fallaces, conatus irriti, labores inanes; & ita assiduo, & infinito cruciatu torqueatur. Cū enim fragiles, & imbecilli sint, æternasq. opes, atque diuinas optent; summis infinitæ cupiditatis stimulis incitati, quasi per saxa quædam prærupta feruntur, & ruunt, & passim offendunt, & concidunt, & allisi prorsus intereunt, atque tandem præcipites in sempiternum exitium rapiuntur. Quid igitur? num asseuerandum est, homines ad infinitam miseriam esse natos, omnemque melioris condicionis spem esse illis penitus abijciendam? minime vero, sed illorum furore, & amentia fieri, vt, quo magis ad beatam vitam omnibus corporis, & animi viribus enituntur, eo magis in vitæ pestem, atque perniciem incurrant. Cum enim Dei similes fieri cupiunt, tunc sese a Dei coniunctione maxime seiungunt; &, quo propius ad Dei vitam conantur accedere, eo vehementius opem illius repellunt: & sic fit, vt, cum magis obnixe dant operam, vt vim, & æternitatem, opesque summas, & immortales adipiscantur; tunc vel maxime fragiles, & miseri sint, importunoque dominatu mortis vehementius oppressi. Vna siquidem ratio est, diuinæ similitudinis, & coniunctionis: vna beatæ vitæ via, quæ tota est in Iustitia constituta. hanc qui tenet, diuinis opibus affluunt, sempiternoq. imperio, & gloria florent: qui eam autem deserunt, infelices, & ærumnosi sunt existimandi. Est autem Iustitia diuinus ornatus animi, mētisq. status, Dei præscriptione fundatus, diuinisq. opibus firmatus, & stabilitus. hanc igitur qui assequuntur, omnia, quæ volunt, facillime consequuntur. Quamuis enim sit eorum immensa cupiditas, cum ea tamen ad Dei rationem referatur, illiusq. sempiterno numine dirigatur, nulla res erit tanta, ad quam non admirabili cursus felicitate perueniant. Iustitię namq. vi fit, vt homo, qui corporis natura fragilis, cōsilij temeritate præceps, rerum exitu calamitosus est, fit repente inuictis viribus, consilioq. diuino præditus, felicissimoque rerum omnium euentu in omni æternitate florentissimus. Ea namque sanat animos, stabilit vires, illustrat mentes, opes elargitur, voluptates efficit, ad diuinitatem, & immortalitatem ducit: ea postremo Deum hominibus deuincit; humanumq. genus cum diuina mente, bonorum omnium communione consociat. Huius neque pulchritudo corrumpi, nec voluptas inquinari, nec opes a-ucrti, nec honores imminui possunt: nempe quæ sit cælesti præsidio munita; & contra omnia mortis, & inuidiæ tela, armis diuinis armata. Licet igitur cęlum concidat, terra incendio deflagret, mare ardoribus exustum intereat; omniaque tandem, quæ intuemur oculis, ad nihilum redigantur; iustitia tamen semper decus, & gloriam retinebit, opibusque diuinis æuo sempiterno perfruetur. Quis igitur has iustitiæ diuitias, atque magnificentiam, secum animo reputans, non illius studio, & cupiditate flagrabit? non omnes vitæ curas, & cogitationes ad cultum illius conferet? non denique præ amore illius mori cupiet? ad illam enim fruendam nati sumus; in illius pulchritudine beata vita consistit: ea denique potest omnem humanæ mentis cupiditatem explere, vitamque bonis omnibus refertam, æternisque gaudijs cumulatam efficere. Cum enim

omnia

omnia vera bona ex vna iustitia colligata pendeant; qui iustitiam obtinet, omnia simul bona consequitur; qui vero illius expers est, nullius boni particeps esse potest. Qui igitur illius cōpotes, beatissimi; qui ab illa deserũtur, miserrimi sunt, sempiternaq. pœna cruciãdi. Sed, quo maior est illius maiestas, & amplitudo, eo maius mihi onus proponitur. hoc enim suscepi, vt de iustitiæ splendore, & claritate differerem, illiusq. vim, & rationem pro viribus explicarem. Non sum nescius, tantum esse munus hoc a me susceptum, quantum homines doctissimi, & eloquentissimi, nec ingenio consequi, nec orationis facultate sustinere possint; tantum abest, vt ego, qui neque ingenij acumine, neque litterarum doctrina, sim cum illis comparandus, iustitiæ dignitatem litteris illustrare valeam. Sed par est, eum, qui iustitiæ decus, & elegantiam admiratur, omnes ingenij vires ad illius explicationem conferre, non ipsius ingenij confidentia, sed illius gratia fretum, qui iustitiæ sator, & altor, & parens est. Cum autem omnis iustitia a Deo tantum, quasi a quodam fonte perenni bonorum omnium, emanet, & in illius gratia, & benignitate collocanda sit; Dei autem benignitatem nō humanis muneribus, sed vera fide consequamur; consequens est, vt a Fide ducamus exordium. Quapropter in primis de Fide, quæ dux est ad Iustitiam, disseremus; veramque illius rationem aperiemus; & interim eorum vesaniam, quorum sermo impurus increbuit, refutabimus, qui perfidiam, & impietatem, Fidei nomine prætexunt: tum, quantum licebit, fidei ipsius vim etiam in priscę legis institutis, atque summorum hominum exemplis, scrutabimur, vt sic tandem ex fide ad iustitiam gradum faciamus. Vt autem commodius de fide sermonem instituamus, a Christiani nominis dignitate ordiemur. Magnum igitur nomen est hominis Christiani, magnum decus, & ornamentum, magnum robur, & inuictum, excellens in omni genere virtus, atque plane diuina. Quid enim clarius, quam esse cunctis cælitibus agnatione, rerumque omnium societate, coniunctum? quid vel ad vitæ iucunditatem suauius, vel ad vtilitatem melius, vel ad honestatem elegantius, quam opibus diuinis affluere? quid securius, & ex omni parte munitius, quam armis diuinis tegi, cælestiq. præsidio confirmari? quid postremo cogitari animo potest altius, aut magnificentius, quam a Deo summo adoptari, illumq. præpotentem rerum omnium conditorem, & dominum, parentem agnoscere? Quare nihil esse potest in vita homine Christiano præclarius, cum hæc omnia summæ dignitatis præsidia, & ornamenta contineat. Christianum vero efficit fides, insita Christi iustitia, sanctitate, religione, excellentibusque illius omnium virtutum maximarum, atque diuinarum meritis, quibus hominum mentes expiauit; patris numen humano generi infensum placauit; aditumque nobis in cælum patefecit. Hęc autem fides viget, continet omnem religionem, atque pietatem. Omnes enim virtutes, ex illa aptæ, atque nexæ sunt, & cum illa sanctissimo vinculo colligatæ, & implicitæ. Non igitur immerito omnia diuinæ legis instituta, omnes cærimoniarum sanctitates, atque mysteria, omnia denique præcepta, monita, consilia, quæ sanctis litteris continentur, ad excitãdam fidem, opesq. illius firmandas, & amplificandas referuntur. Quid est enim aliud diuinæ legi propositum, quam abstrahere penitus homines ab humanarum rerum confidentia, & ad firmam spē diuinæ benignitatis, ipsius Dei promissis excitatos incendere? Quid aliud volunt leges perscriptæ, fœdera sacrosancta, mysteria sacris integumentis inuoluta, opes ostensæ, terrores illati, bona in fideles magnificentissime collata, supplicia infidelibus acerbissime constituta; nisi persuadere omnem vitæ, salutis, atque dignitatis rationem, omnemq. beatæ vitæ spem in vno Deo collocandam? Eos igitur, qui vel corporis, vel animi viribus efferuntur; vel abundãtia pecuniæ, aut Principum gratia, aut multitudinis fauore nituntur; qui ad pericula depellenda, non opem diuinam, sed humanam potius implorant; non modo amentes & furiosos, sed miseros, & ærumnosos appellant: eosque suppliciis sempiternis mactandos esse prædicunt. Exsecratur Ieremias hominem, qui neglecto Deo spem ponit in homine; humanoque præsidio confidit; eumque facit similem myricæ in loco arido, & inculto natæ, quæ neque fructu, nec vmbra vtilis est, nec amœnitatis specie iucunda, nec ad alium vsum, quam ad ignem, & incendium reseruanda. Contra vero, illum, qui diffidens omnibus humanis opibus, omnem spem rerum suarum habet in Deo positam, atque constitutam, dicit esse similem arbori, prope flumina consitæ, quæ, humore e perennibus aquis hausto, radices altissimas agit; æstumque non metuit, cum sit vndique vestita frondibus, atque fructibus onusta salutaribus. Hac elegantissima similitudine, describit florentem statum hominis fidelis, quem nec vllus ardor exurit, neque turbo, aut tempestas vlla conuellit, neque vllum denique tempus, quantumuis graue, atque metuendum reliquis, cum aut honestatis laudibus, & ornamentis, aut opportuno fructu virtutis spoliat. Cum enim altissima stirpe nitatur, & numquam sit munerum diuinorum affluentia destitutus; eueniat, opus est, vt non modo salutares fructus, atque sempiternos proferat; sed sempiternis etiam laudibus illustretur. Quid enim illi deesse vmquam poterit, vel ad emolumentum, & fructum, vel ad decus, & honestatē, qui est fonti, atque principio omnium bonorum, & totius honestatis architecto, sanctissimo fœdere copulatus? ad hoc autem fœdus, quo omnis homo fidelis numini diuino cōiungitur, significandū, videmus in sanctis litteris Matrimonij nomen

Cap. 17.

frequẽter vsurpatum. Vt enim matrimonium, si est rite contractum, viri, & vxoris animos ita deuincit, vt vnum e duobus efficiat; sic Deus eam mentem, quam sibi copulat, adeo secum diuinarum rerum communione coniungit, vt vt nihil habeat ab ea seiunctum, quod quidem possit ad illam peruenire. Fit igitur ex vtroq. quodammodo vna mens, vnum studium, vnus sensus, vna voluntas. Nihil enim cupit animus, amore diuino incensus, nihil aliud studet, nihil agit, atque molitur, nisi vt Dei gloria illustretur. Nihil contra Deus statuit, atque decernit, quod non ad suorum vtilitatem, & gloriam referatur. Quid est igitur homini hac coniunctione beatius? Coniunctionem autem hanc efficit fides ardens, & incitata in Dei studium. Sic enim Deus ipse loquitur, apud Oseã, Osc.2. cum mente, quam sibi coniunxerat, Despondi te mihi in fide. Ergo, cum hoc fœdus, atq. matrimonium fide percussum sit, & in eo omnia bona consistant; nihil esse potest incensa, & inflammata fide salutarius. Si autem clarius cernere studeas, quantum firmamenti sit in fide ponendum; cogita, quorsum direxerit Christus omnia, quæ gessit in vita, in quem finem respexerit, quid in omni loco, vel cum aliquod opus mirabile faciebat, vel diuina quadam orationis amplitudine, & dignitate disserebat, sibi proposuerit. non ne, vt patri obediret, & opus compleret, atque perficeret, ad quod efficiendum missus fuerat? Ioan. 3. Huic igitur vni curæ incubuit: hoc tamquam iucundissimo cibo animum ab immensis laboribus recreauit: hoc vnum negotium suscepit, vt patris opus absolueret. Quod autem opus illud exstiterit, Ioan. 6. explicat ipse, dicens: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Ergo, si ad hoc vnum opus instituendum, & absoluendum, Dei filius humanam formam induit, & a cæli fastigio delapsus terras lustrauit, atque cum hominibus vixit: si omnis illius doctrina, omnis solicitudo pro nobis suscepta, si labores, quos excepit, dolores, quos pertulit, ipsa denique crux, in quam sublatus fuit, & omnia denique supplicia, quæ perpessus est, huc spectabant, vt fidem sanciret, atque firmaret: certe constat, omnia præclara munera fidei ipsius gremio contineri. Quod autem hoc vnum opus esset, quod Christus in vita gessit, illud est magnum argumentum, omnia illius studia fuisse ad illustrandam summi patris gloriam destinata. Gloria autem patris illustratur fide. Cum enim illum credimus esse præpotentem, & optimum, virtute, atque benignitate immensa, & infinita præditum, per omnes mundi partes intentum, atque commeantem, omnia intuentem, & animaduertentem; & singulis rebus, prout cuiusque rei dignitas, & condicio postulat, consulentem; & eum ita timemus, vt dominum, & vt in parente omnia vitæ præsidia constituenda putamus; tum demum illum honoribus debitis afficimus, atque, vt Deum, pie, & caste veneramur. Pater, inquit ille, ego claritatem tuam insignem reddidi super terram. Ioan. 17. Quo modo autem patri gloriam tribuerit, paullo inferius ostendit, ait enim: Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Quid aliud autem est, nomen Dei clarum, & illustre apud homines reddere, quam fide mortales ad Dei cognitionem capiendam instruere? Hac autem notitia, quam fide consequimur, vitam hominum contineri, in eadem oratione plane demonstrat. Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vnde colligitur, vitam æternam in fide consistere. quemadmodum ipse testificatur, dicens: Qui credit in me, Ioan. 11. etiam si mortuus fuerit, viuet; qui autem viuit, & credit in me, numquam morietur. Et alibi Ioan. 3. est apud Ioannem, qui hanc Christi sententiam multis in locis complexus est: Sicut Moses sustulit serpentem in deserto, ita tolli oportet filium hominis; vt omnis, qui credit in eũ, non pereat, sed habeat vitam æternam. & pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, qui credit in filium, habet vitam æternam. Vnde Ioannes idem in epistola, omnem legis diuinæ 1. Ioan. 3. summam in fide sitam esse docet, cum ait: Hoc est præceptum eius, vt credamus in nomine filij eius. Vnde etiam vox illa, cuius horrificus sonus, & admirandus eorum, qui aderant, aures compleuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite, Nec enim aliud est, Dei filium audire, quam fidem illius dictis, atque præceptis adiungere, Quid hic prophetas, quid sanctissimorum hominum scripta commemorem? Numquid non est hæc omnium vox vna, vt erigamur animis, vt in Deum respiciamus, vt illius fide corroboremur? & sic futurum denuntiant, vt omnibus diuinis opibus, atque præsidiis mirifice redundemus. Nulla enim re poterit indigere is, qui est, vt diximus, omnium bonorum principio, fœdere sempiterno, deuinctus. Sed, quo fidei vis amplior est, & maiorem copiam rerum salutarium in se continet, eo est ratio illius diligẽtius explicanda. Cauendum enim est, ne, quod multis, hac tempestate præsertim, accidere videmus, nominis splendore capti, dum fidem inani studio consectamur, in perfidiæ scelus incurramus, & ita a vera iustitiæ via, propter cæcitatem mentis, aberremus. Erit igitur nobis in primis, quæ vis sit huic voci subiecta, diligenter explanandũ. Fidei igitur nomen cũ multa significet, tũ hæc est illius præcipua notio, e qua reliquæ omnes vidẽtur esse ductæ, firma nẽpe, & cõstans debiti muneris, & officij perfunctio. Secũdum hanc sententiam, dicimur præstare fidem, aut patriæ, aut Principibus, aut parentibus, aut amicis, aut sociis; cũ debita pietatis, aut amoris, & fœderis officia in illos cõferimus. Contra vero, deserere fidem, aut a fide deficere, aut fidẽ fallere, est officiũ prodere: quod fit, cũ eos, qbus aliquo iure deuincti sumus, nefarie deserimus.

mus,aut fœdus aliquod factũ violamus. Itẽ,qui creditoribus satisfaciũt, & in promissis permanent,& creditã pecuniam ad diẽ soluunt, in fide permanere dicuntur; quia,dum veritatẽ seruant,debitũ sane officium tuentur.Hac autem de caussa videtur Ciceroni fidẽ dictam fuisse, quasi fieret, quod dictũ fuerat. Cernitur enim maxime fides, in dictis, atque promissis omni studio conseruandis. iccirco fidẽ angustam esse, aut labefactatã esse, aut penitus concidisse, dicimus,cum homines,ære alieno obstricti,persoluere debitam pecuniam recusant, in quo datã fidem fallunt;& contra officiũ fraudem nefarie moliuntur. In sactis autẽ litteris hũc huius verbi vsum satis frequentem videmus. vnde fides,veritas, & officium apud Hebræos vno verbo declarãtur. אמת enim,vel אמונה & fidẽ, & veritatem, & officium significat. Vnde illud, quod est scriptum in Genesi, Si facitis misericordiã, & veritatẽ cum domino meo, indicate mihi. satis enim constat, hoc in loco Veritatis nomen,pro officij nomine positum.Est igitur fides,constans veritatis,& officij studiũ. Inde fit, vt Fideles appellemus eos,qui minime spem nostram fallunt;& officio debito funguntur.Vnde & fideles amicos,& seruos fideles eos numeramus,qui & amicis, & dominis satisfaciunt, nec eis aliquo in loco desunt. Est & alia huius verbi vis, qua significamus firmam animi persuasionem, qua rebus nec visis, nec ratione, & argumento conclusis,assentimur.Quamuis enim interdum Fides ponatur ad significandam omnẽ mentis assensionẽ,siue illa sit a sensibus orta,siue ratione,& argumentis effecta,ad hunc enim modum & adspectus fidem facit,& ratio,& omnis deniq. notitiæ via,qua aliquid animis comprehensum tenemus:quamuis igitur hanc rerũ etiam comprehensionem Fidem interdum appellemus,plerumq. tamen Fides ab euidentia, & opinione distinguitur. Nec enim tã sensibus, & argumentis,quã auctoritate cõtinetur. Vim nãque stabilem, & firmam ex eo consequitur, quod de illius,cui credit, veritate, fide, & officio minime dubitandũ putat.Hanc autẽ faciũt mediam inter sciẽtiam,& opinionem. est enim vtriusq. particeps, & ab vtriusque ratione distincta.Constantia enim,& stabilitate, est scientiæ par: cum opinione vero hoc habet commune, quod euidentia caret. Differt autem à scientia, quod non argumentis explicatis, & caussis a principio constitutis,sed sola auctoritate nititur.Ab Opinione vero constãtia,& imbecillitate disiungitur. Fides enim est assensio firma,quæ non facile, postquam animo insedit, conuelli potest. Opinio, contra, est imbecillus assensus animi,varius, atque mutabilis. Secundum hanc Fidei sententiam dicimur; Habere fidẽ alicui; aut, Adhibere,aut Adiũgere fidem; cum aliquid, auctoritate cuiuspiam moti,absq. dubitatione credimus. Item Dare fidem, cum aliquid in nos recipimus,quod fixum,atque ratum fore pollicemur. Facere præterea fidem, cum persuademus, nullã in verbis nostris subesse vanitatem.Vt igitur omnia breui complectamur, habemus hic duplicem huius verbi sensum. vnus est, cum ponitur pro debiti muneris, & officij perfunctione, atque promissorum veritate, & constantia; alter, cum firmam animi persuasionem,nec sensibus,nec argumentis effectam,sed auctoritate aliqua graui corroboratam significamus. Hic secundus, quamuis a primo differre videatur,est tamen ductus ab illo,& cum eodẽ valde coniunctus. Nam, qui officiũ tueri studet; credat,opus est, ei,cuius fidẽ exploratam habet. si enim spectatæ probitati diffidat,contra officium faciet.Rursus,si fidem habeat recta, ac salutaria monenti, vbi primũ officij sui ab illo fuerit admonitus, illud statim exsequetur. His ita igitur explicatis, consequẽs est,vt fidem,quam profitemur, ad alterutram huius sententiæ rationem perpendamus, vt sic tãdem planum sit, in quo fidei ipsius vis, atque natura consistat. Primum igitur Fidẽ ad illum primum sensum referamus, deinde ad secũdum veniemus; vt facilius intueri possimus, omnem diuinæ legis cultum, fidei acri, & incitato studio contineri.Cum igitur Fides sit summum veritatis studium,atque in seruandis promissis constãtia, debitiq. muneris,& officij perfunctio;videndum est,ecquod sit nobis munus, & officiũ colendum, & efficiendum, ecqua fœderis religio sit, in qua violanda summo perfidiæ scelere se animus deuinciat. Solent, qui de hominis natura quærunt, diligenter persequi, mentis humanæ sollertiã, ingenij acumen,memoriæ vim,totiusq. rationis præstantiam,corporisq. formam, & figuram, ad rationis imperium aptam,& habilem,summum deniq. dignitatis studium omnium animis ingeneratum. Quibus argumentis ducti, concludunt,hominẽ esse a Deo singulari consilio procreatum, vt, in Deum respiciens,omnem vitam illius imitatione conformaret; imperiumq. sibi in terris commissum,ex voluntate illius administraret, & ad illum omnia referret. itaque colligunt, hominis officium, & pietate in Deum, & sanctitate iuris inter homines contineri. Vnde sequitur, omne officium esse positum in obedientia illa, qua Deo parere debemus. Nam, si videmus æterno diuinæ mentis imperio cælum, terram, maria, vniuersamq. mundi fabricam regi; nec eam legem transgredi, quam a principio ipsi naturæ totius naturæ rector imposuit; multo certe magis nos, quorũ gratia hæc omnia,quæ cernimus,effecta sunt,illi obedire debemus;vel quia soli in omni mundo, quem intuemur oculis, numen illius, quoad fas est, mente concipimus; vel quia diuinis ab illo muneribus ornati, & instructi sumus; vel quia voti compotes esse non possumus,nisi nos totos ad ductum illius,& imperium adiunxerimus; vel postremo, quod ad ei parendum, & obediendum, fœdere sanctissimo adstricti, & alligati sumus. Cum igitur illius imperiũ detrectamus, multis rationibus

contra fidem facimus. Nam & summum Dominum, cum simus natura serui, contemnimus; & aduersus optimum parentem ingrati sumus; & vitam nostram, atque salutem prodimus; & fœdus sancte percussum, scelerate violamus. Vt autem melius posit intelligi, quantum omnis impia rebellio cum officio pugnet, quam aduersaria saluti sit, quantis tenebris effectum humanæ voluntatis impediat, quanto scelere mortalium animos adstringat; ex hominis appetitione potissimum ducamus exordiũ. Omnes homines, natura incitati, ad optimum vitæ statum consequendũ, summis viribus nituntur. omnes enim, natura summum bonum expetunt. plerique tamen, dum, vt id sibi parent, omnes neruos intendũt, quia temeritate, & amentia ducũtur, &, in quo sit ipsum bonum, non vident, præcipites in exitiũ ruunt. Sunt enim multi errores in vita; sunt multæ insidiæ mortalibus intentæ; est præterea summa quædam naturæ imbecillitas; versamur in tantis tenebris, atque caligine; agitamur tã aduersis tempestatibus, atque procellis, vt nemo per se posit vitæ cursum recte instituere, aut institutum ita tenere, quin tandẽ fluctibus obruatur. Aut enim tenebris impediti, quem portum petere conueniat, non videmus; aut certe, si id quasi per caliginẽ videmus, ingentis cuiusdam perturbationis æstus nos a cursu longissime diuersos abducit. Sic fit, vt, cum omnes natura vitam beatam expetant, nemo tamẽ naturæ tantum præsidio subnixus ad eã adspirare possit. Solus enim Deus natura beatus est. Beatitudinem igitur appetere, est, diuinum statum concupiscere. diuinum autem statum nemo potest absque viribus diuinis adipisci. diuinis autẽ viribus ij soli fulciuntur, qui se Deo tradunt, illiusq. iussis obtemperant. ita igitur fit, vt nemo possit ea consequi, quorum mira cupiditate flagrat, nisi Deo obediat. Hoc vt melius cernamus, fingamus animis, nos iter quoddam necessarium eximia cupiditate ingressos, in multiplices, & flexuosas repente vias, easdemq. lubricas, & periculosas incidisse, quarum pleræq. viatoribus amœnitatis specie blandiantur; eosdemq. paullo longius progressos, densis vepribus, atque dumetis pungant, & vulnerent. sint deinde ea loca multis latronum latibulis, atque belluarum immanium lustris infesta. cogitemus deinde eas tenebras, quæ adspectum rerũ omnium adimant, ita vt nullum exitum omnino reperiamus; sed, quo maiore spe salutis in via properamus, eo pluribus erroribus, atque miserijs implicemur. Hic igitur, cum neque regredi liceat; nec insistere, neq progredi, sit absque certa vitæ pernicie concessum; cum omnia latrones obsideant, & feræ etiã sint ad laniandũ acriter incitatæ; cũ sint omnia spinis obsita, tenebris obducta, mortiferisq. cincta periculis; fieri non potest, vt is, qui se videt tantis vbique malis circumuentum, omniumq. ope destitutũ, non sit acerbissimo animi cruciatu confectus.

Sed occurrat, eo præsertim tempore, quo iam vel a feris incipit laniari, vel latronibus iugulũ dare cogitur, homo potens, qui non modo viam teneat, verũ eas opes habeat, quibus omnẽ eiusmodi pestẽ arcere queat. Artẽ præterea medẽdi teneat; vt, si quod vulnus sit, antequã ille aduentet, impositũ, id confestim sanet. Is, si feras abigat, latrones in fugam conuertat, si vulnus obliget, atque salutarem medicinã adhibeat, si denique omnibus in rebus homini misero benignitatis suæ lucẽ porrigat, seq. ducem viæ, custodem vitæ, salutis, atque dignitatis vindicem præbeat, si, vt animum illius magis confirmet, iuret sese hominis saluti, si voluerit illum sequi, minime defuturum; si tantis opibus intelligat is, qui erat extrema quadam miseria pęne consumptus, vitam suam muniri, & ad spem salutis excitari, quodnam tandem erit officium illius? Vnum profecto, oblatam peropportune opem gratissima voluntate prosequi, sibique omnino diffidentem, omnem vitæ, atque salutis rationem optimo duci committere. Insistet igitur illius vestigijs, & a via, quam ille monstrat, minime declinabit; priusq. omnem humanitatẽ exuet, quam tanti beneficij memoriam deponat. Hanc porro similitudinem ad communis vitæ condicionem transferamus. Omnes id iter suscipiẽdum arbitramur, quod nos in beatã vitã ferat: varijs tamen studijs, atque rationibus ad illam contendimus. Alius enim ambitioni seruit, alius pecunię studet, alius voluptates exquirit, alius denique aliam viã ingreditur, qua putat se beatæ vitę compotem aliquando futurũ. Paullo vero progressi, sentimus, quam amara sit ea vita, quam fore suauissimam suspicamur. honores enim sunt inanes, & maximis plerũq. ignominiæ maculis deformati. pecuniæ cupiditati nullus est modus constitutus, ita, vt semper animus indigeat, & in extrema quadam inopia & mẽdicitate versetur. Stultorum autẽ hominũ voluptates, cum sint futiles, atque breuissimæ, nec iudicio, sed furore susceptæ, tum eas summi dolores, atque molestiæ consequuntur. Quid, cum amplificata cupiditas animũ ita distrahit, atque discerpit, vt nihil inconstantius, aut miserius fingi possit? Nunc amore furit; nunc odio concitatur; nunc ardet libidine; rursus metu concidit; & alijs eiusmodi pestibus, quasi furiarũ tædis, agitatus, in varias partes impetu quodam rabido concitatur. Sic igitur mens, orbata luce, quotidie magis errore completur; & ita de via deducitur, vt nullũ omnino exitum in tãtis malis inueniat. Ergo cupiditatibus diripienda, atque tamquam a truculentis belluis dilaniãda relinquitur; &, hostibus generis humani sempiternis exposita, eorum plerumq. crudelitatem satiat. Sic igitur circũfusi tenebris, mortiferisq. vulneribus sauciati, nullamque tantorum malorum alleuationem sentientes, nec vllo in loco sine dolore, atque sollicitudine consistentes, vitam agimus miserã, & calamitosam, omnibus summis malis vndiq.

circum-

circumuentam. Nec tamen est vllus miseriarũ finis in morte; sed omnia, quæ grauia, & intolerabilia videntur, leuissima sunt, & quasi quædam somnia reputanda, si ad æterna supplicia conferãtur, quæ sunt post huius vitæ excessum, stultis, atque perditis hominibus constituta. Huic tanto malo quodnam remedium poterit adhiberi? humanum profecto nullum. Sed præsto aderit Pater ille cælestis, qui res humanas numquam neglexit. Is lucem suam diffundit, auxiliumq. pollicetur; magnisq. vocibus nos ab exitio reuocat; &, si illum audierimus, certam spem salutis, & immortalitatis ostendit. Feras igitur venenatas exstinguit; immanes hostes exterret; vulnera inflicta sanat; viã, qua perueniamus ad beatam vitam, demonstrat; seq. viæ ducem fore confirmat. Hoc autem a nobis requirit, vt neque sensus consulamus, a quibus tam sępe delusi sumus; neque vitam insanæ multitudinis opinione conformemus, quam videmus præcipitem furore, & amentia ferri; nec hostibus immanissimis pareamus, qui, furentes odio, & crudelitate, in vitam nostram incitantur; sed ei tantum, quem immensa sapientia, atque benignitate præstantem cognoscimus, & infinita potestate præditum, omnes vitæ nostræ rationes credamus, atque committamus. Et, vt nos magis securos reddat, nos sibi fœdere icto filij sui sanguine deuincit, vt illi fidem adhibeamus; eaq. fide nobis salutem, & immortalitatem paciscitur. Quod igitur est nostrum officium in tanta Dei benignitate, & præsenti illius auxilio miserrimis temporibus oblato? hoc vnum certe, non repudiare beneficium; non aspernari liberalitatem; non detrectare imperium; sed animo gratissimo illum summum ducem intueri; illius benignitati vitã credere; vestigiis illius statim ingredi. Quod si non facimus, variis rationibus fidem frangimus. Primum enim ostendimus, nos minime fidem verbis illius adiunxisse. Illud enim dici non potest, aliquem esse, qui beatus esse nolit, cum omnes in beatæ vitę studium inflammatis animis rapiantur, & omnia vitæ consilia ad illam dirigant. Ergo, si credunt, Deum esse vitæ, & salutis auctorẽ, viæq. certissimæ ducem, qua ad vitam beatam perueniatur; si præsidio illius magnopere confidunt, monitaq. illius, & & consilia non aspernantur; certe, cum fuerint ab illo vocati ad salutem, ad eum confugient; & viam, quam ille monstrat, inibunt; eumque summo studio sequentur; spiritumq. illius sensibus suis longe anteponent. Quod cum non faciunt, indicant certe, se non fidem, sed cupiditatem sequi: deinde Dominum contemnunt, cum in maxima beneficia ingrati sunt; postremo fœdus omni religione sancitum cum insigni temeritate, & impudentia rumpunt. Fidem autem maxima ex parte esse positam in hoc studio, quo Deum ducem sequimur, & a via, in quam nos ille deducit, haudquaquam deflectimus, Moses in primis auctor est. Sic enim Hebræorum infidelitatem coarguit: Non credidistis domino Deo vestro, qui (Deut 1.) præcessit vos in via, & metatus est vobis locum, in quo tentoria figeretis, ostendens nocte vobis iter in igne, & die in columna nubis. via autem, quam Dominus monstrabat, non tam erat ea existimanda, qua Hebræi per vastas, & incultas regiones Syriam petebant; quam diuina lex, qua est nobis in immortalem gloriam summo studio properandum. Ab hac qui obstinate declinant, satis indicant, se parum Deo credere. Ob id idem Moses alibi, cum populum ad fidei studium esset magna contentione cohortatus, quasi declarans, quæ vis esset in fide, dicit: Dominum Deum (Deut.10.11.) vestrum sequimini, & ipsum timete, & præcepta illius seruate, & audite vocem eius, & ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Multis vocibus idem declarantibus, vim fidei ipsius insignem facit. Itaque docet, ab eo rite fidem coli, qui Deum præeuntem sequitur: quod quidem facit, dum præceptis illius obtemperat; dum mentem excitat ad vocem illius audiendam; vt, quidquid fuerit imperatum, protinus exsequatur: dum postremo, beneficiorum memoriam conseruans, illi, a quo tantis ornatus est beneficiis, amore coniungitur. Dauid autem sic Deum loquentem inducit: Instruam (Psal.31.) te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos. Quam benigne opem nobis ostendit. Quid igitur est nobis faciendum, ne tantum beneficium repellamus? hanc tantam clementiam ducis, ac monitoris nostri, qui lucem mentis suæ se prælaturum in hac via confirmat, firma fide complecti. Quo circa nos statim admonet, ne vocibus illius aures occludamus; ne imperium recusemus; ne nos effrenatis bestiis similes præbeamus; hoc est, vt vno verbo dicam, ne infideles simus. Nolite, inquit, fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Idem vates alibi, cum homines ad fidem excitaret: Hodie, inquit, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Hic certe durities animi, nihil est aliud, (Psal.94.) nisi contumacis animi rebellio diuinum imperium repudiantis: quod quidem scelus est fidei oppositum. Fides enim cernitur in animo ad studium diuinæ legis alacriter incitato. Vnde colligitur, duritiem animi esse mentis errorem, & cæcitatem, atque adeo perfidiam: Quod in eo loco satis exponitur. paucis enim interiectis, inducit Deus his verbis Israelis perfidiam acriter insectantem: Hi errant cor- (Iere.6.) de, & non cognouerunt vias meas. Ieremias vero perfidiæ vim, & immanitatem luculenter explanat: Consistite, inquit, in viis; & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. & dixerunt, Non ambulabimus. Immane facinus, & exsecrandum, summi Domini imperium contemnere: detestabilis quidam furor, & amentia, in tantis miseriis

riis

riis optimi parentis beneficium abiicere. Inuitat enim ad fidem, iustitiam vero pollicetur. Ambulare enim in via, quam monstrat ipse Dominus, est fidei munus, & officium: inuenire vero requiem, est absolutæ iustitiæ fructu, atque tranquillitate potiri. Illi vero neque munus suum, quod facile fulti diuino præsidio exsequi potuissent, exhibere voluerunt; & amplitudinem diuini muneris, & beneficij, nefarie, & improbe contempserunt. Instat nihilominus ipse Dominus, vt eos, qui benignitate allici noluerunt, timore saltem ab impietate deterreat. sequitur enim: Constitui super vos speculatores: audite clangorem tubæ. hoc est, denuntio per Prophetas meos, dirum, & exitiosum bellum vobis imminere, nisi resipiscitis. Quid illi interim ad hæc? Non, inquiunt, audiemus. Hic etiam cernitur summus infidelitatis gradus, & ingens quidam mentis stupor, quo oppressos videmus eos, qui nec beneficiis emolliri, nec plagis inflecti possunt; eo quod diuturna peccandi consuetudine ad diuinæ legis contemptũ obdurescant. Idem inquit alibi: Domine, oculi tui respiciũt fidem. hoc est, non placaris vllis victimis, atque muneribus; sed obedientia tantum, quam reliquerunt, & abiecerunt Iudæi. Adiungit enim: Attriuisti eos, & noluerunt recipere disciplinam. Illud vero, quam præclare, cum eorum infidelitatem exaggerat, ostendens eos perfidiæ scelere, parentum scelus, & impietatem, quod in simulacrorum cultu suscipiebant,
Iere. 16. longe superare. Vos, inquit, peius operati estis, quam parentes vestri. Quo modo tandem? an potest esse quidquam, aut mentis cæcitate dementius, aut sceleris immanitate detestabilius, quam diuinos honores ad muta bestiarum signa transferre? potest, inquit; &, quodnam sit illud tantum scelus, exponit. Ecce, inquit, sequitur quisque prauitatem cordis sui, vt me non audiat. Hoc nec scelestius est, quam, cæsis victimis muta signa venerari? & multo quidem scelestius. quo enim sacrificium maius est, & Deo magis debitum, eo sceleratior est, qui illud Deo eripit, vt ad alia trãsferat: &, quo res, cui aliquid sacratur, est Deo magis aduersaria, eo atrociore scelere se obligat, qui illam colit. Nullum sacrificium est fide magnificentius. vnde videmus, apud prophetas legis sacrificia a Deo contemni, fidem vero requiri. Nihil est Deo magis contrarium, quam effrenata cupiditas, ad omnia pessima facinora solicitans. Non enim mens diuina cũ mutis signis, sed cum improba cupiditate bellum gerit. Qui autem animi sui prauitatem sequuntur, Deumque audire recusant; fidem, quam Deo debent, ad cupiditatem transferũt; & libidinis temeritatem descriptioni diuinæ mentis anteponunt. Ideo enim a Deo deficiũt; vt ad nefariam cupiditatem transfugiãt; quia credunt, a sensibus persuasi, sibi commodius futurum, si voluntati propriæ obsequantur; quam si Deo pareant. Sic fit, vt fidem, qua Deũ venerari debuissent, ad animi prauitatem conferant. In quo scelere quamuis eorum parentes fuissent, cum tamen filij hereditariam illam perfidiam amplificata contumacia cumulassent, recte decretum est, illos multo parentibus scelestiores exstitisse. Hæc autem est omnis infidelitatis ratio. Vt enim fides sensus repudiat, vt Deũ sequatur; sic infidelitas Deum contemnit, vt sensibus adhærescat. Quapropter summus ille fidei magister, dum fidei vim nobis explanat, admonet, quoad eius fieri potest, a sensibus abducamus; & carnis cupiditatem in crucem necemus, omnemque libidinis impuritatem repellamus. Aliter enim, denuntiat futurum, vt ab illius coniunctione penitus excludamur. Qui non accipit, inquit ille, Matth. 10.
crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. alibi vero ait: Si quis vult me sequi, ab- Luc. 9.
neget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Hoc autem idem est, quod in salutari lauacro profitemur, & hanc fidem Christo damus, nihil nobis cum improba cupiditate futurum. illo igitur salutari die pactionem cum Christo fecimus, & nos ipsos fœdere sanguine illius icto deuinximus, eiusque sacris alligati sumus, ita, vt, quoties, eo neglecto, rursus ad cupiditatem deficimus, fidem, quam dedimus, nefarie violemus. Vnde plane colligitur, omnem fidei vim esse in obedientia collocatam. Ergo, si sensus fidei, quam profitemur, est ad illam præcipuam vocabuli sententiam reuocandus, qua docuimus, Fidem esse in debito officio præstando constantiam; nemini dubium esse potest, quin fidem violemus, quoties obstinate a Dei lege deficimus, & totos nos ad impuritatem conuertimus. Nam & Dominum contemnimus; & parẽtes violamus; & fidem datam prodimus; & Dei filium despicimus; & bellum denique sceleratum, & impium, & omni atrocitate sceleris imbutũ cum diuina mente gerimus. Nunc illam alteram Fidei rationem excutiamus, qua ostendimus, declarari firmam mentis assensionem, non argumentis, sed auctoritate munitam. Operæpretium erit igitur, Fidei definitionem, quam secundum hanc sententiam Paulus tradit, in epistola, quam scripsit ad Hebræos, acutius in-
tueri. Fides, inquit, est substantia, id est, fir- Heb. 11.
mamentum earum rerum, quæ sunt in spe, necessarium argumentum non apparentium. describit fidem rebus a se inuicem valde discrepantibus, cum illa tamen fide, quæ Deo nititur, mirifice congruentibus. Quid enim est in rebus humanis, in quo minus animus humanus acquiescat, quam in spe boni alicuius euenturi? Sunt enim varij casus in vita, qui multis modis spem mortalium fallunt, ita, vt nulla omnino constantia inesse possit in eorum animis, si non prorsus insaniunt, qui spe pendent: præstat hoc tamen fides, vt multo firmior sit animus in bonorum diuinorum spe, quam in hu-

mano-

manorum possessione; magisq. futuris illis bonis confidat, quam præsentibus delectetur; securioremq. illũ reddat exspectatio cælestium diuitiarum, quam terrestrium fructus. Quid est magis occultum, quam id, quod est procul ab humanorum sensuum cognitione remotum, & nullo argumento, aut humana ratione conclusum? efficit tamen fides, vt multo certiora confidas esse, quæ ingenio consequi non vales, spiritu tamen diuino enuntiata; iis, quæ vsurpas auribus, quæ cernis oculis, quæ contrectas manibus, quæ ratione concludis. Sensus enim, & rationis argumenta fallunt sæpissime, Deus autem fallere non potest. Est enim ille constans in omni æternitate bonitas, & sapientia immensa, & veritas sempiterna. Ergo, cum primum aliquid a Deo enuntiatum, aut promissum fuisse constiterit; tanta fides statim verbis diuinis adhibenda est, vt sit etiam, cum opus ita fuerit, omnis fides sensibus abroganda. Omnia siquidem, quæ videmus, si ad diuinam constantiam, atque vim sempiternam respicias, sunt imagines, & vmbræ, & inania quædam visa, quæ multifariam animis illudunt. Solus igitur Deus est, cui recte, atque sapienter confidamus. Illi igitur soli sapientes sunt, qui Deo credunt; non illi, qui, freti ingenio, argumentis, acute magis, quam vere conclusis, in varias sententias distrahuntur, & perniciosis erroribus imbuuntur. Est igitur eorum summa dementia, qui Christianos stultos, & leues existimabant, eo, quod non ratione, sed fide niterentur. quasi sit quidquam magis secundum rectam rationem, quam credere magis diuinæ menti, quam humanæ rationi; aut parum perspici mente, & ratione possit, ea, quæ diuino instinctu moti credimus, esse a Deo designata, atque constituta. Quid enim est, quod homo proprio nixus ingenio consequi valeat, quod ad vitam beatam conducat? Scite quidem Hesiodus:

Optimus (inquit) ille est, qui per se tenet omnia mente;
Quidq. futurum sit tandẽ magis vtile, cernit.
Commodus atque ille est, qui paret recta monenti.
Qui vero non ipse sibi bene consulit vnquã,
Nec paret rectis vnquã monitoribus vltro;
Vtilis ad nulla esse potest hic munera vitæ:

Recte sane. Sed, cum sim vnus e multis, nec eum sapientiæ gradum assecutus sim, vt alterius consilio non indigeam; libenter quærerem ab hoc Poeta, quemnam illum esse statuat, cui absque alterius ope veniat in mentem, quid optimum factu sit, vt illius consilio vitam meam instituam. Estne aliquis in vita, qui in vna sententia diu permaneat? qui non sese singulis horis, si non est omnino mentis expers, amentiæ condemnet? ad quem igitur me conferam? ad Philosophos, inquis? recte mones: ad quos igitur? Ad Academicosne, qui ingenue confitentur, nihil esse, quod comprehendi, & percipi possit, omnemque veritatem esse penitus abditam, atque in profundo demersam? an ad Peripateticos nomine tantum ab Academicis discrepantes, ratione autem in vtramq. sententiam disserendi cum illis mirifice congruentes? An ad Stoicos, qui quidem, cum vrgentur, negant se aliquem sapientem vidisse? eum tamen, qualis futurus sit, si vmquam in terris exstiterit, oratione describunt. in quo tamen sapiente informando, quanta est inter Philosophos sententiarum dissensio? quanta verborum concertatio? vt facile appareat, eos non modo sapientes non fuisse; sed ne, quæ uis quidem esset sapientiæ, attingere potuisse. Reliquum igitur est, vt, si nec ipse meo ingenio consequi possum, quid mihi in vita gerendum sit; & eos, qui hoc vnum munus in vita susceperunt, vt sapientiæ studerent, videam in sententiis fluctuare, in eademque rerum ignoratione versari: vt desperem omnem veritatem, nec in vita mea gubernanda consilio cuiusquam, sed cupiditate, vt plerique faciunt, & amentia ducar. Præclare igitur Socrates apud Platonem, ait solum Deum esse sapientem. homines autem sapientiæ studiosos, non sapientes appellandos. Qui tamen, cum neque per se possint sapientiam assequi, nec aliorum similiter delirãtium institutis ad eam peruenire; restat, vt vel spem consequendæ sapientiæ prorsus abiiciant, vel ei, qui solus sapiens est, nempe Deo, se in disciplinam tradant. Cum igitur summum & altissimum illum gradum sapientiæ, quem primo loco ponit Hesiodus, soli Deo tribuendum esse constet; consequens est, vt ad illum alterum adspiremus, Deoque recta, atque salutaria monenti credamus, eiusque iussis sine vlla recusatione pareamus. Is igitur inter homines solus sapiens est, quem Deus erudit, hortatur, incendit, clarissimaq. luce perfundit. Beatus, inquit ille, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. ex quo efficitur, omnem verissimæ sapientiæ disciplinam, fidei sanctitate, & religione contineri. Itaque est hominis sapientis, hoc est, fidelis, officium; ea; quæ a Deo accepit, multo certiora putare iis, quæ aut sensibus, aut ratione complectitur: multo magis, promissis diuinis, quam possessionibus, humanis confidere. Sic igitur necesse est fidelem hominem, quamdiu incensa fide regitur, Deo semper obedire. Hoc intelligi rectius poterit, si vitæ instituendæ ratio, & actionum humanarum principium fuerit explicatum. Humanus animus non potest moueri ad aliquid agendum, nisi prius aliquod sibi bonum proponat, quod aut verum sit, aut saltem in opinione consistat. omnis enim actio suscipitur gratia alicuius boni. Omnem igitur actionem boni, iudicium antecedat necesse est, & tunc agendi studium conseque-

sequetur. Cum enim animus iudicauerit, id, quod sensibus, aut mente comprehendit, esse naturæ accommodatum, visisque, aut veris, aut falsis assensus fuerit: fit continuo, vt id amet, consectetur, adipisci velit. Actionis ergo principium est illa fides, quam animus visis adiungit. si enim nulla omnino species boni pellit animum, numquam mouebitur animus ad aliquid agendum. sublata igitur boni specie, omnis actio tollitur. Omnem igitur actionem, iudicium alicuius boni antecedat, opus est, & ita agendi studio necessario consequetur. Nam, vbi primum boni alicuius species occurrit animo, monetur statim appetitio. appetitionem vero, si nihil impedierit, protinus actio consequetur. Cum igitur constet, actionis principium boni iudicio contineri, efficitur plane, vt, quo fuerit iudicium illud constantius, & animi assensio firmior, eo acrius impellatur animus ad agendū, studiumque illius multo vehementius incitetur. Ergo, si fides est multo magis erecta felicitatis spe, quam rerum præsentium possessione; si est omni ratione constantior, omni scientia firmior; si confidit magis rebus diuinis a rationis comprehensione remotis, quam iis, quæ sunt obiecta sensibus; consequens est, vt fideles vitam suam, non sensibus, non opinione, non humana ratione, sed diuina lege moderentur. Credunt enim multo magis Deo, quam sensibus, quam rationi. Deus autem testificatur, ea, quæ plerumque, quasi salutaria, sequimur, esse non modo fluxa, & inania, sed etiam perniciosa, atque mortifera; omnemq; salutis rationem esse in ea lege positam, quam ille tamquam certam, & directam viam nobis ad gloriam, & immortalitatem muniuit. Ergo, cum salutem, & immortalitatem appetimus, & Deo firmam fidem adhibemus; omne vitæ studium, a rebus terrenis abstractum, ad diuinam legem conferimus. Vitam incundam tibi proponis. sensus tibi suadet, vt cupiditatibus obsequare, omnesque voluptates, quantumuis nefarias, atque flagitiosas, exquiras. Quid diuinus spiritus? caue, inquit, facias. Illa enim voluptatis insidiosa blandimenta vitam tibi amarissimam efficiet, doloribusque summis infinito tempore cruciabunt. Si fide duceris, & iucunditatem expetendam iudicas; magis certe credes spiritui te a flagitiis reuocanti, quam cupiditati ad flagitium impellenti; & ita fide cupiditatem frenabis. Cupis, te ditissimum fieri; si sensum in consiliū adhibueris, pecuniæ studebis, & iuris æquitatem violabis, quoties eam infinitæ tuæ cupiditati obstare perspicies. Quid spiritus? admonebit te, vt inanes opes negligas; vt manus ab iniuria contineas; vt pecuniam Deo fenori des. quod facies, si maximam illius partem, in egentium inopia subleuanda consumpseris. ea namque ratione futurum, vt veras; ac sempiternas diuitias tibi in cælo cogeras; & in hac vita diuinis opibus affluas. Deique prouidentia facile sustenteris. si fidem sequeris, eam sane præclaram amplificandi patrimonij rationem esse statues, quæ innocentia, & benignitate continetur. si vero, neglecta fide, sensus consulis, stultum, & amentem iudicabis eum, qui spe diuitiarum, quas non videt, eas, quas domi continet, effundit. Expetis honores, & dignitatem; si Deo credes, eam dignitatis viam inibis, quæ in gloriæ popularis contemptione, & despicientia sita est; & ab ambitione, tamquam a peste, fugies. secus autem, si opinionibus hominum vitam institueris: tunc enim omnia ad temerariæ multitudinis opinionem, & inanem populi plausum captandum conferes. Denique, ne plura persequar, omnibus in rebus poteris, aut fidei tuæ specimen dare, aut ostentare perfidiam. Si, in periculis constitutus, Dei opem non implores, sed ab hominibus tantum auxilium petas; si secundis rebus vtens bonorum omnium auctori gratias agendas non putes; si postremo vitam non diuina disciplina, sed humano consilio gubernandam censeas: ostendis plane, te magis addictum esse sensibus, quam diuinæ præscriptioni. Contra vero, cum omnia præ studio legis diuinæ contemnis, præfers firmam illam fidem, quam Dei verbis adiungis. Obedientia igitur, & opera, in diuinæ legis studio præclare posita, actionesq. cū pietate susceptæ sunt; quæ dant perfectæ fidei significationem. fides enim primum continet certam spem. necesse enim est, si Deo credimus, vt nihil certius promissis diuinis habeamus. spes autem sic animum ad res gerendas exacuit, vt maximorum laborum obliuisci faciat, omnemque sensum a cogitatione doloris auertat. Agricolæ enim, frugum exspectatione, labores immensos facile perferunt; milites, spe victoriæ incensi, vulnera non sentiunt; venatores, nullos imbres, & frigora recusant. nemo denique sperat aliquid, quem non spes illa ad omnes labores libenter excipiendos exsuscitet. Quod si spes incerta rerum caducarum tantam habet vim, vt omnem laborem leuem, & tolerabilem efficiat; quid non molietur animo is, qui pro certo habet, præclaris factis adscensum in cælum dari? Habet præterea vera, & germana fides caritatem sibi indissolubili vinculo copulatam. Nam, si natura excitatur amor, cum insignem aliquam speciem cernimus, & in illius venustate, & pulchritudine notanda defixos oculos habemus; multo certe vehementius pulchritudinem diuinam amabimus, mentis oculis vsurpatam. Nam nec decus vllum, cum decoris diuini lumine, quod fides inspiciendum proponit, conferendum est; nec vlla oculorum acies, cum fide diuino splendore collustrata, vlla ex parte comparanda. Ergo, cum mens a Deo lucem accipit, vimque illam splendentem, & lucidam, quam habet, in diuinæ mentis honestatem, atque pulchritudinem intendit, illiusq. virtutem, & sapientiam

uiuz.

pientiam contemplatur, & beneficia, quæ ab illa accepit, & quæ se percepturam esse confidit, assidue retractat; fieri non poterit, quin illum ardenter amet. Quod si amat, otium pati non poterit. nam, cum omnis amor sit acer, & incitatus; tum hoc amore diuino nihil excogitari potest ardentius. Itaque magna quædam semper molitur; alta, & ardua libenter aggreditur; magnoque impetu ad cælum adspirat. Nihil est, quod ardorem illius exstinguat, aut egregios conatus frangat, aut præclarum impetum aliquo modo reflectat: nec enim laborem fugit; nec periculum metuit; neque mortem reformidat; neque cruciatum exhorret. Si fides igitur est cum caritate coniuncta, caritas autem est ignauiæ, pigritiæ, & inertiæ contraria, & inimica; efficitur, vt, qui fidem rite colit, sit semper studio diuinæ legis incensus. Quoquo igitur modo fidem intelligas, semper eam videbis pia, atque sancta obedientia contineri. Nam, si officio, si veritate, si fœderis sanctitate fidem definias; fidem certe frangit, qui Dei legem contemnit. Sin eam mentis persuasionem, qua multo certiora putamus ea, quæ diuinus spiritus enuntiauit, iis, quæ sensibus, aut ratione consequimur; cum iudicium semper actionem antecedat, fideique iudicium sit multo firmius omni cognitionis euidentia; necesse est, vt, qui fidem sancte colit, ea fide vitam instituat, & sic illam protinus obedientia consequatur. Vnde fit, vt omnis rebellio, infidelitas in sacris litteris appelletur. quale est illud, Nec fideles habiti sunt in fœdere illius. (Psal. 77.) Credere item, idem est, quod obedire. Iccirco præceptis, inquit ille, tuis credidi. (Psal. 118.) Paulus vero sæpenumero Obedientiæ nomine Fidem explicat. (Rom. 10.) Non omnes, inquit, obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credit auditui nostro? Hic certe nullum discrimen inter perfectam scilicet fidem, & obedientiam esse positum videmus. aliter enim Isaiæ testimonium, parum accommodatum fuisset, ad Iudæorum rebellionem acrius conuincendam. In eadem autem epistola inquit, (Rom. 11.) Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi nunc misericordiam consequantur. Quo in loco animaduertendum est, pro eo, quod interpres reddidit, Non credidistis, esse apud Paulum ἠπειθήσατε, hoc est, obedire noluistis. Vbi autem vertit, Propter incredulitatem eorum, esse apud Græcos, τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, id autem est, per eorum rebellionem. In quo sapienter intellexit interpres, idem esse apud Paulum obedientiam, atque fidem. Contra vero, inter infidelitatem, & contumacis animi prauitatem, legitimum imperium aspernantem, nullum esse discrimen. ob id igitur rursus eodem in loco ἀπειθείας nomen Incredulitatis nomine declarauit, sic enim vertit: Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur. Hic enim Paulus vtitur hoc nomine ἀπειθείας, ad infidelis animi improbitatem designandam. quod non modo eo in loco facit, sed in aliis quamplurimis. Vnde, cum infideles nominat, eos sæpe υἱοὺς τῆς ἀπειθείας appellat, hoc est, rebellionis scelere vehementer alligatos. ad Corinthios autem scribens, ait: (1. Cor. 7.) Circumcisio nihil est, & præputium nihil est; sed obseruatio præceptorum Dei. Qui dubitat, an Paulus hic diuinæ legis obseruationem, atque fidem, idem esse statuat, legat eandem omnino sententiam, paucis verbis paullulum commutatis, in epistola, quam ad Galatas scripsit. (Gal. 5.) Nec circumcisio, inquit, aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur. In epistola autem ad Hebræos id luculenter explanat; dum admonet, ne quisquam sese scelere perfidiæ constringat; dum iis, qui increduli fuerint, acerrime comminatur, & exitium sempiternum denuntiat; nomen τῆς ἀπιστίας, & ἀπειθείας sæpe confundit. Qui fuerit in Paulo versatus, non modo ex his locis, sed ex aliis quam plurimis, intelliget, Fide apud illũ Obedientiam sæpenumero designari: Perfidia vero, contumacis animi rebellionem, Dei imperium detrectantem. Vnde, cum nos ad Dei studium conetur incendere, concludit, dicens: (Heb. 12.) Videte, ne recusetis de cælo loquentem. Vnde etiam sæpenumero infideles, non ἀπίστους, sed ἀπειθοῦντας appellat. Quod etiam ab aliis factitatum cernimus. sic enim Petrus ait: (1. Pet. 2.) Iccirco continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum. qui credit in eum; non dedecore afficietur. vobis igitur erit insignis honor credentibus; non obedientibus autem, lapis, quem spreuerunt ædificantes; idemque caput anguli constitutus, erit lapis, in quo offensi corruent, qui non obediunt. Item apud Lucam, Vt conuertat, inquit, corda patrum in filios, & rebelles in prudentiam iustorum. sic enim est in Græco exemplari, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων. Ioannes item, vt fidem ab inani confidentia disiungat, ait: (1. Ioan. 2.) In hoc scimus, quod Deum cognoscimus, si præcepta eius seruamus. qui dicit se nosse Deum, & præcepta eius non seruat, mendax est. in eo plane fidem inesse negat, qui Deo non obedit. Et iccirco in Euangelio mortis sempiternæ supplicium illis subeundum asserit. ait enim: Qui credit in filium, habet vitam æternam. exspectas, dum dicat: Qui vero non credit, interibit. non id dicit: sed, quod tantũdem valet, Qui filio non obedit, non videbit vitam. consequens enim est, vt, quemadmodum sempiternæ salutis spes obedientiæ fideli tantum, quæ Fidei nomine significatur, ostensa est; ita eis, qui obedientiam abiiciunt, omnis spes salutis

sit

sit omnino præclusa. Neque solum in sanctis litteris, verum etiam apud Græcos scriptores Atticos præsertim, annotare passim licet, locos innumerabiles, in quibus πίστις, idem omnino valet, quod πειθαρχία; & πιστεύειν, hoc est credere, esse idem, quod obtemperare. sed nos, cum de sacrarum litterarum consuetudine disseramus, infinitisque illarum testimonijs abundemus, minime necessarium arbitramur, aliunde testimonia sumere. Ex his enim, quæ attulimus, satis liquet, fidem obediẽtia, summoque diuinæ legis studio contineri.

His ita tamen constitutis, relinquitur quæstio sane difficilis ad iudicandum. Ex ijs enim, quæ adduximus, apparet, omnes homines iniustos, & intemperantes, esse ab Ecclesia segregandos. infideles enim sunt. Ecclesia autem est cœtus fidelium. contra tamen, videmus, improbos etiam, & facinorosos homines
Math.13. in Ecclesia contineri. ob id Christus facit eam
Math. 22. similem sagenæ missæ in mare, & omne piscium genus congreganti; & nuptijs, in quibus etiam homo sordidatus accubuit; & amplissimæ fa-
Math.25. miliæ, in qua sunt multi serui, Domini Imperium negligentes: & decem virginibus, quorum pars somno consopita officio functa non fuit. Quæ omnia declarant, versari in Ecclesia prauitatem, flagitia, turpitudinem, languorem, & inscitiam; homines autem, qui pertinent ad Ecclesiam, sola fides a reliqua hominum multitudine secernit. Si improbi igitur possunt in Ecclesia censeri, improbi certe fideles esse possunt. aliter enim numquam fuissent in Ecclesia conscripti. Hoc vt recte diiudicemus, videamus, opus est, quæ doctissimi homines de vitiorum natura disserunt. Negant, sapientem vllo pacto peccaturum; omnemque improbum stultum, & amentem esse contendunt. quod quidem hac ratione confirmant. Nemo prudens sibi malum machinatur. omnes enim, natura bonum appetunt; & omnia, quæ putant esse mala, & statui suo, quem maxime tueri cupiunt, perniciosa, summa contentione repellunt. improbi autem sibi summum malorum omnium machinantur. nullum enim malum est maius iniustitia, & improbitate. omnes igitur improbi stultissimi. Quod si contra dicas, esse multos acri ingenio præditos, prudentiæque nomine præstantes, qui tamen multis vitijs inquinati sunt; respondent, eos a prudentia deseri, cum peccant. Poterit enim fieri, vt inquit Aristoteles, vt alteram quidem rationis partem, quæ communior est, atque latius patet, teneat is, qui prudens existimatur; in alterius autem partis iudicio, quæ certis est temporibus, atque rebus definita, in quibus perturbationes animi dominantur, cupiditate victus, a mente, & a se ipso discedat. veluti, cum sic ratiocinatur: Quidquid naturæ consentaneum est, expetendum est. hucusque non est, cur illum merito accuses. recte enim statuit appetendam esse naturæ conseruationem. Sed, si alteram partem ad hunc modum assumat; Hæc voluptas, quamuis nefaria, est naturæ consentanea; & ita concludat, nefariam voluptatem minime repellendam esse; cernere iam licet, quantis tenebris oppletus sit, qui sic argumentatur. Non videt enim, hominis naturam euerti flagitio, & improbitate. quo minus autem videat, impedimento est libido fera, & immanis, quæ illum conturbat, ita, vt nequeat ad illum saltem temporis punctum suspicari, quam amarum sit illud, quod suaue, & iucundum putat. Si igitur tunc ad habitum animi, longo fortasse vsu comparatum, respicias; illum prudentem appellaueris; si ad admissum tunc dedecus, stultissimum. Attamen, quamdiu illa rationis scintilla ita viget, vt non prorsus vitiorum multitudine restinguatur; quamuis interdum aliqua in re libidini cedens vsu prudentiæ illius priuetur; morbos tamen videtur habere sanabiles. Multa enim facit, etiam cum a mente deficit, cum magna pudoris significatione. &, cum primum effluit turbulentus ille motus animi, eum suscepti flagitij statim pænitet, atque cupit ad bonam frugem redire. Itaque illi soli penitus deplorandi sunt, qui diuturnitate peccandi pudorem penitus amiserunt. sceleris enim consuetudine animum habent efferatum, & ad omnia facinora propensum. hos ἀκολάστους appellat Aristoteles, hoc est insanabiles; nempe qui non facile corrigi, & emendari possint disciplina; quos intemperantes appellamus. Illos vero, qui nondum habent rationem a flagitio deprauatam, ἀκρατεῖς, hoc est incontinentes nominat: qui, quamuis recte secum de rebus agendis statuant, cum tamen ad actionem ventum est, iudicium illud suum minime seruant. fit enim, vt, magnitudine perturbationis occæcati, scientia illa, quam habent de rebus singulis, minime vtantur. nam propter libidinis magnitudinem, falsa suauitatis specie commoti, falluntur; hi, qui sensus sequuntur, & quamdiu in illis dominatur cupiditas, a iudicio deducuntur. quamuis igitur omnes, qui delinquunt, stulti sint; sunt tamen quidam, qui habitu ipsius animi prudentes haberi possunt; licet interdum cupiditate victi flagitio succumbant, & ab ipsius prudentiæ præscriptione recedant. Hoc iam licet ad fidei disputationem transferre. Vt enim, qui delinquit, cum delinquit, a recta ratione recedit; quamnis & antea secum recte de rebus a se gerendis statuerit, & non omnino, cum primum in se flagitium admittit, rationis lumen amittat: ita, cum fidelis delinquit, eo tempore a fidei quidem vsu recedit, illam tamen fidem non continuo amittit. Quamquam recta ratio, vt postea melius videbimus, a fide secerni non potest. Nam, cum fides in obedientia maxime cernatur, recta autem ratio nihil sit aliud, quam iudicium ex diuina præscriptione aptũ,

atque

atque adeo cum diuina mente coniunctum; sequitur, vt, qui rectæ rationi paret, Deo pareat. & ita colligitur, eum, qui rectam rationem sequitur, non esse a fide prorsus alienum. Præterea, recta ratio tunc est, cum illustratur lumine diuinæ mentis, eamque sequitur. lumine autem Diuinæ mentis illi solum collucent, qui cum fide viuunt. ita fit, vt fides a recta ratione diuelli nequeat. Quo rectius ea, quæ Philosophi de recta ratione statuere, in fidem quadrant. vt igitur ea ad fidei rationem accommodemus, dum animum alio vocat spiritus ad salutem, alio trahit cupiditas ad perniciem; & inde spiritus mentem excitat ad diuinarum rerum cognitionem; inde cupiditas illecebris voluptatis in fraudem impellit; aut alia quauis animi commotione mentis statum impugnat: euenit, vt animus, in contrarias partes distractus, aliquando quidem, fidei luce relicta, sensus errorem sequatur; aliquando vero, oppressis sensibus, fide vitam dirigat. Cum enim fides, diuinis viribus excitata, contra libidinem strenue decertat; fit, vt, vigente fide, coerceatur, & comprimatur libido. contra vero, cum fides languescit, officiumque suum non facit, nec libidini, quantum potest, obsistit; sed quasi sopita conniuet; iacet tunc, vt mortua; viuit autem, atque viget libido. &, quemadmodum, si in altera libræ lance fides, in altera libido esset imposita; sic necesse est alteram vi, & pondere alterius eleuari. Nam, cum se ipsam fides excitat, vimque suam intendit; facile eleuat omnes cupiditates. contra vero, cum vim suam remittit, nec obuiam it cupiditati; tunc ipsa eleuatur, immani quodam cupiditatis pondere superata. Sic igitur fit, vt, cum peccant homines, eo tempore, quo peccant, fide, quam habitu mentis habent, minime vtantur. sed, quemadmodum, qui in re aliqua recta ratione non vtitur, non orbatur continuo ratione; sic, qui aliquid ob vehementem animi perturbationem contra fidem faciunt, non continuo omne fidei lumen amittunt. Multæ enim in illis resident reliquiæ; quas si colligas, facile apparebit, quantum inter illos, & eos, qui fidem omnino abiecerunt, intersit. Diuina enim decreta sancta credunt; Christi numen horrent; Diuinum interim iudicium extimescunt. sed, nescio quo modo, propter effrenatæ cupiditatis impotentiam hebescit eorum fides, & acies mentis obtunditur. Tunc igitur, velut ij, qui in oras longinquas adspiciunt, &, magno interiecto interuallo, corpus aliquod vident, in magnitudinis iudicio falluntur; ita, vt res etiam breuissimas, si prope sitæ sint, maiores esse putent, quam montes altissimi: sic, cum ex vehementi aliqua perturbatione æstus exsistit, atque caligo; non tanti faciunt homines ea, quæ in longinquum tempus dilata sunt, vt propter illa sibi præsentibus emolumentis, atque voluptatibus carendum censeant. Nec enim intelligunt, quanto sit acerbius, atque calamitosius, animum crimine aliquo maculari; quam oblata aliqua voluptate, & emolumento destitui: quod certe non facerent, si fidem ipsam consuluissent. Sic igitur fit, vt partim sint infideles habendi, partim fidelibus annumerandi: infideles, quia fœdus cum Deo ictum violant; & vitam suam ipsa fide non moderantur; fideles, quia decretis diuinis assentiuntur, & ab illa fide diuinitus, qua fuerant imbuti, etiam cum delinquunt, non omnino deseruntur. Vnde colligitur, vt partim sint in Ecclesia censendi; Ephes. 5.
partim a sanctissimo illo cœtu repellendi. si enim per Ecclesiam intelligas corpus cælestis reip. florentissimum, nullis omnino sordibus inquinatum, aut maculis infectum, sed purum, ornatum, elegans, splendidum, diuinis opibus exaggeratum, & excultum; si speciem illustrem animo cogites, non habentem (vt Pauli verbis vtar) vllam maculam, aut rugam, sed ea forma nitentem, quæ maxime sponsam Christi deceat: dubium non est, quin toties ab illius societate, & communione secludimur, quoties flagitium, & impuritatem suscipimus. Siu autem Ecclesiam illo communi fidei sensu, & sacrorum omnium communione, definias, (quod quidem facere necesse est, quando vtramque Ecclesiæ rationem ex sanctis litteris didicimus) multos etiam flagitiis infames ea contineri puta. Nec enim continuo benignus, atque clemens Dominus, qui calamum quassatum non conterit, & linum fumans non exstinguit; vbi primum aliquis per desidiam, & imbecillitatem labitur, ab omni Ecclesiæ suæ communione repellit. Fieri enim potest, vt non sit superbia inflatus; non impudenti facinore turbulentus; non erroris pestiferi tabe consumptus; non a communi Ecclesiæ consensu diuulsus: sed idem cum illa sentiat; quamuis illum sensum, in re aliqua vehementius appetita, interdum cupiditas importuna labefactet. Ita enim labefactat, vt non omnino deleat. Adhuc igitur is Christi septis tenetur inclusus. nam & Ecclesiæ rectorem veretur; illiusq. leges sanctas existimat; eiusdemque votis iuuatur, & precibus; illoque doloris sensu, qui ad vniuersum Ecclesiæ corpus, ex alicuius membri dolore, redundat, 1. Cor. 12.
mirifice sustentatur. Si dolet, inquit Paulus, vnum membrum, simul dolent & reliqua membra; &, quemadmodum in humano corpore, quamuis aliqua pars ægra sit, quamdiu sentit, secanda non est; poterit enim facile sanitatem recipere, atque ad naturam suam reuerti: ita, quamdiu fidei sensus viget in homine, quamuis æger animo sit, non

est ab Ecclesia exscindendus, nec illius salus desperanda; nisi suscepta flagitia contemptu & impudentia cumulet, & ad extremum vitæ spiritum in improbitate persistat. [redacted]

1.Cor. 5.
Timo. 5.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE IVSTITIA

LIBER SECVNDVS



QVAE vis, & ratio fidei sit; quantam vim rerum diuinarum in se ipsa contineat; quãuis magna ex parte simus oratione persecuti; postea tamen vberius explanabimus; atque docebimus, quo modo ad iustitiam, & immortalitatem ducat, & in cælestis hereditatis possessione constituat. Prius tamen, quam ad hanc tantarum rerum explicationem propius accedamus; operæ pretium erit, aliud fidei genus in medium afferre; mirum, & nouum, atque priscis temporibus inauditũ; cuius auctor est Lutherus. Nam ad hunc diem vir egregius humanum genus lusum putat; seque diuino quodam beneficio in lucem editum fuisse, vt infinitis erroribus hominum mentes liberaret. Nec enim is est, qui aliquid timide, & diffidenter in oratione ponat; sed qui, tamquam oracula fundat, ita omnia, quæ censet, admirabili constantia confirmet. Hic igitur, cum varie Fidem definiat, vnum tamen fidei genus inducit singulare, & a communi fide distinctum; qua quilibet ita certum statuit, vt nihil ei certius esse possit, se esse Deo gratum. Sola enim hac vnica, & singulari fide, iustitiam, salutem, & immortalitatem comparari censet. Nihil conferre ad iustitiam actiones præclaras, nihil egregię virtutis exercitationem, nihil singulare religionis, atque sanctitatis studium: cum omnia, quæ cogitamus, molimur, efficimus; ea etiam, quæ cum pietate suscipimus, & ad Dei gloriam conferimus, vt impura, & scelere contaminata condemnet. Nihil enim censet geri ab homine posse, quantũuis insigni sanctitate prædito, quod non sit ex se capitale crimen, æternis cruciatibus vlciscendum. Iam vero eos, qui ob sceleris alicuius conscientiam lacrymis se dedunt, vel eo solum nomine, quod a se suscepta flagitia lamentantur, nefarios, & sceleratos existimat. fas enim esse non putat ei, qui fide firmatus est, aliqua ratione lamentari. Hoc enim putat esse inconstantis, & infidelis animi, fidem nefarie simulantis, & anili superstitione obligati. Vult enim, vt sit semper animus celsus, erectus, intrepidus; adeo de salute securus, vt nulla vnquam molestia, ex sceleris admissi recordatione,conflictetur. itaq. solã per se hanc singularẽ fidem id præstare, vt iustitiã, atq. salutẽ consequaris. O mirum iustitiæ compendiũ; facilem, & expeditam salutis rationem; egregiam castitatis, & innocentiæ disciplinam: quæ nec opera a nobis exigit, nec dolorem vllum requirit, nec vllam peccantibus molestiam exhibet; sed, vna fide contenta, tam benigne, atque cum tanta firmitate, nobis omnia diuina munera pollicetur. Sed velim, id mihi clarius explanes, homo (vt tuis quidem videris) omnium doctissime, quo modo is, qui se adulterio commaculauit, aut cęde inquinauit, ista fide iustitiam assecutus sit? est ne a flagitio, & immanitate cõuersus ad corporis, & animi castitatẽ, & ad eximiæ caritatis studiũ? an manet adhuc eisdem scelerũ vinculis alligatus? &, ne longius abeamus, cum tu incestis nuptiis fidem Christo publice datam fefelleris; cum virginem Christo consecratam, ad consensum effrenatæ libidinis petulanter illexeris; cum pestis patriæ, turbo, atq. procella religionis exstiteris: quęro ex te, quo tandem modo iustus ista fide effectus repente sis? Num detestatione exsecrandi connubij, impurissimiq. matrimonij, quod cum perniciosissimo nefariæ libidinis exemplo, grauissimaq. reip. Christianæ offensione, contraxisti? An sola ista fide, quã ad tuum, tuorumq. immane solatium commentus es? si exsecratione proprij sceleris ab instituta impietate resiliisti, animumq. tuũ ad pietatis, & castitatis studium traduxisti, te Christi benignitate iustitiam assecutum confitebor. Omnibus enim, qui scelus admissũ detestati fuerint, & ad officium redierint, veniã pollicetur. Derelinquat, inquit Isaias, impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum: & miserebitur eius. In quo significat, misericordiam, hoc est iustitiæ claritatem, diuino munere concessam, illis tantum tribuendam, qui recedunt ab impietate, & iniquitatem summo studio repellũt. Ergo, & tu ipse cupiditatis tuæ petulantiã cõpressisti; & effrenatã istã mentem, quę te in locũ præcipitẽ ferebat, a cursu sustinuisti, omnesq. tuas cogitationes a feritate, & immanitate, ad benignitatis, & clementiæ studium reuocasti; & sic altissimũ istũ iustitiæ gradũ adeptus es. Non igitur sola fide fuisti hanc iustitiæ, & dignitatis amplitudinẽ cõsecutus. Quæro enim, nũ ista singularis fides, quæ iustitiã sola cõsequitur, caritate informata sit? an potius omni caritate nudata? si cum caritate coniuncta est, & tu per eam fidem ad iustitiam adspirasti; certe caritas ipsa multis se signis in-

dicauit. Ergo, antequam esses iustitiam adeptus, cum haberes fidem ardore caritatis incensam; quod consequens est, ad odium tui sceleris exarsisti; summumq. dolorem ex recordatione illius accepisti; omnemq. conatum adhibuisti, vt omnem a te impuritatem propelleres: & fortasse Danielis consilium secutus es, vt animo concepta crimina operibus benignitatis expiares; & hac ratione aditum tibi ad iustitiā aperuisti. Non igitur sola fide tibi iustitiam cōparasti; sed dolore iustissimo, ex scelerum conscientia, qui te, vt debuit, vehementer afflixit; sed ardenti castitatis, quam antea violaras, studio; sed opibus, quas obtinere potuisti, in egentibus alendis, & in hominum miserorum alleuatione consumptis. Quid igitur nos decipis, Luthere? quid aciem mentis nostræ verborum nouitate perstringis? cur hominibus tuis, qui te tanto honore prosequuntur, illudis? Cum enim lacrymas pias damnares, sapientemq. mæstitiam maledictis conscinderes, & omnia opera non inutilia modo, sed pestifera esse contenderes, istamq. solam fidem amplecterere; hoc moliri plane videbaris, vt, tuos omni molestia liberando, gratiam ab vniuersis inires. Graue enim plerisque videtur esse dolere, angi, lamentari, inedia corpus affligere, patrimonij bonam partem in benignitatis studium conferre; flagitiosasq. voluptates, quibus diu assueueris, omni contentione respuere. Quare minime mirum est, tam multos se satis dociles ad istam disciplinam præbuisse; qui, non intelligentes, quemadmodum ea a te dicerentur, existimarunt, sibi a te omnium cupiditatum licentiam permitti. Cum enim tantum in fide poneres, vt in ea solum satis esse præsidij diceres; id videbaris ostendere, paratam esse omnibus salutem sine dolore; sine rei familiaris dispendio, sine criminis admissi detestatione. Quin igitur in concionem adscendis, Luthere, mentemque tuam aperis? quin errorem detrahis iis, qui te, vt cæleste numen, intuentur? Doce, Luthere, doce, inquam, tuos, nullum tibi nobiscum in hac quæstione esse certamen. Nec enim te intelligere scelestum, quamdiu a scelere non discesserit, iustum fieri posse credendo. esse igitur necesse, vt prius ipsum scelus exhorreat, & a prauitate vitæ ad pietatis studium conuertatur. Si vero sentis, improbum, quamuis ab improbitate nō omnino refugiat, fide sola iustitiam indipisci, quis te fuit, post homines natos, immanior? quis amentior? An poterit aliquis gratiam ab illa summa bonitate consequi, quamdiu improbitatem non oderit? quamdiu non iniquitatem, quæ perpetuum bellū cum æquitate Diuina suscipit, a se repulerit? Quo tandem modo fieri potest, vt in Dei gratiam recipiar, quamdiu in me cupiditas dominatum habuerit, quæ Dei legem odit, quæ illius imperium nefarie detrectat, quæ odium in me Diuini numinis incendit? Nō potest enim lex illa sempiterna, nō persequi odio sempiterno, scelus, & improbitatē. Necesse igitur est, vt prius improbitatem odio persequar, quam in illius amicitiam recipiar. Minime, inquit; sed tantum crede. ea enim fide iustitiam repente obtinebis. Iustitia vero constituta, tunc & odium sceleris, & studium caritatis exsistet. Intelligo. Fides igitur illa, qua es adeptus iustitiam, a caritate segregatur. Nam, si fides antecedit necessario iustitiam, ipsam vero iustitiam caritas consequitur, nec vllo modo potest ante iustitiam absolutam locum in nobis caritas habere; fides certe illa, quam effingis, & efficis, quam iustitiam parere dicis; quam satis ad salutem esse contendis, est ab omni caritate segreganda. Hoc igitur fateare necesse est, si tibi consentanea dicere vis; eam fidem, quam solam vitalem, atque salutarem indicis, esse caritate spoliatam. Sola igitur confidentia, qua improbus, & facinorosus homo potest secū statuere, sibi gratiam tribui, quamuis ipse nullum conatum adhibeat ad improbitatem coercendam, gratus erit Deo. Numquam igitur hortabere meretricē, vt repellat libidinem, & quæstum nefarium detestetur; sed tantum credat, etiam si nullum ipsa studium conferat ad animi puritatem, se esse gratam Deo: numquam furem admonebis, vt refrenet cupiditatem, & quæ per iniuriam auertit, dominis, a quibus abduxit, ea restituat: numquam denique facinorosum hominem a facinore reuocabis; sed, vt hanc solam nudam, & inanem fidem, omni caritatis studio spoliatam, amplexetur. Hac enim sola, se fore Deo carissimum. Quo quid dici potest absurdius? Ego ne, quamdiu in me id dominatur, quod iram in me Diuinam concitat; quamdiu sum addictus libidini, cui semper est celeste numen infensum; quamdiu id viget in animo meo, quod sempiternum cum æquitate Diuina bellū gerit; nec solum viget, sed me totum dominatu opprimit; possum ne mihi gratiam de benignitate Diuina polliceri? Quo modo enim a me pestem deprecabor; si pestem ipsam non odi? si me nullus ex illa dolor attingit? si nullum omnino sensum inflicti vulneris habeo? Aut enim nondum improbitatem odi, sed adhuc mecum flagitiis meis oblecto; aut improbitatem acerbo quodam odio prosequor. si nondum scelus odi, sed illi sum libenter alligatus; quo modo tandem aut illud a me deprecabor, aut in Dei amicitiā scelere vigente recipiar? si odi scelus, summaq. in illo miseriā esse cōstituo; & ideo supplex ad opē Diuinā confugio; hic certe motus animi nō est alienus a caritate. Non igitur sola fide moueor, nec sola fide veniā impetro. Cū igitur dicis solā fidē sufficere, non tu mihi viā salutis ostendis, sed aditum omnē ad salutē penitus intercludis. Nūquam enim improbum a scelere reuocabis; sed miserum hominem, inanissima spe delusum, in sempiternā fraudem conicies. quam enim viā salutis ei relinquis, si sensum etiam doloris extorques? Agnoscat, inquit, scelus admissum. Hoc

quidem

quidem nihil facilius. angit enim mentem maleficij conscientia, assiduaq. flagitiorum recordatione solicitat. Nihil, inquit, amplius requirat; sed credat tantum, se Christi meritis, & gratia repente sanandum. O singularem amentiam. Credam me sanitatem recuperaturum, quamdiu non sum ita dolore morbi ipsius stratus, atq. perculsus, vt medicinā magnopere requirendam putem? quamdiu ipsi morbo faueo? quādiu me ipsa nequitia delectat? Quod si ita meum scelus agnosco, quemadmodum omnes nocentes, & facinorosi, quorū mens est oppressa, & impedita scelerum conscientia, quos ipsa fraus animo suscepta ita de mente deducit, vt ad insaniam redigat, quamuis interdum in scelere furenter exsultēt; nihil me iuuat ista cognitio. Nam neque Orestes, neque Alcmæon, neq. Lutherus quidem ipse, vllum ex furiis, quibus agitati fuerunt, ad iustitię sanctitatem fructum ferre potuerunt. Sin autem ea est cum improbitatis ipsius odio coniuncta, ita, vt statim illam ad me repellere statuam, & ad eam comprimendam opem Dei suppliciter implorem; ea cognitio mihi salutem pariet; & non sola fides, quam prædicas. & tamen in instituta impietate perstabis? & tamen istam amentem, & sceleratam sententiam cum tanta multorum pernicie tuebere? & tamen, ne a sententia desistas, tantas vbique ruinas edes, &, quasi turbulenta tempestas, quacumque impetum dederis, omnia peruertes? Quid enim, quæso, habes, cur fides peccatum nō sit? gratiam enim Dei antegreditur. Omne autem, quod est ante gratiam, siue id animo conceptum, siue manibus effectum sit, siue quacumque alia ratione conclusum, in scelere ponis. nihil enim putas vllo modo posse ab homine ante iustitiæ gratiā suscipi, quod capitale facinus non sit. Ergo fides ista, qua niteris, est immane scelus, atque flagitium. gratiam enim anteit. Quid igitur censes? Dei maiestatē sceleribus offensam, scelere posse placari; aut ex scelere iustitiā oriri? Hæc enim tibi portenta, atque flagitia, dicenda sunt, si tibi consentanea dicere studes. Quod si hæc non absurda tantum, verum etiam impia, & vehemēter exsecranda sunt; auctor certe tam sceleratæ sententiæ, non modo mentis expers, verum etiam impurus, & sceleratus est existimandus. Sed demus id, quod nec fieri potest, nec in cuiusquam sani hominis cogitationem cadit; nuda ista, & inani rerum omnium confidentia, atque adeo scelere, & impietate, posse aliquem iustitiæ munus obtinere. Sit igitur ita sane, vt aliquis eo solum, quod statuit se fore Deo acceptum, statim iustitiæ compos exsistat. Qualis tandem est ista iustitia? exhibe illius specimen, Luthere. fac, vt clarum, & illustre iustitiæ istius exemplum in te primum videamus: vt, cum in vita tua ipsius iustitiæ lumen adspexerimus, intelligamus, quam salutaris ista fides sit, quantumq. sit in ea ponendum. Cum enim incredibilia dicas, quo alio modo fidem feceris, nisi in te primum id verum esse confirmaueris; docens, atque, si opus ita fuerit, iureiurando etiā confirmās, te istam excellentis animi puritatem, non lamentis, & gemitu, non benignitatis studio, non vllo rei familiaris detrimento, sed sola ista fide fuisse consecutum. Quid igitur? num iam nequitiæ interitum attulisti? num linguæ maledicentiam cohibuisti? num insanæ mentis elationem, num insolentiam, num amentiam, num præcipitis animi temeritatem compressisti? num deniq. carnem tuam cum ipsius cupiditatibus omnino cōfixisti? Qui sunt Christi, inquit Paulus, carnem suam cruci affixerunt, cum cupiditatibus suis. Gal 5. Fac igitur insignem crucem illam, quā tibi constituisti, qua nefarias tuas cupiditates elideres. Propone nobis assiduam illam mortis commentationem, qua te ab impuritate, & flagitio, ad Christi similitudinē traduxisti. Doce, inquam, doce, quo modo animum tuum a corporis contagio seuocaris, & totum ad Christi imitationem contuleris. Quibus studiis illius mansuetudinem, & humilitatem, illius benignitatem; & beneficentiam, illius excellentem in omni genere sanctitatem expresseris; omnemq. vitam in castissimis votis, in sanctissimis precibus, in præclaris actionibus, pro Ecclesiæ coniunctione, & Christi gloria susceptis, consumpseris. An par est, eum, qui lucem vniuersis porrigit, seq. tamquam solem alterum ostentat, omnibusq. se ducem ad iustitiam sapientissimū profitetur, sibi tantum vni, iustitiæ viam, quam reliquis omnibus aperit, intercludere? Quod si nihil horum vmquam præstitisti; immo cōtra omnia tætra facinora, cū summa petulantia, cum insigni contumacia, cum temeritate, & impudentia suscepisti; si nihil est in te, in quo possimus imaginem Christianę castitatis, & integritatis agnoscere; tamen audebis istam tuam fidem ostentare, quæ tibi, illius auctori, atque parenti, nullum emolumentum attulit? Esto, tu tibi solum inutilis fuisti; &, cū aliis iustitiæ viam aperueris, tibi vni aditus ad illam penitus occlusisti. Doce igitur, qui sint illi, quos istius fidei disciplina, in iustitiæ possessione collocaris. Ostende, inquam, quam multi sint, ex iis, qui tibi operam dant, impotenti dominatu cupiditatis liberi, moribus, & vita egregie constituti, humana negligentes, diuina tantum suspicientes, & ab omni contagio impuritatis abstracti, & in eximiam quandam sanctitatis speciem, & in crucis ipsius studium tota mente conuersi. Quod si neque ex te, nec ex tuis, vllum veræ iustitiæ, atque sanctitatis specimen capere vllo modo possumus; non ne satis liquet, istam tuam fidem esse futilem, & inanem; &, qui illam tradit, esse omnium, qui viuunt, amentissimum. Sed illud dicis, nullam in nobis veræ, & solidæ iustitiæ rationem inesse; cum simus ea peccandi necessitate adstricti, vt nullo modo possimus importunitatem peccati vitare. Nec enim vllis sacris, quantauis religione,

atque sanctitate procuratis, insitũ scelus elui: peccatum enim in salutari lauacro non exstingui, sed vires adhuc immanes habere. Iccirco necessario euenire, vt omnia, quæ sancti etiam homines inflammato in Deum studio moliuntur, sint ex se capitalia quædam crimina, supplicio sempiterno vindicanda. omnia enim ex insito naturæ crimine profluere, quod nec sacris vllis expiari, neque viribus vllis opprimi, nec virtute vlla deleri vmquam potuit. Esse igitur omnia, quæ homines fide etiam præstantes, aut agitant animo, aut operibus exsequuntur, imbuta flagitio, inquinata scelere, & necessario denique peccati inhærentis contagio maculata penitus, & infecta. Quod hoc nouum monstrum, Christe sancte, in terra adspicimus? quod portentum, atque prodigium oculis intuemur? Hic non illudit Christi sanguini? non sanctitatem illius spernit? non sempiternum illius numen parui pendit? Homo pius, atque religiosus, qui, cum præseferat mirum quoddam studium patrocinãdi gratiæ Diuinæ, quam despectam, & abiectam esse conqueritur, eandem gratiam ore sacrilego conuellit. Quid ais, Diuinæ gratiæ patrone? cum dicis, Christi gratia non exstirpari peccatum, num illius potestati, atque numini, an potius clementiæ, & benignitati diffidis? si enim Christus omnia peccata non delet in iis, quos in fidem, & amicitiam recipit; id euenit, aut quia non potest, aut quia non vult. si non posse dixeris, potestatem illi, atque numen detrahis; si non velle contendas, non eum tantum clementiæ, sed fidei etiam laude spolias. Fidem enim violat, & qui promissa non facit; & qui amicos, quos tueri potest, miseros esse patitur. Quoquo igitur modo id tecum statuas, impurus, tæter, impius, & sceleratus es existimandus. aut enim Dei filium immensa potestate priuas; aut sempiterna fide, & benignitate. Si non potuisse dicis, numini illius, quod dæmones etiam immanissimi confitentur, exsecrandum conuicium facis, atque impurissime maledicis; si noluisse confirmas, immensam, atque sempiternam illius benignitatem, atque fidem indignissima contumelia deformare contendis. Quacumque igitur ratio-
Heb. 18. ne sententiam istam tueare, filium Dei, vt Pauli verbis vtar, conculcas, & sanguinem fœderis, quo sumus adspersi, & expiati, sordidum, & inquinatum iudicas; & in Spiritum sanctum, qui nos hoc cælesti iustitiæ munere donauit, insignem contumeliã intorques. Quo quid fieri, aut animo cogitari potest immanius? Cum enim tanta Dei caritas in hominum genus exstiterit, vt, illius expiandi, & ornandi gratia, filium ad necem tradiderit; potestas illius infinita non possit vllis difficultatibus impediri, quo minus ea, quæ vult, repente perficiat; cum tantam operam posuerit in hominum mentibus peccati tyrannide liberandis; eum etiam suam olim fidem adstrinxerit, fore, vt peccata per Christum deleret, & humanum genus exsecratione deuinctum omni scelere liberaret; tamen audebunt impuri homines asseuerare, peccatum in illis, quos summa illa puritas amore sanctissimo sibi deuinxit, non funditus euerti? non penitus exscindi? non radicitus extrahi? non omnes illius fibras exstirpari? Proprio filio (inquit Paulus) non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quo modo non cum illo omnia nobis donauit? si Lutherus vera tradit, Pauli testimonium refutatum plane conspicimus. Nullum enim in nos magnũ beneficium per Christum Deus ipse contulit, si nos in seruitute peccati deseruit, si seruile iugum a ceruicibus nostris, vt fuerat olim pollicitus, minime deiecit. nullum adhuc nobis fructum attulit Christi sanguis in Cruce profusus. adhuc enim in summa miseria versamur. non possumus non esse miseri, quamdiu peccatis alligati detinemur. Nec enim tam est pœna sceleris metuenda, quam scelus ipsum; nec in cruciatibus sempiternis tantum malum est, vt sit cum peccati ipsius malo conferendum: Miseri sunt igitur omnes Dei amici, qui hac luce fruuntur, quamuis, vt homines perditi dictitant, nulla sit eis peccati pœna subeunda. Ergo, si Christus in nobis, cum nos ad illius cultum toto pectore conferimus, peccati regnum non exscindit; tantum abest, vt omnia nobis donarit, vt maxima ex parte miseros, infelices, & ærumnosos esse permiserit: Nondum igitur eos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum suum. Ergo nec Paulus vera prædicat, neque gratiæ Diuinæ fructus ad nos vmquam peruenit. Quod si hoc in animum inducere est facinus impurum, & exsecrandum; & illud certe, vnde hoc sequitur, existimare, est detestabile scelus, & exsecrandum. Qui igitur in sanctis, quamdiu statum suum cum fide tuentur, peccatum vigere dicit; primum secum ipse pugnat: sancti enim esse non possunt, qui peccatis alligati sunt: deinde eorum dignitatem violat, quos Dei filius secum amplissimæ dignitatis communione, atque societate coniungit: deinde Christi gratiam, quantum potest, impie labefactat: postremo Dei gloriam impudenter obscurat. Quo enim opus a Deo perfectum est illustrius, & magnificentius; eo, qui illud editũ esse negat, est gloriæ illius acrior aduersarius cõstitutus. Nullum Diuinum opus est in nobis iustitia magnificentius; nullum clarius, & illustrius; nullum denique, quod magis homines ad amorem illius inflammet. Nec enim aliud est, ad quod attentius animo contuendum, Spiritus sancti vocibus sæpius incitemur. Quantũ distat, inquit Dauid, ortus ab oc- Psal. 101.
cidente, longe repulit a nobis iniquitates nostras. Et, Adsperges me, Domine, hysso- Psal. 50.
po, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Isaias item prædixit futurum, vt Isa. 4.
omnes, qui cum vera fide in Ecclesia vixissent, sancti vocarentur, cũ Dominus spiritu iustitiæ,

& ar-

&ardentißimæ caritatis, omnes vitiorum ma
Isaiæ 44. culas abstersisset. Apud eundem vero dicit Do-
minus, Ego sum, qui deleo iniquitates tuas; &
deleui, vt nubem, iniquitates tuas; &, quasi ne-
Ierem. 50. bulam, peccata tua. Similiter Ieremias ait, In
diebus illis, & in tẽpore illo ait Dominus: Quæ-
retur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum
Ezech. 36. Iuda', & non inuenietur. In Ezechiele vero in-
quit, Effundam super vos aquam mundam, &
mundabimini ab omnibus inquinamentis ve-
Mich. 7. stris. Micheas item, Proijciet in profundum ma
Zach. 13. ris omnia peccata nostra. Porro autem Zacha
rias perennem illum fontem celebrat, qui erat
aperiendus ad omnium sordes eluendas. Illud
Ioan. 1. vero Ioannis Baptistæ testimonium, quam prę-
clarum? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit pecca-
ta mundi. Infinita testimonia prætermitto, hãc
vnam sententiam confirmantia, nempe, Chri-
sti numine crimen exstirpari, cupiditatem eli-
di, libidinem coerceri, humanaq. mentes a pec
cato liberatas Diuinam formam induere. Quæ
est igitur hæc intemperies? quæ impudentia?
quod te tantum scelus exagitat? quod Deus pu
ritati restituit, tu impurum appellabis? quod
omni scelere soluit, tu scelere alligabis? quod iu
stum, atque sanctum effecit, tu capite damna-
Psal. 142. bis? Certe inquit. Dauid enim testatur, nemi-
nem fore, quem non Diuinum iudicium scele-
ris conuincat; & ideo Deum precatur, ne se in
Isaiæ 64. iudicium vocet. Isaias autem omnem nostram
iustitiam similem dicit pannis, menstruo san-
Ioan. 1. guine pollutis. Ioannes item mendacem appel-
lat eum, qui se nullo scelere obligatum esse con
firmat. Multa præterea in eandem sententiam
colligit, quibus effectum putat, omnes morta-
les, quantauis fide confirmatos, semper in pec-
cato versari. Sed ad omnia, vna responsio est;
non ibi de iustitia vera, sed de humano studio
disputari; quod, quamdiu non est ad Deum ap-
plicatum, est semper impuritatis contagio pol-
lutum. Nemo enim potest absq. Diuina gratia
e peccati vinculis emitti, & ad iustitiæ clarita-
tem adspirare. Sic fit, vt omnes, quamdiu sunt
a Diuina gratia segregati, semper sint sceleri-
bus affines. Cùm igitur Dauid orat, ne in iudi-
ciũ vocetur; id orat, vt illud deleatur, ad quod
vindicandum est iudicium constitutum. id au-
tem est peccatum. vigente enim peccato, iudi-
cium vitari non potest. Sic etiam Isaias iustitiã
humanis studijs absque Diuina gratia partam,
esse dicit inanem, atque fallacem, in simulatio-
ne constitutam, multisq. scelerum maculis in-
quinatam. Sic Ioannes eorum amentiam coar-
guit, qui se iustitiæ nomine ita tumidos infe-
runt; quasi numquam vllum in se scelus admi-
sissent, & ita Christi sanguine non indigerent.
Hos enim vanos appellat, atque mendaces; illis
vero, qui conscij scelerum ad Christum suppli-
ces accedunt, spem certam perfectæ puritatis
Ioan. ibid. ostendit. fore enim dicit, si confessi fuerimus
peccata nostra, vt sanguis Christi nos ab omni
peccato emundet. Qui ab omni crimine nos
mundos fore prædicit, nullum profecto crimen
excipit, quod sempiternum in nobis domina-
tum teneat. Non igitur horum testimonia Lu-
therum adiuuant, cum Diuina gratia pugnan-
tem; sed tantum docent, non in nobis, sed in il-
la omnes vitæ, salutis, atque dignitatis ratio-
nes ponendas esse. Nam absque Dei gratia, ve-
ram iustitiam nullo modo consequimur. Gra-
tia enim illius in hoc maxime cernitur, quod
optimus ille parens, & Dominus, homines im-
puros, & sceleratos, ad illum vera fide confu-
gientes, ita sanat, vt non modo purget a crimi-
ne, sed etiam eos insigni, & illustri specie Diui-
næ pulchritudinis, & claritatis illustret. Hæc
autem tanta dignitas, tam excellens in omni
genere virtus, qua Deus suorũ mentes instruit,
& exornat, nullo modo potest cum flagitio, &
impuritate simul habitare. Nullum enim tene-
bris est cum Diuina luce commercium: nulla
omnino castitati cum libidinis impuritate so-
cietas: nulla iustitiæ sanctitati cum iniustitiæ
scelere, & improbitate coniunctio. Nec enim
insitæ naturæ cupiditas, animum interdum pul
sans, ratione tamen compressa, peccatum est in
sanctis; sed materia laudis, sed sempiternæ glo
riæ seges, sed inditæ virtutis argumentum. sa-
tis enim perspicitur, virtutem Diuinam adesse,
cum omnis cupiditatis violentia ratione com-
primitur. Quocirca difficile est, de eorum te-
meritate, qui sanctos peccati insimulant, per-
inde atque rei indignitas postulat, dicere. Non
enim tam sunt in sanctos homines contumelio-
si, quam in totius sanctitatis auctorem, & prin-
cipem. Vt enim qui ædificium damnat, non tã
ædificium, quam architectum vituperat; sic,
qui piorum hominum sanctitatem, quantauis
gloria præcellentem, sceleri semper affinem es-
se dicit, non illis, sed ipsius sanctitatis effecto-
ri, contumeliam inurit. Quid, quod huius scele-
ratæ sententiæ princeps secum ipse pugnat; &,
quod temere in principio posuit, alia multo ma
gis exsecranda temeritate dissoluit. Quid ais,
homo væsane? quid attinebat tantis laudibus
ornare solam istam fidem, si fides iniustitia non
liberat? Quæ nam est hæc inconstantia, vt spẽ
libertatis ostendas, eamq. spem rursus totam
eripias? vt iustitiæ viam te monstraturum esse
confirmes, & repente omnem veræ iustitiæ ra-
tionem penitus desperandam esse contendas?
Vbi est illa noua vita, in qua optimam pœniten
tiam collocabas? sic fidem præstas, quam de-
disti? sic, quod tam large promisisti, dissoluis?
Huccine illa tam magnifica promissa recide-
runt; vt, cum magnam in principio tui exspe-
ctationem commoueres, repente, desperata iu-
stitia, tuis libertatem, atque impunitam flagi-
tiorum licentiam, istius fidei obtentu, quã præ-
dicas, largiare? promissa enim videamus. Audi-
te, inquit, audite, ciues mei, non commenticias,
futilesq. sententias, non hominem inani super-
stitione obligatum, & hominum mentes curis,
& angoribus implicantem; sed ciuem, vnum
omnium

omnium maxime salutarem, minime ignarum viæ, qua sine vllo errore, aut molestia, ad iustitiam, & salutem perueniatis. Primum igitur cauete, ne sermones eorum, qui vobis multis incommodis molestiam exhibent, ad animorum vestrorum sensus illabantur. in maximum errorem, mihi credite, rapiemini, si aures illis dederitis. Qui enim dicunt caritatis officia ad salutem necessaria, vaticinantur, & insaniunt; qui preces cum lacrymis adhibendas esse censent, planissime delirant: qui vel ad ciborum statis temporibus abstinentiam, vel ad castitatis studium, vel ad aliquem cultum religionis in operibus positum exhortantur, mente capti sunt. Tantum enim abest, vt hæc omnia aliquid momenti habeant, ad iram numinis auertendam; vt eos, qui ijs operibus incumbunt, grauiore scelere adstringant. Hos igitur longe a vestro cœtu remouete. Me igitur solum intuemini, vestigiaque mea persequimini. solus enim vobis certam, & directam viam monstrabo, qua possitis iustitiam, & salutem adipisci. Quæ nam tandem est ista via, quam sapiens iste dux, ante virgultis intersæptam, perpurgauit, & aperuit? sola, inquit, fides efficiet, vt iusti, & salui, vt ornati sitis; quamuis nullum omnino conatum ad ipsius iustitiæ studium conferatis. Cum igitur statuetis, non in officio vestro, sed in Diuina promissione, salutem esse collocandam; & credetis, vos, quamuis sitis omnibus flagitijs coopertí, Deo caros esse: ista fide confestim Diuinis iustitiæ ornamentis, atque præsidijs mirifice redundabitis. Magnum promissum, & auctor grauis, & sapiens; quare necesse est erigi animos eorum, qui audiunt; & ad spem summæ cuiusdam felicitatis incredibiliter excitari. Age, iam ipsius promissi fidem videamus. Nemo, inquit rursus, iustus esse potest. insidet enim libido: regnat in nobis immanis, & fera cupiditas, cui obsisti non potest. Instat enim, & vrget peccatum, & tributum imperat, quod omnino dependendum est. Non est enim ea vis in nobis, vt huic tam immani, & importuno tyranno repugnare valeamus. Quare necesse est, vt omnia, quæ agimus, quamuis ea ad Dei gloriam conferamus, sint per se noxia, atque mortifera. Proueniunt enim ex animo peccatis oppresso, & impedito. O promissi fidem. O singularem orationis constantiam. Huccine rediit illa orationis magnificentia, qua summam veræ iustitiæ, & solidæ dignitatis exspectationem concitasti; vt non modo viam iustitiæ non aperias, sed animos hominum illius potiundæ desperatione frangas? Quid enim est iustitia desperatius, si nulla ratio effugiendi peccati a nobis iniri potest? Deinde, quid est minus cohærens, & consentaneum? quid magis repugnat, quam iustitiam verbis ostentare, eiusdemq; iustitiæ spem totam rursus eripere? O populares, inquis, si me audieritis, iusti eritis; & tamé nullo modo iusti esse poteritis. Mirum acumé, incredibili enim mentis intelligentia opus est, ad tanta mysteria sapientiæ penitus indaganda. Nemo enim est, qui possit assequi ratione, quo modo is, qui est oppressus peccati dominatu, iustus eo tempore sit, quo peccato oppressus est. Immo, inquit, hæc est fidei vnica vis, vt scelestus non deleto scelere, sed adhuc spirante, atque adeo vigente, virtute fidei iustus exsistat. Non quod legem diuinam rite colat; neque quod animum ad illius regulæ disciplinã, quam Deus nobis tradidit, exacte dirigat. hoc enim fieri non potest. Sed illud affirmo, fidem hoc præstare, vt a Deo proinde accipiamur, atque si iusti essemus. Itaque non euellere fidem ex animis impuritaté; sed efficere, vt in ipsam impuritatem minime vindicetur, eam enim misericordiam tribui ijs, qui fide hac, quã prædico, fulciuntur, vt inhærens crimen non inferat exitium; vt eodem crimine penitus inhærēte, Deo tamen grati, & accepti simus per Christi iustitiam. Hac igitur Dei acceptione, & approbatione, qua illi per fidem commendamur, & in Christi corpus inserimur, iustitia nostra continetur. Quid hoc loco dicam, prorsus ignoro. Nullis enim verbis potest explicari tantum orationis flagitium, tantum scelus, & impudentia, tanta denique serpentis illius antiquæ calliditas. sic enim Lutherum ad perniciem instruxit, vt, quacumque peruaderet, non modo pietatis horrendam stragem ederet, verum etiam omnem pietatis spem infringeret. Primum nãque Fidei nomine, omne studium benignitatis exstinxit. benignitatis enim studium prorsus exstinguit, qui nullam in ea vim ponit, ad obtinendam iustitiã; & omnia caritatis opera peccati contagio polluta esse contendit. Deinde, cum mentes hominum ad iustitiæ exspectationem excitaret, eandem repente iustitiæ viam obiectis molibus intersæpsit, atque penitus desperandam esse pronuntiauit. Tum vulneribus, quæ inflixit, loco medicinæ venenum mortiferum adhibuit; cum persuadere voluit, fieri aliqua ratione, vt, quamdiu sumus in regno peccati, illi sanctissimo Domino placeamus. Dei sapientiam, atque benignitatem ore impio criminatur; cum legem a Deo nobis impositam esse confirmat, quæ seruari non possit. Postremo filio Dei indignam contumeliam infert; cũ ostendit, illius sanctitatem, atque præcellenté bonitatem, impuros, & sceleratos, ipso scelere in eorum animis dominante, sibi bonorum omnium communione deuincire. Quid ais, Luthere? Verum ne tandem credere sapientius est, Deum peccata omnino tollere de animis eorum, quos statuit sibi amore coniungere? an potius manente peccato, quod nos vi, & immanitate sua, a Dei coniunctione necessario diuellit; eos, in quibus peccatum late dominatur, sibi amore copulare? Illud enim est illius potestati facillimum, & æquitati consentaneum, & bonitati decorum: hoc vero numini illius, & bonitati repugnat. Iustus enim est Dominus, & Psal. 10. iustitias dilexit, & æquitatem vidit vultus eius. Psal. 5.

Non

Nō habitabit, inquit Dauid, apud te malignus; non permanebunt iniusti ante oculos tuos. Et odisti omnes, qui operantur iniquitatem: & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Ex his autem testimonijs perspicitur, nullum esse posse improbis cum Diuina bonitate consortium. Cum enim Deus sit ipsa lex æquitatis, & iustitiæ regula, ad quam sunt omnes actiones nostræ dirigendæ; qui fieri potest, vt, qui regulam ipsam a se remouet, eamq. odio persequitur, ei dem coniūgatur? Qui igitur asserit fieri posse, vt Deus impios approbet, atque sibi cōiungat; asserit fieri posse, vt Deus non sit Deus. Nihil enim est, quod inter Deum, & iustitiam illius intersit; cum nihil insit in illa purissima, atque beatissima natura coniunctum, & copulatum; nihil admixtum, aut aliqua ratione concretū. si autem Deus sceleſtos, vigente scelere, sibi cōiungeret, idem certe iustitiæ lex, atque norma non esset. & sic concludi posset, Deum non esse Deum. Quæ est igitur ista noua fides, non modo furenter omnia conturbans; sed, quantum in se est, illi sempiterno Domino diuinitatem eripiens? Et tamen ex isto ore impuro, & impio Fidei verbum excidet, quod fidem tot modis violauit? & tamen pietatem iactabis, cum omnem pietatis rationem ex hominum vita sustuleris? & tamen tuis fœdis factis nomen religionis obtendes, cum tam peruersam opinionē de mente Diuina conceperis? Crede, inquit, tantum: satis enim est ad salutem, in sola fide momenti. Cuinam credam? tibi ne, quem scelere perditum, quem amentia præcipitem, quem furiarum pœnis excruciatum intueor? Minime, inquit; sed Deo. Optime. Profer igitur aliquod ex lege Diuina, & e sanctissimis oraculis testimonium, quo intelligamus, Deum hominibus, sola ista tua fide commenticia subnixis, iustitiam, atque salutem polliceri. ostende, quo modo a nobis, antequam iustitiam cōferat, neque iustum dolorem, neque pium studium, neque beneficentiam exigat. doce postremo, Deum, vigente in nobis eo malo, quod odio sempiterno persequitur, nos tamen in delicijs habere, numquam facies. totis enim scriptis istam sceleratam sententiam oracula Diuina conscindunt. Primum enim Moses, cum rerum omniū vastitatem, & acerbum exsilium denunriasset ijs, qui a Deo desciuissent, ait tandem; Cum ibi

Deut. 4. quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eū; si tamen toto corde quæsieris, & tota anima. Vide, quibus Dei clementiam pollicetur. num ijs, qui inani quadam confidentia statuunt, sibi bene esse, cum sint venenato, atque mortifero telo confixi? Minime profecto; sed ijs tantum, qui Deum non studio religionis fallaciter assumpto, neque pietate ad tempus simulata, & composita, sed vere, & ex animo in cultum Diuinæ legis incumbunt; vt eum, quem in se rebellione violarant, obedientia placent; & ita, preci bus adhibitis, sceleris admissi veniam impetrent. Quærere enim Deum toto corde, est, nō ficte, sed vere, ad studium Diuinæ legis applicari. Multi enim sunt, qui non sponte, & voluntate sua, sed numinis metu perculsi, manus a maleficio aliquando cōtinent: cum sint studio peccatis, quibus assueuerant, addicti. Cum igitur animum ancipitem inter cupiditatem nefariā, & numinis offensi metum gerant, in cōtrarias partes distracti sunt: cū neque Deum propter cupiditatis imperium sequi studeant, neque rursus cupiditati, propter iræ Diuinæ formidinem, parere audeant; nullo modo possunt toto corde in Deum conuerti. sunt enim maiore ex parte cum libidine, & impurissima cupiditate colligati. Cum enim multo plus valeat apud animos voluntas, amor, studium, quam metus, atque formido; efficitur, vt magis occupetur animus impurus a cupiditate, cui studet; quam a Deo, quem metuit. Is igitur toto corde Deū quærit, qui, odio improbitatis, & studio pietatis, in quod vocibus Diuinis incitatur, Dei mentem inquirit, vt se totum ad illam accommodet. Vnde Ieremias insectatur Iudæam, quod non fuerit toto corde in Deum conuersa, sed falso. Idem futurum asserit alibi, vt multi mortales Christi gratia conuerterentur ad Deum toto corde. Illa autem conuersio fit, cum, abiecta cupiditate nefaria, animus, appulsu videlicet Diuini spiritus incitatus, sese ad studiū pietatis totum applicat. Est enim vera conuersio, nihil aliud, nisi absoluta quædam mentis, & rationis, & omnium studiorum, consiliorum, & actionum commutatio, & ad contrariam partē totius animi traductio. Animus enim, cum sit natura incitatus ad beatæ vitæ cupiditatem, otium pati nequit; sed omnes neruos intendit, & immensum laborem suscipit, vsque eo, dum id assequatur, quod sibi, vt summum bonū, proponit. Mirum enim est, quanto studio, & sollertia, minuti, & angusti animi, qui toti sunt defixi, & intenti, vel in corporis voluptates, vel in terrenas opes, & honores inanes, inquirant omnes vias eo perueniendi, in quo beatam vitam sitam esse statuunt; quantam industriam adhibeant, & diligentiam, vt res inanissimas consequantur; quam cæco impetu in earum studium concitentur? Omnes, inquit Ieremias, conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus concitatus ad prœlium. Vnde colligitur, semper animum studio eniti, semper agitari, semper denique id agere, vt, quod sitienter appetit, aliquādo tandem obtineat. In hoc tamē errare, quod sit a veris bonis auersus, & in vanitatis studiū tota mēte conuersus. Verterunt, inquit Deus, ad me terga, & non faciem. Si igitur Diuino quodam motu pulsi senserint se in exitium rapi, & mentis adspectum ad vera bona, quæ post terga reliquerant, contemplanda retulerint; illam certe industriam, quam in huius vitæ ludibrijs consumebant, in rerum diuinarum studio conferent; & summa contentione elaborabunt, vt illas adipiscantur. Cum igitur Deus tā sæpe admonet nocentes homines, vt se ad illum conuer-

Ierem. 3.

Ierem. 24.

Ier. 8.

Ier. 2. 32 33

connertant,si cupiunt iram illius effugere; hoc
profecto dicit, vt non modo numen illius, a
quo erant auersi, respiciant; verum etiam, vt
omne illud studium,& industriam, quod sine vl
lo fructu in nequitia consumebant, ad iustitiæ
cultum, cum immortali gloriæ fructu, confe-
rant. Hoc igitur Deus a nobis fidei munus exi-
git,hoc requirit,hoc efflagitat, vt omnem men
tem, omnemque totius animi curam, & solici-
tudinem, a rebus inanissimis auocemus; & ad
diuinas ardenti studio, & cupiditate contuen-
das omnino transferamus. ijs autem, qui ita
fuerint conuersi,clemētiam suam benigne pol-
licetur; non ijs, qui præcipiti confidentia du-
Isaiæ 31. cuntur. Conuertimini, inquit, qui eratis in
profundū demersi. &, Conuertimini ad me, &
Ierem. 3. salui eritis. &, Connertimini, filij,reuertentes;
Iere 18 & sanabo defectiones vestras. &, Reuertatur
Iere. 4. vnusquisque a via sua mala. &, Si reuerteris,
Iere. 29. Israel; ad me conuertere. &, Quæretis me, &
inuenietis; cum me quæsieritis toto corde ve-
Ezech. 18. stro. Tum illud, quod est apud Ezechielem,
Cum auerterit se impius ab iniquitate, quam
operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam;
Ezech. 33. ipse animam suam in vitam restituet. &,Num-
quid voluntatis meæ est mors impij, dicit Do-
minus Deus:& non, vt conuertatur a vijs suis,
& viuat?& paullo inferius,Conuertimini,& agi
te pænitētiam. alibi item, Nolo mortem impij;
sed,vt conuertatur impius a vita sua, & viuat.
Conuertimini,conuertimini a vijs vestris pessi
Ose. 14. mis. Oseas vero,Conuertere,inquit, Israel, ad
Dominum Deum tuum,quandoquidem iniqui-
Zach. 1. tate tua corruisti. Zacharias item, Conuerti-
mini, inqnit, ad me, ait Dominus exercituum;
& conuertar ad vos.Sed,quid Prophetarum te
stimonia colligo,cum sint propemodum infini-
ta? hoc enim cuncti testantur, hoc prædicant,
hoc aperte denuntiant;nullam omnino spē salu
tis ostendi,nisi illis tantummodo, qui a vita im
pura, & flagitiosa ad sanctitatis studiū fuerint
tota mente conuersi.Nec Prophetæ solū,sed il-
le Prophetarum omnium maximus, qui viam
Christo muniuit,his vocibus animos hominum
ad Christi gratiam præparabat. Nam arrogan
tiam,& elationem comprimebat; & iniquos ab
iniuria deterrebat; & animos abiectos magnis
clamoribus excitabat;omnesq. tandē ad conuer
sionem exhortabatur: docens, nullam prorsus
aliam rationem esse,vel exitij depellendi,vel sa
lutis comparandæ.Quin ipse Dominus,vt legi-
mus in Euāgelio, hoc vnum agit, hoc insculpit
animis eorū, quos instituit, vt eos valde pæni-
teat impuritatis, & sic omnia studia vitæ ad
sanctitatem conferant. aliter enim certissimū
exitium denuntiat. His igitur Dei vocibus,no-
bis per Prophetas suos, atque tandem per fi-
lium, suam voluntatem in omnibus rebus lu-
culenter explicantis, assentiar; non Luthero.
hanc disciplinam sequar, non hominis furentis
amentiā.in hac igitur conuersione salutē ponā,
non in Lutheri temulentia. Hæc autē conuer-
sio,quæ quidē ex fide nascitur,(tunc enim exsi-
stit, cū Dei verbum a scelere reuocans antecer
dit) vix sine graui sensu fit. Tunc enim,e tene-
bris emersi, dedecus admissum acutius intue-
mur; tunc mentis nostræ labē inspicimus; tunc
Optimi Domini numen esse nostris sceleribus
offensum,ægerrime patimur; tantiq. facinoris
veniam cum fletu,atque suspirijs imploramus.
In quo imitamur regē illū sanctissimū, lectum Psal. 6.
suū,vt ipse ait,lacrymis diluētē,& integras no-
ctes in luctu consumentē. sequimur exemplum Luc. 7.
beatissimæ mulieris,quæ pedes Domini magna
lacrymarū copia lauit.in Petri vestigia incurri Matth. 26.
mus,qui insignē sceleris maculā,animo conce-
ptam,acerbissimo fletu deleuit. Deo acceptissi
ma sacra conficimus:est enim,vt inquit Dauid, Psal. 50.
animus tractus,atque propter criminis admis-
si conscientiā iusto mærore deiectus, sacrificiū
Deo gratissimū.Est igitur in hoc pio dolore,iu-
cundus mæror, dulcis fletus, suaue suspirium,
mæstitia salutaris. iram enim Dei auertit: illa-
tique vulneris medicinam ex illo consequitur.
Ideo sæpe in sanctis litteris, ipsius Dei vocibus
ad fletū inuitamur. Cōuertimini,inquit,ad me
in ieiunio,& fletu,& planctu. Ergo,si Deo credi
dero;si me illi dicto audientem præbuero;lacry
mis, & lamentis me dedam, cum primum ani-
maduertero,fuisse numē illius a me insigni sce-
lere violatum. Ex quo sequitur,huiusmodi fle-
tum esse fidei munus,& officiū. quia enim Deo
credo; quia summam miseriam, disciplina il-
lius eruditus, in scelere pono, quo Dominum,
pro quo mori debuissem,grauiter offendi: vim
lacrymarum profundo. Hæc est illa mæstitia,
quæ,vt Paulus inquit, salutem stabilem, atque 2. Cor. 7.
sempiternam efficit. Hanc igitur qui tollit,stre
nuā Satanæ operam nauat. Quem igitur esse di
cā hunc nouum Stoicū;qui, cum suis fuerit exē
plum nequitiæ,fautor inertiæ, & languoris effe
minatissimi:hic,vbi minime cōueniebat,voluit
fortis,& cōstās existimari. At idē,vt inuidiā ali
qua ex parte deuitet,ait, se non lacrymas,quas
Diuinus amor elicit, sed quas Dei metus excu-
tit, insectari. namque graue scelus existimat,
pristinam ruinam lamentari,atque pœnam me
tuere. Quid ais, Luthere? sentio, me graui, &
mortifero vulnere sauciatum; cogito,vnde de-
ciderim, in quam miseriā incurrerim, in quos
me dæmonis infesti laqueos induerim, quo mo
do a vita desciuerim,& me cum morte coniun-
xerim;& tu interim me vetabis, ne lugeam? ne
calamitatem meam deplorem?ne stragem mē-
tis meæ lamenter? Eripe mihi prius omnē sen-
sum; atque,vt rectius dicam, fidem ipsam, quæ
fecit, vt hæc mea mala sentirem; & tum demū
facile id,quod contendis,efficies. hic enim do-
loris sensus, qui me pungit,ex fide prouenit, &
est cum fide coniunctus. qui igitur illum tollit,
fidem damnat, atque ita spem salutis incidit.
Quo modo autem, si me vulneris dolor non
attingit, opem implorabo? quo modo medi-
cinam expetam? quo modo me sapientissimo
medico

medico committam? istam igitur indolentiã, quam non ex Stoicorum disciplina, sed Satanæ placitis hausisti, tibi, atque tuis reseruato. Non enim stupor immanis, in morbi grauitate, sed sensus acerbus inflicta vulnera sanat. Hanc autem sensum mirum innocentiæ, & pietatis studium consequetur. Quod enim dolet, omni contentione repellimus; & summo quodam studio arcemus; & res contrarias libenter adsciscimus. Ergo, si vere nos pœnitet impuritatis, cõsequens est, vt omni mentis impetu, in amorẽ castitatis, in studium diuinæ legis incitemur; &, cum scelus, & impietatem omnibus malis potius oderimus, ad eximiæ cuiusdam sanctitatis gloriam inflammatis animis rapiamur. His autem operibus, quæ e sensu pij doloris, & studio caritatis oriuntur, docet ipse Dominus, cui soli fidem habeo, ad iustitiæ claritatem peruenire. Audi enim, qui sint illi, quos iustitiæ luce circumfundat. Frange, inquit, esurienti panem tuum, egentes, & peregrinos hospitio recipe, homines tibi coniunctos ne despexeris: tunc erumpet, quasi aurora, lumen tuum; & sanitas tua protinus orietur. In Euangelio autem docet, expiati perfecte mentem caritatis officijs. Hos autem pœnitentiæ fructus appellat. Tunc enim copiosius sæpenumero proferuntur, cum nobis in mentem venit illorum flagitiorum, in quibus olim versabamur. Ad hæc nos opera lex instituit, Prophetæ vocant, Christus inflammat; his iustitiam parari, his tamquam gradibus in cælum adscendi, his æterna præmia constitui, perpetua oratione confirmat. Hanc vnã nobis in cælo viam muniuit, quæ præclaris operibus constrata est. Hanc qui non ingreditur, ait esse cruciatibus immensis sempiterno tempore torquendum. Diuino porro iudicio, opera cuiusque examinanda præuuntiae: ita, vt, qui c[redacted] sempiterna gloria [redacted] pestem rapiat. si autem Deo credam, [redacted] apud me salutem meam, omnium studiorũ conuersione in Deum, summo dolore ex flagitiorum, quæ suscepi, recordatione, atque singulari pietatis, castitatis, & caritatis studio contineri. Ergo, cum hanc fidem coluero, facile turbulenti hominis furorem, & amentiam contẽnam. Video enim, qui sint ij, quibus Deus se propitium fore confirmet, quibus splendorem eximiæ iustitiæ largiatur, quibus tandem cælum, & opes sempiternas ostendat. Non quidem vllo modo hominibus impudenti mendacio subnixis, non furentis hominis somnio delusis, non futili, & inani confidentia insolenter inflatis. quibus igitur? ijs, qui vere sunt a prauitate in pietatem conuersi; qui ad Christum supplices accedunt; qui dolent, & anguntur, esse eorum sceleribus Christi numen offensum; qui, etiam cũ lacrymis, veniam poscunt; qui denique omne studium ad Diuinã legem conferunt; totamq; vitam, postquã sunt a flagitio reuocati, in obedientia, quam debent menti Diuinæ, consumunt. Hi enim sunt, hi sunt, qui rite fidem obseruant. hos igitur tantum Christus sanguine suo emundat, & in cælestis patrimonij hereditate constituit. Didicit, inquit Paulus de Christo loquens, ex his, quæ passus est, obedientiam; & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, caussa salutis æternæ. Disciplina igitur illius institutus, beatos esse prædico, nõ qui, sensibus omnia metiẽtes, terrena concupiscũt; sed qui, cælestia contuentes, ad eorum cupiditatem exardescunt; eamq. viam tenent, quæ in cælum perducit. Beati enim immaculati, in via, qui ambulant in lege Domini. In eam igitur viam ingredi conabor. &, quia mihi imbecillitatis conscius sum, ad illum preces assiduas adhibebo, vt me numine suo corroboret, vt ita possim totum vitæ spatium, sine graui aliqua prolapsione conficere. Is enim est, qui dat lasso fortitudinem; & eos, qui nullas vires habent, multiplicato robore confirmat. Dicam igitur, Deduc me, Domine, in viam iudiciorum tuorum: quia ipsam volui. Et, Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, & confirma gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Vt autem omnia breui complectar, qui fide corroboratus est, primum quidem Deum credit esse mundi conditorem, & Dominum, omnia sempiterno imperio moderantem; deinde, illum omnia prouidere, & intueri, intimosq. etiam animi recessus inspicere; deinde, præmijs pietatem munerari, supplicijs scelus vlcisci; tum, generi humano ope, & gratia consulere; & eos, qui illi confidunt, ab interitu in vitam, & sempiternam dignitatem vindicare; deinde, esse vitæ nostræ ducem, viam, quæ ferat in cælum, aperientem; postremo, illum esse summum omnium bonorum, & extremum omniũ rerum expetendarum, cuius adspectu, atque fructu beatæ vitæ summa continetur. Illum igitur, vt parentem colit, vt Dominum veretur, vt testem reformidat, vt iudicem extimescit, vt liberatorem amat, vt ducem sequitur, vt vltimum bonorum omnium, & sitienter appetit, & incredibili ardore mentis inquirit. Dicit igitur, Sicut ceruus ardentissime sitit fontes aquarũ, sic anima mea te, Deus. Et toto corde meo exquisiui te. Nec fieri secus potest, quamdiu a fidei luce minime segregamur. si enim voluptates exquirimus; sentit profecto fides, nihil esse spiritu diuino iucundius: si opes expetimus, in illo sunt opes immensæ, quibus amicos suos magnificentissime locupletat; si honores & imperia concupiscimus; ille cunctos, qui illi adhærent, in regni sempiterni societatem cõuocat; si æternitatis cupiditate flagramus, & omnibus summis bonis expleri, æuoq. sempiterno eisdẽ frui cupimus; ille diuinitatem ijs, qui eum cum fide,

Isaiæ 58. Math. 5. Math. 38. Hebr. 5. Psal. 118. Ibidem. Psal. 24. Psal. 16. Psal. 41. Psal. 118.

fide, & pietate venerantur, se extremo tempore daturum pollicetur. Cum igitur natura simus, & bonorum omnium, & æternitatis appetentes; & fides aperte doceat, omnia vera, atque sempiterna bona esse in Dei bonitate sita; & ea, quæ sunt ab illius voluntate seiuncta, non bona esse, sed mala pestifera: sequitur, vt, qui fidem stabilem, & incorruptam conseruat, amore Diuini numinis inflammetur. Vnde concluditur, fidei vim in studio legis Diuinæ consistere. Hæc est illa salutaris fides, quæ Deum vocantem audit, consulentem respicit, præeuntem sequitur, munera liberalissime largientem amat, omnem denique vitæ, salutis, dignitatis rationem illi committit. Hæc deterret a vitijs, incitat ad virtutem, retrahit a turpitudine, incendit ad honestatem, erigit animum a rebus terrenis, & ad cælestia contuenda mentes exsuscitat. hæc est illa fides, quæ Deo placet, quæ iustitiæ compotes efficit, quæ præmia diuina consequitur; non illa, quam homo væsanus, atque turbulentus inculcat; cum ait, solam fidem ad salutem sufficere. Aut enim nobiscum sentiens, obedientia fidẽ definiat: & tunc nec lacrymas pias damnet, neque opera pia contemnat, neque studium religionis improbet; quando hæc omnia a Deo præscripta sunt, atque ad fidei summam referuntur. aut, si, his studijs seclusis, fide sola parari iustitiam putat; numquam eam persuasionem Christi fidem appellabo; sed præcipitẽ temeritatem, insolentem confidentiam, impudentem audaciam, immanem furorem, facinus exsecrandum. Sed, vt, omissa furentis hominis impudentia, ad veram fidei rationem reuertamur; nominis vis huius est memoria repetenda. Itaque Fides est firma, & constans mentis assensio, auctoritate dicentis excitata: Auctoritas autem, vt Platoni placet, tribus rebus efficitur, sapientia, beneuolentia, libertate. Tunc enim fidem adhibemus, cum existimamus, eũ, qui aliquid asseuerat, neque labi propter stultitiam; neque, quid vtile nobis sit, occultare propter odium; neque propter vllam timiditatem, quo minus verum nobis aperiat, impediri. Cũ igitur pro certo habemus, aliquem esse singulari bonorum intelligentia præditum, eiq. nostram salutem caram esse sentimus, neque de illius constantia dubitamus; tum demum ei rectissime vitam nostram committi arbitramur, illiusq. sententijs constanti animo parendum ducimus, a quo abest omnis vel erroris, & imperitiæ, vel fraudis, & iniuriæ, vel inconstantiæ, & imbecillitatis suspicio. Quod si ita est, cuius cõsilium capiemus? cuius sententiam sequemur? cui tandem credemus? est ne aliquid in vita, quod non sit infinitis erroribus implicatum, & atra quadam caligine circumfusum? poterit ne quidquam, simplex, & apertum, atque fideli beneuolentia munitum, in moribus hominum reperiri? Iam, de hominum inconstantia quid attinet dicere? alium enim offensionis metus, alium ignominiæ timor impedit, alium postremo mortis, aut doloris formido debilitat. Cum igitur omnes res humanæ sint erroris plenissimæ; cum frater etiam fratri pestem, atque perniciem machinetur; cum nihil sit hominum natura fragilius: quid amentius, & calamitosius, quam hominibus fidem adhibere, eorumque consilio, & sententia gubernari? Reliquum igitur est, vt soli Deo credamus; illumque inflammato studio sequamur; præceptisque illius obtemperemus. Solus enim & sapiens est, & immensa benignitate, & potentia infinita præditus; ita, vt nullo modo possit in illum cadere, vel temeritas, aut dementia, vel salutis nostræ negligentia, vel timiditas, & inconstantia. Nec potentia illius ad id tantum valet, vt credamus fieri non posse, vt is propter alicuius metum, vel gratiam verum celet; sed vt certissimum habeamus, illum suos Diuinis armis, atque sempiterno præsidio munire, &, quæ promisit magnificentissime, largiri facillime posse. Fides igitur laudabilis, atque prædicanda, ea tantum est, quæ Dei verbo nititur, atque confidit. Ad illud igitur accipiendum, est semper intenta, illud solum libenter audit; illud mente complectitur; illud memoria recondit; illo vitam gubernat; illius fiducia res arduas, atque difficiles fidenter aggreditur. Verbum autem Domini, non modo mentem illustrat, verum etiam voluntatem inflammat. mens enim veritatem concipit; voluntas autem verum bonũ menti penitus explicatum statim arripit. Cum enim, vt in principio diximus, iudicium semper voluntatem antecedat, eaque necessario iudicium consequatur: fieri necesse est, quoties mens non nutat, neque vacillat, neque quasi in biuio constituta hæret, & dubitat, quam potissimum viam ingrediatur; sed certum, & exploratum habet, quid sit expetendum, quid rursus fugiendum. [redacted]. In hac autem coniunctione mentis, & voluntatis, summi Philosophi sapientiam constituunt. siquidem tum demum lumen illius elucere censent; cum voluntas rectam rationem sequitur; neque ab illius præscriptione recedit. Cum vero voluntas cum mente non consentit; ibi furore, & amentia statum animi dissipari, diripi, & inflammari, omniaq. turbulentis erroribus perturbari, atque commisceri, prædicant. Eorum igitur sententia, summa sapientia rectæ rationis imperio continetur; summa vero insipientia in temerario cupiditatis dominatu consistit. Cum vero recta ratio constare non possit, nisi lumine diuinæ mentis illustretur; illiusq. præsidio contra cupiditatis impetum muniatur; illudq. cæleste lumen, atque præsidium, nemo sibi possit absque fide comparare:

re:

viua

re: relinquitur, eos tantum sapientes esse nominandos, qui cum fide viuunt; qui vero ab illa deseruntur, esse amentes, & furiosos, tenebrisq. densissimis obscuratos. Ergo, cũ [redacted] fides totũ animũ regit, & in verbi Diuini studiũ rapiat, consequens necessario est, vt non cernatur solum in credendo, sed etiam in obediendo. siquidem obedientia, ex firma mentis assensione nexa, & apta est, & cum illa magno quodam naturæ vinculo copulata. Vtrumque autem, a nobis Dei verbum, quod fides semper intuetur, efflagitat. Tunc igitur [redacted] perfecte fideles habendi sumus, cum Dei verbo audientes sumus. verbum autem Domini est lex illius sempiterna, quæ præscribit honesta, & a flagitio auocat, omnemque vitam salutaribus monitis temperat, atque moderatur. Ad huius nos cultum pactione adstrinximus, fidemq. sacramento confirmauimus; fœdereq. sanctissimo ipsi Diuinæ legi nos, omnesque vitæ nostræ rationes, addiximus. Cum igitur Dei legem transgredimur, fidem datam frangimus, & simul a Deo deficimus; atque salutem nostram prodimus; ita, vt merito infideles hac ratione appellari debeamus. Qui igitur Dei legem sequitur; illiusq. se ratione, & voluntate conformat, is recte fidei munere fungitur. Vt autem melius videamus, omne fidei studium in Diuina lege versari; operæpretium erit animaduertere, quo modo non modo sanctiones illæ sempiternæ, quæ ad veræ iustitiæ cultum referuntur, verum etiam ritus, atque cærimoniæ, quæ erant aduentu Christi delendæ, ad fidem sanciendam institutæ fuerint. Non igitur erit alienum, aliquot arcana legis, sacris inuoluta mysterijs, explicare, & paullo diligentius enodata contemplari. quod sequenti libro faciemus.

L HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER TERTIVS



T igitur hinc aliud dicẽdi initium faciamus, cum essent olim miserandæ tenebræ mortalium animis offusæ, omnesque nationes in summa caligine versarentur; cum ratio esset obscurata flagitijs, impedita sceleribus, & a voluntate diuinæ mentis auersa, & cum diuino iure hostili quodam odio dissidens; essetque veræ pietatis studium e terris exterminatum; omnesque mortales fere libidinis indomitæ vinculis alligati: vnus Abraham exstitit, quem neque hominum, cum quibus viuebat, improbitas, neque vllum humanæ consuetudinis exemplum, neque vlla vis libidinis, & cupiditatis a fidei studio dimoueret, & a contento pietatis cursu retardaret. In illo igitur diuinum quoddam fidei lumen, priscis illis temporibus Gen. 12. mirabiliter eluxit. Vbi enim primum a Deo audiuit, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & vade in terram, quam monstrauero tibi: nullã moram interposuit, quin omnes sensus humanos opprimeret; & diuinam præscriptionem iudicio suo longe anteferret. O vim fidei admirandam, quæ sic sensum omnẽ repudiat, vt sanguinis etiam cõmunionem, & iuris humani necessitudinem, domesticorũ conuictum, & omnẽ denique vitæ iucunditatem contemnat, atque pro nihilo putet. Quid enim est in vita, patria dulcius? quid propinquorum consuetudine, & familiaritate iucundius? quid benignitate parentum amabilius? Quid contra, exsilio grauius, aut odiosius? in illo namque extorris domo, patria, penatibus, cum & amicis destitutus, & agnatorũ conuictu priuatus sis; consequens est, vt neque firmas opes te habiturum confidas, ad vitæ cultum; neque fideles amicos, ad animi securitatẽ; neque vlla denique oblectamenta, quibus animum curis distentum a labore reficias. Vt autẽ nihil aliud sit, quod angat animum, ipsum certe carere patrio solo, in quo orti, & educati sumus, per se satis molestũ est. Mirã enim inseuit omnibus nobis natura patriæ caritatem, ita, vt vix aliquid esse possit homini in alienis terris degenti iucundum. Abrahã vero, cũ iam septuaginta quinque annos haberet, essetq. singulari prudentia, nullisq. incommodis, quod ex sacra historia constet, in patria premeretur; patriã, cognatos, amicos, opes, & possessiones, & omnia denique, quæ sunt in vita cara, atque periucunda, pro quibus parandis, tuendis, amplificandis homines vitam periculis infinitis exponunt, & obijciunt, confestim reliquit: cur, nisi vt illum sequeretur, qui omnibus ijs, qui cunctas humanas opes illius caussa neglexerint, vitæ sempiternæ præmium proponit? Huius igitur amplissimi promissi fide, Christi discipulus effectus est; & animo soluto, & expedito, nullisque terrenis affectibus implicato, omnia, quæ videbat, repente contempsit, vt spem earum rerum, quas minime videbat, incredibili mentis altitudine sequeretur. Itaque possessum patrimonium, cum eo, quod expectabat, facile commutauit, & pro præsentibus futura, pro terrenis cælestia, pro fluxis æterna, pro exiguis summa, atque diuina bona, quæ sperabat, singulari fide complexus est. Fidei autem diuinam vim in hoc alto, & excelso viro, quod fidei singulare quoddam specimen habemus, attente considera. A suis enim, a complexu patriæ, atque, vt ita dicam, a se ipso diuulsus, sibique diffidens, omne vitæ gubernaculum Deo tradidit; illique soli salutem, & dignitatem suam commisit. Numquam igitur, aut iter suscepit, aut tentoria collocauit, aut sedem commutauit, aut locum quieti delegit, aut aliquid denique designauit, in quo non semper in diuinam mentem respiceret; & de illius sententia omnia vitæ consilia caperet; omnemque viuendi rationem ad voluntatem illius dirigeret. Erat itaque semper illius mens erecta ad audiendum, animus alacer, & expeditus ad exsequendum, quidquid sibi fuisset a Deo imperatum. sic autem erat fide stabilitus, vt omnia humana contemneret, & diuina tantum ardentissime concupisceret. Numquã igitur illum vel secundæ res extulerunt, vel aduersæ deiecerunt. numquã vlla tempestate potuit, aut sui officij, & muneris obliuisci; aut ab instituto cursu deduci. Hac igitur fide, in eã Dei amicitiã peruenit, vt in illius etiã summi, atque sapientissimi Domini consilium, tamquã secretorum omnium cõscius, atque cõsiliorũ particeps, adhiberetur. In hoc igitur viro voluit olim Spiritus sanctus, singularẽ fidei formam depingere, & diuinis illustrare luminibus; vt, in eã intuẽtes, vitamq. nostram ad illius imaginẽ effingẽtes, in eius sobole censeremur, atque tandẽ eiusdẽ gloriæ, sempiterniq. patri-

monij

monij hereditatē cerneremus. Nō enim refert, quod ad diuinum iudicium attinet, quo genere ortus sis; sed cuius exēplum sequare, cuius vestigijs insistas, cuius te similitudine conformes. Non multum interest, cuius speciē corpore referas; sed cuius vitam, & actiones imitere. Nā, cum patris opus sit, similem sibi speciem forma re; magis est pater appellandus is, qui, claro virtutis exemplo, multos incendit ad virtutis studium; & ita sui specimen in eorum animis, qui illum sequuntur, ingenerat; quam qui gignit filios sibi corporis specie similes, moribus autem, & vita dissimillimos. Sic fit igitur, vt omnes, qui simili fide vitam instituunt, ipsius Abrahami filij numerentur; & eiusdem dignitatis, & amplitudinis, & æternitatis consortes exsistant. Nā & fide se ipsos a rebus humanis disiungunt; & ad ductum & imperium, diuini spiritus adiungunt; & omnem vitam ad illius præscriptionē dirigunt; & hac ratione, & iustitiæ splēdorem, & gloriæ claritatem adipiscuntur. Sic igitur euenit, vt, qui Abrahami vestigia sequitur, & filius illius sit, & omnium bonorum, quæ ille adeptus est, similiter hereditatē adeat. Fuit tamen commodum, cum Deus illi futurum ostēderet, vt ex eius stirpe nasceretur is, qui erat genus humanum liberaturus, & in communi rerum omnium vastitate, fidei reliquiæ essent apud posteritatem illius constituendæ; vt natio illa esset insigni aliquo distincta, quo posset a reliquis internosci, vt tantæ promissionis veritas comprobari posset, & genus illud impressi cuiusdā signi admonitu, ad memoriā sanctissimi parentis excitari. Vt igitur Deus præcipua quadam religione gentem illam vniuersam obstringeret, quæ erat sanctissimi illius viri semi- *Gen. 17.* ne propaganda; fœdus cū illo percussit. Fœdus, inquit, meum interponā inter me, & te; & multiplicabo te vehementissime. Fœdere illo innumerabilem sobolē viro sanctissimo pactus est, ita, vt non modo eorum parens haberetur, & esset, qui erant illius sanguine procreandi; sed illorum etiam, quos exemplo fidei erat ad similem sanctitatis excellentiam propagaturus. Eandemq. statim sententiam repetens, ait, En ego feriam tecum fœdus, erisq. pater multarum gentium. Vtq. promissio illa, nomine etiā sacraretur, & omni ex parte clarior fieret, nomen illi mutauit. Antea namq. appellatus fuit Abram, id est pater excelsus; tunc vero Abraham, quod nomen patrem multarum gentium significat. Nec vltra, inquit, vocaberis Abram, sed Abraham. Rationem autem noui nominis statim apponit: quia patrem, inquit, multarum gentium constitui te; propagaboque te vehementissime; erisq. multarum gentium pater; & reges ex te orientur. Non magnum erat, neque Dei magnificentia dignum promissum, si hoc tantum ostendit homini diuino, quem summis ornamentis illustrare statuebat; futurū, vt gens innumerabilis, flagitijs tamen infamis, & cōmuni exitio destinata, ex eo nasceretur; aut reges, libidinum serui, atque cupiditatum mancipia, ex stirpe illius exsisterent. Nam ex impiorum semine sæpenumero incredibilis exoritur hominum multitudo; & reges, ad hominū opinionē maximi, atque summis opibus præditi, ex illis prodeunt, qui, per scelus, ad summas opes perueniunt. Cū igitur nouum, præstans, & eximiū præmium egregiæ summi illius viri fidei, atque sanctitati tribuere statuit, cuius beneficij magnitudo, propter illius excellentiam, erat insolito quodam fœdere sancienda, omniq. religione consecranda; non tu mihi communem cum impijs, & scelestis hominibus, sobolis gignendæ rationem cōsideres; neque regiam illam dignitatem ad insanæ multitudinis opinionē accommodes. Quid enim? parū ne magna soboles fuit orta ex hominibus flagitiosis, & impijs? nū Chaldæi, nū Persæ, pauci fuerunt? num earū gentiū, quarū impetu fuit Hebræorū genus afflictum, atque tandē, quasi quadam eluuione deletum, exigua multitudo fuit? num reges ex Abrahami stirpe editi, fuerunt cum Assyriorum, aut Persarum, aut Romanorū opibus, & potentia conferēdi? Nulla igitur caussa erat, cur Deus cū egregio amico suo pactionem tanta religione faceret, si multo etiā minus erat ei collaturus, quā Romulo contulit, homini impuro, & fraterna cæde inquinato; cuius tamen genus orbi terrarū iugum imposuit. Illuc igitur promissum spectabat, vt intelligeretur futurum, quod postea tandem exitu comprobatū fuit. Innumerabilis enim hominū multitudo sese ad illius imitationem contulit, similiq. fide Deum venerata est, eiusdemq. iustitiæ hereditatem, & patrimoniū consecuta, in eadem gloria cum generis principe, & auctore viguit, ad regiæ dignitatis amplitudinem mirabiliter excitata. Quamuis autem omnes, qui ex hac stirpe sanctissima, non sanguinis propagatione, sed fidei similitudine generati sint, regia sint virtute præditi; illi tamen præcipue regio nomine digni sunt, quorū iustitia clarius enitescit. Non enim solum rex habendus est Dauid, neque solum Iosaphat, aut Ezechias, aut Iosias, aut reliqui simili laude florentes, qui Iudæos iuste rexerunt, reges habendi sunt; sed omnes, in quibus eadem regia virtus excelluit; qui omnes ad Abrahami genus pertinent. Tyranni vero non modo reges habēdi non sunt; sed omnium seruorum contemptissimi. Huc igitur illud fœdus pertinebat, vt firmaret fidē illius promissi, quod pollicitus fuerat, illum ex Abrahamo oriundum, cuius spiritu, & numine, erat ingens multitudo per fidē e tenebris eripienda, & in hereditatis diuinæ possessione collocanda, & regijs etiā muneribus illustranda. Fœdus igitur & institutam fidem designabat, & fide feriebatur, & ad absolutā Christi fidem piorum animos excitabat. Fidei autem vim illo fœdere contentam intelligimus, cum adiungit Dominus; Et statuā pactū meum inter me, & te; & semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus

tuus, & seminis tui post te. Hinc certe satis liquet, omnem fœderis pactionem ad fidem dirigi. Illud enim est nobis Deus, quod maxime intuemur, quod eximie diligimus, in quo vitæ præsidia collocamus. Vnde fit, vt aliorum quidem Deus venter sit, qui beatæ vitæ summam in inglnuie ponunt; aliorum autem venerea voluptas: rum alij pecuniam, alij denique inanes honores, & vana imperia, vt numina, venerantur. Quidquid illud est denique, quod summum bonum esse statuis, quod ardentissime cupis, quod studiosissime consectaris, in quo beatæ vitæ rationem ponis; id tibi Deus est. Quamuis igitur Deus omuia numine sempiterno contineat, illorum tamen præcipue dicitur Deus, qui credunt illum summum esse omnium bonorum, eaq. de caussa in illum inflãmatis animis rapiuntur. Ergo, cum hoc sit fidei munus, in Deum solum, vt in summum bonum, respicere, illiusq. tantum præsidio niti, illiusque studio vehementer incendi; constat certe, fœdus illud, ad hoc vnum muuus sacrandum, ictum fuisse; & omnem illius fœderis rationem, in fide consistere. Hac autem de caussa illud fœdus sempiternum appellat, quod fides non in res fluxas, & interituras, sed in Dei clementiam, & bonitatem, & præmia sempiterna respiciat. Quoties igitur in sanctis libris, fit fœderis sempiterni mentio; toties fidei sempiternæ vim, atque sanctitatem considera; fructumq. illum fœderis mẽte recolito, quo Deus nobis suum patrocinium, atque tutelam paciscitur, nostramq. nos illi fidem eadẽ pactione deuinximus. sic fit, vt nos in populo illius numeremur; & ipse Deus noster, præcipua quadã instirui fœderis ratione, nominetur. vt tamen illius pactionis monumentum aliquod posteritati traderet, & illam gentem a reliquis, signo impresso, secerneret; præcepit Abrahamo, vt se, deinde omnes domesticos circũcideret, legemq. sanxit, vt idem in omni infanti masculo, qui deinceps ex illius stirpe gigneretur, octauo ab ortu die, fieret. Vt autem appareat, non circumcisionem, sed fidem fœdere illo fuisse sancitam; circũcisionem vero adhibitam, vt fidẽ ipsam signaret, adiungit; Vt sit in signum fœderis inter me, & vos. Hac autẽ de caussa grauiter cõminatus est his, quorum præputia circumcisa minime fuissent. Mas, inquit, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, excidetur illius anima e populo suo. In quo quidem loco, omnibus excisionẽ, & interitum, deuuntiatũ cernimus, qui fide vacui fuerint. Fuit igitur circumcisione designata fides, & illius fidei monumentum, quæ summam Abrahamo dignitatem peperit, ad posteritatis memoriam consecratum; vt, quoties illius posteri se eo signo impressos animaduerterent, toties illis in mentẽ patriæ sanctitatis, atque virtutis veniret. Quam apte vero circumcisio sit instituta, ad significandam fidem; multis rationibus cerni potest. Primum enim, cum fides in resecanda libidine, & temeritate coercenda, & cõprimenda cernatur, aptissime designarur, aliquid ex ea corporis parte resecando, quæ maxime rebellis, & cõtumax est in rationem. Deinde congruum fuit, vt in ea potissimũ parte esset fidei monumentũ incisum, in qua primũ fuerat signũ rebellionis animaduersum. Cum enim primum nostri generis Gen. 3.
principes a Deo desecerunt; statim in pœnã illius rebellionis, atque perfidiæ, eas partes contra rationis imperiũ turpirer agitari senserũt. Postremo, quemadmodũ, naturę vitiatæ, atque corruptæ, propagatione, parentũ labes fuit ad vniuersam posteritatẽ transfusa; ita fidei propagatione erat Diuina gratia ad eos deriuanda, qui erant per Christi spiritũ fide procreandi. Fuit igitur consentaneũ, vt, huius sanctæ gẽtis, atque seminis significandi gratia, sacraretur illa pars corporis, quæ procreationis caussa viris omnibus afficta est. Hæc, & alia multa sunt, e quibus intelligitur, quã apte sit instituta circũcisio, ad fidẽ adumbrandã. Esse autẽ circũcisionẽ fidei signum, Moses in primis explicat,
cum ait; Circũcidite præputia cordis vestri. &; Deut. 16.
quasi exponens, qualis sit ista circũcisio, continuo adiungit, Et ceruicem vestrã ne induretis amplius. Vnde colligitur, rã præputij nomine, quã duræ ceruicis appellatione, rebellis animi perfidiã declarari: ex quo perspicitur, circũcisione denotari obedientiã. Hanc autẽ fidei obedientiã esse, magna ex parte, ad beneficiũ diui-
nũ referendã, docet alibi, dicẽs; Circũcidet Do- Deut. 30.
minus Deus tuus cor tuũ, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo, & ex tota anima tua, & ita viuas. Alibi ve- Leuit. 26.
ro, cum futuram Hebræorum perfidiam ostenderet; & eas clades, quibus erant opprimendi, prædiceret; adiecit, tandem fore, vt eorum mẽs
incircumcisa victa plagis erubesceret. Iere- Ierem. 4.
mias item, Circumcidimini, inquit, Domino. Quasi dicat, non est ista circumcisio, quæ corpus, non mentem, ab impura hominum natione discriminat; ea, quam Deus in vobis requirit; sed illa potius, quæ animũ Deo subdit. Hæc autem est fides, quæ resecat libidinem, quæ circumcidit impuritatem, quæ purgat animum, omnemq. illius rebellionem coercet, & comprimit. Non igitur, qui pelliculã amputant; sed, qui cum fide viuunt, Domino circũciduntur.
Vnde idem Propheta, in eorũ, quos arguit, per- Ierem. 9.
fidiam inuectus, ait eos incircũcisum cor gere-
re. Alibi item, incircumcisas aures illis esse con- Ierem. 6.
queritur. Ex his autẽ locis, satis liquet, in quo uis illius fœderis consistebat: in fide nẽpe. Hæc enim, non corpus, sed mentẽ ab impiorum com-
munione discernit. Hæc est illa circũcisio, quã Rom. 2.
Paulus dicit, nõ scripto, sed diuino spiritu cõtineri; quæ non humanã laudẽ, inani quodam studio adumbratæ sanctitatis aucupatur: sed veram ex Deo gloriam excellenti, atque diuina
virtute consequitur. Idẽ Paulus, ad Philippẽses Philip. 3.
scribẽs, eos admonet, vt caueãt cõcisionẽ, sic enim appellat Iudęos. Elegãti enim nominis immutatione,

mutatione, miseram gentem vituperat, quæ in corporis circumcisione gloriabatur; cum mentem, non fide circumcisam, vt par erat, sed mortiferis perfidiæ vulneribus fœde concisam gereret. Adiungit deinde, Nos sumus circumcisio, qui spiritu Deo seruimus, & gloriamur in Christo I E S V, & carni minime confidimus. Si igitur circumcisio est libidinis excisio, & carnis, hoc est effrenatæ cupiditatis, amputatio; si nihil aliud significat, nisi a corpore disiunctionem; satis constat, omnem illam fœderis religionem, qua Deus cum Abrahamo fœdus percussit, ad sanciendam fidem fuisse institutam. Et, si circumcisio fuit, ad internoscendam viri illius sanctissimi posteritatem a reliquis gentibus, adhibita; perspicuum est, omnes, qui vere circumcisi sunt, id est quorum animos fides facit insignes, esse in Abrahami filijs numerandos. Et, si filij sunt, eadem omnino præmia fidei illius constituta, quasi legitimam hereditatem cernent. Hactenus de circumcisionis fœdere: nunc ad legis fœdus, atque sacra veniamus; e quibus aliqua tantum commemorabimus. nã omnia persequi esset infinitum. Primum igitur, cum Deus Mosen in Aegyptum mittere statuisset, eum iam in fidei studiũ valde progressum, multo amplioribus ornamentis illustrauit, & ad cognitionẽ Christi longe clariorem perduxit. Opus enim erat, cum ad tantum munus efficiendum eligeretur, vt nõ modo gratiæ diuinæ confideret; sed etiam illum gratiæ auctorem, cuius imaginem gerebat, mente, atque cogitatione comprehenderet. Cum ergo Deus illũ impelleret, & incitatet, ad Hebræum populnm, ex immani Aegyptiorum tyrannide liberandum, eumq. vindicem libertatis, repressorẽ iniuriæ, auctorem salutis, & principem denique, atque rectorem populi sui constitueret; multis signis illum admonuit exempli, quod intueri, in quo mentem omnem defigere, quod omni studio imitari conueniebat; modo vellet pro dignitate sibi commissum munus administrare.

Exod. 4.

Præcepit igitur ei, vt virgam, quam tenebat manu, in terram proijceret: quo facto, virga repente, in colubri faciem versa, Mosen ipsum adspectu perterruit, atque fugauit. Sed a Deo reuocatus, & confirmatus, cum colubrum cauda comprehenderet, vt fuerat sibi a Deo præceptũ; sensit statim virgam, exsuta colubri forma, ad pristinã figurã redijsse. Hæc portenta, atque prodigia, nũ temere, atque sine caussa, a sapientissimo illo rerum domino, in rebus tanto studio ab illo procuratis edita fuisse dicemns? minime vero. nec enim conuenit illi summæ, atque sempiternæ sapientiæ, ea signa edere, quæ non maximarum, atque optimarũ rerum significatiouẽ in se ipsa contineant. Virga autẽ est insigne regium. significat enim summum, & inflexibile recti studium, omni gratia, quasi fronde, spoliatũ; & exactam iustitiæ normam, ad quam sunt omnes controuersiæ dirigendæ. Vnde Reges olim sceptrũ gestare soliti sunt, vt ostenderent, officium suum esse, neque gratię quidquam, neque offensioni tribuere; sed sine vlla perturbatione, quidquid esset in hominum moribus, & contractibus obliquum, ad recti rationem, & iuris ordinem reuocare. Inde fit, vt in sacris litteris, hoc siue virgæ, siue sceptri nomen, ad regiam iurisdictionem significandam, positum esse videamus.

Psal. 2.
Psal. 44.

Quale est illud, Reges eos virga ferrea, & virga directionis, virga regni tui. Coluber vero peccatũ designat. est enim tortuosum, lubricum, & infestum, omni serpente truculentius, & immanius; atq. mortifero veneno, eos, qnos morsu, & afflatu vehementius inficit, interimens. Vnde Solomon præcipit, vt peccatum, quasi venenatum serpentem, fugiamus. Iccirco etiã Satanas, cum primos homines in peccatum impulit, serpẽtis imaginẽ tulit. Quid aliud est igitur sceptrum in terram proiectum, & in serpentis speciem subito conuersum, quã Christi Regis sempiterni maiestas, & imperium, in terras ad hominum salutem delapsum, & in habitu naturæ, peccatis obnoxiæ, delitescens? Cũ enim nullum in se peccatum admittere omnino potuisset; gessit tamen formam hominis peccato affinis; cum omnes dolores, ærumnas, contumelias, & omnes denique pœnas, in hac vita peccatis constitutas, sponte sua suscepit, atque subiuit. Quid Mosis fuga, nisi crucis offensionem, significat; quæ Iudæos, mente in terra defixos, sic alienauit a Christo, vt in fugam verteret? Regem enim exspectabant florentem opibus, bellicæ laudis gloria pręstantem, suos terrenis diuitijs large, atque magnifice locupletantem, omnibusq. rebus ad vitæ cultum, & elegantiam conuenientibus mirabiliter affluentem; Christum vero cernebant, inopem, & egentẽ, laboribus eximijs confectum, summis doloribus excruciatum, atque tandem, quasi impurum, & maleficum hominem, in crucem sublatum, & exstinctum. Illa vero confirmatio animi, qua Moses serpentis caudam apprehendit, Hebræi populi conuersionem, atque fidem vltimis temporibus futurã præmonstrabat. Tunc enim Dei voce a perfidiæ scelere reuocatus, ad Christũ, quem modo impie fugit, mentis adspectũ referet; nec tam in illo serpentinæ speciei deformitatem, quam regij scepteri dignitatem intuebitur, illũq. fide, & sanctitate venerabitur.

Rom. 8.

Vt igitur Moses intelligeret, se non propria virtute, sed numine illius, qui per similitudinem carnis peccati, (sic enim Paulus appellat Christi corpus infirmũ, & laboribus immẽsis obiectũ) erat humanũ genns in libertatẽ vindicaturus; fuit illo signo instructus ad clariorem Christi intelligentiã; atque vt simul mente conciperet imaginem illius, cuius se similitudine, & exemplo conformaret.

Exod. 4.

Alterum vero signum non minus admirandum subsecutum fuit. nam, cum Moses Dei iussn manũ in sinũ immissam educeret, eã vidit lepra totã infectã; cumq. rursus in sinũ missam extraheret, nullum in ea lepræ vestigiũ animaduertit. Hic rursus, quid aliud, quam

admirabilē fidei vim, & efficaciam intuemur? Nam, cum se homo colligit, vt se ipsum excutiat, atque diligenter examinet, vt videat, ecquid habeat in se laude dignū; nihil aliud inspicit, quā lepram, hoc est animū scelere pollutū, atque pestilenti tabe confectū. Cum rursus, ad se reuersus, Christi fide nititur, lepræq. deformitate perturbatus, lepræ medicinā quærit, & spiritui, interne mentē ad officium vocanti, se obedientē præbet; sanitatē repente recipit, operaq. sancta, & sempiterna laude digna molitur. De tertio vero signo qnid dicendum? contactu enim virgæ, aquæ in sanguinem versæ sunt; ad significandā diuinæ vindictæ seueritatem, contra eorū infidelitatem, qui, animis in flagitijs, & sceleribus obfirmatis, & obstinatis, iussis diuinis obsistunt. Exod. 7. Quid, cum in Pharaonis conspectu, eadem virga in serpentis formam mutata, maleficorum serpentes confecit, atque consumpsit? in quo plane significatum est, futurū, vt Christus iu similitudine carnis peccati, omnia peccata exstingueret, atque deleret. Quid, cum aquas corrupit, ranas obduxit, insectorum aculeos immisit, immanes feras incitauit? Quid, cum pecorum, atque iumentorum strages edidit, humana corpora vlceribus percussit, & ardore pestilenti misetos homines inflammauit? Quid, cum tonitrua, fulgura, fulmina, in cælo concitauit; cum grandine, fruges, & agros vastauit; cum denique locustarum infinita multitudine, quidquid reliquum fuit viriditatis, in agris absumpsit? Quid, cnm lucem eripuit, noctem offudit, &, cum fideles iucundissima luce fruerentur, infidelium oculos, tætris tenebris, & horrenda caligine demersit? Quid, cum omnes Aegyptiorū liberos natu maximos interemit, omnemq. regionem fletu, lamentis, eiulatu, plangore compleuit? Num parū liquet, ijs omnibus signis declarari, quanta sint in rerum omnium exitio luce circumfusi, quantisq. bonis affluant animi fide stabiliti; quanta rursus, atque quam dira supplicia eos maneant, qui fidem abijciunt? Exod. 12. Quod quidem vel maxime Paschæ mysterium declarauit. nam, cum iam Hebræis instaret iter, & appropinquaret tempus, quo erant ex Aegypto migraturi, quælibet domus agnum, quem in eū vsum Dei iussu pararat, post solis occasum mactat; sanguine illius limen ostij superum, atque postes intingit; illumq. assandum curat; herbas agrestes, & amaras adhibet; panes azimos apponit; instructo epulo quisq. paterfamilias cum suis accumbit. Omnes festinanter edere, & toto corporis habitu, quanta propere demigrandi necessitate premerentur, aperte significare. Erant enim calceati, atque præcincti; & baculos manu tenebant; vt nihil eis longius esse videretur, quā, absumptis dapibus, omnem ad proficiscendum celeritatem confestim suscipere. itaque Agnū vorant potius, quam comedunt; ossa, quæ quidem nefas erat frangere, & carnium sacratum reliquias, flammis adolent, atque consumunt.

His ita rite peractis, cum omnia ad iter necessaria, cum incredibili festinatione pararent, & tamen se adhuc intra domesticos parietes continerent; ecce tibi angelus media nocte a Deo missus incitatur, inuadit, cædem facit maximā, & in alios quidem micantem gladium vibrat; alios vero pauore nimio concussos exanimat. cruentum tamen mucronem, ab ædibus, quarum aditus cernit agni sanguine adspersos, sedulo continet; in alias omnes ingenti cædē grassatur, Aegyptiorumq. filios natu maximos interficit, & cuncta tandē lamentis, eiulatibus, & confuso omniū clamore cōturbat. Tunc igitur demum Rex impius, qui imperium Domini cōtemnebat, animos demisit: tunc omnis illius ferocitas, atque pertinacia compressa est. tunc Aegyptij malis edocti diuinū numen exhorrēt: tunc iter, quod omni conatu impediebant, absolutū cupiunt. Hebræis instant, & ab illis omni ratione contendunt, vt statim demigrent. Fuit igitur illa nocte fidelium libertas, cum magna infidelium peste, atque pernicie constituta. Illud autem sacrum nocte illa celebratū, fuit appellatum Pascha. פסח enim Hebræum, idem est, quod transitus. Fuit autem sic appellatum, vel quod nocte illa angelus per Aegyptiorū domos districto gladio transiret, & transeundo Hebræos conseruaret; vel quod ea nocte erant cūcti Hebræi, Deo duce, e tenebris, & durissima seruitute, in lucem, atque libertatem transituri. Hanc noctem voluit Deus singulis annis sollemni ritu consecrari, ne numquam elaberetur ex animis hominū tam clarū præsentissimi numinis beneficium; & simul, vt eorū animos paullatim ad maiorum rerum intelligentiam erudiret. Duo namq. sunt munera fidei, in duo tēpora distributa. vnum est, actio gratiarum; alterum vero, orationis, & precationis studium, cū spe firma coniunctum. Nam & præterita beneficia recordari conuenit, & futuris egregie confidere. Quicumq. enim sunt immemores beneficij, ingrati certe sunt. ingrati vero animi scelus est, omnē perfidiæ immanitatem cōplexum. Qui vero in futurum tempus diuinæ promissioni diffidit, is certe aut Deū immensa potestate spoliat, aut immensa benignitate. Quoquo igitur modo diuina promissa in dubium vocet, est immani perfidiæ scelere alligatus. Vnde Paulus, cum gentium infidelitatem expli- Rom. 1. caret, ait, eas, cum Deum cognouissent, non illi, vt Deo, gloriam detulisse, aut gratias egisse. Gloriam Deo tribuimus, & illius nomini debitos honores instituimus, cum de illius vel potentia, vel fide minime dubitamus. Gratias autem agimus, cum assidue beneficia, quæ accepimus, in memoriam reuocamus; & omnem vitā in laude diuina consumimus. Quocirca Dauid, ne se aliqua ex parte scelere cōtaminaret, mentem suam excitabat, dicens; Lauda, anima mea, Dominū, & beneficia illius numquam obli- Psal. 145. uiscaris. Vt igitur Dominus populū, quem fide instruebat, fidei religione deuinctum in officio

conti-

contineret, & ad maiorum rerum fidem instrueret, dies festos quotannis institui, & agitari voluit; in quibus omnia illa, quæ tunc facta fuerant, agerentur. Sanxit enim, vt, anno vertente, & eadem illa nocte, vt ita dicam, redeunte, agnus in ædibus singulis immolaretur; postes, & limina, simili ratione agni sanguine tingerentur; epulum eadem religione fieret; septem continuis diebus, panibus fermentatis vesci non liceret. Istud, inquit, sollemne instaurabitis ritu sempiterno. Erant igitur illis omnia statis temporibus eadem cærimonia renouanda; vt, cum non tā verbis exponerentur, quam rebus agerentur, esset beneficij illius memoria, eorum animis infixa; & simul illa primum disciplina teneros filiorum animos imbuerent, vt, cum ætate paullatim instituta, pietas adolesceret, atque, tandem corroborata, ad perfectionem perueniret. Cum quæsierint, inquit, de vobis filij vestri, quænam sit ista religio? dicetis, Victima transitus Domini est, qui transiuit per domos Israelis, cū Aegyptiis exitium; nobis autem salutem contulit.

Exod. 13.

Alibi inquit Moses, narrabisq. filio tuo die illo, quæ Dominus in te contulerit; & erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, vt lex Domini sit semper in ore tuo. His, & aliis quam plurimis testimoniis, quæ referre minime necesse est, liquido constat, hoc sacrum muneris illius colendi gratia, institutum fuisse, quod positum esse diximus in gratia tribuenda. Est autem hoc gratissimum Domino sacrificium.

Psal. 49.

Sacrificium, inquit, laudis honorabit me. quod quidem primum fidei officium esse diximus. Quid de altero e duobus fidei muneribus dicendum? numquid Pascha illud patrum animos excitabat, ad futuræ salutis spem? numquid ad notitiam Diuinæ in nos gratiæ, patrum animos instruebat? Quid enim magis mentes erigeret, & ad Christi cognitionem temporibus illis adduceret, excogitari vix potest. Agni enim sanguis, liminibus adspersus, qui sæuientem gladium ab ædibus fidelium arcebat, Christi sanguinem pro salute omnium profusum significabat, quo omnes peccatorum sordes eluuntur; cæli templa aperiuntur; animi sempiternam dignitatem consequuntur. Is enim, vt nos a communi generis humani ruina, atque vastitate defenderet, & cum patre, a quo dissidebamus, in gratiam reduceret; se mediū inter infensum nostro sceleri numen, & nos ipsos interposuit; diuinæ seueritatis tela in homines intenta, vnus pro vniuersis excepit; sanguineq. suo omne humanum nefas exstinxit; atque nos cum Deo, cuius legē oppugnabamus, miro amore coniunxit. Porro autem agni carnes non aquis elixæ, sed ardentibus prunis assæ, designabant, in Christo nihil esse mollitia languens, & fluidum, sed constans potius animorum pabulum, ardore eximio caritatis incensum, atque diuina virtute corroboratum, ad animos nutriendos, cælestiq. præsidio confirmandos. Erant autem cum celeritate comedendæ, vt doceremur, omnem in Christi cultu, & imitatione lentitudinem esse, quasi quandam animi labem, & maculam, fugiendam. signum enim est, non adesse firmam fidem, cum animus non incenditur epularum cælestium cupiditate. Non incendi autem nos Christi cupiditate, satis apparet, cum lente, & negligenter aliquid gerimus, quod ad cultum illius, & salutem nostram pertineat. Est igitur Christi corpus inflammatis animis comedendum, atque ardentissima cupiditate vorandum, & intimis animi visceribus condendum, vt in illius naturæ similitudinem rapiamur. Ossa nefas erat conterere, vt esset testatum, posse quidem Christum mortem oppetere, non posse autem virtutem illius, atque robur infringi. erant ossa cum reliquiis in ignem coniicienda, nihilque in posterum diem reseruandum, vt videremus, ea, quæ mente capere nequimus, eo quod intelligentiam nostram superent, esse fidei flammis, & incendio, committenda; nec vllo modo dubitandum, quin insit in illis sanctissimum aliquod sapientiæ diuinæ mysterium, aut a prudentioribus iam ratione perceptum, aut certe opportunis temporibus enuntiandum; & simul intelligeremus, non esse tutum, aliquid, quod ad veram animi sanctitatem pertineat, differre; atque procrastinare. Azimi panes, animi innocentiam, & integritatem; septem continui dies, quibus vesci fermento nefas erat, perpetuę vitæ cursum, ab omni criminis contagio purum, conseruandum esse demonstrabant. Non enim vno, aut altero die, sed toto vitæ spatio, quod numero septenario non incommoda ratione designatur, peccati labes vitanda est, si volumus partam libertatem perpetuo retinere. Herbarum agrestis amaritudo, est dolor ex flagitiorum recordatione susceptus. Calcei induti, vestes accinctæ, & reliquus itineris confestim ineundi apparatus, & susceptæ in epulo celeritates, docebant, nihil esse in re tanta cunctandum, nihil de die in diem differendum, sed omnem nobis celeritatem adhibendam, vt peccati fines relinquamus; & hostis immanissimi, nos pertinaciter insequentis, sæuitiam fugiamus; & contento studio, & cursu, ad felicissimam iustitiæ hereditatem, & amplissimum sanctitatis patrimonium properemus. Ergo, cum sollemne illud sacrum, tanta cærimonia quotannis instauratum, non modo imprimeret in animis accepti beneficij memoriā, verum etiam mentes incenderet ad beneficij multo amplioris exspectationem, quod erat nō Mosis, sed Christi opera conferendum, & omne fidei munus in perceptis bonis animo recolendis, atque pertractandis, & in futuris firma spe, & alta mente percipiendis versetur, vt de præteritis gratias agat, &, de futuris egregie confidendo, debitā gloriam Deo tribuat; quis non penitus animaduertit, quanta in eo sacro fidei disciplina constiterit? Sed, si cupis ipsius

fidei

fidei vim, & officium clarius intueri, constitue tibi ante oculos gentem illam e terræ fertilissimæ finibus, in qua multos annos sedes, atque domicilia non incommode habuerat, egressam, in eam regionem cursu contendere, quam penitus, qualis esset, ignorabat; sed tantum audierat, illam ab innumerabili gentium multitudine, eaque fera, & truculenta, magnisq. viribus prædita, & opibus summis instructa, multis ante sæculis occupatam. Properabant igitur Hebræi ad eam gentem armis expellēdam, quæ erat multitudine inumerabilis, viribus immanis, vsu bellandi satis robusta; cum ipsi, propter seruiendi diuturnitatem, nec animis, nec armis, nec vsu valerent, nec aliquid per se confideter aggredi vlla ratione possent. Non igitur quidquam aliud, quam spem diuina promissione nixam sequebantur; eaq. freti, sese itineri minime titubanter, & timide commiserūt. itaque, cum iter facerent per incultam, atque vastam regionem, in qua nūquam fortasse fuerat hominis vestigiū impressum, ad nubis præeuntis se ductum applicabant, quæ multiplici fructu, & vtilitate, spiritus Diuini præsentiam facile declarabat. Die namque, solis ardorem interpositu suo temperabat; nocte vero, lumen clarissimum præferebat. Hanc igitur nubē intuebantur; illam sequebantur; ad illius motum, quem non naturæ vis, neque fortunæ temeritas, sed Dei numen regebat, iter institutum gubernabant, Cum nubes consistebat, illi quiescebant; cum rursus mouebatur, vasa conclamabant; quo illam ferri cernebant, eo cursum suum sine vlla cunctatione dirigebant. in quo quidem tunc satis expressum fidei officium fuisse cōspicimus, Quid enim aliud vult fides? quid contendit, atque molitur? quid tandem aliud efficit, nisi vt totum animum a sensu, studioq. corporis abductum, ad imperium, & nutū Diuini spiritus omnino transferat? Hoc igitur vnum suum esse officium ducit, numquam oculos a cælo deiicere, spectans, quid diuina mens sanciat, atque præscribat; quem motum afferat animo; quo voluntatem hominis impellat; a quibus auocet rebus; quo subsidio iacentem animum erigat; infirmatum fulciat; hærentem confirmet; & ad studium immortalitatis incendat. Cum Spiritus sanctus vocat, accurrit; cum deterret, extimescit; cum præest, sequitur; cum præscribit, obtemperat; quocumque denique eum spiritus ille vitalis impellit, eo fert impetum, & singulari alacritate impositum sibi munus exsequitur. Qui spiritu Dei aguntur, inquit Paulus, hi sunt filij Dei. Hæc autem dignitas agnationis diuinę fide cōparatur. Vnde colligitur, vim fidei in ea alacritate cerni, qua maximi animi omnibus Dei placitis obsequuntur. At, quos fructus ea fide percipiunt? eos certe, qui summum animis stuporem incutiūt. Nam, cum omnia ardēt flaminis, illi non aduruntur; cum mare tumidum impius absorbet, illi non alluuntur; in locis desertis, & ab omni humano cultu remotissimis, cælesti pabulo nutriuntur. Ignis vim suam repente sustinet; pelagi fiunt peruij; salutaris fons e silice prorumpit; cæli alimenta suppeditant; omnis denique natura eorum commodis seruit; omniaq. eis adiumenta, & ornamenta large, & abunde subministrat. Quod illi tum multitudini, quæ fidelium cœtorum imaginem, & speciem referebat, euenit. nam, cum flammis omnia conflagrarent, illæsi permansere; mare dissectum facile eis transitum præbuit, impios vero fluctibus in suum locum reductis repente consumpsit, & cælum alimenta salutaria, atque iucunda demisit; petræ, virga percussæ, ingentem aquarum vim profuderunt. Considerandum est autem, quibus verbis Deus admonet Mosen, vt e silice aqua eliciat. Tolle, inquit, manu virgam, qua fluuium percussisti, & ego consistam ante te supra petram, quæ est in Horeb; percutiesq. petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Quorsum tandem spectat illa admonitio; qua redigit in memoriam Mosi, vnum illud ex tam multis signum, cum reliqua multo maiora prætermittat? Tolle, inquit, virgam, qua fluuium percussisti. vt doceat, eiusdem numinis esse, impios prope magnam aquarum copiam constitutos ardentissima siti cruciare; & piorū hominum sitim in arida regione, summisq. ardoribus exusta restinguere. Cum enim Moses Dei iussu Nilum percussit, aquæ in sanguinem versæ sunt; cumq. rursus eadem virga silicem percussit, ingens vis aquarum repente manauit; vt appareat, infideles, etiam cum videntur omnibus rebus abundare, summa inopia, rerūq. omnium indigentia cruciari; contra vero, fideles, in rerum etiam humanarum angustiis, omnibus bonis affluere. illorum effrenatam cupiditatem, in opes fluxas, & intérituras incitatam, expleri numquam posse; horum autem ardentissimum rerum immortalium desideriū admirabili quadā affluentia satiari. itaque illos semper egentes, & miseros esse, atque cum grauissimis molestiis assidue cōflictari; hos vero semper abundare diuitiis, & eximia quadam voluptate compleri. Omnis igitur illius viæ ratio erat fide munita. nam, cum fide perueniatur ad iustitiam; consentaneum erat, vt, qui legem Diuinam erant accepturi, prius ad fidem instruerentur, atque intelligerent, omnem vitæ beatæ rationem esse in Deo summo collocandam, statuereotq. nihil illis defuturum, qui se ad illius tutelam conferunt. Quod vt rectius cognoscerent, eos interdum difficultate premebat, & inopia; vt, cum cernerent omnem spem humani subsidij penitus sublatam esse, in summaq. rerum humanarum desperatione, se cælesti auxilio subleuari, rerumq. omnium copia circumfluere; discerent tandem e Deo pendere, omniaq. vitæ præsidia in summi Domini benignitate cōstituere. Quod Moses luculenter explicat, docens, eos fuisse primum inopia vexatos, deinde cælesti alimento priscis parenti-

bus

Rom. 8.

Exo.17.

bus incognito nutritos, vt intelligerent, vitæ subsidia non in penu, sed in Dei verbo sita; quo circa non ingenij humani industria, sed Diuinæ benignitatis fiducia nitendum. Quid ea tandem, quæ erant in his rebus abstrusa, atque recondita? num est obscurum, illis ingentes fidei opes, atque immensas diuitias contineri? Nam & roscidum illud pabulum, e cælo sereno, atque puro demissum, quod Manna appellabant, vnicum Dei filium e cælis in terras venientem ad animos hominum Diuino corporis sui cibo nutriendos, & immortalitatis munere afficiẽdos adumbrabat. Et fontis illius perennitas, e petra profluens, Christus est, Diuinæ iustitiæ vindicta pro nobis in cruce percussus; vt ex illo, tãquam ab immenso, & inexhausto fonte, perennes aquæ continuo, ad suorum omnium mentes Diuino potu exhilarandas, incredibili copia, dimanarent. Quid hic tabernaculi illius sacrosancti fabricam; quid hic sacrarum vestium contextum; quid vasa in tam varios vsus destinata; quid odorum, & vnguentorum compositionem; quid omnium deniq. rerum ad sacros vsus pertinentium, ordinem, conuenientiam, & ornatum, oratione complectar? quid sacerdotij institutionem, sacrificandi ritum, varias expiationes institutas commemorem? non ne constat, his rebus omnibus, partim humanam Christi naturam, virtutum Diuinarum odoribus copiosissime perfusam; partim expiandarum mentium sanctissimam religionem, quam ipse Christus, summus, atque sanctissimus sacerdos, administrauit, apte significari. Nec enim multiplex Christi virtus vno tantum signo exprimi, atque designari potuit. multis igitur signis opus fuit, ad Christi sapientiam, religionem, sanctitatem varie delineandam. quę
Exo. 25. tamen omnia Moses ad vnum illud specimẽ referebat, quod in monte perspexit. Omnia fac, inquit illi Deus, ad exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exemplar autem erat Christus. ille namque est verum tabernaculum, atque sempiternum Maiestatis Diuinæ domicilium, in quo Diuina mens semper inhabitat. Ille est arca fœderis, omnem iustitiæ regulam, atque sapientiæ Diuinæ perscriptionem in se continens: ille est verum illud propitiatorium, (sic enim appellabatur arcæ illius, quæ Diuinam legem contegebat, operculum) in quo Deus sedem sibi constituit, vt ex eo edat oracula, quibus hominum vita regatur: idem verus sacerdos, qui, sacris sanctissime peractis, Deum hominum generi placauit, & cælites nobis cum summa fœderis religione coniunxit: idem piacularis hostia, victima salutaris, magnificentissimum illud denique sacrificium, ardore caritatis inflammatum, quod intima cæli penetrauit, Diuinumq. numen a seueritate ad misericordiam flexit. Quid hic sanguinem adspersum ad populum expiandum, quid varias lustrationes, & piacula instituta commemorem? numquid hæc omnia alio spectabant, quam vt insculperet animis, nullam esse aliam expiandi sceleris rationẽ, nisi fidei religionẽ Christi meritis innixam? Nihil enim, vt inquit Paulus, ad perfe- Heb. 7.
ctum deduxit lex. Nec potuit vllo modo sacrificiis vllis animo conceptum scelus eluere: sed instituit tantum veræ purgationis imagines, in aquæ lustrationibus, vel in sanguinis adspersionibus, vel in aliis eiusdem generis similitudinibus constitutas, corpus tantum attingentes, ad animum vero minime permanantes. Hæc igitur omnia erant fidei rudimenta, tempori valde consentanea, vt signis, & vmbris paullatim homines assuefacerent, Christum intueri. Quid de illo æneo serpente dicendum, quem Num. 21.
Moses sustulit; vt, qui erant mortiferis serpentum morsibus sauciati, in illum intuentes, sanitatem confestim reciperent? Potuit aliquod signum magis humanæ salutis rationem in omnium conspectu ponere? Christus enim solus, cum in cruce, serpentis, vt ante diximus, formam gereret, omnia vulnera ab antiquo serpente animis inflicta sanauit. sic enim inquit ille, Sicut Moses sustulit serpentem in deserto, Io. 3.
sic tolli oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sed, vt iam ab antiquis cærimoniis abeamus; omnibus illis constat fidem fuisse sancitam. scriptum enim est; Mosen, cæsis victi- Exo. 24.
mis, legem, quæ vim fœderis obtinebat, vniuerso populo audiente, legisse; & omnes pactione obstrinxisse, exsecratione deuinxisse, si aliquid contra legem facerent. Quam legem, atque fœdus, illi acceperunt, fidemque dederunt, se illam seruaturos. Cuncta, inquiunt, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Vt autem fœdus maiori quadam religione firmaretur, fuit ictum sanguine ostiarum, quo Moses populum vniuersum adspersit, dicens, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus nobiscũ, super cũctis sermonibus his. Quo in loco duplici ratione sancitam fidẽ cernimus. primum, obedientia, quam sacrosancto illo fœdere pactam fuisse conspicimus; deinde, sanguine illo, quo Moses vniuersum populũ expiauit; innuens, omnem animorum puritatem illo sanguine contineri, qui erat pro omnium salute profundẽdus: sine sanguinis enim Heb. 9.
effusione non fit remissio. Cuius tandem sanguinis? num quadrupedum? fieri, inquit ille, non potest, vt sanguis hircorum, aut vitulorum auferat peccata. fuit igitur necesse, vt maximus ille Pontifex, non in tabernaculi aditum, sed in cælum ipsum penetraret; neque pecudum sanguinem, sed proprium inferret; atque ita nobis sempiternam salutem constitueret. Hoc enim est fœdus illud sempiternum, quod Deus apud Isaiam se cum fidelibus percussurum ostendit. Hoc item Ieremias multos mortales Deo coniungendos esse prænuntiat. Hoc item Ezechiel, excitandum, & diuinitus instaurandum, multis ante sæculis prædixit. Huius autem fœderis sempiterni vis in hoc consi-

stit,

ſtit, vt omnem animi noſtri fiduciam in Chriſti ſanguine collocemus; & ſimul nos ad illius ſtudium conſeramus. ſi enim non fuerimus illi ſtudio, & amore coniuncti, quo modo tandem ad nos fœderis ipſius fructus, & ſanctitas emanabit? Eſt igitur neceſſe, ſi volumus ex illius ſanguine fructum capere, vt, illum reſpicientes, eiuſq. iuſsis obtemperantes, exemplum illius ardēti ſtudio perſequamur, animosq. noſtros ad ſacrificium offeramus. Quod facimus, vel cum necem ſenſibus afferimus, & cupiditatem carnis exſcindimus; vel cum omne vitæ ſtudium in Diuinæ bonitatis prædicatione conſumimus; vel cum amore Diuino concaleſcimus, & caritatis faſcibus inflammamur. ſic enim tria illa ſacrificiorum genera, quæ erant in Hebræorū conſuetudine poſita, moribus, & factis exprimimus. Alia enim erant pro expiandis peccatis oblata; alia vero vel ad petendam pacem, vel ad gratias pro partis beneficiis agendas inſtituta; alia poſtremo mentis ſtudio diuini honoris incenſæ, & inflammatæ ſignificantia, quæ tota flammis exercebantur. Hæc vltima Græco vocabulo Holocauſta nominantur. Et hæc quidem primum Chriſtus ipſe ſanctiſsime procurauit. Ille namque, vt paullo ante diximus, & hoſtiam piacularem, & ſalutarem victimam, & holocauſtum ſanctiſsimum ſe ipſe ad aram conſtituit: vt peccatum deleret, & pacem nobis conciliaret, & ardore mentis gloriam patris illuſtraret, & ignem cæleſtem in fidelium viſceribus implicaret. Hæc eadem nos rite facimus, cum vel lacrymis, vel gemitu, veraq. animi in Deum conuerſione flagitia concepta depellimus; vel, cum ſacrificium laudis immolamus, & pro tuendo mentis ſtatu, & gratiæ ipſius incremento, vota ſuſcipimus; vel, cum ad amorē, & cupiditatem rerum cæleſtium, & diuinarum, acrius exardeſcimus. An, ſi hæc omnia ſacris illis antiquis contenta minime fuiſſent, erat vlla cauſſa, cur huiuſmodi ſacrificia fuiſsent ab illo ſummo rerum omnium moderatore tanto ſtudio deſignata, atque conſtituta? An mens illa beatiſsima, vel ſtrage pecudum, vel carnium nidore, vel odoribus, & vnguentis, humano artificio confectis, tenetur, & ducitur? Numquid,

Pſal. 49.

inquit ille, comedam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Apud Iſaiam vero

Iſa. 1.

dicit, numquam fuiſſe a ſe huiuſmodi ſacrificia requiſita. Item apud Ieremiam, negat ſe quid-

Iere. 6.

quam de faciendis ſacrificiis olim præcepiſſe. Cur ita tandem negat, cum videamus illa tanto ſtudio fuiſſe ex illius imperio præſcripta? quia non ſacrificia per ſe, ſed ſacrificantium fidem requirebat. Non igitur Hebræorum victimas requirebat, ſed eorum fidem requirebat in victimis. Miſericordiam, inquit alibi, volo, &

Oſe. 7.

non ſacrificium. Miſericordia autem, Dei amore miſeris hominibus tributa, omnem fidē continet. Deus igitur legis victimas aſpernatur, vt fidem conſtituat. Nec enim victimæ, nec ſacra reliqua, incredibili quadam cærimonia culta, ſi per ſe ſpectentur, aliquod veræ ſanctitatis ſpecimen exhibebant, ſed ipſam ſanctitatem, quæ tota eſt in fidei ſinu, & gremio poſita, ſignificabant. Iudæi tamen, cum propter mentis anguſtias, atq. tenebras, fidei amplitudinem, & ſplendorē neq. capere, nec ſuſtinere poſſent, (erant enim toto animo, atque mente in terra defixi) tantum abfuit, vt ex illis ſignis ad fidē peruenirent, vt etiam per illa fidē omnino frangerent, & a florenti ſtatu deciderent. Non enim illa, quaſi rerum cæleſtiū ſimulacra, complexi ſunt; ſed eis, quaſi veris iuſtitiæ, atq. ſanctitatis cauſsis adhæſerunt, vſq. adeo, vt eo tempore, quo veritatis ipſius lux eorum oculis affulſit, lucem ipſam fugerent; diſciplinam obſtinate reſpuerent; Diuinū munus aſpernarentur. Vt enim, ſi quis ſub terra in ſubluſtri domicilio habitauiſſet, in quo numquam ſolem oculis adſpexiſſet, habuiſſet tamen in tabula ſolem ſcite depictum, & variis coloribus illuſtratum; isq. tabulæ ipſius admiratione defixus, adduci non poſſet, vt in ſuperam regionem euaderet, & adſpectum emerſum tenebris in ſolis ipſius lucem conuerteret; ſic Iudæi, ſignis, atque picturis intenti, & inani quodam ſtudio ſuperſtitionis, & aſsimilatæ ſanctitatis attoniti, numquam in verum iuſtitiæ ſolē mentis oculos conuertere voluerunt, vt illius iucundiſsima luce fruerentur; ſed vmbras corpori, ſigna veritati, tenebras luci furenter, & impie prætulerunt. Circumciſionem igitur retinent, fidem omnino deſerunt. a fermento ſtatis diebus abſtinēt, mentem vero ſcelere impietatis inficiunt: corpus aqua luſtrant, animum ſordibus inquinant. legis volumē in chartis exaratum, demiſſo corporis habitu venerantur; ipſius vero legis vim, atque ſanctitatem, perfidia conculcant; Chriſti imagines in lege inſculptas admirantur; ipſum vero Chriſtum conuiciis, & maledictis inſequūtur; & in omni denique genere veritatem oppugnant; vmbras, & ſomnia inſectantur. Sic igitur fit, vt, cum a fidei via penitus aberrent, eaque cauſſa ſint nudati præſidiis, ſpoliati ornamentis, omniq. ope Diuina deſtituti, rebus ſuis omnino diffidant; omnes vmbras horreant; quidquid increpuerit, extimeſcant; abiecti, & contēpti viuant; & omnibus odio ſint; & in ſumma ſolicitudine, & angore ignominiam, & turpitudinem ſubeant ſempiternam. Erant illa ſacra, atq. cærimoniæ, quaſi quædam pietatis elementa, hominibus, mente, & intelligentia, parum robuſtis, accommodata; donec veniret maturitas incluſæ pietatis explicandæ, & ſempiternæ ſalutis expediendæ; quod erat Ieſu Chriſti opera perficiendum. Poſtquā igitur veritas ipſa, quā lex adumbrauit, & figuris expreſsit, lucis ſuæ radios lōge, lateq. diffudit, quid opus erat ſignis? quid vmbris, & imaginibus, cum ipſius veræ iuſtitiæ ſplendor facile poſſet omnium oculos in ſe conuertere? Hęc autem omnia, quæ dicimus fidei formam, & ſpeciem adumbraſſe, Paulus Opera legis appellat. Nec enim in operibus le-

gis

gis numerat pietatem, neque caritatem, & beneficeutiam, neque veram, & absolutam animi religionem; sed circumcisiouem, & sacrificia, ciborumq. delectum, & dierum obseruationes, & reliquas cærimonias, quæ, vt disseruimus, sanctitatis imagines continebant. Quæstio enim erat, an illæ legis antiquæ cærimoniæ, aliquam vim ad expiandos animos haberent. Iudæi illas nimium præfracte retinebant, quasi omnino necessarias ad animi puritatem; Paulus, cõtra, disputat, numquam illas vim vllam habuisse ad animos purgandos; sed tantum fuisse per illas animi puritatem adumbratam. Post Christi autem aduentum, cum iustitiæ ipsius lux omninm oculis oblata fuisset, vmbras repente euanuisse. Opera igitur illa post Euangelium constitutum, non modo sine fructu fieri, sed pestẽ, atq. perniciem afferre. sine fide enim nemo potest salntem adipisci. Qui autem illas cærimonias obseruandas, quasi ad institiam inducendã necessarias existimabant, Christi sanguini diffidebant. Quocirca Paulus maxima voce testatur; eos, qui erant ad eam imbecillitatem delapsi, vt circumcisionem necessariam existimarent, nullum omnino ex Christo fructũ percepturos.

Gal. 5.

Si circumcidimini, inquit, Christus vobis nihil proderit. Erat igitur magna exorta contẽtio, cum Iudęi importuno legis studio fidem labefactarent; Paulus, contra, fidei studio legem conuelleret. Cum hic Legem dico, legis vim, atque naturam fidei expertem iutelligo, quæ videlicet nondum est menti per fidem inscripta, sed tabulis tantum incisa, ita, vt nihil omnino possit animis opitulari. Cũ igitur magna fidei caussa ageretur, omne certamen suscipit Paulus, vt homines ab operibus legis, hoc est, ab institutis lege cærimoniis abducat. Quod certe non fecisset, si legis opera in caritate, atque benignitate, aut in excellenti pietate posita iudicaret. Nec enim vmquam Paulus ea officia, quæ cum pietate suscipiuutur, aut impura esse dixit, aut parum vtilia, aut minime necessaria. Nondum videlicet exorta fuerat hæc egregia disciplina, quæ doctorum hominnm verbis, & scriptis increbuit, &, quæ, obtentu pietatis, omnẽ pietatẽ exterminat. Numquam igitur is fuit, qui benignitatis officia, tamqnam parum vtilia, improbaret; sed qui doceret, eam solum esse rectã ad cęlum viã, quę assidua caritate muniretur.

Rom. 13.

Omnes igitur e somno suscitat, omnes cupiditate præmij sempiterni, quantum potest, incendit. omnes etiam Diuini iudicij mẽtione vehementer ab ignauia deterret, ostendens, in Diuino iudicio non inquirendum esse, quo quisque genere ortus sit, quibus sacris initiatus, quibus disciplinæ rudimentis institutus; sed quid in vita gesserit, quæ opera ediderit, quo studio pietatem, & æquitatem coluerit.

Gal. 6.

Deus, inquit, non irridetur. quæcumq. enim seminauerit homo, & hæc metet.

2. Cor. 5.

& omnes stabimus aute tribunal Christi, vt referat quisque propria corporis, prout gesserit, siue bonum, siue malum. In epistola autem ad Romanos, ait futurum, vt de vnoquoque feratur sententia, secundum ea opera, quæ quisque molitus est; ita, vt iis, qui opera laudabilia gesserint, sint summa immortalis vitæ præmia constituta; iis autem, qui se ipsos scelere, & flagitio contaminant, sint subeunda supplicia sempiterna.

Rom. 2.

Ad Corinthios autem scribens, ait, cuilibet esse mercedem propositam, secundum operis a se suscepti rationem. Et, cum de immortalitatis præmio multa disserat; concludit tandem, eorum laborem, qui fide stabiliuntur, minime inanem fore: esse enim immortalitatis præmio muneerandum.

2. Tim. 4.

Illud vero, quam præclare, cum, actæ a se vitę rationem exponens, se ipsum excitat ad cogitationem ipsius coronæ, quam erat præclaris operibus adepturus. Egregium, inquit, certamen sustinui; cursum vitæ cum laude confeci: reliquum est, vt illam coronam adipiscar. Atque, vt doceat, eam coronam esse gratiæ Diuinæ iure debitã, adiungit, quam reddet in illo die mihi Dominus, iustus iudex. Si tantum igitur momentum esse putat Paulus in præclaris factis, vt nullam aliam statuat esse viam, & rationem iræ diuinæ auertendæ, & salutis æternæ comparandæ; si caritatis officiis, si piis, atque sanctis actiouibus testificatur, æternæ gloriæ præmia reddenda: quo modo tandem inutilia diceret, & ita ab eorum studio hominum mentes abstraheret? Cum igitur opera legis infirmat, cum ab eorum confidentia homines abstrahere contendit; ea plane intelligit, quæ vmbram, & imaginem iustitiæ gerebant; non ea, in quibus erat ipsa iustitia constituta. de iis enim tantum erat omne certamẽ institutum. Errorem igitur Iudæorum, & amentiam coarguit, existimantium, circumcisione, & eiusmodi legis institutis animum expiari, & ex iniusto iustum fieri. Itaque, vt eorum insolentiam, & temeritatem refutet; exponit, quantis se, quam tætris, quam exsecrandis criminibus obstrinxerint Hebræi, vt tandẽ concludat, nullam esse in illis iustitutis vim ad animi puritatem. Nam, si circumcisio sanctos efficeret, omnes circumcisi sancti essent. tantum autem abest, vt essent sancti, vt eas etiam gentes, quæ Dei legem penitus ignorabant, sceleris magnitudiue superarent. Itaque concludit, neminem ex legis operibus iustum vmquã fieri. Non autem erit hoc loco alienum, considerarę, quid Paulo venerit in mentem, hæc solum antiquæ religionis iustituta, quæ diximus, Opera legis appellare. Quid enim vetat, nominare legis opus id, quod est lege perscriptum? Cum igitur lex omnia honestatis, & caritatis, & pietatis officia sanxerit; quid impedit, quo minus temperantiæ, benignitatis, & veræ religionis studia, Opera legis appellemus? Sed, vt mirandam, atque plane diuinam Apostoli prudentiam intueri possimus, considerandum est, esse rationi consentaneum, vt vnaquæque res nomen sumat ex eo, quod in illa

præci-

præcipue ſpectari conuenit. Præcipue autem in officiis ſpectandum eſt id, cuius vi, & efficacia recte geruntur, & abſoluti operis effectnm conſequuntur. Si igitur officia ipſius legis vi perficiuntur, æquum profecto eſt, ea Legis opera nominari. Cum vero nemo poſsit, legis tãtum vi legi parere, præceptisq. illius ſauctiſsimis obedire; conſequens eſt, vt officia uomen a lege minime mutuentur. Primum enim ratio humana per ſe debilis, & imbecilla eſt; cupiditas autem fera, & immanis, tanrisq. viribus in rationem concitata, vt obſiſti non poſsit. valentius enim malum eſt, quam vt poſsit humana induſtria, & ratioue depelli. Euenire igitur neceſſe eſt, quamdiu mens non fuerit Diuino ſubſidio ſtabilita, vt eã cupiditas inflectat, & torqneat, morbisq. infinitis exagitet. Num lex huic tanto malo potuit opem afferre? minime gentium. nec enim extraxit ex animis cupiditatem; ſed tantum admonuit, quantum eſſet in flagitio mali, quantumq. exitij. Quo factũ eſt, vt crimen, atq. flagitium, vehementius ingraueſceret. opus enim nefarium tum demum crimen, atque ſcelus eſt, cum voluntate ſuſcipitur; voluntas autem tunc maxime apparet, cum clarior eſt recti, prauiq. notitia. Cum igitur lex clariorem iuſti, & iniuſti diſciplinã tradiderit; conſequẽs eſt, vt crimen eſſet, poſt acceptam legem, multo dirius, multoq. funeſtius. Ergo, cum lex non opem vllam largiretur ad cupiditatem coercẽdam, ſed tantum cupiditatis ipſius immanitatem indicaret; nou anxilium attulit, ſed grauioris ruinæ periculum per occaſionem ſtruxit. Quãdiu enim cupiditas in animo dominatur, non poteſt exſtare in nobis rectum vllum Diuinæ legis ſtudiũ. Cupiditas enim, vt Paulus ait, ſempiternas cum Deo gerit inimicitias. Sic igitur neceſſario fit, vt, qui cupiditati addicti ſunt, omni vitæ ſtudio contra Dei legem pugnent. Cum igitur lex, aut tabulis tantum ſcripta, aut auribus accepta, non poſsit euellere effrenatã animi cupiditatem, cupiditate autem vigente nemo poſsit vlla ratione legis præſcriptis, quæ conferuntur ad iuſtitiam, obedire; efficitur, neminem poſſe legis tantum auxilio ſubnixũ pietatem colere. Quo modo tãdem igitur ipſi nos ad pietatis ſtudium conferemus? ſi præſenti numine Spiritus ſancti fuerimus eontra cupiditatem armati. hoc Diuinum præſidium fide, non lege conſequitur. conſequens igitur eſt, omnes caritatis actiones, opera fidei, nou legis, appellari. Iecirco fit, vt tam Paulus, quam alij diuini ſcriptores, nomine Fidei, plerumque omnia officia caritatis intelligant: complexu enim fidei omne veræ, & abſolutæ pietatis ſtudium continetur, vt multis in principio diſputanimus. Cũ igitur ſummum, ardens, incitatum ipſius Diuinę legis ſtudium, nou vi legis, ſed numine ſancti Spiritus exſiſtat; conſentaneum eſt, vt hoc ſtudium, non ad legem ipſam, ſed ad Spiritum ſanctum, atq. fidem illius ope nixã referatur. Quæ ſunt igitur Legis opera? ea nẽpe, quæ ſic ipſius legis vi, & imperio, geri poſſunt, vt fides in eis minime luceat. porro autem, ſi per ſe lex ſpectetur, duo ſunt illius munera, quæ ſine vigente fide poſſunt adminiſtrari. primũ eſt, vim, & grauitatem peccati, atque ſceleris indicare; alterũ, expiandi ſceleris formam apta ſimilitudine depingere; vt, perfecta penitus, & cognita ſceleris atrocitate, depellendæ illius rationem confeſtim ineas. Hæc autem legis munera num potuere ægram mentẽ ſanare, & ab improbitate ad iuſtitiam traducere? minime quidem potuere. per legem enim cognitio peccati multo clarior exſtitit. clarior autem peccati eognitio nõ tollit peccatum; immo id multo magis, vt paullo ante diſſeruimus, amplificat. Quid igitur? nũ piacula lege conſtituta, peccatum expiare potuerunt? nullo modo. quid ita tandem? Quia lex vmbrã tãtum rerum cæleſtium non ſolidam, & expreſſam Diuinæ virtutis effigiem cõtinebat. vmbra autem, & obſcura ſimilitudo, non tantã vim habet, vt puros, & caſtos efficiat, ad Deum adeuntes. Rectiſsime igitur a Paulo poſitum, & efficaci admodum ratione concluſum eſt, neminem legis operibus iuſtũ fieri. Nec enim quidquam iuuat vel peccati deformitatem cognoſcere, vel aliquam expiandi peccati rationẽ in vmbra tantum, & tenui legis ſimilitudine conſtitutam, omni ſtudio conſectari. His autẽ duobus muneribus omnis legis vis, ſi eam a fide ſeiungas, terminata eſt; vt facile liqueat, non lege, ſed fide, ſalutem omnem conſtitui. fide enim vtrumque conſequimur. Non modo enim, quãtum ſit in flagitio, & impuritare dedecus, intuemur; verum etiam inuictas vires adipiſcimur, quibus nefariſ cupiditati facile reſiſtamus; &, cum caſu aliquo prolapſi concidimns, cõfeſtim ad illum ſummum ſacerdotem, qui nos ſanguine ſuo explauit, confugimus; illiuſq. ſanctitate a nobis flagitia cuncta depellimus. Hic locus admonet, vt aliquid etiam de legis vetuſtate, & interitu, diſſeramus. eſt enim in hac diſputatione mirabilis rerum contextns. Sic enim alia ex aliis nexa, & continuata ſunt, vt, niſi omnia, quantum res inſtituta deſiderat, attingas, non facile poſsis inſtitutum munus ad optatum finem perducere. Quid igitur de legis duratione dicendum? an parum multis in locis Scriptura Diuina teſtificatur, legem Domini eſſe ſempiternam? Num obſcurum eſt illud Domini ipſius teſtimonium, quo aſſerit, cælum poſſe diſſolui, ſolem, & aſtra concidere, terrã, & aquas inflammari, vniuerſamq. naturam incendio cõſumi; legem autem Domini nec diſſolui, nec conuelli, nec mutari poſſe? Quid enim aliud eſt Diuina lex, quam mens, & ratio ſummi illius rectoris, omnia ſempiterno imperio continentis? Quod ſi per legem intelligas rationem, atque normã, quam primum in animi natura, deinde in tabulis inſcripſit, ad quam ſunt omnia humanæ vitę ſtudia referenda; ea certe Chriſti aduẽtu euerſa nõ eſt, ſed inſtaurata, atq. renouata, multoq. diuinius illuſtrata. Non enim venit in mundum

filius

filius Dei, vt legem, quam tulit, dissolueret; sed vt illam potius absolueret, atque perficeret.
Rom. 7. Quid est igitur, quod Paulus multis in locis ait, legem esse Christi cruce deletam, nosq. extincta lege, esse iam, Christi beneficio, ex illius dominatu in libertatem vindicatos? Nũ fieri potest, vt, quod æternum est, fine aliquo terminetur, atque deleatur? minime quidẽ, quod æternum est. Legis autem vis, quam Paulus exterminatam esse dicit, ea solum est, quæ duobus illis muneribus, quæ paullo ante dixi, continetur. Differit enim cum Iudæis, nimium pertinaciter legis scriptum retinentibus. Nec in dubium veniebat, an legis mens, atque ratio, quę multis ante sæculis nata est, quam esset scripta lex vlla, seruari deberet: sed de scripto legis, an esset illi semper in omnibus adhærendum. Probat igitur Paulus, vim, atque sententiam legis æternam esse, illiusq. cultum in fide consistere. Contra vero, scriptum a fide vera, & constanti segregatum, nũquam fructum attulisse; & post Euangelium constitutum, mortiferum esse cœpisse; legemque præterea mortalem dicit, & interituram, quod, Christi virtute, id, in quo lex ipsa vigebat, sit compressum, & exstinctum. Nã, cum primum legis munus sit, officia describere, & peccati vim, & immanitatem ostendere, ipsum q. peccatum minime euertere, atq. profligare possit; consequens est, vt nihil aliud possit in animos nostros inuehere, quam curam, angorem, solicitudinem, metum, horrorem, & cruciatum. Nec enim libidinem resecat, sed scelus libidine conflatum vlciscitur: nõ cædem expiat, sed auctorem cædis interimit: non periurium non sacrilegium euertit; sed in eos, qui hæc scelera concipiunt, seuerissime vindicat: non vlla denique animi iniusta vulnera sanat, sed vulneratos capitis condemnat. Lex, inquit, iram operatur.
Rom. 4. Alibi item, scriptam legẽ administrationẽ mortis, appellat. cum enim id nõ eximat, quod est extremo supplicio vindicãdum; euenit necessario, vt necẽ inferat. Id autem est, quod ait, litteram occidere. Litteram enim appellat legem, scripto tantũ, quod vult, sancientem. Cum igitur in eo posita esset scriptæ legis vis, vt scelera, quæ sanare nullo modo poterat, capite damnaret; & ita impeditas scelere conscientias perterreret, & metu, & angore conficeret; recte dicitur, exstinctam esse per Christum. quandoquidem, peccata penitus exstirpando, timorem sustulit, animosq. metu legis oppressos, omni metu, atque solicitudine liberauit. Habet enim hoc fides in Christum, pellit timores; demit solicitudines; animos quietos, & tranquillos efficit. Hoc enim habet cognitum, & cõstitutum, nullam sceleris pœnam esse illis subeundam, qui Christo coniuncti sunt;
Rom. 8. qui non secundum carnem ambulant, vt Paulus inquit, sed secundum spiritum. Hi enim, cum & fide sanati sint, & fide vitã dirigant, omniaq. studia sua Christi spiritu moderentur; tantum abest, vt illis extremi supplicij metus impẽdeat, vt semper animis erecti sint, & futuræ gloriæ exspectatione gaudia maxima percipiant. Secundum hanc igitur rationem, qua lex metum, & horrorem incutiebat, satis constat, eã esse Christi virtute sublatam. De illo altero legis officio, quod in adumbranda Christi sanctitate versabatur, nihil attinet dicere. Iam enim ostendimus, quod per se satis manifestum erat, omnes imagines, cũ veritas imaginibus expressa perspicitur, esse superuacaneas. Vt enim solis radiis omnis caligo pellitur; nebula dissipatur; vmbra penitus euanescit; sic necesse fuit, aduentu Christi discussi mentis caligine; peccata omnia dissolui; rerum vmbras, & imagines exterminari. Ad hãc duplicem legis vim respiciebat Ioannes, cum diceret: Lex per Mosem data est, Ioan. 1. gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, vt gratiam, omnia peccata delentem, terrori legis opponeret; veritatem autem, res ipsas diuinas explicãtem, vmbris, & imaginibus. Sic etiã Paulus inquit, Legem, quæ quidem erat instar vmbræ, interuentu corporis, nempe Christi, deletam esse. Hac igitur tantũ ratione, qua lex, peccati vim indicando, terrorem incutiebat, aut, veræ sanctitatis rationem adumbrãdo, res occultas significabat; cũ esset mortalis, & interitura, fuit opportuno tempore consumpta: vt iam nullũ vsum habere possit in his, quos Christus secum copulauit, atque spiritus sui muneribus ornauit, & instruxit. Ipsa vero legis mens, & ratio, quæ iustitiam omnem continet, quæ virtuti præmia sempiterna proponit, quæ naturam vniuersam regit, atque fidem immortali gloria afficit, deleri non potest. Verbum enim Domini in æternum manet. Fides autẽ in hanc legis vim sempiternam respicit: ea vero, quæ nouit esse iam vetustate consumpta, minime curãda putat; cum tota sit studio immortalitatis inflammata. Satis explicatum arbitror, quo modo vniuersa lex ad fidem excitandam, atq. confirmandã referatur. Aut enim, quid sit in vita gerẽdum, quibus studiis animus informandus, quibus in rebus beatæ vitæ summa consistat, aperte docet, vt fidem faciat, & ad officium incitet; aut signis, & figuris mentes hominum ad humanæ salutis fidem erudiebat. Ostendimus, quæ sunt opera fidei, quæ rursus opera legis, auctore Paulo, nominanda. Sed dubium occurrit de officio illo, quod legis metus exprimit, ad quod genus reuocandum sit. Nec enim ex cupiditate nascitur. nam, dum is, qui metuit, manus a maleficio continet, cum nefaria certe cupiditate pugnat. Nec tamen est ad fidem referendum. fides enim hæc, quã ratione persequimur, non effectum tantum cupiditatis, sed ipsam cupiditatem acerrime coercet. at, qui metu tantum a flagitio abstinet, animum adhuc ægrum, & exulceratum gerit, & nefaria cupiditate deuinctum. Ergo, cum hoc opus, neq. fit a cupiditate profectum, neq. ex laudabili, & prædicanda fide natum; sed metu tantum legis coactum, & expressum: consequens est, vt opus legis pos-

fit appellari. Omnia igitur actionum humanarũ genera, quæ gens Hebræa suscipiebat, ad tria principia referri possunt. Nam vel erant a cupiditate nefaria profecta; vel metu, atq. formidine legis expressa; vel constanti, atq. diuina fide administrata. Opera cupiditatis sunt flagitiosa, pestilentia, æternisq. suppliciis, nisi resipiscimus, vindicanda. In operibus autem legis, neq. animi sanitas, nec veræ religionis sanctitas eminet; sed imbecillitatis potius, & ægritudinis argumentum. non tamen sunt abiicienda, nisi sint cum fide pugnantia. Opera vero fidei sola sunt honesta, laudabilia, iucunda, salutaria, diuinisq. præmiis, & æterna gloria cumulanda. Non enim ope humana, sed diuina perficiũtur: non humana, atq. terrena, sed supera, & cælestia spectant: non opes sibi proponunt fluxas, & caducas, sed immortales, atq. sempiternas. Hęc cupiditatem opprimunt, crimẽ, & scelus exstinguunt, iustitiæ ornamenta consequuntur, hominum mentes cum diuina mente conglutinant, easq. summis, & immortalis vitæ muneribus afficiunt. Opera cupiditatis mortiferum vulnus infligunt: opera legis inflictum vulnus minime sanant; quin etiam, interdum asperius refricando, grauius exagitant; sola opera fidei non tantum vulneribus sanitatem, sed cælestem etiam dignitatem adipiscuntur. Ergo, cum cupiditas exitium inferat; cum nullum legis institutum, nulla disciplina per se posit nos ab interitu vindicare, cum legis finis sit ipsa fides, omnisq. illius institutio, siue in vitæ perscriptione, siue in sacrorum religione constituta sit, ad vnã fidem, quasi ad rem vnam omniũ maxime salutarem, referatur; nullaq. sit alia ratio numinis placandi, diuinæq. gratiæ retinendæ, æterniq. præmij consequendi; constat profecto, illos solos esse beatos, atq. sempiterna laude florẽtes, qui cum fide viuunt: reliquos omnes, quamuis sint in hominum vulgus commendati, & specie quadam glorię popularis insignes, esse tamen coopertos flagitiis, sceleribus inquinatos, in extremaq. miseria cõstitutos, sempiternisq. pęnis obnoxios.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER QVARTVS.



INcidit autem quædam, minime, vt arbitror, aliena hoc loco dubitatio quæ diiudicanda est; vt commodius omnem hâc de fide quæstionem concludere liceat. Legimus enim, multos olim homines exstitisse, in omni genere laudis excellentes, eximiisq. maximarum virtutum ornamentis exscultos, qui nullam fortasse vmquam disciplinam Diuinæ legis acceperunt. Quid ergo statuemus? eos fidei viribus excitatos fuisse, vt non inania simulacra virtutis, sed solidam, & expressam virtutis effigiem animo, atque mente conciperent? vix credibile est, cũ fides hæc, quam oratione complectimur, sit firma mẽtis assensio, verbis Diuinis adhibita; eos fuisse hac fide stabilitos, ad quos numquam legis Diuinæ fama peruenit. Nũ natura tantum duce, quam vnam in vita maxime sequebãtur, veram virtutem assecuti sunt? sed, vt iam aliqua ex parte demonstratum est, & paullo post magis aperiemus, non tanta est naturæ vis, vt per se possit ad veram honestatem adspirare, aut partam honestatem ad extremum vitæ spiritum retinere. Ergo, aut illi non veram virtutem coluere, sed in illius tantum imaginibus puerili studio consectandis fuerunt occupati; aut, si veræ virtutis cõpotes exstitere, nullo id modo absque fidei munere, & beneficio consecuti sunt. Si enim vere nobiscũ virtutis ipsius vim, & rationem cogitare voluerimus, plane intelligemus, neminem vmquam vllo modo, qui fide Diuina caruerit, fore illius cõpotem. Nullum enim opus, nullum consilium, nullus conatus, nulla denique mentis agitatio, per se est vel in vitio, vel in laude ponenda: sed pro fine, quem sibi quisque proponit, aut pro modo & ratione, qua finem consequi studet, eum, qui aliquid agit, atq. molitur, vel laudandum, vel vituperandum existimamus. Omnis igitur veræ laudis ratio est a debito fine, & ab optima vitæ ratio petenda. Ergo, qui vitæ finem ignorat, in vera laude versari non potest. Si igitur ad recti finis notitiam fides necessaria est; efficitur plane, absque fide neminem virtutem consequi posse. Videamus igitur, in quo sit illud summum bonum, & vltimum omnium rerũ expetendarũ, optimusq. vitæ finis collocandus; vt sic tandẽ intelligamus, sit ne opus fide ad perfectã intelligentiam illius capiendã. Primũ quidem igitur est, si fieri potest, illa opinio cõuellenda, quã quidam, ne ab Aristotele in re aliqua dissentirent, attulerunt, nempe duplicem esse rectum finem hominis; vnum naturæ illius accommodatum, de quo vnum Aristotelem existimant præclare locutũ fuisse; alterum supra hominis naturam, quem suspicantur neminem vmquam Philosophum comprehendere ratione potuisse. Hos autem, qui ita disputant, in errore non mediocri versari arbitror. quoquo enim modo rectum finem hominis intelligas, non duplex, sed simplex, & vnicus intelligendus est. Vnum est enim summum hominis bonum, vna naturæ perfectio, vnum extremum, & vltimum, quo sunt omnia vitæ consilia dirigenda; idemque humanæ naturæ maxime congruens, & consentaneum. Hoc autem vel ex nostræ naturæ præstantia, vel ex nostri desiderij magnitudine, & immensitate perspicitur. Nam, si naturam humanam spectes, quid ratione melius? quid ingenio admirabilius? quid virtutis indole præstantius? quid in omni hac rerum pulchritudine, quã intuemur oculis, mente diuinius? quid est denique in toto mundo, quod ad naturam Diuinam propius accedat? Præclare quidem Aristoteles, nihil censet esse magis humanæ naturæ magnificentiæ accommodatum, quam Diuinam mentem contemplari. In eo enim munere omnem pietatis sanctitatem, omnem officij religionem, in eo summam omnium, quam animus capere potest, voluptatem sitam esse decernit. Id autem ex eo euenire, quod sit magna nobis cum natura Diuina similitudo. Inde fit, vt omnes ad maximarum rerum intelligentiam, & sapientiam, & virtutis elegantiam, & pulchritudinem nati, & apti simus: quæ munera naturã Diuinam maxime attingunt. Quod si tanta est in humana mente dignitas, vt neque cæli totius amplitudo sit cum illa comparanda; quid tandem esse poterit in omni natura, quod naturam nostram perficiat, nisi Diuinæ mentis cum nostra mente coniunctio? Ex illius enim benignitate profluximus; illius imaginem gerimus; ad illam spectandam, atque fruendam nati sumus. & iccirco fit, vt in nulla re alia, quam in vno Deo, possit animus noster consistere. Cum igitur aliquid aliud, tamquam summum bonũ, errore mentis adsciscit; nullum ex eo solidum fructum capit; experiun-

periundoque sentit, quam inaniter omne vitæ studium in falsa boni specie consectanda consumpserit. Molestia igitur, & cura conficitur, & eximia solicitudine res alias, atque alias, quibus sitim suam sedare possit, sine vllo fructu conquirit; & vsque adeo sibi totus tandem displicet, vt animi mæstitia contabescat. Vnde colligitur, nullum alium esse finem humanæ naturæ conuenientem, nisi Deum. Nec enim aliunde petendum est vitæ extremum, quam, vnde vitæ principium duximus. Naturæ siquidem perfectio est, eo, vnde primum fluxit, conueniens, & apta conuersio. Cum igitur a Deo orti, & ad similitudinem illius expressi, & effecti simus, mentisque præstantia, & altitudine, speciem illius referamus; poterit ne aliquis alius finis naturæ nostræ conueniens excogitari? Quid autem de infinita humanæ naturæ cupiditate dicendum? non ne satis argumenti est, quam instructi simus a natura, ad immensa bona perfruenda, quod nemo possit in his bonis, quæ vulgus hominum sitienter appetit, acquiescere? Nec enim auari modum pecuniæ cupiditati præfiniunt; nec ambitiosi in honorum studio terminis vllis contineri possunt; neque, qui voluptatibus dediti sunt, voluptatibus ipsis finem vllum constituunt. Nihil denique est in omni rerum natura, quod hominis mentem explere, & satiare possit, cum semper immensa, & infinita desideret. Nec solum ea sibi parare, sed parta retinere, atque perpetuo conseruare misere cupit. Interitum igitur anxie reformidat, &, mortis illata mentione, perhorrescit. Vnde colligitur, omnes homines ardentissimæ cupiditatis studio flagrare. Inde autem & procreandæ sobolis mira libido, & propagandi nominis acre studium in hominibus exsistit: vt ea videlicet ratione mortem, quam summo odio persequuntur, effugiant; & sese, quoquo modo possint, ab interitu vindicent. Nec enim existimant eos morte omnino deleri, qui vel filium aliquem sui corporis, & animi effigiem, vel diuturnam sui nominis memoriam, post mortem in vita relinquunt. Vnde concluditur, omnes esse æternitatis appetentes, diuinæq. naturæ studio vehementer incensos. Qui enim cupit honores immensos, atque sempiternos; qui voluptates stabiles, & numquam interituras exoptat; qui denique expetit opes infinitas, & cupiditate omnium simul bonorum incitatur: non ne perspicuum est, eum Dei condicionem postulare, diuinumq. statum concupiscere? sed, cum, temeritate quadam mentis elati, falsa, & fallentia bona pro veris intuemur; &, quidquid primum specie, vel vtilitatis, vel suauitatis, vel honestatis, sensus nostros allicit, furenter arripimus; euenit, vt illud æternitatis studium in res fluxas, & caducas, & in ludibria vitæ conferamus; quæ, cum non possint vllo modo animis nostris satisfacere, intelligimus tãdem, frustra nos studuisse vel pecuniæ, vel honoribus, vel voluptatibus, vel reliquis eiusmodi somnia fuisse consectatos. Ergo, cum nihil sit in rebus humanis, quod animis quietem afferat, & ardentem cupiditatis sitim exstinguat; immo, quo affluentius hauriuntur, eo cupiditatem acrius irritant, & ea ratione animos vehementius excrucient: non ne liquet, omne humanæ mentis studium amore Diuinitatis inflammari? Quod si inepte perseueres in eo, vt asseras, hominis finem secundum humanæ naturæ rationem, non alium esse, quam honestatem; eodem argumento te premam. Ipsa enim honestatis appetitio, cum nullum modum habeat, nec sibi laudis terminum vllum præscribat, satis indicat, omnem animi impetum ad studium veræ, atque sempiternæ dignitatis impelli. Cum autem sempiterna dignitas in Deo tantum sit posita; sequitur, vt, qui dignitatem summam expetit, eamque cupit esse sempiternam, quod omnibus hominibus natura contingit, Deum expetat. Sed, quemadmodum is, qui natura flagrat æternarum diuitiarum cupiditate, aut voluptatibus sempiternis affluere cupit, illum animi impetum errore quodam, in opes fallaces, & in voluptates inanes confert: ita, qui naturæ lege, & præscriptione incitatur ad æternæ dignitatis studium, furore quodam præcipiti rapitur ad inanissimæ dignitatis, & gloriæ cupiditatem. sic autem euenit, vt, quasi somnio delusus, dum honestatem sequitur, in sempiternum dedecus incurrat. Quid enim aliud est animi dignitas, quam animi præstans, & eximia pulchritudo, ex diuina specie, & pulchritudine luculenter expressa? Ex quo sequitur, eum tantum fore dignitatis participem, qui Deum intuetur, totumq. se ad exemplar illius effingit. In quo nequeo satis admirari Platonem, in Conuiuio, de veræ dignitatis amplitudine, sub persona Socratis, luculentissime disserentem. illic enim Socrates, cum de amoris natura multa, eaq. præclara, dixisset, ait tandem, Diotimam quandam fuisse, singulari prudentia feminam, atque sacrorum antistitem, cuius oratione se fuisse dicit ad amatoriam disciplinam, quæ veræ pulchritudinis intelligẽtia continetur, admodũ diligenter institutum. Hoc autem amoris principium, a Diotima constitutũ asserebat. Primum quidem, cum omnis amor, ad honestatis speciem, & formam referatur, euenire, vt corporis honesta species animaduersa protinus amorẽ excitaret: amorẽ vero animos repente coniungere. Ex ea autem familiaritate, & coniunctione, & animorũ quasi congressu, pulchritudinem, & elegantiã splendidæ, & ornatæ orationis oriri. Tum, simili venustate in multis corporibus animaduersa, cõmunem ipsius pulchritudinis notionem in animis informari, summamq. amoris vim ab vno corpore, pulchritudinis participe, ad vniuersæ pulchritudinis speciẽ, atque naturã transferri, ita, vt, quantũ quisque in pulchritudinis ipsius cognitione, & amore progrederetur, tantum

de illo

de illo amore, quo corpus vitium venustum amabat, remitteret. Inde autem gradum fieri ad animi pulchritudinem, amoremq. vehementius incendi, animosq. artiore quodam vinculo copulari, & ex ea coniunctione multiplicem honestatis fetum exsistere. Deinde ipsam honestatis speciem, & formam, quæ cunctis animis pulchris, pulchritudinis caussam attulit, mentis intelligentia comprehendi, & animos ad se vehementius amandam allicere, studiaq. dignitatis, & pulchritudinis acrius excitari, scientiamq. tandem ipsius pulchritudinis effici; quę tamquam gradibus, animos, ad summæ, & altissimæ, atque sempiternæ pulchritudinis contemplationem perduceret, quæ neque turpitudinis contagione maculari, neque temporibus immutari, neque vllis sordibus illini, neque augeri, neque imminui, neque senio, & vetustate consumi potest, cum sit semper vna, & eadem, sibique similis, nullam in omni æternitate mutationem subiens, mentes in eá defixas, eximio, atque sempiterno lumine collustrans. Finem igitur hominis, atque totam vitæ beatæ rationem, illius præcellentissimæ dignitatis, & pulchritudinis contemplatione contineri; Fieri enim minime posse, cum animus, in diuinam illam speciem intentus, illius pulchritudinem, quantum potest, acerrime contemplatur; quin ad amorem illius exardescat, illi coniungatur, seseque totum ad illius imitationem accommodet, atque tandem in se similem quodam modo dignitatis, & pulchritudinis formam concipiat. Concludit igitur eo in loco Socrates, eos tantum fore magnos homines; & ampla dignitatis, & honestatis specie florentes, qui Diuinam illam honestatis speciem puris animis intuentur. animis siquidem impuris eam inspicere nefas esse confirmat. Eos autem, qui humi strati sunt, & cælestia minime contuentur, nec possunt ipsius pulchri naturã adspicere, quamuis aliqua honestatis specie teneantur, nullo modo censet veram honestatem, sed immanissimam illius imaginem colere, vanissimoque gloriæ simulacro delectari; Inde autem fieri, vt, qui popularem gloriam sequitur, & ad honestatem, quæ hominum errante opinione continetur, adspirat, quietus esse non possit, cum nullam vmquam veræ gloriæ suauitatem gustauerit; sed, quo magis ad honestatem enititur, eo maioribus sæpenumero ignominiæ sempiternæ notis inuratur; atque ita, turpitudinis conscientia, pœnas erroris, & amentiæ persoluat. Hæc quidem igitur est, etiam doctissimi illius viri sententia, neminem vmquam ad veram, & solidam dignitatem esse peruenturum, qui non prius mentem castam, & puram, & verissimæ laudis cupiditate flagrantem, in illam præstantem, & eximiam, & sempiternam pulchritudinem intenderit, e qua semper omnis decoris, & dignitatis ratio manat, & fluit. Qui igitur hanc intueri non possunt, quamuis omnibus viribus ad honestatem adspirent, numquam solidam, & expressam illius effigiem, sed simulacrum inane comprehendunt; falsaq. specie capti, dum honestatis vestigia se persequi putant, in deformitatem insignem, & dedecus animi sempiternum, vesana, & præcipiti mente rapiuntur. Iccirco fit, vt, quamuis ad breue aliquod tempus laude sibi circumfluere videantur, numquam tamen ex ea solidum tranquillitatis, & constantiæ fructum excipiant: sed, quo magis in ore hominum sunt, eo grauioribus molestiis assidue conflictentur. Nihil enim fictum, & inane potest quietem animis afferre, diuturnamque voluptatem efficere. Ergo, quemadmodum neque in falsis opibus est vllo modo finis humanæ vitæ ponendus, ita neque in adumbrata dignitatis imagine. Cum autem vera dignitas in Diuinæ tantum dignitatis imitatione sit posita; consequens est, vt, qui veram dignitatem appetit, Deum appetat. Qui dicunt igitur, beatæ vitæ rationem totam esse in dignitate reponendam, eam in Deo plane collocant, aut planissime delirant: siquidem constat, veram animi dignitatem a Deo segregari non posse. In quamcumque igitur oram te ratione conferas, vt vestigiis omnibus summum hominis bonum inuenias, semper tibi cæleste, atque sempiternũ numen occurret. Ex quo fit, Deum solum esse summum illud, & altissimũ bonum, humanæ naturæ aptissimum. Id enim solum animos nostros omnibus veris bonis cumulare potest. Nam, si opes exquirimus; is nobis veras, & immensas opes elargitur. Si voluptatem appetimus; is est, qui piorum animos non futili, & inani, sed vera, & stabili voluptate perfundit. Si dignitatem tibi proponis; ille est inexhaustus, atque perennis virtutis fons, summum dignitatis exemplum, totius elegantiæ, & venustatis origo, nostriq. decoris, & honestatis architectus. Si securitas beatum animi statum confirmat; neque enim in metu, & solicitudine beatus esse quisquam potest; tum demum omni metu liberabimur; cum in illius summi, atque præpotentis Domini tutela fuerimus. Si postremo recte positum a multis est, summum hominis bonum esse, naturæ congruenter viuere; tum certe vitam nostrę naturæ congruentem agemus, cum Deum intuebimur, illum amabimus, illum sequemur, totosque nos ad illius exemplum accõmodabimus. Quid enim aliud est in vita, quod nostræ naturæ sit aptum, conueniens, & consentaneum? Numquid ad ludum, ad iocum nati sumus? numquid ad inania simulacra virtutum inanissimo studio consectanda procreati? nullo modo. quin potius ad grauitatis, & constantiæ magnitudinem, ad verissimæ virtutis, & honestatis excellentiam, ad cælestium, atque Diuinarum rerum intelligentiam, ad omnia denique summa, atque sempiterna, atq. adeo ad ipsam Diuinitatem ficti, & informati sumus; naturæq. ipsius disciplinis

mirabiliter instituti. ob id igitur euenit, vt nihil infra Deum sit, quod nos explere, & satiare possit, animosq. nostros stabili, atque sempiterno gaudio afficere. Ergo, si naturæ humanæ dignitatem, atque præstantiam, & cupiditatis insitæ vim mente consideres; constat, nullo modo duplicem esse illius finem, sed vnum tãtum; qui quidem in solo Deo consistit; ad quem omnes natura duce vehimur, tãquam ad illud extremum, & vltimum, quod solum potest animos nostros omnibus bonis affluentes, & quietos efficere. Nunc autem consequens est, vt videamus, num possimus ad hunc summum naturæ bonum, ipsius naturæ tantum opibus innixi peruenire. Minime vero. sic enim nobis Deus diuini status appetitum dedit, vt diuinitatem ipsam minime tribueret. Dei enim propriũ est, sua tantum virtute niti, neque ope alterius indigere. homines autem, vt nõ sua ipsorum opera, sed diuina formati, & figurati sunt; ita non sua tantum opera, sed diuina, id, quo natura insita cupiditate rapiuntur, nullo modo consequentur. Vt enim, quamuis oculos acres, & vigentes habeamus, nullo modo poterimus solis splendorem, clarissimamq. illius speciem videre, nisi prius ille lucem oculis ipsis offerat; ita neque Dei speciem, & pulchritudinem contemplari poterimus, nisi prius simus illius Diuinæ lucis radiis clarissimis illustrati. Nisi igitur is, qui nostros animos effinxit, eosdem suæ lucis radiis accendat, in tenebris, & caligine versabimur; illiusq. mentem, consilium, rationem, ornatum, speciem, & pulchritudinem minime cõtemplari, neque vera, recta, simplicia videre poterimus; sed, inanibus quibusdam visis pulsi, & agitati, & vmbris, & imaginibus elusi, pro veris, & solidis bonis, temeritatẽ, & mendacium, vanissimaque simulacra virtutis, & honestatis amplexabimur. Mentis enim nostræ lux, summum illud bonum est, in quo solo tota veritatis ipsius claritas, omnisq. beatæ vitæ ratio consistit. vt igitur abscessu solis necesse est oculis caliginem offundi, rerumq. adspectum adimi; ita, diuinæ lucis absentia, mentes nostræ tætris tenebris obruuntur, adspectumq. veritatis ipsius amittunt. Mortifera igitur suis capitibus intenta tela non vident; vmbras autem extimescunt; puras, & liquidas voluptates aspernantur; noxias, & pestilẽtes adsciscunt; opes sempiternas negligũt; in falsis inexpiabili cupiditate coaceruãdis omne vitæ studiũ cõsumũt; verissimæ gloriæ dignitas quãta sit, ne suspicione quidem attingunt; temerariæ, & insanæ multitudinis omnes rumusculos aucupãtur. in omni denique vita præceps furor, & amentia dominatur. Accedunt deinde graues curæ, & solicitudines, & multiplices animorum motus, qui ex imbecillitate corporis oriuntur. Ita enim est animus corpori totus immersus, & ex illius natura colligatus, vt nihil possit inspicere, nisi quod ad ipsum corpus referatur; vsque adeo, vt tunc etiam, cum interdum nititur a corpore cogitationem abducere, subito corporeæ species occurrant, quæ illum rursus ad corpus reuocent, & cum illius natura conglutinent. Sic autem necesse est, animum omnia bona corporis vnius cupiditate metiri; quamuis igitur, quasi per caliginem, verum aliquod visum mentis oculis aliquando vsurpare valeat; non poterit tamen illud apprehendere; cũ sit vndique innumerabilibus malis obsessus, & corporeis vinculis illigatus. Hinc enim libido violento quodam lenocinio animum labefactat; inde metus horribili aliqua specie extrinsecus iniecta debilitat. Quid, cum voluptas animum blanditiis emollitum omni munere mentis, & rationis spoliat? quid, cum dolores admoti eum discerpunt, atque dilaniant? quid referam immanem honoris, gloriæ, diuitiarum cupiditatem? quid odium, inuidiam, iracundiam, & alias eiusmodi pestes, quæ animum exedunt, & conficiunt, oratione recenseam? Num poterit humana ratio, tenebris inclusa, tantis, tam immanibus, tam importunis hostibus per se resistere? at ipsa ratio est, quæ ministrat libidini, quæ seruit flagitio, quæ denique est ipsius cupiditatis effrenatæ mãcipium. Quo modo igitur id, quod est ægritudine confectum, salutarique auxilio destitutum, & imperio turpissimæ cupiditatis addictum, poterit ipsius cupiditatis immanitatem profligare? valentius enim malum est, quam vt possit humanis viribus, & ratione depelli. Ergo tantisper, dum animus fuerit a luce diuina relictus, illiusque auxilio destitutus, nullo modo poterit tantam vim mali arcere, veramque virtutem adipisci. quo modo enim prudentiam, quæ est bonorum, & malorum scientia, is poterit assequi, qui ita est tenebris oppletus, vt pro salutaribus noxia, & mortifera concupiscat, & in pestem ante oculos positam impetu cæco rapiatur? Iustitiam vero quo modo obtinebit is, qui vitæ legem ignorat, qui iuris fontem non videt, qui summam totius æquitatis regulam non percipit, qui denique in diuinam mentem, qua omnis iustitiæ ratio continetur, non respicit? In fortitudinis autem laude quo modo vigebit is, qui humana despicere nequit, neque mortem, & dolorem contemnere; cum totus ita pendeat e corpore, vt summum malum in illius dolore, & cruciatu ponendum statuat? Iam vero, quod ad modestiam, & vitæ totius ornatum, & concinnitatem attinet, quis non videt, fieri non posse, vt aliquis modum, & ordinem, & conuenientiam in vita conseruet, qui ordinis, & totius honestatis rationem, atque normam, & regulam, ad quam sunt omnia consilia dirigenda, nõ cernit? Deus enim solus est vitæ modus, ad quem omnia redigenda sunt, in quibus futurum est, vt aliquod pulchritudinis, & venustatis veræ lumen eluceat. Cum igitur omnis animi recta constitutio, in lumine diuino, in illa summa totius æquabilitatis ratione, in illo cælesti, & inuicto præsidio,

dio, in illo summo pulchritudinis exemplo sita sit; fieri nequit, vt, qui sese a Deo disiungit, recte moribus, & vita constitutus esse possit. sic igitur euenit necessario, vt ratio, aut voluptatum blanditijs effeminata, languescat; aut, doloris magnitudine cruciata, succumbat; aut, alia quauis eiusmodi perturbatione concitata, scelus aliquod immane concipiat: &, quamuis interdum, suæ naturæ memor, ad aliquā partem laudis adspiret, cum tamen irritum conatum ad honestatem conferat, ipsius libidinis impetum, eam ab officio reuocantis, diu ferre, atque sustinere non possit. Vt enim ægrotus, cum ad aliquod sani hominis, atque valentis officium enititur, quamuis se erigere, & efficere aliquid conetur; tamen in ipso conatu concidit, neque potest, quod male inchoauit, strenue vllo modo perficere: sic, qui animo ægri sunt, (vt sunt omnes, qui Dei lucem non adspiciunt) quamuis enitantur aliquando ad aliquod veræ laudis officium, in medio ipso conatu franguntur. Sed inquies, esse in nobis impressam, & insculptam legis diuinæ scientiam, quæ vetat delinquere, & ad studium honestatis impellit. Verum hoc quidem est; sed, quemadmodum de lege, quam Deus in tabulis lapideis incidit, statuendum est; ita est de hac incisa in animis nostris lege dicendum: eam seruari a nobis non posse, quamdiu sumus in cupiditatis nefariæ dominatu. tamdiu autem in illius potestate sumus, quamdiu ope diuina minime liberamur. cum enim sit animus corpori incredibili amore deuinctus, & ab ipsius coniunctione distrahi, & diuelli per se nequeat, omnem vitæ rationem ad corporis obsequium reuocet, opus est. Bene igitur Plato, omnem viam reip. salutaribus institutis moderandæ, & animi recte constituendi, in Philosophia, quæ continet studium sapientiæ, ponit. sapientiam enim in cognitione boni constituit. bonum autem, eximiam illam, præcellentemq. naturam appellat, qua omnia sustinentur, & vigent. Illius siquidē numine fit, vt omnia gignantur, conseruentur, alantur, augeantur, ad vltimumq. naturæ perueniant. Ergo, cum illud optimum, præstantissimumq. numen, omnem lucem in se ipso contineat; euenit, vt illi tantum vera cernant, quorum mentes illius clarissimo lumine collucēt, illudque, quantum possunt, vita, & moribus imitantur. Inde igitur ait pietatem, inde vitæ constantiam, inde virtutis decus eximiū, inde animi excellentis altitudinem exsistere, & reliqua verissimæ laudis ornamenta, quibus animi puri, & integri, diuinarumq. rerum studio flagrātes excoluntur. Itaque omnem beatæ vitæ rationem in vna virtute locat: virtutem vero in diuinæ tantum virtutis imitatione constitutā esse decernit; ita, vt, qui in Deum non respicit, nullo modo possit veræ virtutis laudibus abundare. Omnes igitur homines, qui a Deo auersi sunt, neque illam clarissimam, & iucundissimam lucē adspiciunt, dicit esse tenebris immersos, & erroribus innumerabilibus implicatos; ita, vt sit illis durissima flagitiorum omniū seruitus necessario patienda, extremaq. miseria subeunda. Facit enim stultorum hominum vitam (omnes enim stultos esse censet, quorum oculis nondum est diuinum lumen Dei ipsius benignitate prælatum) similem sublustri domicilio, sub terra exstructo, in quod per speluncæ, in altitudinem depressæ, ostium ingressus pateat; neque aliam lucem accipiat, quam eā tantum, quæ per speluncæ illius angustias in domicilium illud penetrare possit. Fingere autem iubet animis, magnam hominum vinctorum multitudinem, ab spelūcæ aditu auersam, quæ semper illic in vinculis habitarit; neque possit vllo modo, propter catenas, quibus est alligata, oculos in ipsius specus ostium conuertere, allatāq; intro lucem respicere. Hos autem censet nihil cernere, nihil sentire posse, nisi tātum vmbras, quæ ex hominibus, & iumentis, propter specū supra terram transeuntibus, efficerentur. Ergo, cum neque solis vnquam lucem oculis adspexerint, neque veros homines, veraq. animātia viderint; necessario euenire credit, vt nihil illo domicilio clarius, nihil vmbris illis verius existiment: ita, vt, siquis ex his locis, quæ incolimus, in specum illum demissus eis dicat, intra antrum illud nihil veri, nihil solidi cerni, sed inanes tantum vmbras ob eorum oculos circumquaque volitare; stultus, & insanus existimetur. Hanc autem similitudinem ad hominum imperitorum vitam transferebat. Omnes enim ita sunt, quasi quodam ergastulo, compagibus crassi, & caliginosi corporis inclusi, rebusq. terrenis addicti, vt non possint caput attollere, adspectumq. in diuinam lucem conuertere. sunt enim cupiditatibus infinitis ita constricti, vt nequeant vllo pacto quidquam intueri, nisi quod ad corporis voluptatem, & emolumentum referatur. Cum autem omnia, quę corpore constant, si ad diuina, atque sempiterna referantur, sint vmbræ tantum, & inania quædam visa, plurimum a veritatis ipsius soliditate distantia; constat, omnes mortales, quamdiu ita vincti detinentur, non posse verum contueri, sed, vmbris assuefactos, illarum similitudine delectari. ita igitur fieri, vt, cum mendacio, & vanitate gaudeant, nō queant veris bonis frui; sed, quo magis, vt bona sibi comparent, enituntur, eo grauioribus malis, & ærumnis acerbioribus opprimantur. Vnicum igitur in tantis malis remedium arbitratur, nempe diuino beneficio vinculis illis eximi, & ex abditis illis sedibus in supera loca euadere, solis, & siderum lucem adspicere, veramq. rerum faciem, non obscuras, & inanes rerum imagines intueri: quod fieri censet, cum aliquis diuino munere, & beneficio, omni flagitiosa cupiditate liberatus, totum se dat ad bonum illud, summum, animo puro, & integro, & libero contemplandum, & imitandum. Vidit igitur vir ille, Græciæ sapiētissimus, singulari Dei beneficio nobis opus

esse,

esse, ad vitæ finem consequendum, animumq; rectis disciplinis excolendum, nefariamq. cupiditatem acerrime comprimendam; & absque illius ope veræ virtutis munus exstare non posse. Quo magis admiror, quid in mentem venerit quibusdam viris pijs, & eruditis, asserere, posse nos, si velimus, absque singulari Dei præsidio, naturam officiorum omnium magistram sequi, præscriptisq. rationis obtemperare, omnibusq. diuinæ legis iussis obedire. Quin etiam summũ illud omnium præceptum, quo lex vniuersa continetur, quod præscribit, vt Deum supra res omnes diligamus, asserunt posse ab illis obseruari, qui nondum sunt singulari Dei auxilio præmuniti. Excogitarunt igitur, duplicem esse in Deum caritatem; vnam, insitam in nobis, qua, naturæ tantum admonitu, Deum rebus omnibus anteponendum ducimus; alterã, supra naturam, ad quam fidei vigentis viribus excitamur. Naturalem igitur sine Dei singulari ope constare posse; eam vero, quæ fide incenditur, non posse. Quod quidem, bona illorum venia dixerim, nimis inconsiderate dictum existimo. In eo enim primum grauiter errãt, quod existimant aliquam esse in Deum caritatem, quæ fide munita non sit; aliquam rursus, quæ non sit humanæ naturæ conueniens. Est enim omnis caritas cum fide coniuncta. Deum enim amare non possumus, nisi prius firmam animis nostris informationem sapientiæ, & bonitatis illius habeamus. Quod enim est incognitum, amorem excitare nequit: neque est quidquam, quod ad amorem alliciat, nisi præclara specie dignitatis antecellat. Omnis autem firma, & stabilis informatio animi, vel sensu fit, vel ratione, vel fide. Deus autem, qualis sit, neque sensu informari a nobis potest, cum sit mens pura ab omni corporis concretione segregata; neque ratione, cum illius maiestas, & amplitudo ingenij nostri angustijs contineri nequeat; & vis illius sempiterna, humanæ mentis imbecillitate, comprehendi non possit. Reliquum igitur est, vt, qui illius bonitatem animo comprehẽsam tenet, fide cõtineat. Si igitur Deum nemo amare potest, nisi prius, quoad fas est, illius virtutẽ, & bonitatem animo comprehendat, quod absque fide fieri nequit; Deum certe nemo complecti amore poterit, absque fide. Præterea omnis caritas in Deum pietas est: pietate vero omnis sanctitas, & religio continetur: sanctitas porro absque fide exstare non potest: ergo neque caritas in Deum a fide segregari vmquã poterit. Fides enim in officio maxime cernitur: qui autem Deum maxime diligit, omniũ maximo, & præstantissimo officio fungitur: qui igitur Deum diligit, fide perfungitur. Deinde verus amor officijs, & operibus comprobatur: omnia autem diuini amoris officia, sunt in vna obedientia collocanda: obedientia vero fides est. quicumque igitur eum supra omnia diligunt, fideles existimandi sunt: debitum enim officium tuentur. Hinc autem sequitur, omnes, qui rectam rationem sequuntur, Deum debita fide venerari. Est enim recta ratio, lex diuina, mentibus humanis incisa, a flagitijs omnibus auocans, & ad omnia officia virtutis impellẽs. Quod enim Deus olim, cum legem dabat Hebræis, præscripsit in tabulis lapideis; idem omnino, a primordio generis humani, in hominũ mentibus insculpsit. vnde colligitur, legis diuinæ vim humana prudentia contineri. Qui igitur præscripto rectæ rationis obtemperat, Dei iussis obtemperat; qui autem Deo obtemperat, fidem colit: qui igitur rectam rationem sequitur, fidem colit. Postremo iustitiam nemo potest obtinere, nisi sit veræ fidei auxilio singulari præmunitus. Iustitia vero, in obseruatione legis diuinæ consistit, est enim iustitia nihil aliud, nisi ornatus animi diuina lege perfectus, suisq. numeris omnibus absolutus. Hæc autem est illa iustitia, quæ non iactatione, & leuitate fertur; sed veritatis ipsius lumine confirmatur: quæ non ostẽtationi seruit; sed solidum eximiæ virtutis fructum capit: nec errantem hominũ opinionem sequitur; sed ad firmum, & stabile mentis iudicium omnia perpendit. Qui igitur in omnibus vitæ consilijs rectæ rationi pa. et, veræ iustitiæ laudibus ornatus est. quod cum absque fide fieri nulla ratione possit; consequẽs est, vt, qui rectam rationem in omnibus vitæ consilijs obseruat, fidelis existimetur. Quod autem omnis veræ iustitiæ ratio in diuinæ legis obseruatione sit posita, Paulus aperte significat, cum ait; non eos, qui legem auribus accipiunt; sed, qui ea, quæ lege sancta sunt, operibus exsequuntur, esse iustos apud Deum. ostendit deinde, legis diuinæ vim esse mentibus humanis insculptam; & eos, qui eam naturæ legem sequuntur, esse circumcisos, hoc est iustos existimandos. Quoquo igitur modo accidat, vt homo Deum supra omnia diligat, hoc est illum omnibus rebus anteponat, legemq. illius, quæ tota est in prudentia constituta, diligẽter obseruet; auctore Paulo & fidelis, & iustus habendus est. Valde igitur errant, qui aliquam caritatis diuinæ rationem, munere fidei, diuiniq. iuris spoliant. Alterum autem erratum, quod sequitur, non est leuius existimandum; quod existimant, eam caritatem, quam a naturali caritate segregant, quam videlicet Christi fide consequimur, ad naturæ munus minime pertinere. Sapientius profecto multo, magnus ille Basilius ait, omnia amoris diuini semina, in mẽtis humanæ naturam sparsa esse; ita, vt vnum tantum munus nobis efficiendum sit, nempe id, quod diuino munere nobis innatum est, perpetuo colere, quo tandem adultum, atque perfectum possit vberrimos ex se fructus multiplicis virtutis effundere. Vt enim rationibus vtamur viri illius sanctissimi, quem vnum merito omnis Græcia semper admirata est; quid est magis secundum naturam, quam illos diligere, a quibus orti sumus? quam elegantiam virtutis admirari? quam postremo eos, quos in

Rom. 2.

nos

nos valde beneficos esse conspicimus, grata voluntate prosequi? Ergo, cum Deus sit generis humani parens, & cõditor; cum sit virtutis, & decoris, & dignitatis, & pulchritudinis inexhaustus fons, & principium; cum illius munere, & beneficio non modo conditi, & conseruati, verum etiam innumerabilibus donis, & muneribus ornati, & instructi simus: quid magis est humanæ naturæ consentaneum, quam ardenti studio, & amore erga parentem illum optimum incendi? Quod si neque naturæ, neque fidei ratione potest duplex caritatis in Deum ratio prudenter excogitari; sequitur, caritatem vnam ab alia, non genere, & ratione, sed gradibus, & magnitudine debere distingui. Quod igitur de vna aliqua singulari caritate in Deum dicitur, vniuerse de omni genere statuendum est; non posse Deum a nobis absq. singulari illius ope diligi: quam cum nemo possit absque fide consequi, nemo certe vmquam sine fide Deum amare poterit. Nam, quæso, quo modo is, qui nondum est singulari Dei ope sanatus, cælestiq. luce completus, diuinaq. virtute stabilitus, Deum plus rebus omnibus amare poterit? Num voluptates omnes, ne Deum offendat, aspernabitur? num iracundiam, odiũ, inuidiam continebit? num iniquitati, & iniuriæ cum fortunarum suarum omnium periculo summa ope resistet? num denique omnia vitæ commoda, num honores, & imperia, num omnes humanas opes, si suspicatus fuerit earum cupiditatem Deo inuisam fore, contemnet, atque despiciet? Quid enim aliud est, Deum supra omnia diligere, nisi Dei voluntatem rebus omnibus anteferre? Aut igitur statuis, eum, qui Deum magis rebus omnibus diligit, pecuniã, voluptatem, opes, & imperia præ diuina voluntate contemnere; aut nihil omnino dicis. Quæro igitur, num is, quem statuis posse, natura tãtum adiutum, rebus omnibus Deum anteponere; sit ne iam a dominatu cupiditatis ereptus, an maneat adhuc eisdem cupiditatis ipsius indomitæ vinculis alligatus. Si est in dominatu cupiditatis positus, id certe tantum efficiet, quod cupiditas imperabit. quæ cum sit natura diuinæ legi contraria, & inimica; restat, vt omne studium hominis imperio illius addicti cum lege diuina pugnet. Nullo igitur modo Deum corporis commodis, & emolumentis anteponit; immo, vt cupiditati corporis obsequatur, omnia Dei præscripta contemnet. Si autẽ iam cupiditatis iugum a se repulit, in libertatemq. vindicatus est; quæro rursus, num id diuino munere, an viribus, & opibus suis assecutus sit. Si diuino beneficio dicas; falsum igitur est, quod asserebas, eum, naturæ tantum præsidio firmatum, Dei legem seruare. nisi enim is, diuino auxilio fultus, cupiditatis iugum a ceruice sua depulisset, Dei legem seruare minime potuisset. Si vero statuis, eum viribus, & industria tantum sua cupiditatem omnem resecasse, libertatemq. obtinuisse; summum in te scelus admittis. Pelagij nãque vestigijs ingressus, gloriam diuinæ gratiæ debitam ad humanã industriam transfers. Nihil enim potuit vires cupiditatis exscindere, nisi gratia diuina. Aliter enim, quid est, cur tantopere Paulus fidem exornet? cur humanæ miseriæ imbecillitatem exaggeret? cur diuinæ gratiæ immensas opes efferat; si absque fide potest humana natura, & absque vllo Dei singulari subsidio cupiditatem elidere, omnes animi labes repellere, turpitudinis, & impuritatis omnes fibras exstirpare? Nec enim is vllo modo est, qui decernat tantã inesse in humana natura vim, vt ea per se possit recte moribus, atque vita constitui. Numquam enim distinctionem illam adhibuit, vt diceret, aliam esse rectam animi constitutionem naturæ congruentem, quæ tamen in cælum dux esse non posset; aliam vero supra naturam, quæ cælestem gloriam meritis vitæ consequitur. Nondum enim tantum in terris acumen exstiterat, nec tanta in disputando subtilitas, vt si te vlla graui caussa, quæ sunt coniuncta, distingueret; vt hi faciunt, qui duplicem hominis finem ponunt, duplicem in Deum caritatem, duplicem postremo hominis statum, prudentia, & mente fundatum, rectaq. ratione stabilitum. nam, si Paulus disputauisset, multos mortales absque fidei adiumento pietatem coluisse, moderateq. vixisse, in omniq. genere virtutis excellentes exstitisse; addidisset tamen, ea veræ virtutis ornamenta nullum eis penitus fructum, qui ad gloriam sempiternam valeret, attulisse: tũ certe dicerem, Pauli mentem cum horum hominum mente congruere, qui aliam virtutem veram quidem esse statuunt, sed æternæ gloriæ præmio indignam; aliam vero, cui sit præmiũ æternæ gloriæ constitutum. Sed numquam id posuit in oratione Paulus: quin potius omne genus humanum, gratia diuina vacuum, erroris, & amentiæ conuincit; neminemq. excipit, qui non sit omnibus libidinum maculis inquinatus, summisq. sceleribus auaritiæ, crudelitatis, immanitatis adstrictus. principium autem humanæ labis, & ruinæ, ab illo summo scelere ducit, quo homines fidem Deo debitam nefarie prodiderunt; leuissimisq. opinionibus inflati, præcipitiq. ingenij confidentia, in turbulentissimos errores inciderunt: ex quo intelligi vult, neminem absque fide vmquam sapienter, recte, constanter, & moderate viuere potuisse. Quod etiam euenisse confirmat omnibus Iudæis, qui legis confidentia tumebant; neque totam veræ pietatis rationem in diuina benignitate collocabant. Eos enim similiter ait fuisse, flagitijs omnibus coopertos, & summa immanitate crudelitatis efferatos, acres in scelere, & suorum sanguinem perpetuo sitientes. vnde colligit, illos frustra in disciplina legis enutritos fuisse. Sic autem premit hunc locum, vt demonstret, neque rationem hominibus, neque philosophiam Græcis, neque legem quidem diuinam Hebræis, vllum ornamentum veræ virtutis

tutis

tutis attulisse: esseq. proinde omnibus, qui laudem, & dignitatem caram habent, ad vnum Deum confugiendum. Vt autem id magis inculcet, docet, quanta sit naturæ imbecillitas, quanta rursus cupiditatis immanitas; ita, vt, quamuis ratio cum lege diuina consentiat, eã tamen cupiditas facile, quocumque ruere incipit, constrictam abripiat. Huius autem miseriæ effugiendæ rationem, vnam penitus esse dicit, quæ diuina gratia, singulariq. illius præsidio continetur. Tum confirmat, id, quod lex propter imbecillitatem naturæ præstare nullo modo poterat, nẽpe, vt homines castos, atque sanctos efficeret, Dei filium in humana forma, & habitu latentem perfecisse. Is enim solus est, cuius numine, & beneficio libidinẽ frangere, & omnẽ cupiditatis importunitatẽ reprimere, perfectumq. virtutis officiũ tueri facile possumus. Hæc est Pauli mens, & sententia, vt in sola Dei gratia, quæ fide comparanda est, omnem rationem elidendæ, & comprimendæ cupiditatis sitã esse constituat, nullamq. aliam viã illius exstinguendæ, atque delendę esse doceat. Et tamẽ erit quisquam tam auersus, non dicam a ratione, verum etiam a Pauli mente, atque adeo a diuino spiritu in Pauli pectus incluso, vt affirmare audeat, natura tantum fieri possę, vt homo non modo virtutes omnes adipiscatur, verum etiam Deum eximie diligat? & in cupiditatis regno pietatis maiestas, & amplitudo dominetur? At, quam apte id colligant, operæ pretiũ est animaduertere. Natura, inquiunt, statutum est, vt proprio quisque bono commune bonum præferat. Vt igitur manus se se opponit, vt vulnus, quod capiti infertur, excipiat, & pernicie sua corporis totius vitam tueatur: sic natura quisque incitatur, vt morte sua patriæ salutem redimat, & in omni loco commune bonum suis commodis anteponat. Cum autem nullum bonum sit Deo maius, neque quod latius pateat; omnia siquidem sempiterno illius numine, & immensa benignitate sustinentur: consequens est, vt quilibet natura incitetur ad Deum summe diligendum. Recte sane: sed meam adhuc caussam agis. Naturæ enim legem explanas; non mihi legis obseruandæ facultatem vllam largiris. Hæc igitur est naturæ lex, hæc iuris diuini sanctio, vt patriæ salutem propriæ saluti præferamus, nihilq. ardentius, quam Deũ, amemus. Sed ita turbat animum cupiditas, tantisq. erroribus complet, vt totum hominem, a studio communis boni, & cultu pietatis abductũ, ad corporis obsequium traducat. Non igitur tunc humani generis societatem conseruabit, neque, vt Deo placeat, elaborabit; sed corpus tantum respiciet, vsque adeo, vt, futilis etiam, & inanis voluptatis gratia, & generis humani salutem, & numinis diuini sanctitatem contemnat, atque despiciat. Quid, inquiunt, mirum, nos, naturæ tantum admonitu, rebus omnibus posthabitis, Deum summe diligere; quando id etiam, interdum a natura tantum admoniti, amicorum caussa faciamus? Argumentũ, quod afferunt, nullum omnino pondus habet. Amici enim videntur a nobis; & amicitiæ, inter homines institutæ, ad sensus maxima ex parte referuntur: Deus autem oculis cerni non potest: Cum sit igitur ab oculorum adspectu remotus; quamuis sit summe diligendus, minime tamen amabitur ab hominibus in terram abiectis, atque demersis, omniaq. sensu metientibus. Vnde Ioannes ex odio hominum inter homines apte colligit, Deum ab hominibus amari nullo modo posse. Qui, inquit, non diligit fratrem suum, quem videt; quo modo Deum, quem non videt, potest diligere? Loquitur cum hominibus, terræ penitus affixis, qui ita sunt addicti sensibus, vt nequeant vllo modo mentem a contagio corporis, & a consuetudine oculorum abducere; quibus censet longe facilius esse, homines, quam Deum, amare. hos enim corpore vident, Deum vero, cæcitate mentis impediti, nõ vident. Si igitur homines, quos vident, immani odio persequuntur; quo modo Deum amabunt, quem numquam adspexerunt; & cuius leges, & sanctiones, suis cupiditatibus acerrime aduersari conspiciunt? poterit ne fieri, vt non sit Deus in odio summo apud eos, qui toti sunt in cupiditatis quodammodo naturam conuersi, cum cupiditas sempiternas inimicitias cum diuina mente gerat? Ita sane, inquiunt: non quidem, vt summum bonum, (nam id non in Deo, sed in corporis voluptate, & emolumento constituunt) sed vt naturæ principium: nempe, quia sentiunt, diuina natura contineri suã; euenit necessario, vt, quamuis sint scelestissimi, magis tamen Deum, quam se diligant. Mira disputãdi sollertia, quæ homines minime malos, in tam leues, & ineptas sententias incidere cõpellit. Dum enim, quod temere constituũt, tueri fortissime perseuerant; nihil est tam absurdum, nihil tam optimæ philosophandi rationi contrarium, quod affirmare dubitent: velut in hac distinctione perspicitur. Amor enim, cum sit voluntatis præcipuum munus, & officium, voluntas autem semper in bonum necessario respiciat; sequitur, vt amor ad bonum semper necessario referatur. summus igitur amor in summum bonum semper intuetur. Si igitur cõtendis, Deum, absque gratia illius, ab improbis hominibus summe diligi; necessario confirmes opus est, Deum ab illis necessario summum bonum existimari. Quod cum nõ facis, tute ipsum in eos laqueos induis, quibus explicari non possis. Inepta namque, & implicata distinctio est, quæ, sublata boni ratione, qua omnis amoris ratio nititur, non modo amorem, sed summũ etiã amorem, constituit: Deinde te ipsum iugulas, cum ais, Deum ab improbis summe diligi, vt propriæ naturæ principium. Qui enim aliam propter se diligit, magis profecto se ipsum diligit. ad se namque ipsum amorem illum refert. Vt enim tyrannus, cum, ciues incolumes esse, propter commodum suum, cupit, (nam sit, enim,

1. Ioan. 4.

euersa ciuitate, se funditus interiturum) non ciuitatem, sed se ipsum amat; ita, qui, propter naturæ suæ conseruationem, Dei numen carum habet; non Deum, sed se ipsum amat. Se ipsum igitur summe diligit; non Deum. Verus enim amor, non suum emolumentum, & commodum, sed illius, quem amat, respicit. Ex quo fit, vt, qui voluptate, & emolumentis ducitur, vt aliquem amet, non illum, sed seipsum amet. Sed hoc minus ad rem. Neque enim quæstio est, an scelesti aliqua ratione Deum ament; sed, an possit homo, natura tantum, & ratione instructus, Deum, vt summum bonum, amore summo complecti, & ita iussis illius omnibus obtemperare. Quod qui asserunt absque diuina gratia fieri posse, cum Hieronymo, & Augustino, cum alijs antiquis patribus, cum Paulo, atque adeo cum Euangelio pugnant. Illud enim tenendum est, in regno cupiditatis, hominis mentem excæcari, animumq. turbari, & tumultuari, atque præclara interdum conantem a statu detorqueri; ita, vt nullo modo possit quisquam vel illud summum bonum intueri, vel animum moderari, statumque suum a flagitio, & impuritate, ab animi peste, atque pernicie, tutum, & incolumem conseruare. Regnum autem cupiditatis exscindi non potest, nisi per Dei filium. Ergo, absque singulari illius ope, nemo poterit aliquid cum vera laude moliri; quemadmodum inquit ille, Sine me nihil potestis facere.

Ioan. 15.

Ad illius autem opem comparandam, fides necessaria est: ad omnia igitur morum, atque virtutum ornamenta consequenda, fides in primis necessaria est. Sublata igitur fide, nullo modo potest humana natura in aliqua laude versari. Sed occurrit hic vir quidam pius, & in primis eruditus, qui molestissime fert, esse quosdam homines pietate quidem præstantes, sed in tantum errorem deductos, vt naturam, quam Deus tam admirabili consilio condidit, abijciant, atque quasi capite damnent; cum sic statuunt, illam, nisi fuerit singulari Dei præsidio fulta, non posse vllum veræ honestatis munus exsequi, sed potius in omni flagitio volutari. Et oratio grauis est, & auctoritas illius minime negligenda. Quo igitur argumento sententiæ inuidiam propulsabimus? eodem certe, quo Paulus depulit orationis inuidiam, cũ legis confidentiam perpetua disputatione deprimeret. Legem, inquit, euertimus per fidẽ? non: sed legem stabilimus.

Rom. 3.

Sic & nobis hoc in loco dicendum, non fide euerti naturam, sed firmari potius, atque constitui. Quod enim aliud est, vel legis, vel naturæ firmamentum? Ergo, cum dicimus hominis naturam non posse sua ipsius vi, munus, & officium tueri, ad extremumq. peruenire; non naturam euertimus, sed, in quo sit naturæ ipsius lumen, & robur, explicamus. Vt enim, si quis dicat, nullo modo posse vitem suaues fructus efferre, nisi accesserit ars agricolarum, quæ illam circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur; non vitem, vt inutilem, damnat, sed artem illius colendæ tradit: ita, qui dicit, hominis naturam nihil penitus absque Dei gratia posse; non naturam damnat, sed, in quo sit illius cultus, atque virtus, ostendit. Cultus enim animi est, Spiritus sancti disciplina, ea enim iacentem animum erigit, & extollit, atque ad suum vltimum perducit. Parum autem animaduertunt homines, quantum argumentum humanæ dignitatis in hac colligatione, qua tota mens hominis est ex diuina mente nexa, & apta, consistat. Vt enim omnia Dei numine, & voluntate procreata sunt; ita eiusdem prouidentia conseruantur, & permanent. Sed, quo res quæque præstantiorem locum obtinet in natura, eo pluribus diuinæ prouidentiæ opibus fulcitur, atque sustinetur. Sic fit, vt rebus inanimis hoc largiatur tantum, vt sint; plantis autem, non tantum vt sint, sed vt alantur, & augescant, &, maturitatem adeptæ, fructus, & semina profundant: animantibus præter hæc dedit motum, sensum, & appetitum: homini vero, animantium reliquorum principi, vltra hæc omnia, largitus est mentem, & rationem, qua & Deum parentem agnosceret; seq. cum omnibus hominibus iure consociatum intelligeret; & sic in pietatis, atque iustitiæ studium incumberet. Ergo, quo magis excellit homo rebus omnibus, quæ sub adspectum cadunt; eo magis necessarium fuit naturam illius maioribus opibus, atque præsidijs sustentari. Cum igitur Deus in omnem naturam intentus singulis rebus præsens adsit, secundum id, quod cuiusque rei natura, & condicio postulat; consentaneum fuit, vt homini, quem reliquorum animantium naturis præfecit, non cõmunem, sed singularem, longeque præstantiorem opem afferret, qua posset expetitum statum adipisci. Ea autem est lux diuina, qua circumfusus homo facile cernit, Deum esse sibi sequendum, omnesque beatæ vitæ rationes in illius benignitate collocandas. Vt enim non satis est, oculos vigentes habere, nisi splendore solis omnia dilucescant; sic frustra mentem, & rationem habemus, si lux a nobis diuinæ mentis abscedit, in tenebris enim, & caligine versabimur. Sic igitur euenit, vt, qui se recta ingredi putat, longe aberret, & omnibus in locis offendat, & in multa furenter incurrat; atque tandem cum summa pernicie concidat, & in ruina miserrime conteratur. quo enim res præstantior est, eo casus illius est calamitosior. Qui igitur dicit, non posse hominem absque Dei præstantissimo numine statum suum tueri, non hominis naturam abijcit; sed, quam altum gradum in vniuersa natura teneat, ostendit. docet enim, tam insignem eius esse naturam, vt ea, sine diuina mente, regi non possit. Quod autem homo sine hac ope diuina recte officio fungi nequeat, illud est satis efficax argumentũ, quod omnes virtutes recta ratio gubernat.

bernat. Vbi igitur recta ratio animum non rexerit, ibi profecto mens vires efficaces habere non potest, vel ad verum videndum, vel ad recte agendum: vbi autem cupiditas in homine dominatur, ingens caligo mentis oculis offunditur, & animus ipse frangitur, atque debilitatur; ita, vt nequeat vel verum adspicere, vel, quod quasi per caliginem videt, atque rectum esse statuit, exsequi. vnde illud Nasonis,

-uideo meliora, proboque;

Deteriora sequor.

Cupiditas autem dominatu pelli non potest, nisi per diuinum spiritum. ergo neque recta ratio absque diuino spiritu constare potest. cuius cum nemo particeps esse possit absque fide; sequitur, vt nemo possit esse prudens absque fide. vbi vero prudentia non viget, nulla vera virtus exsistit. Vbi igitur fides mentem non instruxerit, nulla vera virtus enitescet. Vt igitur ea, quorum caussa haec disputatio hoc in loco instituta fuit, oratione concludamus; aut illi, qui maximas artes excoluerunt, magnamq. aliquam hominibus vtilitatem attulerunt, atque hominum fama, & celebritate in laude vixerunt, fide fuerunt illustrati; aut nullo modo virtutem, sed inane simulacrum virtutis coluerunt, multis flagitijs, quasi sordibus, & illuuie, foedatum, maximisq. turpitudinum maculis inustum. Aut enim ad veram honestatem omnia referebant; aut ad rumorem populi colligendum. Si verae honestati dediti fuerunt, cum ea tota sit ex diuinae honestatis, & pulchritudinis splendore ducta; hi certe fuere diuinis opibus ornati, & instructi, veraeq. virtutis laude praecellentes: quod quoniam sine fide consequi non poterant, eorum virtutem ad fidem referendam censeo. Sin autem, non veram honestatem, sed falsam illius imaginem consectati sunt; nullo modo virtutem habuere, sed, virtutem simulantes, inclusas libidines, & exsecranda flagitia, fronte, & supercilio contexere. Sit Socrates, aut Plato, aut Xenocrates, aut quiuis alius doctrinae gloria praestans, & in egregia laude versatus; aut illi nullam omnino partem verae honestatis attigerunt; sed in illius vmbra perse quondam studium consumpserunt; & ita, cum essent cooperti flagitijs innumerabilibus, virtutem amplexi sunt, cum occulte scelera infinita conciperent: aut, si in vera laude viguerunt, id nullo modo, nisi diuino motu, & impulsu, singularíq. praesentissimi numinis ope, consecuti sunt. Praeclara est enim illa Ciceronis vox, neminem vnquam virum magnum sine aliquo afflatu diuino fuisse. Diuinae vero mentis afflatus cum non illi [illegible] quam fide comparetur; qui [illegible] viri boni exstiterunt, fide profecto fuerunt illustrati. [illegible] enim nullo modo virtutem consequi potuissent. Ergo, inquies, nemo [illegible] potuit ad virtutem peruenire? [illegible] enim credere; cum nemo illis Dei disciplinam eradicasset? Satis magnam disciplinam ex magnificis naturae operibus, quae intuebantur, [illegible]

1. de nat. de.

ilis, capiebant, ad fidem firmandam. Caeli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Num parum ad Dei cognitionem nos instruit immensus astrorum fulgor, Solis, atque Lunae, & reliquorum errantium siderum admirabilis in varia, & multiplici conuersione constantia, dierum, & noctium vicissitudines, temporum aptissimae ad moderandam vitam varietates? Quid ipsius caelestis naturae tanti motus, atque conuersiones, admirabili inter se ratione concinentes, ad omnium rerum, quae caeli ipsius complexu continentur, statum, atque naturam conseruandam? Quid aetheris ardor, aerisq. natura, aetheris ardore temperata? quid terras, quid maria, quid rerum omnium varietatem, & multitudinem oratione commemorem? Quid postremo admirabilem siue in rebus singulis fabricam, & artificium, siue in vniuersis ordinem, & conuenientiam, omnibus naturae partibus vno consensionis vinculo aptissime colligatis, atque tanquam ex diuersis sonorum interuallis, pro certa ratione distinctis, suauissimam harmoniam efficientibus? Num parum liquet, hanc esse naturae vocem, vndique ad animos permanantem, & clarissimo quodam sonitu aures omnium complentem, atque testificantem, esse vim quandam mentis, atque rationis immensam, & sempiternam, cuius numine, atque sapientia cuncta & a principio facta sint, & deinceps regantur, atque moueantur? Quid, quod non solum naturae vocibus, atque insitae rationis sensu, verum etiam interno diuini spiritus motu, & impulsu, homines illi incitari poterant in pietatis studium? Impium enim facinus est, existimare, genus humanum aliquo in tempore sic fuisse diuina ope destitutum, vt nullo modo posset ad eum finem, cuius potiundi, ac fruendi gratia conditum fuerat, adspirare. Nec enim erat hoc Dei sapientiae, nec bonitati consentaneum. Qui enim minimarum etiam rerum naturas non negligit, sed omnibus inexplicabili prouidentia consulit; quo modo hominis excellentem naturam negligeret? Negligeret porro, si illi auxilium necessarium ad consequendum vitae finem minime conferret. Necessarium vero auxilium illud interna vocatione, & oblato praesidio continetur. In omnibus igitur aetatibus hominibus, non modo beneficijs eos alliciendo, atque minis, & supplicijs absterrendo, verum etiam interius mentem ad officium excitando, & addita tamquam muniendo, prospexit: sic enim per omnia transit; ac permeat; vt nullam omnino naturam ope sua, & consueta conuenientia destituat: idcirco Solomon diuinam sapientiam inducit, in plateis, in compitis, in omni denique conuentu, & celebritate hominum coetibus occurrentem, maximisq. vocibus cunctos mortales ab amentia deterrentem, & ad se amandam, apprehendam, atque fruendam, euocantem. In quo [illegible] intelligimus, quantum in omni aetate Deo summo studium [illegible] Liberum tamen

semper

semper fuit hominibus, vel Diuinæ sapientiæ vocibus auscultare, vel illas aspernari. aliter enim Deus immensæ suæ æquitati, atque benignitati, minime constitisset. Nulla enim ratio est, aliquem Deo coniungi, nisi sit illi amicus. amicus porro illius esse nemo potest, nisi fuerit illi similis. Diuina autem similitudo tota est in veræ virtutis studio, & exercitatione constituta. virtus autem nulla esse potest, nisi sit voluntaria. nemo igitur Deo coniungi vllo modo potest, in cuius voluntate situm non sit, vel illius disciplinam, & imperium sequi, vel ingrate repudiare. cum autem beata vita tota sit in Diuina coniunctione posita; sequitur, vt, adstricta voluntate, nemo possit vitam beatam adipisci. Cum igitur & Diuina disciplina semper eluxerit, & in hominum potestate fuerit positum, vel illam fide complecti, vel perfidia reijcere; efficitur, fidem etiam, atque pietatem temporibus illis priscis, non modo apud Hebræos, sed etiam apud alias nationes, floruisse. Ergo, quemadmodum fide multi erant ad omnem honestatis excellentiam incitati; ita maxima pars hominum, infidelitate cæca, in omne scelus inconsiderato impetu ferebatur. Præclare enim Plato in legibus statuit, omne facinus, cum temeritate, & impudentia susceptum, ab impietate in Deum oriri. Nec enim existimat, aut sacrilegium, aut periurium, aut aliud eiusmodi scelus ab eo suscipi posse, qui Deum putat esse omnia diligenter intuentem, & animaduertentem, & iusto iudicio cuncta moderantem. Nam, qui hominum conscientiam, qui possunt aut opibus vinci, aut præstigijs illudi, aut muneribus deleniri, valde metuit; non illũ præpotentem Dominum, omnia prouidentem, & iustissimo imperio gubernantem extimesceret? Sed illud, inquit, esse in caussa: eos aut nullam esse omnino vim Diuinam existimare; aut ab ea res humanas minime curari; aut posse iudicium illius, hostijs, & muneribus a seueritate ad gratiã inflecti. In quo etiam loco Physicos accusat, quod impietatis auctores se præbuerint. in naturæ enim explicatione, nihil ad Diuinam mentem, sed ad vim mentis expertem, motus temere cientem, & ad casum & fortuitum materiæ concursum, omnia referebant: ita, vt, argumentis suis inepte, & impie conclusis, omnem penitus religionem, quantum in illis fuit, de hominum vita sustulerint. Pietate igitur in Deum, atque fide constituta, ius, & officium, & honestatem, omnemq. virtutis præstantiam constitui, atque confirmari putat. Proinde hoc esse summum illius officiũ, qui reip. princeps esse studet, vt, religionis, atque sanctitatis disciplina, ciuium animos imbuat. Hæc quidem Platonis sententia, quam plane diuinam arbitror, facit indicium, fidem neque ab eo, neque ab alijs, qui idem sentiebant, fuisse neglectam. Ergo, si vel ille, vel quiuis alius, ab eodem sensu minime abhorrens, aliquid in vita cum vera laude gessit, totum id est ad fidem referendum. Credebant enim, Deum esse, ac virtutem Diuino præmio remunerari: in qua sententia, vt Paulus auctor est, fidei summa cõsistit. Heb. 7. Hæc autem erat illa fides, quæ tum solum exigebatur, antequam essent homines ad clariorem notitiam de Diuina mẽte, & imperio, atque de præmijs virtuti, & pietati positis eruditi. Si igitur tunc aliquis vel philosophus, vel reip. princeps, vel quiuis alius exstitit, qui non dolis, & fraudibus, virtutis opinionem, & gloriam captaret; (qualem Poetæ ferunt fuisse Amphiaraum, de quo ait Aeschylus;

Qui non credi, sed esse iustus expetit;
Et diligenter arua mentis excolens,
Virtutis ampla fundit ex se germina)

hi, qui tali mente fuerunt, eum certe statum non aliter, quam fide, consecuti sunt. Omnes siquidem, qui, naturæ operibus admoniti, rationem ad studium pietatis contulere, in fide permansere, atque iustitiam adepti sunt. Quocirca mirandum non est, fuisse a quibusdam honestatem cultam egregie, omnemq. vitam in illius studio consumptam. hoc enim est statuendum, nihil sine fide geri posse, quod sit in vera laude ponendum. Sed dubium interim occurrit, de illo genere officiorum, quod neque a cõstanti fide proficiscitur, nec a nefaria cupiditate nascitur. Nam, quæ a flagitiosa cupiditate oriuntur, veluti ea, quæ vel inanis gloriæ caussa, vel pecuniæ, vel potentiæ comparandæ, vel libidinis explendæ fiunt; quamuis speciem habeant amplam, & illustrem, esse tamen liquet in flagitijs numeranda. ad flagitium enim referuntur. Sed de illis dico, qui, quamuis sint adhuc sceleribus impediti, a ratione interdum reuocati, multa egregie conantur. Num omnia, quæ moliuntur isti, sunt, vt impura, & inquinata, reijcienda? minime profecto. Sed est statuendum, etiam ab illis aliquid posse, quod ad aliquod officij genus, minime tamen perfectum, & absolutum, reuocandum sit. Est enim animaduertendum, a quo fonte profluat officium, vt sic tandem de illius æstimatione rectum iudicium faciamus. Considerandum autem est, numquam sic esse in improbis oppressam, & exstinctam rationem, vt non interdum aliquod lumen illius appareat. sit homo flagitiosus, impurus, omni scelere contaminatus: is tamen & virtutem admirabitur, & sceleris sui conscientia torquebitur; &, inspecta aliorum virtute, inuidia contabescet; maleficiaq. sua celare, & occultare contendet; &, quantum poterit, elaborabit, vt virtute, & sapientia præstans existimetur. Ergo & virtutem laude, & scelus odio dignum existimat: quod quidem naturæ iudicium minime vituperandum est. Adde, quod, immensa Dei benignitate, officij sui identidem admonetur. numquam enim Spiritus sanctus intermittit scelestos ab impietate deterrere, & ad officium adhortari. Nemo igitur est tam perditus, atque

profligatus, cuius animum interdum non pulset diuinus spiritus, futurique iudicij metus vchementer exterreat. sic igitur improborum animi in contrarias partes distrahuntur: dum alio rapit cupiditatis immanitas, alio ratio, atque numinis metus impellit. Quamuis igitur sit aliquis tætet, & infamis; aliquando tamen rationem sequi nititur, & Dei iudicium metuit. tunc igitur non est ille conatus vitio tribuendus; sed incoustantia vituperanda eorum, qui, victi libidine, ab illo conatu depelluntur. Aestu enim cupiditatis abducti, in omne flagitium feruntur, & ruunt. Non aliter, (vt Virgilij verbis vtamur)

> Quam qui aduerso vix flumine lembum
> Remigijs subigit, si brachia forte remisit,
> Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

Est tamen ille conatus, inchoatum quoddam, & imperfectum officium nominandum; nec vituperatione dignum, cum sit a vera ratione, & a fide etiam profectum. Cogitur enim interdum improbus, atque sceleratus, confiteri, res humanas a Deo animaduerti; ideoq. interdum a scelere abstinet; & aliquid rectum, quamuis non omnino recte, gerat. neque enim recte quidquam fieri potest, nisi ab eo, qui vera, & absoluta fide instructus, & ornatus exsistit. Iccirco solum fidei opus perfectum, officium dici, & haberi conuenit. Id enim solum, quod fide perficitur, cum Diuini numinis spiritu, & ab animo in Deum conuerso, & intento fiat, & ex illius voluntate, & ad gloriam illius dirigatur; recte, & cum verissima laude suscipitur. Vt igitur ad tria principia, cũ de lege disserebam, omnia actionum genera reuocabam, (alia sunt enim opera fidei, alia vero legis, quædam postremo cupiditatis) idem hoc in loco censeo faciendum. Alia sunt enim veræ, & perfectæ fidei opera, alia mediocris rationis, alia flagitiosæ cupiditatis existimanda. Prima quidem salutaria; altera vero non improbanda, ad iustitiam tamen inducendam per se parum conferentia; reliqua omnia, cum ab immoderata cupiditate proueniant, sunt dira, mortifera, & exitiosa, & maxime detestanda. Cum igitur neque in natura, neque in lege, nec in ratione, neque in vllius disciplinæ institutis sit aliqua via, qua ad beatam adspiremus; nisi tantum in Dei bonitate, & beneficentia, quam quidem non vllis humanis studijs, sed fide consequimur; intelligendum est, omnem animi nostri conatum, esse ad fidei constantiam, & amplificationem conferendum. Illa siquidem ad iustitiam peruenimus, salutem assequimur, immortali gloria cumulamur. Atque, vt magis illius excellentiam complecti mente, & ratione possimus; animaduertendũ est, non modo fide omnia diuina munera cõparari; sed fidem etiã esse in Dei muneribus habendam. neque enim poterit exsistere fides, nisi Dei verbũ antecedat, excitans, erudiens, & ad credendũ impellens. Sed, quo Dei verbum clarius est, atque magnificentius, maiorumq. rerum disciplinã tradit; eo fides est altior, atque constantior adhibenda. sic enim fit, vt fides, quæ naturæ disciplina potuit excitari, non sit vllo modo comparanda cũ ea, quam viri diuini, Dei lege instructi, atque ad Christi intelligentiam eruditi, egregie præstiterant. Quæ tamen, quamuis esset admiranda, postquam ipsum Dei filium iustitiæ doctorem nacti sumus, diuinamq. ex illius ore disciplinã hausimus; par est, vt fides sit modo longe clarior, omniq. mentis robore, & constantia munitior. Se ipsam igitur erigat, opus est, & in sublime feratur, & euecta longissime in cælum penetret, atque pedibus ipsius summi doctoris, & monitoris assideat, qui solus potest nos ad summam Dei notitiã perducere. Deum, inquit Ioãnes, nemo vidit vnquã: vnigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. *Ioan. 1.* Si igitur, naturæ, Dei gloriam enuntiantis, voces aspernari, facinus exsecrandum est; si, Mosem, & reliquos Dei ministros contemnere, atque despicere, capitale fuit omnibus, qui eorum disciplinam a se cum summa temeritate, & amentia repulere: quantum tandem, atque quã atrox, & immane scelus erit, ipsum Dei filium, non audire, fidem dictis illius non adiungere, imperiumq. illius detrectare? *Rom. 12.* Videte, inquit Paulus, ne recusetis de cælo loquentem. si enim illi non effugerunt, qui recusabant eum, qui in terra diuina oracula aperiebat; multo minus nos effugiemus, si de cælo loquentem aspernamur. Alibi inquit idem, Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei. *Rom. 12.* Omnis igitur fidei vis, & ratio, est ad disciplinam illius referenda. A primordio enim generis humani, is omnes mortales instituendos, & erudiendos suscepit; &, qui sese in fidem illius tradiderunt, ad cælestium, atque diuinarũ rerum cognitionem instruxit. Nec enim absque disciplina illius posset quisquam officium suum tueri, atque ita salutem adipisci. Cum enim semel animus sese cupiditate nefaria deuincit, sic est totus in illius potestate, vt nequeat oculos ab his rebus auertere, ad quas eum ipsa cupiditas inflammat. sic fit, vt præceps ad exitium feratur, cum proiecta quadam temeritate, & amentia. Numquã igitur vllo modo se ipsum ab impuritate, & flagitio remoueret, nisi Diuinis vocibus reuocatus fuisset, atque ad Diuinæ lucis adspectũ conuersus. Vnde illud, Conuerte me, Domine, & conuertar ad te. Eadẽ ipsa fides est in officio nostro numeranda. possumus enim, si velimus, aures Dei vocibus occludere; beneficentiã aspernari; oblatã lucem contẽnere; in flagitijs obstinate persistere. Aliter enim numquam scriptum fuisset; Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal. 94.* Ergo, vt fatẽdum est, fidem sine Dei præsentis ope, & auxilio constare non posse; ita necessario asserendũ est, ipsam constantem mentis assensionem, quã fidem appellamus, ex qua omnia officia ducuntur,

cuntur, esse voluntatiam. Possumus enim non modo non assentiri, sed etiam scelere, & impietate cum Deo pugnare. Fides igitur est simul, & donum Dei, & hominis officium existimanda. Est munus, & sacrificium Deo gratissimum; quo ira illius auertitur, numen infensum admirabili ratione placatur, & aditus nobis in cælum aperitur. Ostendimus, eam perfectam esse in firma mentis assensione, in veritate, & officio, & obedientia, in alacri, & incenso legis Diuinæ studio ponendam. Docuimus, illa erigi spem, incendi, & inflammari caritatem, excitari Diuinæ legis studium, totumq. animum ad opera diuina molienda, atque perficienda, ardore incredibili concitari. sic igitur euenit, vt omnia, quæ cum hac fide suscipimus, exitus felices habeant. Nihil est tam arduum, atque munitum, quod non viribus expugnemus; nihil tam difficile, & impeditum, quod non explicemus; nihil tam abstrusum, & abditum, quod non scrutemur, & inspiciamus. fides enim in bello victoriam, in periculo salutem, in morbo sanitatem, in egestate diuitias, in mœrore solatium, in omni denique difficultate bonorum omnium copiam, & facultatem consequitur. Est enim in Dei verbum semper intenta: id intuetur, id respicit, id vitæ regulam habet, id singulari studio, & mira animi contentione, & alacritate persequitur. Verbum autem Domini omnipotens est: illo enim cæli cohærent, & permanent, Psal. 32. immutabiliq. splendore collucent. Verbo Domini, inquit ille, cæli firmati sunt, & spiritu oris eius sidera stabilitatem suam conseruant. Vnde colligitur, omnia recte procedere iis, qui Dei verbo vitam instituunt. Menti enim lucem præfert: animo robur inuictum suppeditat: hominisq. vitam diuinis opibus, atque præsidio communit. Ergo, qui fidem rite colit, cum Dei verbum audiat, atque ita fit viribus diuinis stabilitus; non tantum omnes res humanas virtute superat, verum etiam cum manibus inferis ita congreditur, vt semper decus, & gloriam 1. Ioan. 5. reportet. Hæc est, inquit Ioannes, victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Contra vero, cum fides aut omnino concidit, aut certe languescit; tunc omnia sunt aspera, difficilia, atque nimis grauia, & calamitosa. Franguntur enim vires; animus ipse concidit; mens caligine circumfunditur; nec vllum repetit in rebus asperis leuamentum; nullum in calamitate solatium. Cum laborant homines, minime proficiunt; cum pugnant, turpissime vincuntur; cum ad decus adspirant, ignominia afficiuntur; cum salutem sibi afferri putant, intereunt. Cur, nisi quia singulari Dei patrocinio, quem a se perfidia abalienant, deseruntur; atque ita hostium prædæ, & direptioni relinquũ- Num. 14. tur? Iccirco Moses infidelem populum maximis vocibus a pugna deterrebat. Nolite adscendere, inquit: non enim est Dominus vobiscum; ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites, & Chananeus, ante vos sunt, quorũ gladio corruetis eo, quod nolueritis obedire Domino, nec erit Dominus vobiscũ. Quid illi interim ad hæc? sanctissimi viri voces aspernati, ad pugnã se parant. Sed, cũ primum appropinquãtes hostes conspicati sunt, terga verterunt, eorumq. gladiis fœde concisi perierunt. sic igitur euenit, vt, qui claram, & insignẽ sibi victoriam peperissent, si pugnare voluissent eo tempore, quo fuerant ad pugnam Dei imperio conuocati, cum Dei iniussu manus cum hoste conferere voluerunt, cõfestim fusi, fugatiq. sint, magnaq. eorum pars ferro, & vastitate consumpta. Vt igitur beatissimi sunt, qui nihil absque Dei numine, & imperio moliuntur; ita miserrimi sunt, qui, a Deo auersi, opibus suis innituntur. Vnde illud Isaiæ: Væ filiis desertoribus, dicit Dominus, qui consilium capiunt, sed non ex me: qui Isaiæ 30. præsidium sibi comparant, sed non ex spiritu meo, vt peccatum peccato accumulent. Proficiscuntur, vt descendant in Aegyptum, & os meum non interrogarunt, vt firmentur robore Pharaonis, Aegyptiq. auxilio tegantur. Sed, quam laboris mercedem hac solicitudine, miseri, & amẽtes homines assecuti sunt? dedecus, ignominiã, pestem, exitiũ, vastitatẽ, & reliqua mala, quibus infideles homines perfidiæ pœnas exsoluunt, quæ idẽ Propheta in eodem loco diuinitus explanat. Idem paullo inferius, ab eiusdem perfidiæ insectatione minime discedens, ait; Væ his, qui descendunt in Aegyptũ, ad cop- Isaiæ 31. quirendum auxilium; qui equis nituntur, & quadrigis fidunt, eo, quod multæ sunt; & equitibus, quod robusti; & ad sanctum Israelis non respiciunt; & Dominum ipsum minime quærunt. Sed is sapiens est, & adduxit malum; &, quod prædixerat, exitu tandem præstitit. Insurget enim contra cœtum hominum improborum, & contra auxilium eorum, qui vana operantur. Aegyptus homo, & non Deus; equi eorum caro, & non spiritus. His quidem verbis diuinus ille vir, amentiam eorum coarguit, qui humanis opibus se aliquid efficere posse confidunt, nec Dei opem valde implorandã putante ideoq. operam suam, atque omne vitæ studium sine vllo fructu consumunt. Contra vero, qui sapienter vitam instituunt, sic eã Dei fide moderantur, vt nihil audeant, nisi de summi Dei sententia, decernere, nihilq. omnino, nisi ex illius imperio, consilio, & praescriptione, moliri. Itaque semper seipsos excitant ad Dei verbum mente concipiendum, néc aliud in vita meditantur, quam vt ductum, & imperium summi illius ducis, & moderatoris, alacres, & expediti sequantur; vsque adeo, vt ne licita quidem, & communi more, atque lege concessa aggredi velint, qui summa fide ornati sunt, nisi prius in Dei numen inspiciant, ipsumq. auctorem, & monitorem habeant. absque ductu enim illius, se loco mouere minime tutum arbitrantur. Vnde vox illa Mosis, qua veniam, atque pacem exposcit, Deumq. pro salute populi sibi

Exod. 33. commissi veneratur. Si tu ipse, inquit, non præcedas, non educas nos de loco isto. Intelligebat enim vir excelsus, tolerabilius multo fuisse, in vasta illa solitudine, incommodis omnibus vexari, atque senio, fœdisq. morbis intabescere; quam viam aliquam, in qua Deus non esset ductor, inire. Illo enim duce, non ad incertum euentum omnis vitæ labor impenditur; sed ad certissimam vitæ felicitatem omne studium destinatur: neque mens furore cæca se in miseriam præcipitat; sed, lumine Diuinæ mentis illustrata, ad immortale, atque sempiternum decus, & gloriam, summa felicitate contendit. Hæc enim fides, cum neque argumentis humanis effecta, neque ornamentis exculta, neque viribus instructa sit; est tamen omni demonstratione certior, omni cultu elegantior, omni robore valentior. Reliqua enim possunt aut ingenio labefactari, aut deformitate maculari, aut viribus expugnari, aut vetustate corrumpi. at fidei lumen neque obscurari, nec deformari, nec inquinari, nec peruerti vmquam poterit. Est enim in illa summum quoddam vinculum, ad animos hominum cum Diuina mente artissime copulandos. Is igitur, qui Deo coniunctus est, quod tandem poterit adire aut dignitatis, aut vitæ periculum; cum Deum salutis vindicem, felicitatis effectorem, vitæ tutorem habeat? Est enim fides piorum, Dei fide, atque veritate subnixa. fides autem Dei concidere numquam poterit. sic fit, vt veram fidem nihil vmquam in omni æternitate fallat. Qui igitur Diuini promissi magnitudinem considerauerit, nullo vmquam in loco de fidei fructu

Matth. 21. amplissimo dubitabit. Omnia, inquit ille, quæ orantes petitis, credite, quod accipietis. Hac igitur fiducia erecti, & alacres, omnia nobis de summa illa benignitate, immensaq. potentia pollicemur; eaque fide incitati, libenter instituta præcepta, disciplinamq. illius ita retinendam putamus; vt ab ea deflectere summum facinus arbitremur. Et ita fit, vt omnis recte viuendi ratio, summaq. officiorum omnium religio, in fide posita, & constituta sit. Hoc tamen animaduertendum est, neque in fide quidem hac cælesti, atque diuina, quæ tantis opibus instructa, & ornata est, quæ omnem religionem, atque sanctitatem continet, quã a caritate, & obedientia minime segregandam ducimus; tantam vim esse, vt ea per se possit iustitiam efficere. Nullum enim opus, nullum officium, potest vllo modo diluere crimen, scelus exstinguere, omneq. tætri facinoris vestigium abolere. Quamuis enim sit animus promptus, & expeditus, ad obediendum; quamuis sibi imperatum munus alacriter exsequatur, aut saltem, quod idem valet, paratus sit ad illud statim, cum primum licuerit, efficiendum; non tamen eo studio, obedientia, & alacritate potest vllo modo per se criminum præteritorum maculas impressas, & inustas eluere. Cum enim Deo paremus, debito officio fungimur, quod absque infando scelere præterire non possumus. At, cum crimine aliquo Dei infinitam maiestatem violamus; vim sceleris infinitam concipimus, æternis cruciatibus iure, atque merito puniendam. Quocirca fieri non potest, vt illis benefactis Domini offensionem redimamus. Nam, si seruis nostris, cum pensum operis non absoluunt, iuste irascimur; &, cum rursus operam suam nauant, non nos obstrictos arbitramur, vt ea de caussa putemus esse debitam operam flagitiose prætermissam, alia opera similiter debita compensandam: quid tandem est existimandum, cum nos homunculi, summum illum Dominum, a quo sumus tantis affecti beneficijs, non modo officiorum negligentia, sed fœdis etiam factis offendimus? Adde, quod, cum serui officio funguntur, nec eos singulis horis admonemus, neque vllas vires illis damus, neque eorum laborem ope nostra subleuandum suscipimus. At, cum Deo paremus, omniaq. agitamus animo, molimur, efficimus; illius numine perficiuntur; ita, vt magis sint Dei ipsius opera, quam nostra reputanda. Possumus igitur semper nos ipsos seruos inutiles reputare, non modo quia debitum officium præstitimus, cum essemus serui; sed etiam, quod, quæ gessimus, illius numine, & ope gessimus. Non igitur ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Quod etiam de operibus, quæ fide vigente, & incitata peraguntur, intelligendum est. Hoc est autem, quod fides ipsa confitetur. aliter enim fides non esset fides, si se nixa aliquid sibi tribuendum existimaret. Fides enim in hoc maxime perspicitur; quod omnem salutem, & dignitatem in clementia tantum Diuina constituit. Ergo, si fides vera sentit, atque decernit; non est existimandum, illius vi, & efficientia expiari crimen, & insitum scelus aboleri. Deus enim solus est, qui, nullis nostris meritis, sed sua tantum bonitate inuitatus, filio suo, qui factus est nobis iustitia, sanctitas, & redemptio; hoc est, qui nobis iustitiæ, sanctitatis, atque libertatis caussam attulit, omnia scelera nostra condonat, nosq. sanctitatis opibus eximie cultos sibi coniungit. Non igitur fides nostra, sed Dei filius nostram iustitiam efficit; veniam nobis impetrando, & scelerum maculas nobis impressas abstergendo. Cur igitur sacræ litteræ iustitiã, atque salutem in fide ponunt? quia Dei filius in eos tantum iustitiæ suæ munera confert; qui fideles sunt. non enim gratiã suam obtrudit inuitis; non recipit in amicitiam rebelles; non sanat ægrotos, salutare remediũ repellentes. Vbi igitur fides non viget, ibi nullus omnino relinquitur Diuinæ gratiæ locus. Vt igitur, cũ ægrotus vitam suam spectato Medico cõmittit, nec ab illius præscriptione recedit, dicimus, obedientiam illi sanitatem attulisse; nõ, quod sanitatẽ effecerit, sed quia, si Medico nõ paruisset,

nullum

nullum ex medicina fructum percepisset: sic ex fide iustitiam oriri dicimus, non quod ipsa per se fides iustitiam gignat; sed quia numquam ad nos iustitia perueniret, nisi fuissemus ante fide mitigati, atque ad iustitiæ satum accipiendum obedientia molliti. Vt enim in agris semē spargi non conuenit, nisi fuerint primum aratro proscisi, atque subacti omniq. diligētia præparati ad semen excipiendum: sic animi, nisi sint ante nouati, & iterati fide, nullo modo poterunt Diuina gratia conseri, vt iustitiæ semen in se ipsis concipiant. Fides enim præparat animum ad iustitiam, idoneumq. reddit, in quem summus ille bonorum omnium sator, iustitiæ sementem faciat. Vt autem possis melius animo complecti, omnem iustitiæ splendorem esse ad Dei gratiam, liberalitatem, & beneficentiā referendum; complectere animo, atque pone ante oculos, effrenatam mentem, impetu cæco, in præcipitem locum se concitantem, & in exitium sponte sua ruentem. Considera deinde Dei clementiam, illam ab exitio reuocantem; opemq. suam benigne pollicentem, omnibusq. modis ad se allicientem, & inuitantē; Cogita deinde, animum ope diuina conuersum in eum, cuius monitu, & auxilio fuit ab illa peste seductus, obsecrantem, vt errori præterito ignoscat, sibiq. auxilio sit, ne in similem deinceps errorem rapiatur: tum, summum illum Dominum, cuius impulsu fuit conuersus, & excitatus, & in viam deductus, & ad precandi studium incensus, non ignoscere modo, sed etiam se viæ ducem profiteri, illiq. vires largiri, quibus cursum omnem, si velit, sine casu, & ruina conficiat. Nam pārum liquet, & præparationem animi, & præparationis incremētum, & iustitiæ donum, omnesq. tandem iustitiæ fructus esse ad Diuinam benignitatē reuocandos? Primum enim mentis assensio vocibus Diuinis excitatur [redacted]. amor autem animum alacrem reddit, ad obediendum. benignitas autem Diuina amorem illum sibi debitum, & obedientiam, iustitiæ dono remunerat. Caritas enim impetrat veniā omnium peccatorum. quocirca ipse Dominus ait, magis ei crimina condonari, qui magis diligunt. Dimissa sunt, inquit, ei peccatā multa, quia dilexit multum. & alibi inquit, nos mundos fore, si fuerimus in egentes benefici. Ex quibus locis perspicuum est, ea tantum fide, quæ per caritatem operatur, iustitiam cōciliari. non quod caritas iustitiam efficiat; sed quod, vt ante diximus, ad gratuitum iustitiæ donum accipiendum, animum præparet. sic fit, vt caritas iustitiæ munus antecedat. Quod quidem mirum videri potest, rem minus acute considerantibus. multa enim sunt, quæ illos in contrariam sententiam trahant. Nam primū, caritas in Deum non aliter, quam gratia Diuina, consistit: est enim Dei gratuitum munus; atque beneficium: quocirca videtur esse consequens, eam non antegredi, sed sequi iustitiā. Deinde, qui caritatem habet, in Deum conuersus est: peccatum autem est auersio a Deo. sic igitur fit, vt nullo modo possit caritas cum peccato simul habitare: ergo numquam caritas existit ante iustitiam. Postremo, qui caritatem habet, Deo gratus est: Deo autem gratus esse non potest absque iustitia: ergo semper caritas est coniuncta iustitiæ. quod si verum est, nullo modo fieri potest, vt antecedat iustitiā. Sed, vt ad ea respondeamus, fatemur equidem, caritatem esse a Diuina gratia profectam: sed illum primum motum, quem spiritus Diuinus affert animis, cum eos ad salutem vocat, in gratijs numeramus. cum autem consequitur primus Diuini amoris institutio. amor tamen perfectus, & absolutus ille solus existimandus est, qui semper est cum perfecta iustitia coniunctus. hæc est autem illa caritas, quæ, vt Ioannes ait, timorem deponit. Sed, vt in illo primo conuersionis motu, iustitiam inchoari confessmus; ita etiam amoris fundamentum institui. In quo vero aiunt, caritatem cum peccato intelligi non posse, animaduertendum est, peccatum triplici ratione in nobis inesse. Primum enim, si recte definitur peccatum, vel opere, vel oratione, vel cogitatione contra Dei legem concepta, tantisper id insidet in nobis, dum vel animo flagitium agitamus; vel aliquod verbum impurum emittimus; vel opus aliquod nefarium edimus. vbi vero vel actio, vel oratio, vel impura mentis agitatio effluit; peccatum confestim euanescit. Alia ratione dicitur peccatum in nobis hærere, nempe cum post flagitium susceptum mens a Deo auersa tenebris obducitur, neque in Deum, tamquā in summum bonum, respicit; sed tota est e rebus caducis, atque terrenis miserrime colligata. Est igitur tunc peccatum, illa seruitus detestanda, qua dominatu cupiditatis opprimimur, illaq. praua constitutio, peruersusq. habitus animi, legi Diuinæ contrarius. Si ad hunc modum peccatum intelligas, fieri non potest, vt cum incensa fide, & caritate peccatum habitet. Est præterea peccatum peccati vulnus animis inflictum; summaq. mentis imbecillitas; & morbus, quo sumus impediti, quo minus ad perfecta munera sanitatis excitemur; ac postremo illa diuini iuris obligatio, qua sumus pœnis obnoxij. Cum enim flagitium suscipimus; mortiferum repente vulnus accipimus, & status animi statim dilabitur, & impotentior cupiditatis dominatus exoritur, & ad idem peccatum sæpius iterandum instigamur, iudicijque Diuini laqueis irretiti detinemur. Secundum hanc peccati rationem, nō absurdum est asserere, peccatum, quasdam nempe illius reliquias, tantisper in nobis cum caritate simul inesse, dum morbo perculsi veniam necessario flagitamus. Intelligimus enim, nos adhuc

1.Pet.4.

in morbo esse, nec vllum habere in legibus, ac iure perfugium, quamuis officio debito aliqua ex parte fungamur. Nam, qui hominem iugulauit, quamuis eum facti pœniteat, & multis hominibus se benignum, & facilem præbeat, nullo modo poterit ea benignitate, & facilitate, pœna, qua iam tenetur, apud constantem, & seuerum iudicem liberari. Quamuis igitur iā ad officium redierit, adhuc tamen relinquitur ei, qui potest ignoscere, clementiæ locus. Hoc modo statuendum est, caritatis institutæ ratione, peccatum per se declinare non posse. Diuinam maiestatem violasti, legis diuinæ vincula perfregisti, tætra facinora concepisti: nunc vero, cum suscepta flagitia lamentaris, seruiq. fidelis officio fungi cupis, num ea mentis conuersione, & egregio ad pietatem conatu, iudicium poteris, quo iam teneris adstrictus, quasi quam, & æquali criminis admissi compensatione, redimere? nullo modo. Quamuis igitur sis caritate circumfusus, vt facile despicias eam perniciem, quam in te ipse machinatus es; quamuis te lacrymis, & lamentis dedas, eo, quod diuinā maiestatem scelere violaris; quamuis omne vitæ studium ad diuinam legem cōferre statuas; nullum tamen adhuc habes in iudicijs, & lege perfugium. Ad clementiam igitur confugiendum est, dicendumque, Sana me, Domine, & sanabor, & amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me, & adsperges me Domine hysopo, & mundabor. Hæc autem cum proferebat Dauid, animo certe perculso, & abiecto, præ doloris magnitudine, quem ex admissi sceleris recordatione capiebat, & incensa, atque inflammata fide proferebat. Ergo, cum caritate esset incensus, tamen se gratia indigere fatebatur, quæ ante concepta crimina deleret. Ergo, etiam cum institutæ caritatis ratione potest intelligi, iniusta illa macula, & status ille pœnis obnoxius, cuius recordatione se quisque fidelis supplicem ad Christi pedes abijcit, atque cum lacrymis etiam interdum erratorū veniam, & valetudinis firmitatem poscit; ne rursus, cupiditate oppressus, se eisdem flagitijs inquinet. Nam, quod attinet ad postremum argumentum, de amore, quo Deus eos, qui sunt caritate in illum incensi, prosequitur; certum est, Deū omnia opera sua diligere. Nihil enim eorum, quæ fecit, odio habere potest, cum omnia bona sint; ita, vt in scelestis etiam hominibus, cum scelus odio persequatur, naturam tamen carām habeat. Sed, quo est opus illustrius, & magnificentius, eo est illi gratius. Sic fit, vt & naturam diligat, & fidem caritate informatam amet: summum tamen illum amorem, in opus omnium perfectissimum, nempe in iustitiam absolutam conferat. Non est igitur omnis Dei amor in nos iustitiæ iam penitus inhærentis argumentum. Hoc tamen statuendum est, cum caritas illam maturitatem assequitur, quæ est iustitia afficienda, nullum esse inter illam caritatis opportunitatem, & inductam iustitiæ formam spatium aliquod temporis interiectum. Cum primum enim animus excitatur ad criminis odium, & ad iustitiæ, atque sanctitatis amorem; cum primum se supplicem abijcit, & veniam petit, atque ita se comparat, vt omnia diuinæ mentis præscripta, atque iudicia obseruet: statim absque vlla mora sanitatem recipiet, & diuinum iustitiæ beneficium consequetur: & ita fiet, vt caritas illa non temporis interuallo, sed ratione tantum, atque natura antecedat; iustitia vero eodem tēporis momento consequatur. Quoquo igitur modo res accidat, semper ante iustitiam caritas exigitur, quæ simul cum fide excitari incipit, atque operibus, aut saltem operādi studio paulatim incenditur, & adolescit: donec opportunitatem illam, & simplicem casti, atque puri amoris rationem assequatur; quæ est protinus absque vlla spatij intercapedine, iustitiæ opibus excolenda. Hac autem ratione planum esse arbitror; quo modo iustitia in nobis oriatur. Primum enim inchoatur in nobis, dum fidem Dei verbis adiungimus, & ad conspectum illius excitamur. tunc enim illa prauitas animi, qua a Deo auersi ferebamur, extinguitur: in Deum enim noua quadam voluptatis propensione respicimus. non possumus enim oblatam illius benignitatem, absque studio, & amore, complecti. illa prima igitur amoris institutio, peccatum conuellit, ea ratione, qua diximus, per peccatum nobis inhærens intelligi animum a Deo auersum. Deinde, cum eo pietatis institutæ studio cōcitati sanitatem, & veniam flagitamus, eam repente consequimur: & sic fit, vt crimen in nobis omnino deleatur. In primo igitur illo diuinæ clementiæ fructu, est prima iustitiæ ipsius institutio: in postremo autem, quo præteritis erratis ignoscitur, criminumq. omnium maculis abstersis diuina munera conferuntur, iustitiæ perfectio & absolutio. Ex quo etiam perfecta, & absoluta caritas exsistit, quæ Deum ad se multo magis allicit. Vt igitur primam illam iustitiæ institutionem, caritatis initium consequitur; sic iustitiæ perfectioni caritas absoluta coniungitur. His ita constitutis, consequens est, vt de iustitiæ dignitate, & elegantia disseramus. quod sequenti libro faciemus.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE IVSTITIA

LIBER QVINCTVS.

INgredienti mihi ad explicandam iustitiæ vim, & rationem, vota in primis faciēda censeo, vt spiritus ille immensus, atq. sempiternus, per cuiusque rei naturam pertinens, cuius afflatu, atque numine omnia sustinentur, & conseruantur, humanæq. mentes sensibus diuinis afficiuntur, cunctas animi mei labes repellat, mentiq. lumen præferat, atque vires ingenio largiatur, quo possim ipsius iustitiæ decus, vtilitatē, & amplitudinem, & mentis acie contueri, & litteris congruenter explanare. Aliter enim nullo modo poterit quisquam, non dico consequi oratione, atque stylo, sed neque cogitatione, quanta sit in illa vis, quam excellens ornatus, & elegātia, suspicari. Nam impuris pura, atq. sancta cōtrectare, nefas; diuinaq. munera ingenio humano comprehendi non possunt. Ergo, cum nihil possit in muneribus diuinis exeogitari, aut purius ipsius iustitiæ sanctitate, aut maius Dei similitudine, & coniunctione, quæ diuino iustitię munere, & beneficio continetur; fas certe non est, quemquam cum aliquo flagitij contagio ad tantum opus tractandum accedere. Quocirca erat profecto, cur non modo hominū prudentium reprehensionē, sed multo etiā magis Diuini numinis offensionem pertimescerē; cum id munus suscipere ausus sum, ad quod pro dignitate persequendum, atq. verbis exornandum, opus erat insigni aliqua puritate, cum Diuino ingenio, & admirabilis orationis copia, & facultate coniuncta; a quibus animi diuitiis me plurimum abesse confiteor. Sed nescio, quo modo, dum legimus aliquid, aut scribimus, commouetur animus studio; atque iis rebus, quas tunc cogitatione comprehendit, afficitur; &, pro rei cuiusque ratione, quam mente cōcipit, immutatur. Vt igitur inquinatur plerumq. animus legendo flagitia litteris consignata ad hominum labem, & maculam sempiternam; sic, dū studium ad Diuina conuertimus, legendo, aut scribendo, amore Diuinæ virtutis incenditur. Mirum igitur non est, si animus, in fidei illius præstantissimæ consideratione defixus, altior effectus est; atque ad cupiditatem rerum cælestium acrius exarsit; &, humana contemnēs, omne repente studium ad diuina conuertit. Licet enim, neque modo licet, sed opus etiam est, hominem Dei fide subnixum, sempiterna, atque Diuina moliri. Et, quamquam hoc mihi in principio operis instituti proposui, vt omnem meā disputationem in iustitiæ splēdorem, & magnificentiam, tamquam in finem, dirigerem; longius tamen progressum, atque diligentius rei magnitudinem considerātem, iniectus quidam timor frangere, & debilitare facillime potuisset; nisi me fides ipsa, cuius admirabilem vim sumus, quoad fas fuit, oratione persecuti, confirmaret, & ad inchoati operis perfectionem incenderet. non enim ingenio freti, quod quam sit exiguum, perspicimus; non eruditionis confidentia, cuius quantum nos pæniteat, dicere vix possumus; sed illius fiducia, qui cæcis adspectum, infantibus eloquentiam, imbecillis robur inuictum elargitur, qui numquam supplicum preces, & vota repudiat, experiar partem aliquam tantæ dignitatis, quanta in iustitia consistit, explicare. Omnis autem de iustitia quæstio, in quattuor partes diuidenda est. Quæritur enim, quid sit iustitia, quæ sit illius origo, per quem ad homines perueniat, & ad quos tandem perueniat. Vt autem hinc capiamus exordium, animaduertendum est, iustum id esse, quod est iure, atque lege definitum. Lex autem, summa, & perfectissima est mens, & ratio præpotentis Dei, omnia supera, media, infima se sempiterno imperio regentis, & in suis quæque locis singula disponentis, cunctaque summo consensionis vinculo constringētis, eoque nodo ex aliis alia connectentis; vt ex dissimillimis naturis, certa quadam ratione, atque numero colligatis, vna facies appareat. Ex quo admirabilis vniuersæ naturæ splendor, & decus exoritur. Vnde totum hoc, quod cælum cingit, atque continet, cum ipsa cælesti natura coniunctum, & mundi nomen obtinet, & a Græcis κόσμος, id est, ornatus, appellatur. Omnis autem ornatus tunc exsistit, cum singulæ cuiusq. rei partes, certa ratione dimensæ, atque terminatæ, suis locis continētur; & ad explendam totius corporis formam aptissime conferuntur. Cū igitur singulæ vniuersitatis partes sint certis sedibus distributæ, atq. modo quodam præfinitæ; nihilq. insit in illa confusum, & inmoderate iactatum, nihil turbidum, & inquietum; sed summus in illa ordo, & admirabilis omniū partium consensus eluceat; recte vniuersæ naturæ, quam tam illustri specie decoratam cernimus, est Mundi nomen impositum. Atque fuit quondam

dam hæc communis multorum sententia; qui omne studium ad explicationem naturæ contulerunt; fuisse a sempiterno tempore infinitam, & interminatam omnium rerum congeriem, in qua nihil erat ordinatum, atque cum aliqua alia natura consentiens; sed omnia commixta, perturbata, atque confusa, ex quo summa dissensio, atque pugna consisteret. Quod quidem necessario euenire sentiebant, dum ardor per frigida confusus eorum naturam disturbaret, rursus frigida ardori permixta, eum prorsus exstinguere niterentur; humida siccis essent infesta; sicca rursus liquore contaminarent, & terrena atq. lutulentum redderent; & cuncta denique tenebris, & caligine demersa, & vehementer inter se pugnantia, turbido, & confuso motu fluitarent; nullamq. propriam sedem, aut formam ab aliarum rerum impetu, & pestifera contagione secretam, & liberam retinerent. Hanc autem confusam rerum molem Chaos appellabant, quo nomine intelligebant vastam, atque incultam naturam inaniter agitatam, certa forma, & specie vacantem. Diuina deinde mente, & ratione, omnem confusionem sublatam fuisse, & litem prorsus exstinctam. Deum enim eam curam adhibuisse, vt singulas naturas ab aliarum colluuione secerneret, atq. in conuenientibus rei cuiq. sedibus omnia tandem collocaret. Sic factum esse, vt leuia summam regionem capesserent; grauia, propriis librata ponderibus, in medium mundi locum niterentur, in eaque, tamquam in naturali sede, insisterent; cælum, admirabili celeritate conuersum, omnia contineret. Tum aquas vnum in locum conglobatas circum terras exstitisse: tum aerē ab æthere seiunctum, eiusdemq. ætheris ardore temperatum, terrenæ, & humidæ naturæ circumfusum fuisse: tum fines rei cuique circumscriptos, atque ab eadem mente, & ratione terminatos: tum denique, rebus omnibus in locis suis apte dispositis, & illis ab aliarum turbulento incursu liberatis, formas esse datas, & singulis propria munera distributa. Cælum enim, innumerabilibus astris distinctum, omnia clarissima luce collustrare; terram herbas, fruges, & plantas effundere; fontes erumpere, flumina labi, terras, & maria vario animantium genere compleri cœpisse, omnemq. naturam miro coniunctionis fœdere ad animantium vitam tuendam consensisse. esse namque admirabilem illam naturæ conuenientiam, qua summa infimis per media coniunguntur; quo societatis, & amicitiæ vinculo omnia continentur. Sic igitur fieri, vt, quæ suis locis mota statum suum tueri non possunt, & aliorum statū turbido impetu facile dissiparent, nunc in naturalibus locis manentia, & se ipsa conseruent, & rebus aliis salutem, & incolumitatem afferant. Itaque incredibilem naturæ communionem exsistere, dum aliæ res aliis stabilitatē dant, & ipsæ vicissim aliarum naturis fulciuntur, atque sustinentur; aliaq. ex aliis identidem oriuntur. Mentis igitur sempiternæ legem esse statuunt, quæ terras ab aquis discreuit, eisdem aquis certa quadam ratione connectit, quæ aerem cum æthere continuatum his etiam duabus naturis adiungit; quæ efficit, vt omnia tandem ad numerū conueniant, ad varias, atque multiplices formas gignendas; quæ salutem solis, atque lunæ, & aliorum siderum fulgore constantque in omni æternitate rerum cælestium motu, atque vicissitudine gubernat, omniaq. vno consensionis fœdere constringit. In quo quidem, quamuis aliquantulum aberrent a cōiectura, (materiam enim illam rudem, & impolitam, ex qua omnia ficta putant, ab æterno tempore fuisse statuunt) pleraque tandem ab illis præclare dicta esse constat. Sapienter enim viderunt, omnia, Diuina lege, consilio, mente, & ratione fuisse designata, eademque lege vniuersam naturam regi. Quod quidem nobis eo plenius dicendum, & constantius asseuerandum est, quo nostra cognitio, quam de rebus Diuinis accepimus, est illustrior. Non enim coniectura tantum ducimur, vt plerique ex illis; sed, oraculis Diuinis instructi, explorate cognoscimus, Diuina mente fuisse omnia a principio procreata, & in omne tempus ab eadem mente regi, moueri, & salutaribus institutis temperari. Quis, inquit Isaias, aquas manu mensus est, & cælos palmo direxit, & vniuersum terræ puluerem reuocauit ad numerum, & montes examinauit pondere ribus, & colles trutina ponderauit? Apud Salomonem vero Diuina sapientia clamat, lege sua fuisse cælum perfectum, ætherē in suprema Mūdi regione firmatum, terram in media Mundi sede stabilitam, exstructos in sublime montes, depressas in altitudinem valles, aquis fines constitutos, omnia tandem admirabili ratione disposita, & collocata. Quocirca non incommode scriptum est, vniuersam naturam, pondere, numero, & mensura cōtineri. In naturæ igitur fabrica clarissimam iustitiæ imaginem licet intueri. Primum enim, in eo, quod quælibet Mundi pars suis se regionibus continet, nec in alienas oras inuadit. Deinde, quod nulla est, quæ noceat reliquis; immo sic alias sustinet, & aliorum ope ita sustinetur, vt, si vna sit ab aliis euulsa, nulla possit statum, atque naturam suam cōseruare. Postremo, quod admirabili quodam vinculo alia ex aliis ita nexa, & continuata sunt, vt vna natura ex tam multis effecta sit. Quæ res impulit olim homines ingenio præstantes, vt omnia vnum esse dicerent. Hæc autem omnia efficit lex Diuina, cui omnis natura est obediēs, atque subiecta. Omnis igitur ordo, modus, & conuenientia, omnis ornatus, & apta dissimillimarum inter se rerum connexio, omne cōiunctionis, & societatis firmamentum, Diuina lege continetur. Tunc igitur erit omnis iustitiæ ornatus in nobis, cum lex Diuina dominabitur. Nec enim ira rationem dominatu pellet; neque libido eandem constrictam imperio cōtinebit; neque vlla alia perturbatio mentis statum labefa-

befactabit:sed singulæ partes animi, suis quæq. finibus tenebuntur; nec longius euagabuntur, quam ratio ipsa permiserit; & omnes denique, legitimo rationis imperio obedientes, ad animi totius statum conseruandum mirifice conuenient. Ratio enim in Diuinam legem intuens lucem accipiet, & vires assequetur, quibus facillime possit omnes animi partes moderari; atque motus inanes reprimere. Inde igitur omne decus, atque dignitas efflorescet; inde omnis tranquillitas, atque regij status firmitas existet. Quocirca, cum Deus in principio cælum, & terram, & maria, & omnia denique, quæ cæli complexu, & ambitu continentur, tam admirabili lege, & ratione designauit, atque constituit; quasi in ea tantæ fabricæ molitione, id tantum muneris, & operis habuisset, dum homini domicilium aptum, illiusq. splendori, & dignitati conueniens ædificaret, atque quoddā gymnasium ad exercendam iustitiam efficeret; omne tandem consilium ad hominem creandum, & informandum, quasi admirabile quoddam iustitiæ documentum, contulit. Sic enim Moses summum illum rerum opificem loquentem inducit: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Vt autem ostendat, perfectam, & absolutam imaginis huius vim, & rationem, esse in iustitia sitam; est enim Diuinæ legis, atque rationis effigies, animis nostris impressa, cuius vis ea est, vt vetet delinquere, & recta præscribat, & ad imperandum maxime apta sit: vt igitur huius imaginis naturam esse in iustitia positam demonstret; adiicit, Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ. Quo in loco cernimus, hominem esse ad imperium natum; quod iustitiæ tantum munere regi, & administrari potest. Est autem intelligendum, cum fuit homini cunctorum animantium imperium commissum, fuisse consequenter illi imperium in eam partem animi, quæ rationis expers est, neque multum a bestiarum natura distat, eadem ratione tributum. Tunc igitur demum homo Dei similitudinem incontaminatā retinet, cum huius regiæ virtutis munere fungitur, & sibi ipsi pro dignitate imperat: hoc est, cū ratio, quæ est ad naturam Diuinam apta, feros animorum motus, atque corporis cupiditatem, quæ instar immanis belluæ ruere, & turbari solet, constrictam imperio continet, totūque animum excitat ad Diuinæ legis studium: Est igitur iustitia, constans rationis æquitas, & moderatio, ex lege Diuinæ mentis apta omnē turpitudinis consortiū repellēs, & singulas animi partes in proprio cuiusq. munere cōtinens: vel status animi diuina pręscriptione fundatus, omni flagitio vacās, atq. diuinæ naturę similitudinē ꝓpius attingēs: vel excellēs animi cultus, ex lege Diuinæ mentis, & rationis exoriens, omnibus motibus turbidis, atque turbulentis contrarius. Vt igitur Chaos illud a Philosophis excogitatum, iniustitiæ confusionem, & inordinatam, atque infinitam turbulenti status agitationem exprimit: ita naturæ modus, atque cōstantia, totiusq. mundi pulchritudo, iustitiæ ordinem, & conuenientiam declarat. Continet enim iustitia omnem ordinem, pulchritudinem, elegantiam, & decus, omnem denique dignitatis excellentiam: affert animis pacem, & tranquillitatem, & Diuinam in omni vita constantiam; floret opibus, & facultatibus, summisq. præsidiis, & ornamentis in omni genere redundat. Vt enim reipublicæ tum honestatis laude florentem statum dicimus, cum Principes, recte legi parentes, suam cuique tribuunt dignitatem; nec ullo modo permittunt, vt quisquam, munus sibi assignatum deserens, alienum impudenter vsurpet; aut, re sua familiari minime cōtentus, opibus alienis manum afferat: sic in animo omne iustitiæ decus exoritur, cum ratio in Diuina mente defixa reprimit iracundiam, & libidinem coercet, & singulas animi partes terminis circumscribit, ne possint aliquid aliud, quam quod sibi est præscriptum, moliri, & in mentis statum furenter inuadere. Et; perinde atque ciuitates, recte legibus constitutæ, pace, & otio cum dignitate fruuntur; sic animus, iustitiæ particeps, in honestissima pace, & tranquillitate versatur. atque, vt ciuitates, pace, & otio constitutæ, facile florent opibus, & variis vitæ ornamentis, atque præsidiis abundant; sic, vbi recta ratio omnes animi motus inconsideratos lege Diuina reprimit, vt mira tranquillitas adsit, atque securitas; euenit, vt animus repente Diuinis opibus illustretur, inuictoq. præsidio muniatur. Et, ne rem valde perspicuam multis definitionibus obscuremus; satis sit admonere, iustitiam esse summā Diuinæ legis obseruationem. Hæc est enim iustitiæ regula, hæc vitæ norma, ad quam solam omnia officia dirigenda sunt. Cum igitur lex Diuina sanciat, ne in se quisquam dedecus admittat, ne se flagitio polluat, ne vitam scelere contaminet; sed totum sese ad virtutem, atq. bonitatem Dei imitandam conferat; cumq. iustitia nihil sit aliud, quam habitus excellēs animi, lege Diuina conformatus; sequitur, omnem vitæ puritatem, & continentiam, omnem clementiam, & benignitatem, omnem pietatem; sanctitatem, & religionem, omnem denique virtutum omnium consensionem, complexu iustitiæ contineri. Hæc enim omnia, Diuina lege præscripta, definita, & constituta sunt. Est igitur, vt vno verbo dicam, omnis iustitia, in Dei similitudine constituta. hoc enim lex illius sanxit, atq. præscripsit, vt illi similes efficiamur. Estote, inquit, sancti, quoniam ego sanctus sum. Vnde autem iustitia in nos perueniat, ita perspicuum est, vt oratione non indigeat, maxime cum id magna ex parte demonstratum sit. Nam, si iustitia est Diuinæ legis effectus, atque ipsius Dei similitudo; vnde alio potuit ad nos, quam a mente Diuina, permanare? Si enim corporis sensus, si communis spiritus, si omnia vitæ subsidia in Dei muneribus habenda sunt; si nihil est in nobis, quod

ad

ad vitæ tutelã pertineat, quod non a Deo sumpserimus; multo profecto magis hoc donum omnium maximum, & amplissimum est ad illius gratiam, & benignitatem referendum. Nã reliqua, quamuis a Deo donata sint, apparet tamen, vnde beneficio Diuino assumpta sint. Humorem enim ab aqua, calorem ab igni, spiritum ab aere, corporis soliditatem a terra sumpsimus; iustitiam vero non aliunde, quam a solo Deo, totius iustitiæ fonte, vnde animum traximus, haurire potuimus. Inde fit, vt, cum in alijs vitæ muneribus, sic Deum auctorem veneramur, vt naturam etiam ab illo conditam admiremur; iustitiæ tamen donum, atque munus nullo modo ad naturam, sed ad solam illius gratiam, & beniguitatem referamus. In illo namque est, non modo ipsius sũmæ institiæ species, & exemplum, quod intueri, quod persequi, quod omni studio imitari cõuenit; verum etiam vis illa, quæ nos ad virtutẽ illius imitandam exsuscitat, atque ad iustitiam perducit. Ab illo enim & lucem accipimus, qua iustitiæ claritatem videamus. ab illo vires habemus, quibus ad illius dignitatem adspiremus. ab illo denique robur inuictum consequimur, quo omnia iustitiæ contraria, & inimica repellamus. Qui igitur fore confidit, vt ipse, sine Dei præsentis ope, suo tantum studio, & exercitatione, iustitiam adipiscatur; est simul & singulari amentia præditus, & immani scelere adstrictus. Quid enim amentius, quam rerum etiam minimarum Deum caussam esse cõfiteri; rei autem omnium maximæ caussam ingenio, atque viribus humanis assignare? Quid magis scelestum, & impium, quam Diuinam ad se gloriam quempiam transferre, sibiq. diuinitatem tribuere? Qui enim diuinarum rerum in se caussam ponit, se Deum plane facit. Iustitiæ autem spleudore, & claritate nullum munus potest animo cogitari diuinius. Quis igitur potest facere, vt ait Iob, mundum ex immundo; nisi ille summus iustitiæ architectus, totiusq. æquitatis origo? sic enim inquit ille apud Isaiam: Ego sum ille, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor. In quo autem ait, Propter me; plane docet, non meritis hominum, sed Diuina clementia, humanas mentes sanari; atque ex impuris puras, & sanctas effici. Quid enim est in nobis, quod vel iustitiam efficere, vel effectam tueri, & conseruare possit? Num natura? at generis nostri princeps, in quo vis naturæ clarius cerni potuit, non multum post ortus sui primordiũ, cum esset omnibus naturæ opibus instructissimus, turpissime lapsus est. Num legis disciplina? at ipsi summi legis interpretes, Moses, & Aaron, quibus lex a Deo tradita est vniuerso populo promulganda, cum essent sanctitatis homines præstantes, & ipsius legis studio incensi, tamen peccauere. Cum igitur neque in natura, neque in lege, sit iustitiæ caussa; consequens est, vt omnis nostra iustitia sit ad Diuinã benignitatem, & gratiam reuocãnda. Quocirca Dominus in eo loco, vt humanum fastum, & elationem comprimeret, atque omnes mortales peccasse conuinceret, & esse seueritati diuini iuris obnoxios; addit, Continuo: Redige mihi in memoriam, & iudicio contendamus simul; narra, quid habes, quo te iustum esse demonstres. Pater tuus primum peccauit, interpretes tui desciuerunt a me, & principes sanctos meos contaminatos ostendi. Hac igitur oratione pronuntiat ipse iustitiæ parens, nec in natura, neque in lege, sed in illius tantum benignitate esse omnem vim, & rationem iustitiæ constitutam. Nec enim natura primum parentem in iustitia cõtinere potuit; neque lex summum illum legis interpretem integrum a crimine conseruauit. In Dei igitur tantum clementia est omnis spes iustitiæ collocanda. Quæ fuit autem tanta numinis placatio, vt Deum hominibus ab illo tanto interuallo distantibus, & ab eiusdem institutis impie dissidentibus, ita conciliaret, vt homines ornamentis diuinis afficeret? Cuius opera tandem potuit (hoc enim erat in quadripartita diuisione tertium) iustitiæ splendor hominum mentes illustrare? omnes enim peccauerunt, omnibus fuerunt grauissimæ criminum maculæ penitus inustæ, omnes tandem miserrime prolapsi sunt. Quid igitur? si integri, atque valentes per se statum suum diu tueri nequeunt; quo modo mortiferis morbis impediti e malis emergent? quibus remedijs amissam sanitatem recuperabunt? quo modo tandem sempiterni numinis offensionem oblitterare poterunt? Num potest humanæ medicinæ remedium, curandis corporibus inuentum, animi vulneribus adhiberi? Num offensio Diuini numinis humanis studijs, atque muneribus compensari? quibus autem muneribus? Num existimamus illum pecudum strage delectari, hostiarumq. sanguine deleniri? At id Deo indignum est, illiusq. immensæ Maiestati minime decorum. Num principes aliquot viros aduocatos adhibebimus, quorum gratia, & auctoritate illum nobis propitium reddamus? Sed omnes reges maximi, omnes nationum rectores, & principes; vniuersum denique genus hominum cum illo pro nihilo reputandum est. Quocirca Moses in Deuteronomio, vt stultam hominum cõfidentiã refutaret, ait: Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & dominus dominorũ, Deus magnus, fortis, atque metuendus, qui nõ respicit hominum dignitatem, nec munera. Sed dices fortasse, vnam reliquam fuisse viam iræ Diuinæ auertendæ, & humani sceleris expiandi, quæ in sanctorum precibus, atque votis sita est. Hoc quidem non leue põdus apud Deũ habere confitendum est. Tantum enim tribuit piorum hominum sanctitati, vt eorum precibus remittat puniendi seueritatem; & hominibus, quibus erat infensus, facile placetur. Vnde scriptum est, Moses, & Aaron in sacerdotibus

docibus eius, Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & exaudiebat eos. Item alibi, statuerat perdere eos, nisi Moses, electus ab eo, stetisset in muri ruina, vt reprimeret impetnm eius. Est autem eo in loco similitudo sumpta a viris fortibus, & amore patriæ vehementer incensis; qui, cum murus tormentis hostium, atq. machinis deiicitur, sese in ea parte, quæ ruinis maxime strata est, pro muro opponunt, ad hostium impetum suis corporibus excipiendnm; vt, cum certo vitæ periculo, perniciem a patria depellant. Non aliter enim se gessit Moses. nam, cum Iudæorum propugnaculnm, quod in fidei religione consistebat, eorundem rebellione disiectum esset, nihilqne impediret, quo minus ira Diuina in homines, omni firmo præsidio nudatos, inuaderet, eosq. ad internecionem deleret; Moses, studio communis salutis inflammatus, sese Diuinæ iustitiæ telis obiecit, & exposnit; neque recusauit, quin supplicio suo omnium impietatem lueret. Sic igitur, fusis cum ardentissima suorum caritate precibus, numinis ipsius impetum repressit. Nullum enim sacrificium offerri Deo potest, hominum caritate magnificentius. Summum antem, atqne perfectissimum caritatis officiũ in eo positum est, vt nos ad mortem pro aliorum salute libenter offeramus; & sanguinem patriæ, sine vlla cunctatione, cum opus ita fuerit, largiamur; nullaque, quantumuis dira, supplicia recusemus. Hoc vnnm virtutis officium omnium maximum, atque præstantissimum, cum omnes honestatis numeros in se contineat; mirum non est, & hominum memoria consecrari, & multis in locis Deum propitium efficere. Iccirco Deus hoc vnum maxime officium, & mnnus exigit ab his, qui præsunt aliis, & remp. imperio, atque disciplina moderandam suscipiunt. Itaque conqneritur apud Ieremiam, quod nullum reperiret Hierosolymis, euius studio in communem salutem valde propenso, & ad sanctissimas prees, & vota conuerso, ab euertenda ciuitate deduceretur. Apud Ezechielem vero pseudoprophetas insectatur, quod non se se iræ numinis in populum sæuientis interposuissent. quod quidem magno argumento erat, eos non veros prophetas fuisse. Vult enim clementissimus ille Dominus, vt sint, qui se pro omnibus offerant; qui, dum aliorum saluti consulunt, propriam vitam negligant; qui summo studio, & contentione, non sibi tantum, sed omnibus veniam efflagitent; qui etiam ad caput suum pro omnibus deuouendum, animo semper parati sint. Sic igitur fit, vt, hac suorum sanctitate, & religione, quæ in summa caritate consistit, se se ab hominibus statim euertendis sæpe contineat. Hoc igitur studio Moses, hoc Samuel, hoc Dauid, hoc multi sancti homines iram Diuinam multis in locis cohibuerunt. Attamen neq. Moses, neque Samuel, neq. quisquam alius, quantauis esset virtute, & pietate præditus potuit vllo modo cunctum orbem terrarum sceleris tyrannide liberare; vniuersumq. genns hominum cum Deo in gratia ponere. attulerunt, illi quidem suis in magno aliquo periculo constitutis, aliquam salutis, atque libertatis speciẽ, ad huius tantum vitæ statum pertinentem, & exiguo temporis spatio circumscriptam: sempiternam vero salutem, atque libertatem, quæ ad florentem, atque sempiternum statum animi refertur, minime conferre potuerunt. Erant enim natura serui, non filij. Seruus, inquit, Dominus apud Ioannem, non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Hoc est, non Moses, neque quisquam alius potuit in domo Domini sempiternum imperium, & iurisdictionem administrare: sed vnicus tantum filius paterni nominis heres, expressa immẽsi, atq. sempiterni numinis imago. Ergo, cum Moses non filius, sed seruus exstiterit; non in perpetuum domum Domini regere potuit, neque esse sempiternæ salutis administer, quæ quidem in veræ iustitiæ fructu consistit. Vt igitur opera illius fuerit Israel e Pharaonis impotenti dominatu liberatus; non potuit tamen eiusdem opera peccati vinculis eximi, & dæmonis infestissimi dominatum fugere, & sempiternam miseriam declinare. Idem etiam de reliquis in omni virtute excellentibus viris existimãdum est. Omnes enim in eadem condicione fuerunt; qua Moses, de quo Paulus ait: Et Moses quidem fidelis fuit, in tota domo illius, velnti minister, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus autem, tamqnam filius in domo eius, quæ domus sumus nos. Vt igitur aliquot in locis, ab iis, qui non sempiternam, sed breui spatio definitam iurisdictionem in domo Domini habuerunt, breuis aliqua lnx rebus humanis allata sit: sempiterna profecto salus, eorum ope constitui, & parari non potuit. Alia igitur multo præstantiore sanctitate, & religione opus fuit; aliis virtutum omnium meritis multo clarioribus, ad genus humannm e miserrima seruitute redimendum. quæ quidem in solo Dei filio mirabiliter eluxerunt. Ergo, vt inquit ille, si nos filius liberauerit, vere liberi erimus. Nullo igitur modo, nisi per vnicnm Dei filium, e peccatis eripi, & in libertatem vindicari potuimus.

Nam, si pro violatæ maiestatis amplitudine grauitas criminis suscepti penditur, cum maiestas humano scelere violata infinita sit; consequens est, vt sit qnodammodo pondus ipsius criminis infinitum. Virtus igitur illius, qui malnm adeo pestiferum erat exstirpaturus, consentaneum fuit, vt esset, propter inexplicabilem in illo naturæ Dininæ cum humana coniunctionem, non terminata, vt in reliquis, sed immensa, & infinita. Solus igitur Dei filius habuit, quod pro genere humano satis abunde persolueret. Adde, quod reliqui omnes, quamuis in vita se excellenter gesserint, sæpe tamen in

vita lapſi, conciderint, & quam plurimis peccatorum maculis adſperſi ſunt; ita, vt ipſi etiam pacificatore indigerent, qui eis veniam impetraret, atque rurſus illos in Dei gratiam reſtitueret. Fuit igitur opus omnibus eo pacis ſequeſtre, & interprete, qui ne tenui quidem peccati contagio pollutus eſſet, nec alicuius opera ad gratiam Dei conciliandam indigeret. Talis igitur, vt Paulus ait, conueniebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, atque puriſſimus, ſegregatus a nocentibus, altior cælis effectus, qui pro ſe numquam, pro aliis non ſæpe, ſed ſemel tantum vnam hoſtiam offerret; cuius infinita ſanctitate aditum omnibus in cælum aperiret. Vnica enim oblatione ſempiternam in ſuis iuſtitiam, atque ſanctitatem perfecit. Ergo, cum neque Moſes, neque Samuel, neque Helias, neque quiſquam alius habuerit, quo ſua ipſius debita compenſaret, vitamq. mortis inſidiis circumuentam redimeret; quo modo tandem vniuerſum orbem terrarum expiare, & in Diuinam gratiam reſtituere potuiſſent. Hoc igitur munus Dei tantum filio aſsignari conueniebat. Nam, ſi excellens animi pietas, atque ſanctitas eſt Deo gratiſsima; in Chriſto tantum eluxit Diuinum illud admirandæ ſanctitatis exemplum, nullis vmquam terrenis affectionibus inquinatum. Si caritas in homines valet plurimum apud illum generis humani parentem optimum; adeo nos dilexit Chriſtus, vt in acerbiſsimam mortem, & intolerandum cruciatum, ſeſe pro hominum ſalute libenter offerret. Si preces ſanctorum hominum Deum flectunt, & a ſeueritate ad clementiam traducunt; hic ſummus totius ſanctitatis architectus, cum plurimas pro nobis ærumnas pertulit, tum omnem vitam, quam infinitis laboribus expoſuit, in precibus conſumpſit; atque ita patris opem nobis cum valido clamore, & lacrymis implorauit, & exauditus eſt propter ſuam ſingularem pietatem. Si poſtremo ſacrificium aliquod potuit expiare mentes hominum, pacemque nobis impetrare; huic vni ſolum ſacrificio tributum fuit, vt omnia vitia, & culpas excluderet, Deumque in perpetuum generi humano propitium efficeret. Nec enim pecudum ſanguis adſperſus potuit vllo modo inſitas animi ſordes eluere, ſed ſanguis Chriſti tantum in conſpectu patris illatus. Chriſtus igitur, ſolus maximus, atque ſempiternus ſacerdos, munere ſuo egregie perfunctus, id perfecit in nobis, quod nullæ ſacrorum ſanctitates, nullæ cærimoniæ, nulla priſcæ legis inſtituta, nullæ ſanctorum hominum preces efficere potuerunt. Non enim bruta animantia, ſed ſui ipſius corpus ſanctiſsimum ad ſacrificium obtulit; non in templi manu facti aditum, ſed in ſummum cæli faſtigium penetrauit; non pecudum ſanguine populum, atque aras adſperſit; ſed proprio ſanguine odium in nos cæleſtis, atque ſempiterni numinis exſtinxit; non odores terrenos incendit, ſed ardentiſsimis precibus pro ſalute hominum ſupplicauit; non denique vllis muneribus humanis iram patris auertere inſtituit, ſed admirabili obedientia, caritate, ſanctitate, religione, numen illius veneratus eſt. Neque ſibi ipſi veniam, (numquam enim in vita deliquit) ſed nobis omnibus poſtulauit; neque in eo ſacerdotio adminiſtrando humanam religionem, ſed Diuinam virtutem adhibuit. Illius igitur tantum opera fuit & patris numen placatum, & iuſtitiæ donum hominibus impertitum. Reſtat nunc, vt videamus, quibus tandem hominibus iuſtitia a Deo per Chriſtum data ſit. Sed hoc etiam iam ſuperius oſtenſum eſt. Non enim Deus ſanat inuitos, non placitis illius obſiſtentes, non oblatam lucem repudiantes; ſed eos, qui vulneris ſui remedium nõ aſpernantur, diffuſumq. lumen libenter accipiunt. Eis igitur tantum donari iuſtitiam conſtat, qui Deo monenti credunt; vocanti præſto ſunt; imperanti obediunt; medicanti gratiam tribuunt; totosq. ſe illi tradunt; neq. ingenio ſuo, ſed voluntate illius, omnia vitæ conſilia moderantur. vt autem vniuerſa vnico verbo complectar, eis tantum Deus iuſtitiam tribuit, qui fideles ſunt. Attende enim, qui ſint illi, quibus ſanitatem pollicetur. Si audieris, inquit, vocem Domini Dei tui, &, quod rectum eſt, coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodiſriſq. omnia præcepta illius; nullum morbum eorum, quos intuli Aegyptiis, inferam tibi: ego enim ſum Dominus Deus, ſanator tuus. Ex his verbis plane liquet, his tantum iuſtitiam tribui, qui fidem retinent; hoc eſt, qui Deo obedientes ſunt. obedientia enim ſanitas comparatur, ſanitas autem eſt in iuſtitia conſtituta. Sic etiam Dauid eos ſanandos prædicit, qui morbi ſui ſenſum capiunt, atque dolore perculſi ad Deum conuertuntur. Similiter apud Iſaiam, Chriſtus ſe miſſum eſſe pronuntiat, ad eos curandos, qui animis afflicti ſunt; hoc eſt, qui, dolore confecti, in vnicum illum vitæ medicum reſpiciunt. Sic denique apud Ieremiam, & Ezechielem, & reliquos Prophetas, illis tantum ſalutem, & Diuinum iuſtitiæ beneficium pollicetur, qui fuerint Diuinis inſtitutis obedientes. Sic item Paulus docet Chriſtum obedientibus ſibi cauſſam æternæ ſalutis attuliſſe. Habemus igitur, quoad eius fieri potuit, vniuerſam iuſtitiæ vim penitus explicatam. Nam &, qualis ſit iuſtitia, deſcripſimus; &, a quo fonte petenda ſit, oſtendimus; &, cuius opera manet ad homines, explanauimus; &, ad quos tandem homines emanet, oratione definiuimus. Demonſtratum enim eſt, iuſtitiam eſſe ſtatum animi, Diuina lege fundatum, atque Diuinæ virtutis conſtantiam ſpecie referentem. Dictum eſt, Deum ſolum eſſe, qui iuſtitiam in nobis efficiat. Hanc autem ampliſsimis Chriſti meritis, atque ſanctitate tributam hominum generi, docuimus. Poſtremo, non omnes, ſed eos tantum, qui rite

fidem

fidem colunt, id est, qui Diuinis præceptis obediunt, iustitia donari. Non alienum autem hoc loco arbitror, exactius distinguere, quid inter fidem, atque iustitiam intersit: siquidem vtriusque virtutis vis, in Diuinæ legis cultu, & obseruatione perspicitur; ita, vt vix a se inoicem cogitatione discerni queant. Sed animaduertendum est, iustitiam sine fide constare non posse; posse autem fidei rationem intelligi, vt iustitia non sit. Cum eoim peccamas, in crimeo repente iocidimus, iudicio Diuino reseruatum; quod nullis operibus, quantumnis pijs, effugere per oos possumus; ita, vt, etiam com fide ad officiom reuertimur, minime possimus iustitiam obtinere. Maximorum enim criminum rei sumus, atque iudicij laqueis irretiti detinemur: vt, quamuis animus iam sit in veræ religionis cultum incitatus, non tamen sit in eo studio, & conuersiooe iustitiæ ratio collocanda. Iustitia enim tunc exsistit, cum omnis omnino reatus exstinguitur. Est igitur necesse, vt ad Dei clementiam confugiamus, ductique fide ad gratiam adspiremus; vt opem suppliciter imploremus. Quo facto, clementissimus ille Dominus continuo preces nostras exaudiet; atque id, quod instituit, & inchoauit, absoluet; omnibusque flagitijs nostris sempiterna obliuione sepoltis, iustitia nos sua confestim informabit. Itaque semper fides antecedit iustitiam; continet tamen fides primam iustitiæ institutionem. Inchoat enim iustitiam in nobis Dominus, cum numine suo pellit animos; cum fidem in nobis excitat; cum facit, vt spiritu suo pulsi mala nostra sentiamus; cum nos ad se fide conuertit. Perficit, & absoluit iustitiam; cum non modo nos ad sui studium allicit, & Inuitat; verum etiam omnia commissa scelera condonat. Itaque est iustitia, fidei fructus amplissimus: fides autem, maximum iustitiæ fundamentum. fides enim incipit, quod iustitia consummat: fides sceleri obsistit, iustitia omni scelere soluit: fides strenue decertat, iustitia summa cum gloria triumphat: fides vota nuncupat, iustitia nuncupata vota persoluit: fides in eo elaborat, vt animum recte constituat; iustitia animum facillime regit, atque moderatur. Sic igitur fit, vt fides quidem inchoata quædam iustitia sit; iustitia vero perfecta, & absoluta, quædam fides. Accedit, quod fides est officium nostrum, non tamen absque Diuino beneficio præstitum: iustitia vero Diuinum munus, & beneficium, humanis tamen officijs exercendum, atque conseruandum. itaque fidem Deo offerimus, iustitiæ vero gratiã postulamus. Fide postremo iustitiam consequimur; iustitia autem fidem tuemur, atque miros in illa progressus facimus, vt enim, sublata fide, iustitia omnis amittitur; ita, iustitia constituta, fides fit altior in dies, atque vehementior. Hinc facillime apparet, in quo sit omnis sanctitas constituta. Est autem sanctitas, scientia religionis colendæ: scientia autem hæc ioeo posita est, vt teneamus animo, quibus sacris immolandum sit; quid rursus sit a Deo postulandum, atque flagitandum. Qui hæc duo recte animo percepta, atque comprehensa tenuerit, is veræ religionis scientissimus haberi potest. Quo autem alio sacrificio numen illius venerari, quod aliud munus voluntati illius acceptum, & gratum adhibere possumus, præter vnam fidem, Christi meritis, atque sanctitate firmatam? Quid rursus ab illo petendum, quod sit & illius magnificentiæ magis consentaneum, & ad oostram dignitatem aptius, & ad vitam, & immortalitatem magis necessarium, quam iustitia? Præclare igitur Oseas populum ad studium sanctitatis adhortatur. sic enim eum excitat ad religionem, vt non vllo modo eam in legis sacrificijs, sed in fide sitam doceat. Non enim ait, Parate vitulos, Hircos ad aram statuite, Agnos, & arietes in Dei honorem iugulate. quid igitur dicit? Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum. Hic non plane demonstrat, omnem religionem in sancta, & fideli precatione consistere; oeque sanguine pecudum, sed fide, atque precibus, ardenti fide suboixis, immolandum? Nunc discamus ab eodem propheta, quid a Deo petendum sit. adiungit enim, Diciteque ad eum, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum. hoc est, confer mihi Diuinum iustitiæ munus; & hanc meam fidem, qua ad te supplex accedo, benignitate tua immensa, & infinita complectere. Atque, vt ostendat, fide iustitiam conseruari, & augeri; admooet, vt in perpetuum fidẽ voueant, quæ quidem maxima ex parte in acceptis beneficijs animo retractandis, & in gratijs agendis posita est. addit enim, Et persoluemus vitulos labiorum nostrorum. hoc est, sacra, quæ nobis voti damnatis peragenda sunt, non vitulorum cæde, sed laudum tuarum assidua prædicatione peragenda sunt. hi enim sunt vituli tibi gratissimi; hæc sacrificia magnificentissima. Itaque breui oratione vir Diuinus omnem nobis rationem veræ, & absolutæ religionis explanauit. docuit enim fide supplicandum; iustitiam vero postulandam; iustitiæ rursus donum, atque beneficium, fidei opibus conseruandum, & augendum: vt sic fides iustitiam pariat; iustitia fidem amplificet; & alterum alterius incremento roboretur; & vtrumque tandem ad sommom perueniat. Hæc sunt illa sacra sanctissima, quibus initiari; hæc sacrificia, quibus pacem exposcere; hæc munera, quorum gratia vota suscipere, conuenit. in hoc enim omnis religio sita est, vt fide pro obtinenda iustitia sacrificemus. Vt autem omnis religionis intelligentia in fidei, atque iustitiæ cognitione consistit; sic omnis impia fraus, omnis impura superstitio ex eo est, quod neq. cum

fide ad Deum adeunt homines ; neque iustitiam, sed opes fluxas , & interituras a Deo flagitant . Duplici igitur ratione impuri, & impij sunt . Aut enim , quanta sit Diuinæ naturæ vis , atque maiestas ; quantaque , & quam salutaris benignitas, ignorant ; aut summum bonum non in ipso Deo, sed in rebus caducis, ponendum existimant . Nam, si illud in Deo situm iudicarent, nihil optarent ardentius, quam id, quod eos cum Deo arcte coniungeret. id autem iustitia est. vtroque igitur modo Deum honore Diuino spoliant . Nam, qui aut diffidenter, & timide, aut nimis confidenter, & impure, cum muneribus terrenis per fraudem sæpenumero quæsitis, ad aras accedunt ; prauam certe opinionem de Diuina bonitate, & clementia, aut iustitia, & æquitate concipiunt . Qui rursus aliud , nisi Deum , summe concupiscit , atque non pro iustitia , sed pro rebus caducis tantum immolandum putat , is certe Deo , cui supplicat , Diuinitatem eripit . id enim , quod summe, & ardenter expetit , illi anteponit. O deplorandam cæcitatem, & amentiam hominum , omnem operam , curam , & solicitudinem, omnes rationes , & cogitationes , omnes denique preces , & sacrificia , in res vanissimas conferentium . Quid enim miserius , quam, pro his rebus parandis immensos labores excipere, quæ neque inopiam subleuant , nec curas eximunt , neque morbos depellunt , neque sitim cupiditatis exstinguunt : immo , dum cupiditatem vehementius irritant, omni tranquillitatis fructu animum spoliant , vitamque longe amariorem efficiunt? Hoc Diuinum iustitiæ donum optandum , hoc amandum , hoc assiduis precibus petendum est ; quod animum omnibus Diuinis opibus copiosum , & opulentum reddit, quod morbis liberat , quod extrahit solicitudines , quod homines Deo similes facit , in quo denique Diuinæ gratiæ summa consistit. Nec enim aliud est gratia illa , qua iusti sumus , nisi iustitia ipsa gratis concessa fidelibus . Quod vt rectius intelligamus, non arbitror alienum , Gratiæ nomen explicare ; maxime , cum nullo modo eam a iustitia secernendam existimem ; & eos, qui aliam gratiam excogitant , illorum bona venia dixerim , in maximo errore versari censeam . Primum igitur hæc vox significat fauorem, & benignitatem alicuius, nullis aliorum meritis , sed sponte tantum , & voluntate sua, ad benigne faciendum propensam . Significat deinde ipsius benignę voluntatis effectum; nempe beneficium gratuito collatum. Declarat præterea Gratiæ nomen accepti beneficij memoriam , cum studio reddendi , atque , quoad eius fieri poterit , referendi coniunctam . Est postremo alia huius verbi notio, qua dicimus , aliquid esse gratum ; hoc est, aspectu iucundum , amorem quasi quadam venustate concilians . Hanc autem variam, & multiplicem nominis huius vim cum ad Diuina significanda transferimus, semper nobis iustitia occurrit . Nam, cum Gratiæ nomine Diuinum fauorem , & clementiam intelligimus, nullis nostris meritis , ad munera gratis danda incitatam ; hæc certe Dei clementia, in iustitiæ beneficio hominibus tributo maxime perspicitur . Deinde , cum ex ipsa gratia mirabiles , atque varij, & multiplices effectus exsistant , (omnia namque vitæ commoda in gratiis numerari possunt) præcipue tamen Spiritus sancti munera , gratis hominum generi concessa, hoc vocabulo designantur . Diuisiones , inquit Paulus, gratiarum sunt , idem autem spiritus . Sed , cum nullum a Spiritu sancto donum aut maius , & amplius iustitia, aut iucundius , & salutarius acceperimus ; congruum fuit, iustitiam potissimum inter omnia diuina munera hoc nomine Gratiæ appellari . si vero illum verbi vsum consideres , quo gratia ponitur pro memoria accepti beneficij; ex quo fit, vt ingratos eos nominemus , qui beneficij memoriam deponunt, paremque voluntatem non reddunt, cum possunt; gratia profecto est ad ipsius partæ iustitiæ munus , & officium maxime referenda . Nihil enim est magis secundum iustitiam , quam gratus animus, accepta beneficia secum recogitans; eaque , vbi primum potest , quibus in rebus potest, omni studio rependens ; aut saltem gratiarum agendarum studium non intermittens . Si postremo animum referas ad illam nominis sententiam , qua diximus gratam oculis venustatem declarari; omnis certe venustas, & elegantia est in iustitia ponenda .

Nihil enim refert, quam grati simus hominum oculis : neque enim sunt in sensibus humanis vera, & constantia pulchritudinis, & honestatis iudicia . fit enim plerumque, vt, falsa venustatis imagine capti, deformia, atque turpia, per pulchra iudicent . Illud igitur animaduertendum est , in quo sunt omnia ; quam grati, nempe quam amabiles, atque iucundi simus illi summo formarum spectatori , qui non vanum corporis nitorem , sed splendidum animi cultum , & admirabilem mentis elegantiam intuetur . Nihil autem Dei oculis , omni ex parte gratum esse potest , præter iustitiam . Quoquo igitur modo gratiam intelligas , semper iustitia animis obuersatur . Aut enim iustitiæ fontem perspicis, aut ipsius iustitiæ vim, & rationem ; aut iustitiæ munus , & officium ; aut eiusdem iustitiæ decus , & elegantiam .

Has vocabuli huius notiones mihi plane perceptas arbitror : illius autem gratiæ vim me penitus ignorare confiteor, quam multi non a caritate solum , verum etiam ab omni virtutis ratione seiungunt, eaque caritatem informari contendunt . Eos autem ipsos , qui

de gratia ita disputant, eius ipsius gratiæ, cuius auctores sunt, vim ignorare; illud est maximo argumento, quod eam non nominant, sed qualitatem quandam nomine vacantem inducunt. Si enim quæras ab illis, quid gratia sit; multam operam in distinguendo ponunt: & recte sane. omnis enim nominis vis multiplex distinguenda est. Sed distinctionem videamus. Gratia, inquiunt, primum est fauor, amore, quo quisque est affectus in aliquem, excitatus: est deinde fauoris ipsius effectus, nempe gratis donatum beneficium: est postremo grata accepti beneficij commemoratio. optime. Sed ego primam gratiæ rationem Dei clementiam appello, e qua nostra iustitia omnis emanat: altera, quamuis late pateat, iustitiam tamen præcipue significari video: tertia vero ipsius iustitiæ summum, atque præstantissimum officium designari non ambigo. nihil est enim, in quo se iustitia clarius ostentet, quam in auctore, atque parente iustitiæ colendo, summisque laudibus, atque omni vitæ studio celebrando.

Sic enim fit, vt iustitia, eo, vnde profecta est, reuertens, absoluta quadam conuersione finem, atque perfectionem consequatur. vt enim a Deo profluxit, sic ad Dei gloriam est, tamquam ad debitum finem, referenda. Si ergo, cum gratiam nominamus, statim nobis occurrit, vel iustitiæ origo, nempe immensa Dei benignitas, & clementia; vel iustitiæ ipsius vis, & ratio, opera Diuinæ benignitatis effecta; vel iustitiæ studium omnium præclarissimum: quid opus fuit aliam exquirere gratiam a iustitiæ ratione seiunctam, quam nemo prorsus intelligeret? Non, inquiunt, est verisimile, vt Deus iis, quos spiritus sui muneribus informare instituit, minus consulat, quam rebus iis, quæ tantum cohærent, & permanent. Sed res, quæ natura tantum constant, sic a Deo constitutæ sunt, vt non tantum a caussa extrinseca mouerentur; verum etiam insita propriæ formæ cupiditate, atque propensione, eum finem motus appeterent, ad quem caussa extrinsecus illata diriguntur: aliter enim motus ille minime naturalis esset. ergo & iis, quæ spiritu Diuino regendæ sunt, opus fuit aliqua Diuina forma, qua sponte ducerentur eo, quo illas spiritus Diuinus impelleret. Hoc quidem rectissime dictum puto: sed eam formam iustitiam esse defendo. In ea enim est solida, & expressa Diuinæ mentis effigies, quæ facit, vt ad omnia, ad quæ nos Spiritus sanctus singulati præsidio impellit, sponte etiam nostra, cum voluptate ducamur. Quid igitur opus fuit, gratiam a virtute secernere? si enim proprium virtutis munus est, eum, in quo inest, perficere; cum gratia mentem maxime perficiat, ad summumque perducat; virtus, vel maxime, ducenda est. Nam, si Gratiæ nomine Dei clementiam intelligis, gratia Dei ipsius virtus est; si Diuinæ clementiæ beneficia, inter ea iustitia præstantissimum locum obtinet; si animum gratum, atque beneficij memorem, in eo virtus omnis sita est. Quid igitur conuenit, gratiam ab omni virtute separare? Ita sane, inquiunt. vt enim rationis lumen est a virtutibus, industria, & exercitatione quæsitis, natura distinctum; hæ autem virtutes sunt, quibus homo ad finem humanæ naturæ consentaneum dirigitur: ita consequens est, lumen gratiæ ab iis virtutibus separari, quarum Diuinam vim Spiritus sanctus animis diffundit. Hæc illi omnia more suo, nos nostro dicimus: & hac quidem conclusione effectum putant, quod volunt; in qua tamen, difficile dictu est, quam multa vitia sint. Primum enim in eo grauiter errant, quod ita disputant, quasi sit aliqua virtus, quæ a clementia Diuina non fluxerit. Virtutes enim, quæ non a Deo ortæ sunt, & ad Deum referuntur, non virtutes, sed flagitia sunt. Deinde, quod statuunt lumen rationis sine Dei gratia constare posse. Ratio enim per se neque vitæ finem intueri, neque vitæ cursum instituere, neque e tenebris emergere potest. Semper enim errat, quamdiu est orbata Diuino lumine; ita, vt, cum maxime ad beatam vitam enititur, tum vel maxime se in miseriam sempiternam præcipitet. Quod est igitur rationis lumen? gratia profecto Diuina. vt enim lux Solis oculorum lumen appellari potest; ea namque circumfusi oculi, clare vident, quæ ante solis ortum erant tenebris inuoluta: sic & Diuina gratia rationis lumen potest appellari. Quod si rationis lumen appelles rectam mentis intelligentiam, clare cernentem; ea certe sine Diuina luce exstare non potest. Recta porro intelligentia sapientia est. Sapientia autem non modo maxima virtus est; sed omnes ipsa virtutes gubernat. Nullo igitur modo est rationis lumen a vera virtute, natura, atque ratione separandum. Ille vero communis multorum lapsus. statuunt enim, finem, hominis humanæ naturæ accommodatum, diuersum esse ab eo, quem appetit, postquam est gratia Diuina informatus. Homo enim, cum sit naturæ Diuinæ imago, nihil habere potest, quod illius naturam perficiat, & in quo tandem, vt in vltimo bono, conquiescat, nisi Deum. Ita concluditur, finem hominis, ea ratione, qua homo est, solum Deum esse; ad quem tamen non suis viribus, sed Dei ipsius gratia, peruenire potest. Cum igitur homo aliquid sibi, præter Deum, vt vltimum bonum, proponit; id non secundum naturam hominis facit, sed secundum humanæ naturæ corruptelam, & prauitatem. Postremo, vt possimus iudicare, quam esset apta comparatio; prius conueniebat explicare, quid esset gratia: vt sic tandem videremus, eandem esse gratiæ cum

virtutibus, qnas appellant infusas, cognationem, quam habet Inmē rationis cum virtutibus ratione acquisitis. Quo modo enim possum intelligere, quam apte hæc inter se collata sint, nisi prius gratiæ rationem perfectam habnero? Gratiam virtutem esse negas. quid igitur gratia est, si virtus non est? Nam, cum tantum dicis esse qualitatem a virtutis ratione distantem, nihil tu me doces, nisi eandem ipsam qualitatem definias. Doce igitur, quæ tandem qualitas ista sit. Est, inquit, vt Augustinus auctor est, nitor animi, sanctum concilians amorem. Recte sane. iste tamen animi nitor, explica, qualis sit. mihi enim, qui nitorem animi, qui venustatem, & elegantiam, qui omnem denique mentis ornatum, & pulchritudinem, in iustitia pono, satis esse puto Nitoris nomen, ad gratiam declarandam: tibi vero, qui gratiam a virtutis ratione discernis, vberius explicandum est, quid istius Nitoris nomine significatum esse velis. Quod si Nitoris verbo satisfactum quęstioni putas, perinde facis, atque is, qui, interrogatus de eo, quem dixisset esse egregio cultu nitentem, quali cultu ornatus esset; neque purpuram, neque aurum, neque gemmas nominaret; sed tantum ipsius Cultus nomen altero quoque verbo inepte repeteret. Quæro enim, quid tandem sit iste uitor animi, quam vim habeat, quibus in rebus situs sit. quod si fecero, aut iustitiam proferes; aut nihil omnino dices, sed tantum istius Nitoris verbum identidem vsurpabis. Nam, si dixeris esse Diuinæ formæ similitudinem, eadem ratione te premam; &, eam ipsam similitudinem vt explices, a te contendam; atque doceas, in qua tandem re similitudo formæ Diuinæ consistat. Et sic tandem necesse erit, ad ipsam iustitiā reuoluaris. omnis enim Diuinæ formæ similitudo, est in iustitia posita. Quod Paulus in epistola, quam scripsit ad Ephesios, luculenter explanat. Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ; & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Idem in epistola ad Colossenses demonstrat, omnem Diuinæ mētis imaginem, in iustitiæ sanctitate positā esse. Si igitur gratia est animi nitor, Diuinæ naturæ similitudinem referens; omnis autem hæc similitudo in vera iustitia consistit; gratia certe nihil est aliud, nisi iustitia. Quod si dicas, gratiam esse, quæ nos Deo gratos efficit; num potest aliquid aliud excogitari, quod nos Deo gratos efficiat, præter vnam iustitiam? Iustus Dominus, inquit Dauid, & iustitias dilexit. Idem Dominus apud Ieremiam ait, Ego Dominns, qui facio misericordiam, & iustitiam in terra. hæc enim omnia placent mihi. Item apud Ioannem, Qui misit, inquit, me, non reliquit me solum; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Paulus vero, cum Romanos exhortaretur, vt quilibet exhiberet se, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; vt explicet deinceps, quæ Deo placeant, omnia iustitiæ munera recenset. Ex his locis, & ex aliis quamplurimis, facile liquet, aut institiam esse, quæ nos Deo gratos faciat, aut nihil esse. Id enim nos Deo conciliat, qnod illi similes efficit: iustitia autem est, qnæ Deo similes efficit. quod cum gratiæ proprium mnnus sit, sequitur, vt ipsa iustitia gratia sit. Cnm autem caritas absoluta omnem sit vim institiæ complexa, multo certe sapientius fecisse videtur, qui gratiam a caritate non discernunt; qnam ij, qui eā a virtute, ratione seiunctam esse statuunt. Legis namque finis, vt Paulus auctor est, caritas est, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Cum vero constet, legis finem esse iustitiam, (ad eam enim sanciendam omnia legis præcepta referuntur) restat, vt iustitia omnis in ea caritate sita sit, quæ post crimen venia deletum, atque Diuina clementia sepultum, confestim exsistit. Dei enim clementia fit, vt omnia crimina eorum, qui illius fide nituntur, omnino deleantur; & ignis Diuini amoris illorum animis implicetur; atq. ita Deo summo artissime coniungantur: qnod est maximum, & amplissimum Diuinæ benignitatis, & gratiæ beneficium. In hoc autem sanctissimæ coniunctionis fœdere constat, esse omnem religionem iustitiæ constitutam. Cum igitur hoc nomen non modo Dei benignitatem significet, verum etiam illius munus, atque beneficium; nullumque munus a Deo nobis donatum sit illustrius, nullum amplius, & magnificentius; efficitur plane, vt inter omnia Diuina beneficia, hoc vnnm iustitiæ munus præcipue Gratiæ nomen obtineat. Quocirca non possum satis admirari, quid venerit in mentem quibusdam hominibus eruditis, atque piis, aliquid ingenio comminisci, quod esset iustitiæ splendore, omniqne virtutis elegantia mirabilius. Nam illud ridicnlum, in quo afferunt, gratiam esse iustitiæ formam. Pntes iustitiam esse rudem materiam, & impolitam, noua quadam forma concinnandam; aut aliquid in animo dissipatum, & fluctuans, qnod sit ratione adstringendum. In quo quidem minime vident, omne, quod in materiæ rationem cadit, infinite ferri, & esse semper in motu, sine modo, sine constantia, ordinis totius expers, & immoderate iactatum. Infinita igitur inanium rerum cupiditas, effrenata iracnndia, turbidæ, & inconsideratæ animorum commotiones sunt, quæ forma indigent, & materiæ instar obtinent, & ratione deuinciendæ sunt: non iustitia, quæ est ipse rerum modus, lex, atque ratio, qua dissipata colliguntur, dissoluta coniunguntur, dissidentia componuntur, inordinata denique in ordinem adducuntur. ita, vt ex flagitiosa commotionum infinitate, ad vnā rationem, & consonantiam redacta, vnicus, idemque omnium suauissimus concentus exsistat. Quod si rursus in institia esset aliquid dissolutum, & vagum;

vagum; si quippiam inconsiderate commotum, atque turbatum, tunc iustitiæ formam requirerem. Cum vero iustitia sit ipsa forma, eademque omni laude excellens, atque plane diuina, animos numero, atque ratione deuinciens; non video, cur, hac minime contenti, aliam sine vlla grauiore caussa formam excogitemus. Sic enim & ipsius gratiæ, quam effingunt, esset alia forma rursus inuestiganda, & sic infinite progrediendum. Quod si hoc absurdum est, absurdum etiam est id, vnde hoc concluditur; nempe, gratiam esse aliquid, natura, atque ratione a iustitia segregatum.

Si igitur iustitia est summum, & altissimum Diuinæ gratiæ beneficium, ea namque ad Dei similitudinem proxime accedimus, & omni studio in immortalitatem rapimur; si ea continet in se omnem pulchritudinis, & honestatis excellentiam, ita, vt nos Deo gratos, amabiles, atque iucundos efficiat; si mentem Diuina quadam specie informat, & omnes animi partes ordine, lege, atque ratione constringit; si hęc omnia recte gratiæ, quæ nobis per Christi virtutem, & gratiam inest, attributa sunt: ipsa profecto iustitia gratia putanda est; & non alia gratia ingenio fabricanda.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER SEXTVS.



Valem vim habeat iustitia; quo modo in Diuinæ legis sanctissimo cultu sita sit;& a Deo ad homines, qui Christum fide venerantur,propter excellentem illius in omni genere sanctitatem, peruenerit;quemadmodnm denique summum Diuinæ gratiæ munus, & beneficium in illa consistat; satis explicatũ arbitror. Nunc igitur consequens est, vt non vniuerse, sed sigillatim illius decus, & elegãtiam, & opes immensas, aliqua ex parte referamus. Quamuis enim Diuina munera non possint intelligentia humana comprehendi; tantum abest, vt iustitia, qua nihil est in muneribus Diuinis amplius,& illustrius, & vberius, & magnificentius, possit aliqua facultate splendidæ orationis explanari: consentaneum tamen est nobis, qui Diuina suspicimus, maxime vero postquam semel sumus in tantarum rerum tractationem ingressi, nihil omittere, quod quidem ad illius explicationẽ pertinere videatur. Nec enim verum est illud contritum nimia vetustate prouerbinm,Mortalibus mortalia tantum curanda esse; neque ea, quæ supra nos sunt, esse nobis vllo modo ratione perquirenda. scelerata profecto sententia, malorumq. omnium seminarium continens. Qui enim ita se abiicit, vt infima tantum,quæ infra se posita esse videt, ad se pertinere putet; necesse profecto est, vt, quasi quædam immanis bellua, cupiditate indomita rapiatur, & in omni flagitio, & turpitudine volutetur; neque aliud in vita sibi propositum esse putet, quam vt effrenatam libidinem expleat, omneq. vitæ studium in corporis cultu, & cura consumat. Quamquam, qui se mortalem existimat, animiq. vitã cum corpore simul exstingui;tantaq.mentis cęcitate laborat, vt naturæ suæ dignitatem non cernat; neq. inter se, & brutum aliquod animal, quidquam interesse putet:æquum est,vt prouerbium illud semper in ore habeat; mortaliaque tantum, & caduca, omni studio consectetur. Nobis vero, quos non ratio tantum, & natura, sed multo magis laudabilis, & prædicãda fides erexit;atque ad cæli conspectum, & ad nostram ipsorum cognitionem acriter incitauit; quid aliud in vita faciendum est,cũ nos immortales, Diuinoq. semine generatos esse sentiamus; quã, vt, mortalibus rebus abiectis,& repudiatis, de immortalibus,atq. Diuinis noctes,& dies cum incredibili voluptate cogitemus;&,quãtulamcũq. dicendi facultatẽ adepti erimus,eã omnẽ ad ęternitatis ipsius studiũ conferamus. Non enim ad pastum,vt pecudes;sed ad immortale decus, & gloriam nati sumus; neque naturæ perfectio nobis e terra est, sed e cælo petenda; neq. tam est nobis, quæ sit corporibus nostris cum terrena mole coniunctio, quam quæ sit animis cum Diuina mente cognatio, perpetuo considerandũ. Non igitur conuenit, in Diuinum iustitiæ splendorem solito acrius intuentem, aut mollitia languescere, aut defatigatione frangi, aut denique,difficultate suscepti muneris, impediri, quo minus opes illius conetur in omniũ conspectum proponere,earũq. cupiditate multos incẽdere. Nam, etsi institutũ a nobis munus perficere nequeamus;ipse tamẽ conatus egregius est, præmioque, vt spero,tãdem afficiendus: siquidem non ingenio nostro, sed Christi gratia, & benignitate confidimus. Hac igitur fretus, timorem, quo eram ante perculsus, omittam; & iustitię laudes dicere aggrediar. Vt igitur hinc principium ducamus, quanta luce cõpleti sint, qui iustitia culti sunt,explicari non potest.Nec enim communi tantum luce fruuntur, qnam animantibus cunctis astra cælis infixa diffundunt; sed ipsius Diuinæ lucis radiis illustrantur, quam solæ beatissimæ mentes adspiciunt. Solem illum nulla vmquam vmbra noctis obscurat, cum facile omnem caliginem immenso fulgore dispellat; neque ad occasum commeat,sed eodem semper splendore intuentium adspectum lætificat. Nec enim Diuina conuersione oblatam mortalibus lucem definit, sed eandem perpetuo suæ lucis vsuram fidelium nationi largitur. Dies igitur ille numquam nocti cedit, sed eodem semper splendore omnia cum Diuini numinis amplificatione collustrat. In hac igitur lnce, quam Christus erat ortu suo terris allaturus, Isaias multis ante sæculis mente defixus incredibiliter exsultat; Diuinoque spiritu concitatus, vniuersum piorum hominum cœtum magnis vocibus inclamat, dicens: Surge, & illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. In quo quidem aperte significat, Solem, quo erat humanum genus illuminandum, esse Dei vnicum filium, qui idem patris gloria nominatur. Hic

exoriens

exoriens dissipauit pestilentis erroris caliginem, fugauit noctem, & tenebras, suorumq. mentes clarissima luce compleuit: ita,vt,cum reliquis hominibus tæterrima quædā nox offusa sit, quæ Diuinarum rerum adspectū adimit, ipsi tamen omnia clare perspiciant. Quod quidem vir Diuinus explicat,adiungens: Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Deinde, post multa in eandem sententiam adducta, ait tandem, iustos homines non Solis, non Lunæ, non siderum luce;sed clarissimo splendore Diuinæ mentis vsuros. Nec enim sensibus vitam instituunt, sed fide omnia vitæ consilia moderantur. Consequens igitur est, vt non tam in communem astrorum lucem, quam in sempiternam Diuini luminis claritatem respiciant; neque in vmbras rerum,& imagines,quæ corporum natura continentur, sed in ipsam veritatem, æternæq. naturæ constantiam,aciem mentis intendant; omniaq. illorum consilia ad immortalitatem referantur. Prædicit igitur futurum, vt Sol Ecclesiæ numquam occidat; neque dies vllo tēporis spatio terminentur;cū Sol sit ipse Deus,summus,atque sempiternus, sempiternū diem immensitate, & æternitate suæ claritatis efficiens. Quid igitur beatius, quam lucem hanc sempiternam, atque Diuinam, mentis oculis vsurpare? Etenim, si, qui, tenebris inclusi, multis annis solem adspicere nequiuere, cum multa incommoda subierint, nullum tamen æque dolentius passi sunt, atque lucis ipsius absentiam; ijdemque, cum, subito, tenebricoso carcere liberati, in lucem respiciunt, ipsius adspectu satiari non possunt: quid tandem illis euenturum suspicamur, qui, tæterrimis ignorantiæ tenebris emersi, mentis oculos in Solem illum sempiternum subito conuertunt; iucundissimoque statim maximarum rerum, atque Diuinarum,spectaculo perfruuntur? Lux, inquit ille, orta est iusto; & rectis corde, lætitia. Quod enim gaudium, quæ voluptas animo tanta cogitari potest,quæ sit cum tanta felicis animi voluptate comparanda? flagrat enim mens hominis inexplebili cupiditate vera cernendi; vsque adeo, vt multi sese corporeis voluptatibus omnino priuauerint, patrimonia magna consumpserint, regiones innumerabiles peragrando confecerint, multisque in locis summum vitæ discrimen adierint, vt possent tandem aliquando animum suum sapientiæ disciplinis excolere. Sed, quid tandem, tam multis ingenijs ad verum inueniendum acerrime concitatis, tantis laboribus exhaustis, tam multis rebus ad veritatem facilius indagandam temporis longinquitate diligenter obseruatis, ad summam sapientiæ profectum fuit? parum admodum profecto. Qui enim se sapientes existimabant, & eo nomine sese insolentius efferebant, erant aliorum scriptis facile redarguti, & ignorationis, & inscitiæ conuicti. Nec enim fuit quidquam ab hominibus ope Diuina nudatis adeo feliciter inuentum, aut ita diligenter explicatum, aut ea animi firmitate constitutum, quod non aliorum argumentis omnino labefactatum concideret. Quæ res impulit homines acutissimos, vt affirmarent, nihil sciri, nihil comprehendi, & percipi posse; omnemque veritatem esse penitus ab humana cognitione remotam. Proinde solos eos minime desipere, qui se nihil scire profitebantur. Quod si aliquid fuit commode ab illis excogitatum, qui se studio sapientiæ dediderunt; nullum tamen id emolumentum ad vitæ beatæ rationem conferebat; ita, vt sine vllo fructu fuerit ab eis omne studium in philosophia consumptum. Cum enim spe beatæ vitæ sese ad artium studia contulissent, in summa tamen miseria versabantur. Erant enim & erroribus perniciosis imbuti, & curis molestissimis implicati, & flagitijs innumerabilibus impediti. Vt autem nihil aliud eorum animos cruciaret, ipsum desperare omnem veritatem, cuius desiderio capti vitam omnem in studio conterebant, erat certe molestissimum. Vt enim, si prægnans mulier fetum, quem diu aluo continuit, viuum edere nequeat; eam in ipso nixu magnis doloribus sine fructu cruciari necesse est, summumque vitæ periculum adire; sic mentem, studio veri cognoscendi grauidam, intra quam concepta veritatis semina perfecte informari non possunt, opus est magnis doloribus implicari, in summumque discrimen salutis adduci: cum in ipso pariendi conatu semper abortione miserrime conflictetur. Est enim menti proposita veritatis ipsius informatio. Hanc igitur dum comprehendit, beata est; dum illius fructu priuatur, miserrima. Omnes igitur, qui sine Diuina luce in studio sapientiæ versati sunt, miseri, & ærumnosi sunt existimandi; cum numquam eo peruenerint, quo ardentissime cupiebant. Ex quo necessario eueniebat, vt esset eorum vita multis curis, & molestijs affecta. Nam, etsi aliqui, inani quadam specie delusi, pro veris falsa probarent; &, quasi voti compotes, lætitia gestirent; non diu tamen in ea voluptate permanebant. Nihil enim fictum, vanaque specie simulatum, diuturnam voluptatem potest efficere: immo, quo vehementius initio animum pulsat,lætitiaque afficit,eo grauius in fine molestia confectum debilitat. Ergo, & eos, qui, difficultate fracti, veritatem se inuenire posse diffidebant;&,qui,inaniter elati,se iam sapientiam comprehendisse credebant; necesse erat eximia solicitudine conturbari. Quid enim molestius,quam, id,quod pulcherrimum esse ducis, quod omnium maxime expetendū, ad quod tandem consequendum immensos labores excepisti, numquam adipisci: sed, quo magis omnes animi conatus eo cōparas, vt illo potiaris,eo lōgius te ab illius adspectu remo-

tum

tum cernere? Qnod illis necessario eueniebat, qui, suo ingeniò nixi, lucem Diuinam minime requirebant. Vt igitur Iudæi, cum omnem vitã in iustitiæ studium conferrent, iustitiæ fructum non tulerunt, quia non fidei sanctitate, sed adũbrata religione nitebantur; ita plerique Philosophi, cum in sapientiæ studium totos dies incumberent, nullnm ex philosophia sapiẽtiæ fructum perceperũt; quia, ingenij confidentia præcipites, omnem fidei, atquc pietatis sanctitatẽ nefarie, & impie contempserunt. Quid igitur felicius, quam in tam cæcis tenebris, & horrenda terrarum caligine, exsistere repente lucem, qua circumfusi possimus supera, atque cælestia contueri, ipsamq. Dei mentem, quæ continet omnem iuris regulam, animi moderationem, vitæq. totius ornatum, assidue contẽplari? Neque enim iuuat, terras inani quodam studio metiri; sed in cælnm mente conscendere, Diuinæ sapiẽtiæ arcana perscrutari, opes sempiternas inspicere. Hoc est autem illud verissimæ sapientiæ studium, quod non insolenter ostentat ingenium, vanissimaq. specie eruditionis mentibus humanis crassas ignorantiæ tenebras offundit: sed quod animum, Diuinarum rerum cognitione mirabiliter instructum, in amplissimo dignitatis, & imperij gradu constituit. Cum autem hanc cælestem, atque Diuinam sapientiam hi soli consecuti sint, qui iustitia ornati sunt; soli profecto sunt vere sapientes existimandi. Iã vero sanitas ipsius animi, quanti tandem æstimanda est? Vt enim tum valet corpus nostrum, cũ ea, ex quibus natura concretũ est, ita congruũt inter se, vt nihil redundet, quod immoderata vi, & impetu reliquarum partium conuenientiam disturbet; sic animum tũ recte valerc putãdum est, cum omnes illius partes inter se mira qnadam temperatione consentiunt; & quasi nodo quodam Diuini spiritus moderatione circumdatæ colligantur. Quod quoniam iustitiæ munus est, ad iustitiæ moderationem, & ordinẽ est omnis animi salus, & firmitas reserẽda. Huius sanitatis spem certissimam ostendit Isaias, cum magnis vocibus omnes homines ad iustitiæ studium adhortatur. Tunc, ait, erũpet quasi splendor auroræ lumen tuum, & sanitas tua repente germinabit. Hanc autem lucem, & animi firmitatem libertas Diuina consequitur. Vt enim error, inscitia, verorumq. bonorum ignoratio, mentem libertate spoliat, & libidinem in animi dominatu constituit; ita veritatis cognitio animos, dominatu libidinis oppressos, in libertatem restituit. Si vos, inquit Dominus, mãseritis in sermone meo; vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quę autem sit vera libertas, pro qua sit vsque ad extremum vitæ spiritum omni contẽtione dimicandum, docet, ostẽdens, eam in animi erecti, & excelsi constantia, omne peccati imperium inuicta virtute repellentis, esse constitutam. Hanc autem libertatem lux illa Diuina largitur, quam iustitia nostris animis, cum in illam fide respicimus, statim affert. Qvo modo enim flagitiosi amoris gratia seruiet libidini, & impuritati, qui veræ dignitatis speciem admiratur; &, quod est cõsequens, ad illius sempiternæ pulchritudinis cupiditatẽ exardescit? Quo modo, futilis, & inanis voluptatis caussa, poterit a naturæ statu deijci, qui stabili, atque sempiterna voluptate perfunditur? Quo modo, terrestrium diuitiarum cupiditate, libertatem abijciet is, qui in cælestes, atque Diuinas opes semper intuetur? Qui poterit dolore frãgi, qui ita mente viuit, & viget, vt omnem corporis sensum repudiet? Quo modo tandem succumbet formidini is, qui, vt iustitiæ præmium assequatur, e corpore excedere concupiscit? Ergo, dum animus, illustri mentis acie, veræ dignitatis eximium decus, & elegantiam cernit; dum veræ, & liquidæ voluptatis dulcedinẽ gustat; dum opes immensas, atque sempiternas admiratur; facile inanem speciẽ dignitatis contemnit; insidiosã nefariæ voluptatis blandimẽta repellit; omnes denique res humanas aspernatur. Hinc igitur animi magni, & excelsi, res vehementer arduas, plenasq. laborum, atque periculorum, absque vlla formidine gerentes, exsistunt. Nec enim modo veritatis ipsius luce circumfusi sunt, qui iustitiam sanctissimam habent; verum etiam Diuino quodam robore circumsæpti, quo facillime omnia suis opibus intenta pericula propulsent. Nec enim potest Diuina virtus humana improbitate superari, neque viribus vllis impediri, quo minus clarissimam victoriam de cunctis hostibus suis obtineat, atque tandem, magna cum gloria, de omnium interitu, & ruina triumphet. Ergo ratio, quæ, cum esset in tenebris, libidini ministrabat, quæ seruiebat impuritati, & flagitio, quæ erat cupiditatis effrenatæ mancipium, vbi primum iustitiæ lucem adspicit, sanitatem recuperat, peccatiq. iugum a se repellit; inuictasq. vires adepta, nõ modo in summa libertate versatur, verum etiã bellorum omnium victrix exsistit. Nihil est igitur hominis iusti mente magnificẽtius. est enim cælesti luce splendida, sempiternis opibus firma, diuinis viribus inuicta, immortali gloria ampla, clarissimarumq. victoriarum monumentis mirabiliter illustrata. Iã vero, de fructu tranquillissimæ pacis, qua iusti potiuntur, quis poterit pro dignitate disserere? est enim fructus iustitiæ, pax. Ergo, quemadmodum iustitia vera sempiterna est; ita & hic iustitiæ fructus amplissimus, est necessario sempiternus. Quod Dauid olim fore temporibus Christi prænuntiauit: Et erit, inquit, in diebus illius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Vsitata apud Hebræos loquendi cõsuetudine, significat, pacem illam, quam Christus erat numine suo terris allaturus, fore sempiternam. Quamuis igitur ij, qui sese ad Christum adiunxerunt, bellis assiduis attentari videantur; ipsi tamen intra se iucundissima pace, & otio perfruuntur. Cernere autem licet,

quantis,

quantis, & quã pestiferis bellis exagitati sint, qui Diuinæ legi non obtemperant; vt melius cernere valeamus, quam secura sit eorum vita, qui iustitiæ præscripta non deserunt. Primum igitur, cum lex, atque ratio præscribat, vt quælibet pars animi sese intra regionem cõtineat sibi a natura datam, neque cancellos lege circumdatos egrediatur; contra ius, & fas omne fit, vt singulæ partes animi, rationis expertes, spreto rationis imperio, iustitiæq. moderatione sublata, non modo finem, & modũ transeãt; verum etiam rationem ipsam impetu cæco, & furibundo, de omni mentis statu deturbent. Ergo, cum immensa cupiditas vinculis soluta ruere incipit, & impetum in rationem facit; eam vndique machinis admotis oppugnat, tormentisq. omnibus verberat, mortiferisq. vulneribus impositis, illam in varias partes versat, torquet, exagitat; ita, vt nihil inconstantius, aut miserius excogitari possit. Vt enim nauis, sine gubernaculo, in salo fluctuans, est omnibus ventis exposita; ita, vt, cum primum sæua quædam tempestas excitatur, necesse sit eam vi tempestatis iactari, vsque eo, dum vadis allidatur, vel fluctibus obruatur: sic, cum ratio est a gubernaculis deiecta, legisq. imperium repudiatum; nullam potest animus habere constantiam, cũ sit immodicis perturbationibus agitatus, &, turbidæ tempestatis impetu delatus, in exitiũ præceps, amentia feratur. Est enim iniustitia, mentis cæcitas, rationis perturbatio, atque cõfusio, turbulenta tempestas animum perpetuæ iactatione cõcutiens, assiduisq. terroribus obiectis exanimans. Sic fit, vt ancipiti bello distractus animus, cum tam importunis hostibus repugnare diu nequeat, & modo in hanc partem, modo in illam, variæ, atque multiplicis cupiditatis impetu deferatur, acerbissimo angore crucietur. Ex hoc autem intestino bello aliud externum bellum exoritur. omnes enim hostiles dissensiones inter homines excitatæ, ex impotenti dominatu cupiditatis oriuntur. Quẽadmodum Iacobus inquit: Vnde & bella, & lites inter vos? numquid non ex cupiditatibus, quæ bella concitant in membris vestris? Nec enim immanis, & fera libido solum, animum cuiusque intestino bello lacerat, & conficit; sed excurrit etiam foras, vt, vel iniurijs innumerabilibus, generis humani societatem violet; vel oculos hominum deformitate turpitudinis offendat, & odia maxima contra se concitet. Hinc igitur turbulenta dissidia, hinc cædes, & insidiæ, hinc hominum strages, hinc rerum publicarum euersiones, diraq. rerum humanarũ exitia nascuntur. Quod enim est tantum bellorum incendium, quod non vel ambitio, vel auaritia, vel libido, vel iracundia, cum magna hominum pernicie, excitare plerumq. soleat? Sed ex omnibus bellis; illud vnum est omnium maxime funestum, & calamitosum, ex quo reliqua omnia oriuntur; nempe perpetuũ hominis iniusti cum Diuina mente, atque voluntate dissidium. Cum enim Dei legem transgredimur, illius numen oppugnamus; quo fit, vt illius iram in nos nostro scelere cõcitemus. Quod malum igitur tantum comprehendi cogitatione potest, quod sit cum hac tanta calamitate conferendum? Nam, cum homo, impietate prolapsus, illum Dominum, qui omnia potestate infinita complectitur, cuius ope cuncta bella facile depellebat, nõ modo a se alienet, verum etiã acrem sibi aduersarium constituat, quodnam tandem habere poterit in vita malorum perfugium? Si enim se ipsum respicit; animi statum cernit agitatum seditionibus, concisum vulneribus, deformatum flagitijs, assiduaq. iactatione conuulsum. Si oculos in res humanas conijcit; eas certe adspicere animo æquo non poterit, cum alijs inuideat, alias timeat, alijs iratus sit, alias oderit, aliarum inani desiderio contabescat. Si cælum suspicit; esse vim Diuinam, omnia continẽtem, & animaduertentem, pœnasq. de scelere, & improbitate repetentem, animo, atque mente recogitat: quod quidem fieri necesse est. nemo enim adeo sceleratus, & impius est, qui non Deum esse putet; illiusq. sæpenumero iudicium metuat. cum igitur esse numen putat, horret, & tremit, nullaq. in sede consistit: cum semper animo anxio, atque solicito, scelerum pœnas extimescat. Omnes igitur belli dirissimi curas, & acerbitates complectitur iniustitia. Quod si tanta solicitudo vexat improbos; quanta tandem erit ea securitas, quam habent omnes iusti? Nec enim sibi ipsis odiosi sunt, cum secum intra se mirifice consentiant; nec homines oderunt, cum generis humani societatem sanctissime colant; neque humanas opes extimescunt, cum se Diuinis firmatos esse confiderent; neque postremo (quod caput est) iram illius Domini in se incitari perspiciunt, cui sunt sanctissimo, atque sempiterno fœdere copulati. Quocumque igitur animum conferant, quacumque sint in sede, atque regione locati, quieti semper sunt, & in summa tranquillitate versantur. Quod si quippiam contra illos insurgat, non tantam vim habet, vt eorum pacem turbet. Vt enim, cum pauci latrones in fines munitissimæ ciuitatis excurrunt, non ciuitati pacem eripiunt, sed tantum admonent, esse fines diligentius tuendos; ita, cum vel motus aliquis intrinsecus excitatur, vel aliqua species horribilis extrinsecus obuersatur, vt animum oppugnet Diuino præsidio sæptum; non pacem eripit, sed animaduersionem tantum excitat, & diligentiam, ad omnes hostium conatus repente frangendos, totumq. bellum in ipso statim initio profligandum. Animus interim, fiducia cælestis pręsidij, quod sibi semper adesse sentit, elatus, non trepidat, neque tumultuatur vmquam, neque vllo motu a mentis statu deducitur. Hæc est illa vera pax, quam non hominum fraudulentæ conuentiones afferunt; non fœdera vana sanciunt; non humanarum legum præscripta conficiunt; sed quam summus ille

ille pacis auctor, qui cælum terris amore summo coniunxit, numine suo facit, atque confirmat. Pacem meam, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis; non quo modo mundus dat, ego do vobis. Mundus enim, hoc est hominum flagitiosa, atque impura multitudo, rebus terrenis addicta, poterit quidem insidioso pacis nomine bella perniciosa moliri; veram autem pacē, a qua plurimum semper abfuit, non poterit vllo modo conferre. Itaque, cū se otium adeptā putat, tum vel maxime diro, & crudeli bello laceratur. Contra vero, Dei filius, cuius spiritu continetur summa, atque sempiterna veri amoris coniunctio, cum solus possit cupiditatem, in qua omnium bellorum seminarium exsistit, virtute sua in nobis comprimere, solus potest animi nostri partes dissipatas colligere, & dissidentes vno rationis vinculo constringere, mentemq. intestina peste liberatam cum ipso Deo coniungere. Cum autem omne, quod dissidet, imbecillum sit; quod vero fidei conspiratione consentit, valde robustum; necesse profecto est, vt animus iustus, cum & secum ipse congruat, & ad amandos, & iuuandos homines sit egregie propensus, Deoq. pacis, & amoris sempiterno fœdere deuinctus, inuicto quodā sit, & sempiterno robore munitus. Vt autē, pace, & otio constituto, videmus moderatum, & concordē ciuitatis statum affluere multis opibus, & potentia in dies augeri; sic necesse est, in tam stabili animorum concordia, augeri opes, cumulari diuitias, crescere potentiam; & omnia, quæ pertinent ad Diuinum animi cultum, quotidie magis amplificari. Hinc etiam exsistit Diuina quædam species, atque pulchritudo, ad amorem incredibiliter alliciens: quod minime tamen mirandum est. nam, si pulchritudinis imago, quæ cernitur in corpore mortali, multisq. maculis inusto, quodam tamen inani lepore, atque venustate delectat, amoremq. sæpe conciliat: quid tandem efficiet vera pulchritudo immortalis animi, nullis sordibus inquinati, & ornamentis Diuinis exculti, cum primum fuerit animaduersa? Quis enim candor, quod lumē, quæ partium conuenientia tanta poterit excogitari, quæ sit cum excellente hominis iusti decore, & elegantia conferenda? Illius enim candor e claritate Diuinæ lucis exoritur: illius venustas Diuinæ legis moderatione conficitur. Nihil est igitur in animo iusto triste, obsoletū, & horridum; nihil atrum, & infuscatum; nihil parum clarum, & nitidum; nihil inter se discrepans; nihil non certo numero, & ratione dimēsum; nihil non Diuina mente, & moderatione temperatum. Tanta igitur pulchritudine splēdet, quāta nulla vmquam consequetur oratio. Omnis enim ratio pulchritudinis non solum in luce, & candore, sed etiam in ordine, atque modo, summaq. partium consensione, consistit. Id enim tantum est specie iucundum, & oculos ad se rapit, quod est aptum, & cohærens, &, in quadam partium varietate, ita certo numero, & ratione compositum, vt vnum maxime fiat. Contra vero, quidquid est ineptum, & discrepans, neque ratione coniunctum, deformitate sua oculos offendit, & animos a se abalienat. Vt enim in fidibus, cum imæ summis, mediæ vtrisque respondent, vnus, idemq. suauissimus concentus elicitur; sic in formis, cum omnes partes inter se ita conueniunt, vt nulla sit ab alijs dissentanea, tum demum illa vna species, atque venustas elucet. Cum igitur in ordine, modo, & conuenientia, sit honestas omnis, atque pulchritudo; summus autem ordo totus sit in Diuinæ legis moderatione positus; ea autem legis Diuinæ moderatio, atque temperatio, cum omnes partes mundi contineat, tum vel maxime in hominis iusti mente dominetur; quid tādem poterit esse specie illa præclarius? Nec enim est tantus splendor in astris; non tam iucūdam harmoniam efficit cælorum multiplex, atque mira ratione temperata conuersio; nihil denique est in vniuersa natura, quam oculis intuemur, tanto lepore consentiens; vt sit vlla ex parte cum iustitiæ specie, & pulchritudine cōparandum. Est enim iustitia, viua quædam Diuinæ formæ, & pulchritudinis imago, ad speciē summi illius exemplaris informata, Deiq. ipsius manibus excellenti opere perpolita, omnibus amabilis, atque iucunda. Nihil enim est amandum, nihil oculis gratum, nihil elegans, atque decorum, præter vnam iustitiam. Ex quo fit, vt iniusti, & improbi a nemine amari possint. qui enim sibi ipsi infestus, & inimicus est, quo modo tandem poterit ab alijs diligi? in tāto autem odio sunt apud se ipsos iniusti, vt secum viuere nullo modo possint. est enim iniustitia, comes odiosa, acerba, inuisa, insitæ turpitudinis offensione animum semper excrucians. Ea igitur de caussa seipsos fugiunt iniusti; cum alijs contrahunt, cum alijs loquuntur, semper aliena curant; quia neque secum loqui, neque sua curare possunt: adeo toti sunt, propter status sui odium, a cura, & studio sui remoti. Inde autem fit, vt semper noua moliantur; bella infinita suscipiant; multisq. se laboribus exponāt; vt a se curæ, atque cogitatione discedant. Tantisper enim ab assidua solicitudine, & acerbitate reficiuntur, dum, bellis externis implicati; ab intestinis seditionibus aliqua ex parte conquiescunt. Tam assiduis enim pœnis agitātur, vt, pro singulari remedio illius solicitudinis, quæ animos eorum noctes & dies exedit, magnam, & turbulentam tempestatem optare plerumq. videantur, vt miseriæ suæ memoriam interdum deponant. Id autem facit, vt maxima certamina ineant; inimicitias cum omnibus hominibus persequantur; omniq. studio contentiones, & bella suscipiant, & pestem non modo reliquis hominibus, sed sibi etiam, assidue machinentur. quinetiam multi vsque eo sunt odio sui progressi, vt sibi manibus suis vitam eriperent. Quod si tanta est iniustitiæ turpitudo, vt ijs etiam, in quibus insidet, vehementer

inuisa

inuisa sit; reliquum est, vt omnibus sit odiosa, detestabilis, & exsecranda, non minus, quam aliqua furia, ad omnium mortalium pestem, atque perniciem hydris instructa, & armata. Quod si tanta est iniustitiæ turpitudo, & tanta deformitas, vt suos etiam, quasi quoddam monstrum & immane portentum, exterreat; eamq. mortales diris omnibus exsecrentur: quid tandem erit omnibus iustitiæ adspectu iucundius? Est igitur iustus, & sibi iucundus, & improbis admirandus, & bonis egregie carus; & tanto cum iustis omnibus amore coniūctus, vt nihil possit animo fingi copulatius. Sunt enim inter se moribus, & vita simillimi. Vt autem dissimilitudo disiungit animos, ita similitudo coniungit. Icirco autem fit, vt nulla possit esse inter iniustos stabilis, atque firma coniunctio, cum nullus ex eis aliorum similis esse possit. qui enim a se ipso dissidet, quo modo tandem aliorum similitudinē retinebit? Est enim similitudo, vnica formæ ratio in diuersis rebus elucens, cuius vis tanta est, vt diuulsa etiam, atque dissoluta, conglutinet. Vbi igitur vna ratio diuersas res minime constrinxerit, ibi nulla prorsus similitudo exstare poterit. Improbi autem, & iniusti nullam certam, & æquabilem vitæ regulam habent, ad quam sese omnes similiter applicare possint; cum infinita cupiditate iactentur, & singulis horis commutentur, & sine vlla constantia in res varias, & dissimiles, atque inter se valde repugnantes, impetu cæco rapiantur. Qui igitur nullum modū habent, neque secum ipsi conueniunt, neque idem sibi ipsis momento temporis esse possunt; qui fieri potest, vt idem cum alijs sentiant, eandemq. vitæ rationem diu conseruent? Nulla igitur esse potest inter iniustos constans amoris coniunctio, nulla fidelis societas, nullum sanctum, & religiosum icti fœderis sacramentum. A iustis enim hominibus tantum coli sancte potest amicitia. soli namq. sunt inter se similes, & moribus, atque vita mirifice congruentes. Omnis enim similitudinis ratio est in Diuinæ iustitiæ ratione constituta. Vt enim, cum eodem anulo quam plurima sigilla imprimuntur, nihil est, quod inter ea intersit, nisi quod alia quidem leuius, alia vero altius imprimuntur; ita, cum Diuinus spiritus iustitiæ formam mentibus humanis insculpit, vna propemodum omnium facies apparet. sic autem fit, vt quilibet homo iustus, cum alium eadem iustitiæ pulchritudine nitentem intuetur, se ipsum cernat in illo; eaq. de caussa nihilo sese plus, quam illum, diligat. secus enim, se ipsum quodammodo sibi anteferret. Hinc exsistit illa summa studiorum, & voluntatum, rerumq. omnium stabilis, atque firma consensio, sanctissimiq. amoris conspiratio; dum ex multis animis, vna iuris Diuini ratione deuinctis, vnaq. summi cuiusdam amoris coniunctione implicatis, vnus animus fit, vna mens, vna ratio, vnus sensus, vna voluntas. Multitudinis, inquit Lucas, credentium erat cor vnum, & anima vna, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse ducebat; sed erant illis omnia communia. Neque enim sanctissimæ illius societatis ratio patiebatur, vt, quorum animi erant coniuncti, res esset diuisa. Hac igitur communione, & societate, quæ iustitiæ sanctitate coniungitur, quid vel ad dignitatem aptius, vel ad oblectationem iucundius, vel ad incolumitatē tutius, vel ad sempiternum decus elegantius? Sapienter quidem doctissimi viri tradiderunt, omnem vitæ iucunditatem fideli amicitia contineri. Hæc enim res secundas exornat, aduersis perfugium, atque solatium præbet, in periculis præsidium, in otio dignitatem, in omni denique fortuna summum oblectamētum totius vitæ complectitur; vsque adeo, vt nihil esse possit absque fideli amicitia in hominum vita iucundum. Cum autem nulla possit contrahi vera, & stabilis amicitia, nisi veræ virtutis specie; hanc autem nemo possit habere, nisi iustitiam colat; sequitur, vt omnes homines, qui iustitiæ expertes sunt, amarissimam vitam agant; semperq. sint de omni rerum statu, cum incredibili animi consternatione, soliciti; &, quo magis eos amicitiæ cupiditas torqueat, illius etiam simulatam speciem admirantur, illaq. frui desiderant. Cuius tamen exēpla docti homines olim, non tam ex communi vita, quam ex fabulis, sumebant. Adeo enim rarum, & insolitum est veræ amicitiæ simulacrum, vt illius penuria cogantur homines eruditi, Pyladem, & Orestem in ore semper habere; & si qui præterea Poetarum carminibus celebrantur, eo amore inter se deuincti, vt minime fugerent sceleris, & furoris, & amentiæ societatem. Quid igitur iucundius, quam, in tanta fidelis amicitiæ penuria, omnium repente bonorum familiaritatibus implicari, illiusq. amore fidelissimo, atque constātissimo deuinciri? Particeps, inquit ille, sum omnium timentium te, & custodientium præcepta tua. Sese participem, socium, & consortem piorum hominum profitetur; neque aliquem excipit eorum, qui Deum sancte colunt, quem non æque, atque seipsum, amet; illiusq. bonis nō minus, quam suis, efferatur. Cum autem iusti optibus summis affluāt, summisq. bonis, atque sempiternis abundent; sequitur, vt illorum societas sit cælestium bonorum communio, Diuinarum diuitiarum fidele commercium, hereditatis sempiternæ cōsortium. ex quo fit, vt in hac societate sit multis modis omnium multiplicata iucunditas, atque lætitia. Quo enim maior est istorum numerus, eo magis vniuscuiusque gaudium crescere oportet: cum ex singulorum bonis non minorem, quā ex suis ipsius, voluptatem quisque percipiat; & sic necesse sit, singulorum gaudium infinitis accessionibus amplificari. Porro autem, cum tanta sit inter iustos amoris consensio, & conspiratio; intelligi oportet, multo magis esse vnumquemque illorum Deo amore summo coniunctum. Nam, si tantam vim

vim habet ad animos conglutinandos,eandem vitæ regulam ſequi, ijſdem opibus circumfluere,eadem ſpecie dignitatis informari; quantũ tandem magis valebit ad eximiam amoris cõiunctionem,illam ſummam iuſtitiæ normam,& immenſam ſpeciem Diuinæ,atque ſempiternæ pulchritudinis puris animis intueri? Ex ea enim coniunctione, quæ nobis cum Deo eſt, orta eſt illa,qua homines hominibus amoris vinculo conſtringuntur. Quid enim aliud verum amorem excitare poteſt,niſi Diuinæ iuſtitiæ,atque virtutis imago, quam in bonorum animis elucere perſpicimus? Ea namque ſola rapit ad ſe animos, ſuiq. cupiditate mirabiliter incendit. Ergo,quo magis illa forma Diuina in mentibus humanis eluxerit, eo magis animos ſui cupiditate inflammabit. Sic igitur fiet, vt,cum propter Diuinæ virtutis effigiem boni diligantur a bonis; &, quo effigies illa eſt expreſſa luculentius, eo magis amorem conciliet; ſummus amor ipſius Diuini numinis, e quo dignitas omnis emanat,admiratione concitetur;animique,in illud ſummum ipſius virtutis,& iuſtitiæ decus mente defixi, protinus inflammentur. Deum igitur inflammato ſtudio ſequuntur, de illo ſemper cogitant; illius bonitatem mente concipiunt; de illo cum incredibili iucunditate ſermones habent;cum illo perpetuo loquuntur; omnis denique eorum vita ad gloriam illius deſtinatur; tantoq. illius amore flagrant,vt,illius gratia,vitam in tormentis abijcere concupiſcant. Cum autem Deus a bonis eximie diligatur,multo tamen ipſi magis ab eo diliguntur. Vt enim amor, quo filij parentes amant, nullo modo comparandus eſt cum eo, quo parentes filios proſequuntur; ita infinitis prope partibus excellit hominum pietati caritas illa, qua optimus ille pater vnumquemque ſuorum amplectitur.Nam,vt artifices excellentes operibus ſuis delectantur, ita ſummus ille totius honeſtatis architectus, cum animum Diuina virtute florẽtem perſpicit, opus ſuũ agnoſcit,eumq. eximio amore proſequitur,&,illum intuens, ſummo,vt ita dicam, gaudio cumulatur. Quocirca Diuina ſapiẽtia profitetur apud Solomonem,homines a ſe in delicijs haberi.Admirabile eſt igitur illud amoris vinculum, quo Deo homines caſti,& integri copulantur. nulla enim eſt amicitia maior,nulla voluntas coniunctior.Summa autem amicitia cum Deo conſtituta, quid tandem deeſſe generi hominũ poteſt, vel ad opes,& facultates, vel ad animi iucunditatem,vel ad vitæ ſecuritatem,vel ad honeſtatis ſempiternæ decus, & elegantiam? Cum enim in Deo ſit ſumma fides, & infinita potentia; neque fidei negligentia, neque virium imbecillitate adduci vlla ratione poterit, vt res amicorum negligat, atque deſpiciat. Vnde colligitur, nullum omnino malum poſſe iuſtis hominibus interuenire. aliter enim Dei fides vacillaret. Quod ſi hoc fieri numquam poterit,vt Dei fides labatur, & concidat; nullo modo fieri poteſt, vt Dei amicus malis opprimatur. Quid enim, quæſo? quod in hominibus eſt valde vitioſum, id ſummæ illi bonitati tribuemus? Quid autem magis in communi etiam vita hominum vituperandum eſt, quam amicos negligere; & eos, cum quibus amoris fœdere iuncti ſimus, non ope ſumma tueri? Quid magis ſceleſtum, & impium, quam ijs, quos in fidem recepimus, non ſtudio, opera, gratia, & facultate conſulere? hoc non eſt fidem prodere, ius Diuinum violare, ſcelus immane concipere? Quod igitur in hominibus ſcelus eſt, odio ſempiterno digniſſimum; id ad ſummam illam virtutem omnis inconſtantiæ, & imbecillitatis expertem trãſferemus? Nullo modo id cadere poteſt in ſani hominis rationem. Eſt enim amicitia, omnium rerum cum caritate, & beneuolentia fidelis ſocietas, atque firma conſenſio. Amicitiæ igitur nomen occidit, & fides indigniſſime violatur, quoties homines ab his, qui ſe eorum amicos eſſe profitentur, in calamitate aliqua deſeruntur. Qui igitur tam felix eſt, vt in Dei amicis ſit, is neque inopia premi poterit, neque morbis intabeſcere, neque in exſilium pelli, neque telis mortiferis sauciari, neque clade aliqua, & vaſtitate conſumi. Cum enim eget, abundat; cum corpore languescit, valet animo; cum vulnus corpore excipit, omnia tela a mente depellit; cum exſtingui videtur, tum demum vita fruitur. Nec enim florens illius ſtatus in terreſtrium bonorum abundantia, ſed in Diuinorum affluentia, conſiſtit; neque illius vita corporis, & animi iunctione, ſed Diuini ſpiritus, a quo numquam diſtrahi, & diuelli poteſt, præſenti numine continetur. Nullo igitur modo, quamdiu hæc ſpiritus Diuini cum humana mente coniunctio manet, poteſt ſtatus hominis iuſti alicuius mali incurſione diſſipari. Cælum enim concidet, terra incendio conflagrabit, mare ardoribus exuſtum funditus interibit, omnis denique natura delebitur: at Dei fides ſemper inuiolata permanebit. Sic enim apud Iſaiam iuſtos alloquitur: Tollite oculos veſtros in cælum; & terram ſubter adſpicite. Cæli enim inſtar fumi diſſipabuntur; & terra, vt veſtimentum, attereturn; &, qui eam incolunt, ſimiliter interibunt; ſalus autem mea ſemper manebit, & iuſtitia mea numquam concidet. Si igitur ſaluti, quam Deus amicis ſuis affert, pernicies afferri numquam poteſt, vt ex hoc loco perſpicitur; ſi Dei iuſtitia, quæ fide illius continetur, ſempiterna eſt; ſequitur, vt, qui tam magnificum illius promiſſum conſecuti ſunt, nullis ſint malis expoſiti; ſed, tuti, & incolumes, in Dei tutela, & præſidio lateant. Qui enim illos tangit, tangit, vt Zachariæ verbis vtar, pupillam oculi Domini. Huius igitur amicitia fretus Dauid, ait, Cuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi. Cum igitur Dei amici violantur, quamquam illi violari

lari

lari non possunt: neque enim fas est, neque vmquam concessum fuit, vt iustitiæ noceret iniuria; sed, loquendi consuetudine ducti, dicimus interdum Violari iustos, cum aliquod incommodum eorum corpora, ad maiorem animorum gloriam, & decus, attingit. cum igitur in hac vita aliquod incommodum iusti subeunt, Deus ipse læditur; cum oppugnantur, numen illius oppugnatur; cum eorum vita petitur, tela in ipsum cæli rectorem iaciuntur. Fieri enim nequit, vt, quorum animi coniuncti sunt, non sit etiam eorum caussa coniuncta. Qui igitur iustum laudat, Deum laudat; qui illi maledicit, Deo maledicit; qui illum telis insequitur, Deum insequitur. Sic fit, vt, quoties hominem castum, & integrum, improbus aut vita priuat, aut contumelijs onerat, aut incommodis afficit, toties se parricidij, sacrilegij, & omni denique impietatis immanitate contaminet; iramq. in se Diuinam ita concitet, atque si numen ipsum impio bello lacesseret, ipsiq. Deo pestem inferre conaretur. Tanta est summi illius Domini in tuendis amicis constantia, & tam fida in conseruanda suorum salute, & dignitate custodia. Sed, ex omnibus muneribus, quibus Dei amici in hac vita afficiuntur, nullum tamen est, quod maius contineat eximij cuiusdam amoris indicium, quam omnium consiliorum societas, atque communio. Quid enim esse potest ad dignitatem præclarius, quam Diuinis consilijs interesse, cælestia arcana percipere, familiari Dei colloquio frui? Etenim, si apud homines in maximo honore sunt ij, cum quibus Reges maximi consilia sua communicant; quanti tãdem æstimandum est, esse quemquam cõsilij Diuini participem? Multo enim magis est, consilia participare cũ alijs, quã dona, atque beneficia conferre. hæc enim ab arca plerumque, illa semper a mente depromuntur. & in dandis beneficijs inopia tantum interdum accipientis, & mediocre quoddam meritum spectari solet; in consilijs autem communicandis, summa quædam, atque singularis fides exigitur. Ideo plerumque fit, vt summi principes, multis beneficia, & munera largiantur; paucis autem consilia committant. At tamen, quo pluris eos faciunt, quos in consiliũ adhibent, eo maioribus, & amplioribus illos ornamentis afficiunt. Cum igitur aliquem cernimus in Regum consilium delectum esse; nõ dubitamus, quin is sit breui omnibus regijs muneribus egregie locupletandus, magnisq. honorum titulis illustrandus. Quod multo magis est de Diuina magnificentia, & benignitate existimandum. Ab hominibus enim abest plerumque fides; numquam vero discedit imbecillitas. Sic autem euenit, vt multis in locis, aut nolint omnino, aut non possint amicos suos honestare. Quod quidem in illam sempiternam fidem, & infinitam potentiam, cadere nullo modo potest. Is igitur, quem summus ille rerum Dominus, qui omnia potestate immensa complectitur, in tam amplo dignitatis gradu locauerit, vt ei mentem suam aperiat, & cum eo consiliorum suorum arcana communicet; dubitandum non est, quin sit in magnis principibus habendus, omnibusq. terrarum regibus longe anteponendus. Qualis fuit ille, de quo Deus ait, Num celare potero Habrahamum, quæ gesturus sim? Negat summus ille Dominus, sibi fas esse quidquam ab homine sibi amicissimo secretum habere; &, quasi timeat, ne sanctissimum ius amicitiæ illa debiti officij prætermissione violetur, ostẽdit, se consilia sua homini sanctissimo diligenter explicaturum. Sic etiam Dauid huic se maximum Diuinæ amicitiæ fructum excepisse confitetur, quod Diuinæ sapientiæ mysteria, penitus abdita, Dei ipsius benignitate percepisset. alibi vero testificatur, secreta Diuina esse pijs omnibus explanata. Dominus item ipse hoc idem multo clarius testimonio suo confirmat: Discipulis enim suis ait, eos non tam seruos illius, quam amicos, esse numerandos, cum eis omnia consilia sua detexerit. Quid igitur amplius hac cælesti, atque sempiterna iustorum hominum dignitate cogitare possumus? quid ad opes sempiternas vtilius? quid ad laudem illustrius? quid ad honores, & imperia magnificentius? Huc accedit, quod homines iusti, Deoq. similes, & amici, numquam, quamdiu in hac vita manent, in vno gradu virtutis insistunt. Neque enim magni animi, studioq. Diuinitatis inflammati, mediocri virtutis laude contenti esse possunt. Cum enim iustitiæ dulcedinem animo inclusam contineant, cum virtutis honestatem, & amplitudinem mente concipiant, cum iucundissimo illius adspectu satiari non possint; quotidie magis studio incenduntur. In eo igitur laborant, vt ad altiorem gradum adscendant, totosq. sese ad clariorem imitationem Diuinæ pulchritudinis effingant. Sic autem fit, vt, quo propius ad Dei similitudinem accedunt, (neque enim irritus esse potest eorũ conatus, qui fide nixi ad amplitudinẽ Diuinæ laudis adspirant) eo magis ipsi Deo, quem animis intuentur, cuius in se lumen recipiunt, quẽ omni vitæ studio sequuntur, artiore vinculo copulentur; & ita, maioribus Diuinę sapientiæ muneribus in dies augeantur; & ampliora summæ dignitatis ornamenta consequãtur. Maximum igitur, & amplissimum, verissimumq. dignitatis plenissimum nomen esset hoc, quod obtinent omnes iusti, (Dei namque amici nominantur, & sunt) nisi aliud multo clarius, multoq. præstantius, & admirabilius obtinerent. Nec enim Dei tantum amici, verum etiam filij, dicuntur. Singulari namque ratione eorum pater est, qui iustitiæ Diuinæ muneribus exculti sunt. Si enim pater is habendus est, qui sibi similem formam, & speciem gignit; cũ

Deus in animis hominum piorum sui speciem incluserit, cum in nobis suæ formæ similitudinem, quæ iustitiæ sanctitate continetur, ingenerarit; quem alium verius possumus Patrem appellare? Non igitur tam eos, qui corpora nostra beneficio illius genuerunt, quam hunc, qui Diuinam hanc in nobis formam procreauit, quamdiu partum iustitiæ beneficium fide, & officio retinemus, generis principem, & parentem agnoscimus. Hic nobis sator est, hic altor, hic educator, hic vitæ custos, hic salutis vindex, hic dignitatis auctor, & amplificator. Ad hanc igitur tantam dignitatem nihil iam potest accedere. Quid enim maius, & amplius, & admirabilius animo cogitari potest, quam, hominem miserum, & abiectum, humo repente excitari, ad cælestium dignitatem vocari, agnatione Diuina contineri, summumque naturæ Dominum ample, & elate Patrem appellare? Quod si filij Dei sumus, non humanis opibus firmati, sed Diuinis exculti, & exaggerati sumus. Non igitur timebimus vmquam, neque tumultuabimur in rebus asperis, neque debilitati ignauia concidemus; sed omnes res humanas, cum mentem ad præsidia, quibus stipati sumus, & ad animi nostri singularem præstantiam, vimque Diuinam contulerimus, pro nihilo reputabimus; neque erit vlla res vmquam tanti, propter quam Diuinarum rerum studium deseramus. Neque enim possunt terrena cælestibus, caduca sempiternis, humana Diuinis, exitium importare. Sic fit, vt neque possit bonorum vita exstingui, neque laudes obteri, neque opes euerti, neque status labefactari. Conueniant igitur vndique homines amentes, & scelerati, de iustorum hominum peste consilia ineant, arma expediant, insidias parent, exercitum instruant, tela contorqueant; sint tanta immanitate sceleris efferati, vt, quemadmodum Poetæ tradunt Aloidas

Virg. Ge. lib. 1.

fecisse, manibus magnum rescindere cælum cogitent: numquam tamen his tam feris impiorum conatibus poterit bonorum status exscindi. Neque enim potest Diuina virtus humana improbitate deleri: immo, quo vehementius oppugnatur, eo est clarioribus gloriæ insignibus illustrata, & maiore quodam præsidio, & robore munita. Ad reliqua autem gloriæ instrumenta, quibus Dei filij, quamdiu sunt inclusi mortali corpore, redundant, ille summæ, & amplissimæ dignitatis cumulus accedit, quod intelligunt, esse se iam ius cælestis illius hereditatis adeundæ, ipsius optimi Patris benignitate, consecutos. Quos enim fecit filios, eosdem sibi heredes instituit, & ad Diuinitatis patrimonium euocauit. Spiritus, inquit Paulus, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Argumentum admodum necessaria ratione conclusum. In stirpe enim Diuina nihil est adulterinum, aut vitio procreatum; nulla dedecoris offensio, nulla patris iniuria potest interuenire, quæ Diuinam progeniem patrijs bonis excludat. Omne namque ius agnationis Diuinæ, fide, & pietate continetur; quibus sublatis, amittitur. Hac igitur agnatione permanente, ius sempiternæ illius hereditatis amitti non potest. Licet igitur iam, neque solum licet, verum etiam oportet, elato animo confirmare; cælestis regni patrimoniū esse omnibus pijs debitum. Sunt enim filij Dei, nati, vt inquit Petrus, non ex semine mortali, sed immortali; & iccirco, secundum ipsius patris optimi leges, legitimi heredes instituti. Numquam enim ille eos, quos spiritu suo genuit, quamdiu in debita fide permanserint, abdicabit. Heredis autem nomen certum ius hereditatis cernendæ continet. Quod autem est alicui certo iure constitutum, id ei plane debitum est. Sic autem fit, vt iustis hominibus regnum illud immortale, non solum vt merces, & præmium, sed etiam vt legitimum patrimonium, patris sapientia, & benignitate fundatum, optimo iure debeatur. Si enim æquitatis ratio postulat, vt seruis opera sua egregie functis merces Domini benignitati cōsentanea persoluatur; si leges amicitiæ præscribunt, vt omnia bona sint amicis communia; si iure statutum est, vt legitimi filij, in paternorum bonorum possessione collocentur; num obscurum est, iuris sempiterni rationē flagitare, vt summus ille omnium Dominus, qui bonorum amicus, & pater est, vel seruis diligentibus, vel amicis fidelibus, vel filijs carissimis, sempiternæ gloriæ fructum largiatur? Quocirca pleno ore asseuerandum est, maximarum virtutum meritis adscensum in cælum dari; sempiterniq. Regni sedes, esse iuste, atque merito sanctis, & castis hominibus attributas. Quod tamen non sic est accipiendum, vt statuamus, vllis hominum operibus Dei numen obligari, aut esse parem, & æqualem meriti cuiusquam, & præmij propositi rationē. Quod enim habet homo, quod non a Deo acceperit? quid absque numine illius, & ope perficiet? quo tandem munere poterit aliquando aut illi gratiā referre, aut operæ suæ pensum proinde, atque debet, absoluere? Numquid non serui natura sumus, eaq. lege nati, vt corpus, & animum, & vires, & ingenium, & opes, & omnia denique vitæ consilia, ad cultum illius Domini, a quo habemus omnia, necessario conferre debeamus? In quo quidem munere, & officio maxime debito, si quid est perfidia violatum, aut errore mentis offensum, aut negligentia prætermissum, inexpiabile scelus admittitur, sempiterno cruciatu dignissimum. Vt autem sit aliquis, qui in vita nihil offendat; sed summa fide, & diligentia assignatum sibi munus exsequatur; quo modo tandem poterit Deum sibi reddere

dere factis suis obnoxiũ? Nec enim potest vniuersum genus hominum vnum in locum collatum, summoq. religionis, & sanctitatis studio conspirans, quidquam efficere, quod Deum quasi quodam nexu iuris obliget; aut ad illius fructum aliqua ex parte referatur. Nec enim indiget re aliqua mens illa beatissima, ad naturæ suæ statum perficiendum; quæ sit ab hominibus exigenda, maxime cum omnes homines in illius conspectu positi, neque exigui quidem pulueris instar obtineant. Neque illud cõmode dici potest, eos, qui Diuina gratia fulciũtur, eiusdem gratiæ vi cæleste regnũ, quasi par, & æquale virtuti suæ præmium, posse sibi lege vindicare. Nec enim conferenda sunt exigua summis, obscura clarissimis, breuia sempiternis. Omnis autem ille status animi, gratia Diuina constitutus, quo in cælum via munitur, quamuis sit opibus Diuinis exaggeratus, nullo modo est cum illo sempiterno gloriæ statu comparandus. summum enim est in Diuinis muneribus, & donis discrimen, ita; vt alia alijs exæquari nulla ratione possint. Videmus hic; vt Paulus ait, per speculum, in ænigmate; tunc autem aperta facie gloriam Domini intuebimur; &, in illius similitudinem omni ex parte conuersi, Diuinitatis ipsius cultu vestiemur, & exornabimur. Quantum igitur imagini corpus, similitudini veritas; breui vitæ curriculo æternitas antecellit; tantum præmij illius magnitudo, veritatis, & gratiæ huius, quam in hac vita consequimur, magnitudinem superat. Vt igitur lucernæ lumen, fulgore solis obruitur; sic huius status opes, quamuis sit Diuinæ gratiæ magnitudine florentissimus, cum in illam gloriæ sempiternæ splendorẽ inderint, euanescent. Cum igitur nulla sit æqualitas inter hanc gratiam, quam in hac vita retinemus; & illam coronam, quam speramus; neque possint hominum excellentium præclara merita cum præmij illius sempiterni immẽsitate conferri; cumq. iustitia, qua fruimur, sit Diuinum munus, & beneficium, nullo modo nostris meritis adscribendum, sed ad Diuinã clementiam reuocandum; quod tamen, vt diximus, non tantum est, vt possit ad præmium sibi constitutum aliqua ratione comparari; restat, vt nemo possit cum Deo iure contendere; aut illum meritis, quamuis excellentibus, obligare. Quomodo igitur dicimus, regni cælestis, atque sempiterni patrimonium, esse pijs, & iustis hominibus debitum? Quia Diuina ratio postulat, vt Deus, summus in dandis beneficijs, non tam meriti pondus, quam immensam suam benignitatem, & sempiternam fidem, respiciat. Benignitatem vero suam tuetur, cum multo maioribus, & amplioribus præmijs pietatem, quam merita erat, admodum benigne, remunerat. Fidem autem suam liberat, cum id, quod magnifice promisit, abunde persoluit. Promisit autem omnibus, qui cum iustitia vixerint, opes immensas, voluptates eximias, regnum immortale, decus maximum, gloriam sempiternam. Neque solum promisit, sed iusiurandum etiam suum interposuit, & clarissimas illas æterni regni sedes pijs omnibus, fœdere sanctissimo pactus est. Suæ igitur bonitati, & clementiæ, suæ fidei, suæq. veritati, hoc debet, vt eos, qui illum fide, & pietate venerantur, præmijs sempiternis, atque Diuinis afficiat. Inde fit, vt in sanctis litteris, cum Diuina clementia in nos meritis laudibus effertur, Dei clementia cum ipsius fide coniungatur. quale est illud, Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam. item illud, Ampla est benignitas tua, & fides tua cælos pertingit. &, Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. &, Omnes viæ Domini misericordia, & veritas. & alia eiusmodi innumerabilia; quæ persequi esset infinitum. Ex his enim locis satis liquet, Dei clementiam cum illius fide semper esse coniunctam. Ex clementia enim Dei, fides illius existit; & rursus fide, clementia sancitur. Bonitas enim illum adegit, vt fidem suam interponeret; rursus data fides animos hominum maiore quadam clementiæ illius fiducia confirmat. Omne igitur hereditatis æternæ ius, omne piorum hominum meritum, est ad ipsius summi patris benignitatem, atque fidem referendum. O maximum, & admirandum Diuinæ bonitatis argumentum? o amplissimum, & stupendum Diuinæ gratiæ munus, & in omni æternitate prædicandum beneficium. Summus ille Dominus, cuius immensa potestate omnia continentur, cum esset omni lege solutus, seipsum quasi quibusdam legum nodis adstrinxit: cum a nemine quidquam acceperit, quasi aliquid magnum accepisset, ita se hominum meritis obligari voluit; qui nihil cuiquam debet, multorum tamen hominum se debitorem constituit. Quod igitur maius, & amplius Diuinæ clementiæ testimonium; quod illustrius, & clarius Diuinæ benignitatis argumentum, animo cogitari potest? Non igitur, qui meritis sanctorum hominum cælum tribui dicunt, Dei gratiam labefactant; vt quidam homines imperiti dictitant; sed admirãdum gratiæ ipsius effectum debitis laudibus illustrant. ij enim sumus, qui omnia sanctorum merita ad Dei benignitatem, & gratiam referenda existimemus; ita, vt sit perpetuo dicendum, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Qui igitur Christi sanguine expiati, & a Deo adoptati sunt, cum iam nullum sit eis cum corporis flagitio, & impuritate commercium, sed summa cum spiritu Diuino coniunctio; Diuinæ agnationis iure constãter hereditatem illam sibi destinatam exspectant, atque ad illa virtutis Diuinæ præmia sibi proposita incensis, & inflãmatis animis adspirant. Hac igitur spe confirmati, maxima gaudia pręcipiunt,

cipiunt, & incredibili magnitudine iucunditatis efferuntur. vt enim angor, & cruciatus animi, est assiduus iniustitiæ comes; ita semper iustitia est cum voluptate coniuncta. Quis autem explicare dicendo poterit solicitudinem, & cruciatum, quo torquentur improbi? Eos enim & maleficiorum conscientia perterret; & iudiciorum metus exanimat; & suppliciorum formido de mente deducit. Cum vero nullis firmis opibus septi sint, totique ex inanitate pendeant; multis perturbationibus agitantur, & desperatione franguntur, eximiaque mæstitia contabescunt. Nullum enim habent in rebus aduersis leuamentum, nullum in mærore solatium, nullum in calamitatis impendentis metu perfugium. Vt enim, si aliquis transfixus esset venenato telo, quod e corpore euelli non possit, nullum temporis punctum dolore vacuum haberet; sic, vbi iniustitiæ mortiferum venenum in viscera penetrat, & in præcordijs inhæret, animoque mortiferum vulnus imponit; nihil est, quod miserum hominem valeat e summis angoribus, & assidua dolorum acerbitate liberare. Cum enim totius miseriæ fontem intra pectus habeat; euenit, vt numquam vim molestiæ a se dimouere possit; sed, quocumque pergit, eximio dolore, & solicitudine conflictetur. Ex quo fit, vt neque domi quietem, neque foris oblectamentum inueniat; & odio domus, in foro cursitet; &, offensione fori, domum repetat; vt, vrbanarum rerum molestia confectus, rus se recipiat; ruris fastidio, in vrbem rursus confugiat; vt nocte diem requirat, die vero noctem desideret: vt in negotio otium exoptet; in otio, negotij insana cupiditate teneatur. Neque enim domus, neque ciuitas, neque celebritas, neque solitudo, neque lux, neque tenebræ, neque labor, neque requies, illis iucunda esse potest, qui gerunt animum vulneribus iniquitatis, & iniustitiæ concisum. Quod si tanta est impiorum anxietas, & ægritudo, tantaque dolorum vis, & acerbitas assidue eorum vitam consequitur: quid tandem erit de iustorum hominum voluptate incredibili iudicandum? Nec enim eos amentia vexat, neque solicitudo conficit, neque dolor vllus excruciat. Ad Deum enim adiuncti sunt; in illius tutela delitescunt; inuicto illius præsidio muniuntur; ita, vt nullum vmquam malum eos attingat. Cum igitur expertes omnium malorum sint, (carent enim omni sceleris, & improbitatis contagio; verisque bonis affluunt; omnium siquidem virtutum laudibus abundant) necesse profecto est, eos summo quodam gaudio, & voluptate compleri. Nam, si voluptas eximia affluentium vndique bonorum sensu, & cogitatione perficitur; tunc enim eximie gaudemus, cum nos in bonis valde expetendis esse putamus; quæ voluptas erit cum ea comparanda, quam iusti ex consideratione bonorum, quibus egregie cunnctabi sunt, mente percipiunt? Cernunt enim, ea non esse falsa, fluxa, & inania, non turpitudinis vllius contagione maculata, non admixtione vllius amaritudinis, & acerbitatis infecta; sed vera, constantia, & sempiterna, omnis flagitij, & doloris consortium a se longe repellentia. In Diuina enim luce versantur; summa libertate potiuntur; incorrupta sanitate sunt; inuictis viribus excellunt; & in pace diuinitus constituta, florent opibus, & dignitate, & imperio, summisque cælestis pulchritudinis ornamentis; atque postremo, quod bonorum omnium caput est, illi Deo coniuncti, summa illius familiaritate, omniumque bonorum Diuinorum copia, cum admirabili suauitate perfruuntur. Securi igitur, & elati, & confidentes, omnia humana contemnunt, atque despiciunt. His enim se opibus firmatos animaduertunt, quæ neque insidijs eripi possunt, neque aperto Marte comminui, neque senio, & vetustate corrumpi, neque vlla denique calamitate peruerti; cum sint immortales, atque Diuinæ. Non enim eos fallit, esse se ad tam altum honoris gradum euectos, vt non solum præpotentis Dei ministri sint, quod insigne summi cuiusdam honoris esse videbatur; neque solum Dei amici nominentur, quod dignitatis fastigium tantum est, vt nemo prorsus illud optare vmquam auderet; sed etiam, quod summam Diuinæ benignitatis admirationem efficit, Dei filij sint, & ab ipso summo rerum omnium Domino bonorum omnium heredes instituti. Hæc qui secum dies & noctes cogitauerit, quo tandem gaudio cumulabitur? quanta lætitia exsultabit? quos dies festos agitabit? quo cantu, & symphonia personabit? Hæc nimirum est illa iucunda celebritas, ad quam Dominus homines fideles inuitat. Erat enim lege sancitum, vt septimo mense, quo tempore omnes fructus terræ conduntur, (annum enim Hebræi ab initio Veris numerabant;) cuncti simul arborum pomis, & frondibus, & omni denique lætitiæ significatione, dies illos celebrarent. Hoc priscæ legis institutum, quis non videt ad animi lætitiam pertinere, amplissimis iustitiæ muneribus excitatam? Neque enim annona, quæ corrumpi facile potest, & ad corpus tantum breuissimo temporis spatio sustentandum condi solet, veram dat lætandi materiam; sed vberrimi iustitiæ fructus, ad æternitatem intima mente reconditi. Horum recordatione, non septem dies, vt olim, sed perpetuum vitæ cursum numero septenario designatum, in voluptate conficere decet: neque modo sertis tantum, & frondibus, sed choris, & cantibus, est tantæ lætitiæ sempiternæ caussa celebranda; vsque adeo, vt sit etiam præ nimia lætitia insaniendum, & in summa quadam voluptate bacchandum.

chandum. ſalutaris inſania, ſapiens furor, prudens, & felix amentia, quæ ſic hominem ſpiritu cõcitat, humanitateque, vt ita dicam, ſpoliat, vt eum in Diuino quodam dignitatis gradu conſtituat. Quid enim ſalutarius, quam e corpore ægro, mortali, & caduco, morbiſq. infinitis obnoxio, agitatione mentis excedere? Quid ſapientius, quam, ſpretis, atque repudiatis humanis ſenſibus, Diuino tantum ſenſu commoueri? Quid illa mente felicius, quæ ſe ipſam deſerit, & extra ſe rapitur, vt, omni vinculo ſoluta, facilius in cælum euolet, vt poſſit opes Diuinas acrius, & acutius intueri? deſerit enim ſe mens quodammodo, dum ſibi diffidit, dum nihil in ſe ponit, dum, quod non ipſa per ſe iudicat, ſed quod mens Diuina probat, amplectitur; dum nihil ingenio ſuo, ſed omnia verbo Diuino, moderatur; dum poſtremo omnibus opibus humanis interdum deſtitui, atque nudari cupit, vt Diuinis multo clarius, & magnificentius illuſtretur. ſic fit, vt, cæleſtium rerum cupiditate, non terram modo deſerat, neque tantum ſeſe a corporis contagio ſeiungat, omneſque ſenſus corporis aſpernetur; verum etiam a ſe ipſa diſcedat, vt multo liberius adſpectu Diuinæ pulchritudinis, quoad fas eſt, in hac vita iucundiſſime perfruatur. In eo igitur ſpectaculo defixa, admiratur, & obſtupeſcit, & amore incenditur, ardore cupiditatis inflammatur, tantamque lætitiam ex Diuinæ coniunctionis fructu percipit, vt ſaltet, & choros ducat, & cantus, & carmina perpetuo modnletur. Nam tunc etiam, cum corpus ne tantulum quidem commouetur, ipſa mens intus canit, atque tripudiat, omneq. ſtudium ſuum in Dei laudes conſumit. Non igitur immerito tam ſæpe iuſti in ſanctis litteris ad lætitiam vocantur. quale eſt illud: Lætamini iuſti in Domino. &, Lætetur cor quærentium Dominum. &, Lætetur mons Sion: &, Videbunt iuſti, & lætabuntur. Idem porro Dauid a Deo contendit, vt hanc ſibi lætitiam ſcelere amiſſam reſtituat. ait enim, Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ. Vt enim propter ſcelus animo conceptum lætitiam amiſerat, & in luctu, & ſqualore verſabatur; ita, recuperata iuſtitia, ſe in gaudio ſummo fore confidebat. Idem alibi, cum tantæ ſuauitatis guſtum ſentiret, exclamans, ait; Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine? Iam illud, quam præclarum? Inebriabuntur vbertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potum dabis eis. Non potuit magis explicare voluptatis illius magnitudinem, quam iuſti hauriunt; dum accepta bona recogitant; & magnificentiam, & claritatem illius ſummi Domini, cui ſunt amore coniuncti, mentis oculis intuentur, & ſpiritu illius ſuauiſſime paſcuntur; & ad firmam ſpem cæleſtis hereditatis ipſius Diuini ſpiritus aſſiduis vocibus excitantur. Hæc eſt illa ambroſia, quæ immortalitatem tribuit. hoc nectar illud, quo qui ebrij ſunt, intimus animi ſenſibus hilarati, omnem vitam in ſuauitate ſumma traducunt. Neque enim bonorum voluptas puritate tantum, & conſtantia; verum etiam magnitudine intemperantium hominum voluptatem longe ſuperat. Quare deſinant homines admirari, eſſe quempiam in vita, qui reſpuat omnem corporis voluptatem, & cuncta vitæ blandimenta reijciat. Nemo enim poteſt aſpernari voluptatem, cum ea ita ſit in natura penitus implicata, vt repelli non poſſit. Facillime tamen poterit, qui veræ voluptatis ſuauitatem guſtauerit, futilem, & inanem non tantum negligere, ſed odio etiam, cum opus ita fuerit, maximo perſequi: cum intelligat, illam malorum omnium eſcam continere; hanc vero, quam efficit iuſtitia, eſſe cum bonis omnibus copulatam. Illa namque, errore mentis adſciſcitur; hæc, iudicio ſanæ, & integræ mentis exquiritur. ad illam turbulento motu quodammodo recuſantes, & inuiti rapimur; in hac, libera voluntate, & ſtudio, conſtanter impellimur. illa, cum maxime videtur ſuauitatis ſpecie blandiri, protinus euaneſcit; hęc numquam animi ſenſibus illudit. illa mentem eripit; hæc mentem Diuini ſplendoris radijs illuminat. illi ſemper eſt faſtidium finitimum; hæc ita explet animum, vt numquam iniucunditatem vllam efficiat. illa poſtremo, cum momento temporis effluat, nihil aliud, quam impreſſum, & inuſtum dedecus, & grauiſſimam pęnitendi cauſſam, & doloris inſignem materiam relinquit; hæc vero ſtabili iucunditate ita ſenſus intimos afficit, vt animum omnibus ſimul gloriæ ornamentis illuſtret. illa igitur cum exigua eſt, tum futilis, & inanis, & cum vitæ peſte, ſummoq. impuritatis flagitio, ſæpe coniuncta; hæc, ingens, & ſempiterna, ſalutis præſidium, & ampliſſimæ dignitatis ornamentum in ſe continens. Tantum igitur eſt inter vtramque diſcrimen, quantum nemo poſſit explicare dicendo. Vt autem nihil aliud eſſet, quod iuſtorum animos oblectaret, illa certe ſpes immortalitatis, ad quam inflammatis ſtudijs rapiuntur, tantam vim habet, vt facile animum ab omni ſenſu doloris abducat, & mira quadam ſuauitate prolectet. Vt enim iniuſti aſſiduo metu ita cruciantur, vt quietem capere non poſſint; (nam in ſomnijs etiam, eorum animos horribiles ſpecies exagitant; & propoſitæ malorum, quæ ſunt eis ſubeunda, formidines, illos mente conſiſtere minime patiuntur:) ſic iuſti, firma ſpe immortalis gloriæ, quam iam animo proſpiciunt, erecti, ſemper in voluptate verſantur, vſque adeo, vt ne in ſomnijs quidem viſum illis objiciatur, quod eos exterreat; immo pleraque omnia tranquilla, & cum ipſius animi æquitate, & conſtantia valde congruẽtia. Quis igitur alius

P 3 eſt

sciplina,nobis demonstrauit. Non enim,vt otio se traderet, & delicijs affiueret, nasci in terris voluit; sed,vt vitam in summa laborum omniũ perfunctione consumeret, atque crucis acerbitatem sustineret. Vt igitur tandem hæc omnia concludamus;iustitia est hortus amœnissimus, spiritu Diuino consitus, atque dimensus, suaues, atque sempiternos fructus proferens. In hoc autem horto sumus Christi beneficio locati, vt illum fide tueamur, atque assiduis pietatis operibus excolamus. Hinc nos hostis noster conatur eijcere: quod facit,dum nos impellit, vt, relicto Diuinæ mentis imperio, cupiditatẽ nostram sequamur,& officium pium, atque debitum, ad nostramq. vitam tuendam maxime necessarium,negligamus: quod dum facimus, terreni parentis exemplum imitamur, & a Paradisi finibus extrudimur,& in grauissimã omnium calamitatem incidimus. Si vero serpentis congressum arcemus, fidemq. datam omni studio conseruamus, neque vnquam ingenio nostro,semper autem spiritu Diuino vitam instituimus,atque omnia studia nostra ad Dei numen,& gloriam dirigimus, & in studio pietatis elaboramus; illius parentis Diuini formam retinemus, qui salutari obedientia nos ab exsilio reuocauit; & eo, vnde per rebellionem fueramus expulsi, pietate Deo gratissima reduxit. Quamdiu igitur hunc ducem, & magistrum sequimur, atque sub huius imperatoris signo militamus, nullo modo pietatis studium remeitimus. Claris autem pietatis operibus, augescit fides; amplificatur iustitia; mens Diuino lumine splendet;& id longe lateque diffundit. Contra vero, in ocio fides languescit; iustitiæ splendor amittitur; Diuini spiritus lumen abscedit; & tætra nox confestim offunditur. Pio labore, & industria cœlestem parentem sequimur,& cũ illo cæleste regnum adipiscimur; ignauia autẽ, & languore, terreni parentis vitam imitamur, &,illius exemplo,omnibus ruinis oppressi, concidimus. Qui igitur nescio quam fidem suis inculcant, eãq. solam ad salutem sufficere disputant;egregiam sane operam antiquo illi serpenti nauant. id enim eorum disputatione perficitur, vt operum studium penitus exstinguatur.

At,inquies, eos sæpenumero suos auditores ad caritatis studium cohortari. Non video, quid interdum inuidiæ detestandæ caussa se dicere simulent; sed, quid ex eorum decretis necessario consequatur. Hoc autem plane consequens est; si sola fides sufficit; si omnis actio,quam suscipimus,non modo est inutilis,sed etiam necessaria quadam peccati contagione maculata; vt omnes,istam fidem,quam commenti sunt, amplexi, operum studium penitus omittant. Est igitur eorum sententia non minus,quam terreni illius serpentis oratio,venenata,atque pestilens afflatus, exsecranda; auresq. penitus,ne in se tam sceleratam vocem admittant,occludendæ. aliter enim exterminabimur, omniumq. malorum tempestatibus obruemur. Sed dicet aliquis, ecquis poterit contra tantas opes statum suum tueri? nam, si naturam humanam respicias,nihil est in terris imbecillius; si hostiũ vires,nihil est illis immanius. Nihil quidem facilius. nec enim nostris copijs, sed Diuinis, firmati, bella omnia profligabimus. Diuina vero præsidia semper parata sunt, quoties ea nobis adesse cupimus,eaq. fide imploramus. In nobis igitur est,vel hosti victoriã concedere; vel eius impetum inuicta virtute reprimere. liberum, inquam,liberum nobis est,vel vinci turpissime, vel cum insigni gloria superare. Fremant,quantum volent, homines perditissimi; nosq. omni libertate spoliatos esse contendant; retinendæq. iustitiæ potestatem, nobis Diuina benignitate concessam, impudentissima oratione conentur eripere; seseq. furibunda contentione disrumpant,vt magistri, omnium, quos terra sustinuit, amentissimi, atque perditissimi, placita tueantur; nosq. sempiterna quadam necessitate constrictos esse contendant. frustra enim litigabunt. Non enim cum hominibus, sed cum Diuina lege, & æquitate, cum sempiterna mente, & ratione, cum Dei ipsius voce, atque testimonio pugnam nefarie capessunt. His igitur Diuinis armis est nobis eorum furori,& audaciæ resistendum; vt planius fiat, nihil penitus esse posse, quod nos inuitos a iustitiæ studio deducat.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER OCTAVVS.



OSTIS ille perennis hominum, cuius fraude fuit homo in principio dignitate omni deiectus, & in insigni miseria destitutus; cum multa semina peccati in terris sparsisset, vt, scelerum omnium silua succrescente, iustitiæ segetes interirent;tum in nulla re magis elaborauit, quam vt prauam opinionem de numine, atque mente Diuina mentibus humanis inseret.Sic enim cernebat euenturum,vt,religione vel exstincta penitus,vel pessimis rationibus instituta,omnem iustitiæ fructum inuecta calamitate peruerteret;atque ita victor toto orbe terrarum impune volitaret; humanumq. genus immani tyrannide oppressum, & tætris tenebris inclusum perpetuo contineret. Nam, cum religio sit iustitiæ fundamentum;euersa fide,& religione,necesse est omnem iustitiæ splendorẽ exstingui. Hoc autem vnum esse pestiferi Dæmonis studium,illa prima congressio facile declarat,qua miseros homines oppugnauit. Cur, inquit, eripuit vobis Deus lege sua libertatem comedendi ex omni fructu Paradisi? Cum potuisset, quod erat multo leuius, dicere; Cur vnius tantum arboris liberum vsum vobis interdixit,cum reliquarum omnium potestatem concederet? Vt enim inuidiosam, atque difficilem esse legem persuaderet, non eam vnius tantum arboris prohibitione definiuit; sed,ipsius prohibitionis nomine generatim posito, qua videbatur hominis libertas impediri, vti primum voluit: vt mulieri, moleste ferenti se fructu speciosæ arboris arceri,facilius fidem faceret,Deum illa lege,non hominum saluti prospexisse; sed Diuinam illis scientiam inuidisse. Quod quidem non modo tunc molitus est; sed, quoties hominem in scelus instigat, toties illius animum ad odium Diuinæ legis accendit; atque persuadere nititur, legem esse odiosam, atque difficilem, minimeq. ferendam, quasi libertati contrariam,& vtilitatis,atque suauitatis inimicam. Itaque nullum crimen suscipitur, nisi prius praua quædam opinio de mente Diuina sit animis perditorum hominum opera,& studio Dæmonis inculcata. Atque ea primum sensim irrepit;deinde, cum animo assentiente concipitur, atque penitus inhæret, adolescit; tum alias atque alias ex se fundit opiniones,impias,atque turbulentas;vt,quidquid reliquum est religionis,in vita exstirpet,& tollat funditus; omnemq. viuendi rationem conturbet. Hinc enim impurus error inoleuit, atque nefaria superstitio orta fuit, qua homines non se ad naturam Diuinam accõmodare, sed Deũ ad se transferre, atque ad impuræ cupiditatis obsequium traducere, conati sunt. Itaque non solum humanam formam,atque figuram, verũ etiam humanos mores, & flagitia Diuinæ naturæ tribuebant.Hinc innumerabilis exstitit Deorum inter se nefarie dissidentium multitudo; hinc infinita crimina religione cõsecrata sunt; hinc honores Diuini brutis etiam animãtibus instituti; hinc denique incesta sacrificia, diræ preces,funestæ cærimoniæ,vota nefaria,infinitaq. scelera proruperunt, quæ Diuinam iram incitarent,vniuersasq. terras supplicio Diuino consumerent. Sic enim eueniebat, vt, cum homines Deo,quod eum non decebat, affingerẽt, ipsi se dedecore omni corrumperent,atque,humanitate penitus exsuti, & in feritatem conuersi,semet ipsos in sempiternam miseriã præcipites exturbarent.Sed ex omnibus prauis opinionibus, quas de Deo hominum perditorum vita recepit, nullã tætrior, & immanior, nulla pestilentior, nulla vel rebus humanis infestior, vel in Deum sceleratior exstitit ea, quæ tollit penitus omnem hominis libertatem, & cũctas humanas assensiones, & actiones sempiterna quadã necessitate deuincit. Tollit enim leges, euertit iudicia, eripit mentem, sensus extorquet,mores corrumpit, omnemq. ordinem vitæ perturbat.Tum Deo,bonorum omnium auctori,scelerum caussas affingit, eumq. iniquitatis,crudelitatis,& amentiæ condemnat.Vt autem melius, quantum sit in hac opinione sceleris,possit existimari; animaduertendum est,nõ eam potuisse statim ab exordio generis humani in hominum nocentium mentes influere;sed post peccatum multis accessionibus progressu longissimi temporis amplificatum: vt facile appareat,in hac scelerata sentẽtia, summi, atque extremi sceleris rationem, ad quam vix quidquam possit addi, consistere. Vt enim in reliquis rebus nihil potest statim esse perfectum, sed necesse est, vt initium fiat ab aliquo rudimento, atque paullatim ad summũ perueniat; ita neque scelus potuit statim ad summum fastigium impietatis euadere. Itaque ille calumniæ pareus,scelerumq. omnium seminator,qui tantam

Gen. 3.

tantam statim in principio malorum sementē fecit, cum facile genus hominum in omnes errores impulisset, hanc vnam sceleſtiſſimam opinionem ab initio suadere non potuit. Qui igitur homines cupiditate obcæcatos eo amentiæ deduxit, vt honores Deo debitos ad beſtiarum immanium ſimulacra deferrent, & in terram abiecti a mutis ſignis veniam, atque pacem poſtularent; non tamen eos adducere in eam opinionem potuit, vt crederent, non eſſe ſibi liberum aliquid in vita moliri; ſed inuitos homines trahi, atque ad res omnes fatali quadam neceſſitate cōſtringi. Nihil eſt enim, quod tam pugnet cum ratione, quod tam legibus Diuinis, & humanis aduerſetur. Non tamen ea difficultate impeditus fuit, quo minus experiretur, priſcis etiam temporibus, quid in ea re poſſet efficere, aut quouſque progredi in ea ſententia ſuadenda. Et primo quidem imperitam multitudinem flagitijs corruptam, omniumq. iudicio conuictam tentare cœpit. Cum enim natura quilibet ſtudeat a ſe crimen remouere; omnes, quorum aliquod ſcelus erat manifeſto deprehenſum, cum in alios non poſſent, vt ſaltem in vim aliquam, aut neceſſitatem culpam omnem conijcerent, omni ratione pugnabant. Sic igitur & naturæ imbecillitatem, & immanes cupiditatis vires accuſabant. Eoq. tandem deuentum fuit, vt libidini etiam, & impuritati diuinitatem tribuerent; vt facilius probarent, ſibi ignoſci oportere, ſi, cupiditate victi, flagitium aliquod admiſiſſent: quando nemini conceſſum ſit Deo repugnare. Hinc igitur Veneri, atque Cupidini, & reliquis flagitijs templa dedicata ſunt; eorumq. ſacra incredibili ſuperſtitione conſtituta. Acceſſit ad hanc opinionem magis confirmandam Chaldæorū ars, atque diſciplina, quæ diuturna aſtrorum obſeruatione ſcientiam effeciſſe putabatur, qua ex ortu cuiuſque hominis, cum certa cæli affectio ne coniuncto, quid ei euenturum eſſet in vita, quo genere leti eſſet moriturus, præſentiri, atque prædici poſſet. Cum igitur impuri, atque ſcelerati homines, vaniſſimam ſcientiam oſtentarent, & ad ſuum quæſtum abuterentur multitudinis inſcitia; factum eſt, vt multitudo, partim quod erat imbuta ea ſuperſtitione, vt facile quibuſuis ſomnijs fidem adhiberet, partim quod conſcientia ſceleris oppreſſa libēter cauſſam ſui criminis in cæleſtem naturam conferebat; Aſtrologos in ſummo honore haberet, ad eosq. de rebus omnibus referendum putaret. Itaque hac ratione perſuaderi paullatim cœpit hominibus, nihil eſſe in hominis poteſtate, neque quidquam ſecus euenire, quam ſit in cuiuſque ortu immutabili ſiderum lege, atque rata cæli conuerſione, definitum. Hunc errorem auxere etiam Poetæ, Parcarum nomine, hanc eandem neceſſitatem exaggerantes. easq. tres ſorores eſſe fingunt nocte procreatas, quas interdum Fata appellant, interdum vero Fatorum adminiſtras faciunt: eisq. hoc munus aſſignant, vt neant in cuiuſlibet natali die fatum, quod ſit ei, qui eſt in eadem hora genitus, obeūdum. Vnde Homerus ſæpenumero, cum aliquē in prœlio cecidiſſe memorat, ait eum nece Fatum expleuiſſe, quod ei Parcæ neuerant eo tempore, quo illum mater pepererat. Hoc enim illis tribuit, vt cuiuſlibet vitam, vel felicem, vel ærumnoſam, immutabilibus decretis efficiant. Vnde illud Maronis: Ecl. 4.

Talia ſæcla, ſuis dixerunt, currite, fuſis,
Concordes ſtabili fatorū numine Parcæ.

Ipſi tamen Poetæ, vi naturæ victi, cum multa præter Fatum fieri confitentur; tum nemo eorum fuit tam audax, & immanis, vt noſtrorū ſcelerum cauſſam ad Deum aperte reuocaret. Quin etiam apud Homerum conqueritur Iuppiter de hominum temeritate, & amentia, qui mala, quæ ipſi ſibi per ſummū ſcelus arceſſunt, a Deo hominibus afferri dicunt. In quo plane docet, cauſſam miſeriæ noſtræ in nobis eſſe, neque ad aliam cauſſam vllo pacto referendam. Subſecuti ſunt quidam Philoſophi, vim Fati cōfirmantes, idq. ſtatuerunt eſſe ſempiternam ſeriem cauſſarum omnia gignentium; & ea, quæ in ſe ex æterno tempore continebant, ratis tēporibus explicantium; quarum ignoratione fieri dicebant, vt multa fortuito euenire putarentur: cum nihil omnino poſſit accidere, quod nō eſſet certa lege fixum, & cauſſis immutabilibus ab æternitate conſtitutum. ij tamen, cum veritatis vim ſuſtinere non poſſent, cogebantur ſæpe fateri; hominum actiones, atque conſilia eſſe in eorum poteſtate. Et, cum neceſſitatis illius vim Diuinam eſſe dicerent, ne impia fraude obligari viderentur, ſi Deo flagitia noſtra tribuerent, Fati nomen amplexi, Dei nomen reticebant. qui tamen aliorum Philoſophorum diſputatione vexati, atque tandem exploſi, & eiecti ſunt. Ergo neque inanis vulgi ſolicitudo, nec Chaldæorum præſtigiæ, neque Poetarum concinnitas, neque Philoſophorum argutiæ potuerunt id penitus obtinere, ad quod Sathanas eos incitabat. In illorum enim operis Dæmonis infeſtiſſimi conatum, non perfectionem tanti ſceleris intuemur. Alios igitur proditores emendos eſſe putauit, quorū opera facilius hanc quaſi rationis arcem occuparet, atque firmo præſidio vinciret. Hi autem fuerunt hæretici; genus hominum arrogans, elatum, dirum, ſine ſtum, & exitioſum, opinione doctrinæ tumidū, multisq. erroribus excæcatum, in ſimulatione pietatis ſceleſtum, in ſanctitatis ſpecie ſacrilegum, obtentu benignitatis immane, pacē oſtendens, bellum comparans, otij, & tranquillitatis inimicum, ad turbulenta diſſidia concitatum, honoris, & lucri gratia nouis rebus ſtudens, nullius iudicio cedens, & in inſtituto ſemel errore inſigni contumacia perſiſtens. Per Marcionem igitur, per Valentinum, & Manicheū, & alios eiuſmodi viros impios, & ſceleratos, id maiore quodam apparatu tentauit, qui vim ſempiternę neceſſitatis aſſerebant. ij tamen eo

vſque

vsque ptouecti sunt, vt nihil esse in nostra potestate pertinacissime defenderent; uon vt nostræ miseriæ caussam optimo rerum omnium conditori tribuerent. Quamuis enim essent flagitijs omnibus cooperti, & insigni scelere impietatis adstricti; non tamen ausi sunt, tantum, & tam nefandum scelus suscipere. Hoc igitur impulit eos, vt excogitarent duo rerum principia: quorum vni rerum omnium bonarũ caussam, & originem assignabant; alteri autem malarum. Et, cum in hominis natura duplicẽ vim, atque mentem inesse dicerent; vnã, qua ad honestatem, & decus adspiramus; alterã, qua in flagitinm, & turpitudinem proni sumus; illam necessario recta, & laudabilia moliri statuebãt; hanc vero in scelera omnia necessitate compelli; ita, vt ram bona, quam mala, necessario a nobis suscipi pertinaciter affirmarent. Hi tamen nec multos sectatores habuerũt, eotumq. disciplina breui spatio tẽporis obsoleuit. Fuit post multa sæcula id cum maiore quodam in bonitatem Diuinam conuicio tentatum per Vuiclefum, & Abailardum,. & alios eiusmodi Diaboli satellites; qui persuadere conati sunt, nihil omnino hominum facultati relictum esse, sed omnia a Deo tantum fieri; homines pari, non agere; trahi, non deliberare; esseq. tantũ instrumenta quædam, quę Deus versat, vt vult; & quæ, quocumque ei libet, impellit; &, vnde libet, deducit; & pro arbitratu suo, quasi serram, aut securim,. ita mouet, & agitat, vt illi nihil omnino cõferant ad actionem; sed tantum vim extrinsecus illatam a Deo patiantur. Sed ij neque tanta impudentia, & audacia id facinus aggressi snnt, neque tanto conatn discipulos sibi quæsierunt; neque eorum contagio ad tam multos emanauit. ita cnim ignoti vulgo sunt, vt vix eorum nomen exstet. Est igitur, quod glotiari possit Lutherus, sibi vni fuisse ab exordio generis humani palmam hanc sceleris impudentissimi reseruatam: in eoq. facinore, quo nullum tætrius, & immanius excogitari possit, ita se gcssisse, vt, post tantam impiorum hominum in varijs ætatibus multitudinem, post tam pestilentes sectas ad hominum perniciem institutas, constet vnum Lutherum exstitisse, per quem id, quod antiquus hostis frustra sæpe tentauit, tandem cum tanta multorum strage, atqne ruina perficeret. Neque enim in naturæ tantum imbecillitatem, vt flagitiosi; neque in astra, vt Babylonij; nec in Parcas, vt Poetæ; nec in Fati nomen, vt Philosophi; neque in aliquã sempiternam vim noxiam, atque pestiferam, vt Manichei; sed in ipsum optimum, atque sanctissimum rerum omnium parentem miseriæ humanæ caussam coniecit. Et hoc non obscure, vt plerique; nec cum mediocri pernicie, vt magistri; sed cum proiecta audacia, & impudentia, palam, & aperte, scriptis, & cõcionibus inculcauit, & innumerabilem hominum multitudinem mortifero veneno veneno pestilentissimi erroris infecit. &, quo minus ferendus sit hulus væsani hominis in maximo omnium scelere principatus, sic accedit ad euertẽdam pietatem, & veram animi religionem penitus exterminãdam, vt interim Diuinæ gratiæ, qnam nefarie oppugnat, assertor, & vindex haberi velit; &, cum Dei gloriam, quantum potest, infringit, illins etiam se patronum impudentissime profitetur. Sententiam autem illius videamus. Itaque ait, post primi hominis peccatum humanam voluntatem sic impeditam, & alligatã fuisse, vt nihil queat edere præter iniquitatem, & scelus; adeo, vt, etiam cum se ad gratiam prę parat, scelus in se capitale concipiat. Non esse in nobis quidquam agere, aut moliri; ne cogitationes quidem nostras in nobis esse sitas: sed id tantum velle nobis, & animo agitari necessarium; in quod nos vis Dinina compellit; ita, vt etiam scelera, quæ machinamur, & efficimus, Dco nos commouente, & agitante faciamus. Illum solum omnia moderari, nos instrumenta tantum vel clementiæ, vel seueritatis illius existere. Ad hanc autem sententiam confirmandam testimonia quædam e sacris litteris ad libidinem suam a recto sensu detorquet. quale
est illud Ieremiæ: Domine, non est hominis via Ierem. 10.
eius; neque viri, vt dirigat gressus suos. Item Prouer. 16.
illud: Omnia propter se creauit Deus, etiam Rom. 1.
impium ad diem malum. Tum illud Pauli: Tra- Rom. 9.
didit illos Deus in reprobum sensum; &, Cnius Ibidem.
vult, misetetur; &, quem vult, indurat. Et illud, quod scriptum est de Pharaone: In hoc ipsnm excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.
Tum illud, quod ait Ioseph fratribus suis: Vos Gen. 50.
cogitastis de me malum; & Dens vertit illud in bonnm. Neque illud item prætermittit, quod
Iacobus ait; nempe, apud Denm nullam esse mu Iacob. 1
tationem, aut vicissitudinis leuiter impressum vestigium. Illud etiam adducit, quod Dominus asserit, ne folium quidem arboris in terrã absq. voluntate patris decidere. multaq. alia colligit in hanc sententiam, e quibus adstruere nititur, nihil iu rebus humanis commutari, nihil variari posse, cum sint iam omnia ab æterno tẽpore Dei voluntate fixa, & constituta. ad quod etiam adducit illud, Certa stant omnia lege. Illudq. præclarum, in quo sententiam suam corrigit. Male, inquam dixi, quod liberum arbitriũ ante gratiam sit, res de solo titulo: sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare, aut boni, aut mali, sed omnia, vt Vuiclefi articulus habet, Constantiæ damnatus de necessitate absoluta eneninnr. Vt pure, vt Romane loquitur? credas, Ciceronis esse germanum. Sed, quibus verbis sententia egregij hominis illuminata sit, minimi faciendum puto: ipsam sentenriam expẽdamus. Post peccatum, inquit, liberum arbitrium res est de solo titulo. Hoc, quod ait, Post peccatum, quale tandem est? Num Deus, antequam Adam peccaret, nihil certi constituerat? nihil designarat? nihil omnino definierat? Post-

quam

quam igitur Adam deliquit, tum demum vti in re suo cœpit. Vbi est acumen tuum, Luthere? vbi illa in disserendo sollertia, quam tibi multi concedunt? Velim enim mihi dicas, argumenta illa, quibus Deum omnia tam bona, quam mala in omnibus operari dicis, non a sempiterna, vt asseris, lege depromuntur. Num Diuina mens, antequam Adam rueret, mutari poterat, atque ab vna in aliam sententiam conuerti; post illud autem Adami facinus, tum demum firmum, & stabile consilium de rebus humanis inire cœpit? Tum scientiam illam, quam necessariam caussam rerum etiam pessimarum asseris, assecutus est? Antea videlicet nihil prouiderat, nihil statuerat, nihil ad se pertinere putauerat. Non intelliges tandem, eadem argumenta, quibus vteris, eadem vim ante hominis casum habuisse? Si igitur illa sunt, necessario peccauit Adam. fuit enim instrumentum tantum Diuinæ voluntatis, neque quidquam egit; sed motus a Deo, cui repugnare non poterat, & impulsus, & attractus est. Idem contra illos dici potest, qui nonnullam nobis libertatem, quasi præuaricatione concedunt: &, dum sententiæ, quã tuentur, inuidiam extenuare volunt, paullulũ a magistro desciscunt. Aiunt enim, minime verum esse, eripi omnino libertatem. Nam in communi vita, & in rebus ad ciuilem statum pertinentibus, se plane confiteri, posse quemlibet id, quod velit, eligere, atque munus ciuile tueri; in rebus autem, quæ ad immortalem gloriam conferuntur, nihil omnino præstare posse. Quid enim? cœtus hominum in re humano sociati nõ fuerunt a Deo ab æterno tempore prouisi? Nũ possunt aliqua ratione vim illam sempiternã, quæ continet omnia, deuitare? An folium arboris, quod in terram cadit, non absque illius voluntate, & præscriptione cadit, hominum mores, instituta ciuilia, rerumq. publicarum commoda, erunt ab illius rectione, & voluntate segregata? An peccata, & scelera in hominibus effici sine Deo non possunt; actiones vero, ciuilẽ statum continentes, sine numine illius administrari possunt? Et, qui in rebus pestiferis se præbet (vt ipsi dicant, opus est) inexorabilem, neque ab ijs efficiendis deduci potest; res honestas, atque salutares, ad communem vitam spectantes, hominum potestati reliquit? vbi illa igitur argumenta de immutabili vi, atque sempiterna Dei voluntate, omnia coercente, & continente, atque pro arbitratu suo moderante? si igitur illa argumẽta, quibus vtuntur, vera sint, si decretis consentanea dicere student; necesse est, vt fateantur, non modo post peccatum, sed etiam ante peccatum; non in rebus tantum Diuinis, sed etiam humanis; omnino nos libertate penitus orbatos: ita, vt neque ante Dei gratiam, neque post gratiam, neque in rebus terrenis, nec in cælestibus, possit aliquis quippiam cogitare, vel assentiri, vel efficere, vel conari, vel quacumque ratione ad aliquid agendum moueri; esseq. semper mentem adstrictam, voluntatẽ alligatam, sensus oppressos, omnemq. penitus facultatem ereptam; vsque adeo, vt neque ingredi, nec quiescere, neque dormire, neque vigilare, neque cibum sumere, nec a cibis abstinere, neque iocari, neque serio loqui, neque denique nugarum aliquid meditari liceat; nisi nos ad ea omnia Diuina vis impellat, & trahat. omnia siquidem, maxima, minima, mediocria, a Deo prouisa sunt, ita, vt sempiterna illa lege solui non possint. Frustra igitur Lutherus illam sibi latebram, in quam confugeret, cum vrgeretur, adhibuit; dicens, post peccatum esse exstinctam libertatem; quasi ante peccatum retineri potuisset. Stulte item illius sectatores, ea necessitate, qua res etiã minutissimas adstrictas esse volunt, instituta ciuilia liberant. Nam, velint, nolint, fateantur, necesse est, omnia sine illa exceptione fatali necessitate contineri. Ea autem necessitate constituta, omnium rerum perturbatio consequetur, & magna vitæ confusio. silebunt enim artes, iacebunt studia, omnisq. vis animi penitus interibit. Neque enim pater liberos rectis disciplinis instituet, neque vxorem in officio continebit, neque lasciuientem familiam imperij seueritate deuinciet. Quid enim proficiet? si enim sic statutum est, vt ij officio fungantur, siue id curet, siue non curet; officio certe suo fungentur: sin aliter est ab æterno tempore designatum; id iam fixum, atque ratum est, mutariq. vlla ratione nõ potest. In rebus autem rusticis, quid aratorẽ moneas, vt terram proscindat, iteret, atque molliat; in eademq. iam pæne subacta, & stercorata semẽ spargat; si nihil est in illius potestate? neque enim, si definitum est, vt ille esuriat, id industria cuiusquam immutari potest. esuriet enim certe, quamuis se assiduo labore conficiat. Si vero statutum est, vt is frugibus abundet; siue terrã colat, siue non colat, frugibus abundabit. Quid, qui nauigare vult? num probum nauigium, bonum gubernatorem requiret, secundum ventũ exspectabit; si nulla industria potest id, quod semel statutum esse dicunt, euitare? Quid miles? num loricam induet? scutum geret? galea muniet? si intellexerit arma sibi nulli vsui futura? si enim statutum est, vt ille in acie concisus intereat, siue armatus, siue inermis sit, prorsus interibit: sin aliter est illa immutabili lege decisum, incolumis euadet. nolet igitur armis inutilibus onerari. Quid Imperator? num exercitum in armis continebit? locum castris occupabit? hostium consilijs occurret? aciem scienter instruet? ad pugnam milites adhortabitur, si nihil se, neque virtute, neque consilio, neque vsu, neque vigilantia iuuari cognouerit? Iam vero reip. princeps quo animo remp. capesset? Si enim definitum est, vt ciuitas intereat; nullo consilio prouideri potest, quo minus intereat. Contra vero, si status illius ciuitatis est immutabili lege fundatus, nullius scelere, nullius amentia, nullius dissidio poterit vmquam dissipari. Quo modo autem supplicio nocentes afficiet,

ficiet, aut salutares cives præmijs honorabit, si hoc semel in animum induxerit, neque improbum sponte sua crimen suscipere, neque bonũ ciuem voluntate quemquam fieri? In quẽ igitur finem feruntur leges? exercentur iudicia? coercentur supplicio facinora? virtutes laudibus extolluntur; si nihil est in cuiusque voluntate situm? nihil est igitur in vita laudandum, nihil vituperandum, nulla cautio, nulla prouisio, nullum consilium. Omnes igitur, qui leges scripserunt, stulti, atque dementes sunt existimandi: operam enim, & studium sine vllo fructu cõsumunt. Probe dicis, inquies. nemo enim ex illis magis videt, quid in vita gerendum sit, quam talpæ, terræ visceribus inclusæ. Sit ita sane. Fateamur, omnes illos, væcordi mente concitatos, se se ad leges ferendas, atque remp. omni studio conseruandam, dedisse. Etiam ne istũ cæcæ mentis errorem, & inconsideratam temeritatem, ad summam illam, atque sempiternã sapientiam transferes? Deum etiam errare, atque desipere, dices, cum leges dedit? cum honestati præmia sempiterna constituit? cum violatam religionem extremo supplicio sanxit? cum metum hominibus incussit? cum ad studium pietatis incitauit? Quorsum enim legem tanta cura præscriberet, minis a flagitio deterreret, præmijs ad honestatem alliceret, si nihil eorum, quæ lege sanciebat, erat in hominum potestate futurum? In quem finem volebat, vt in eorum animis, quos lege instituebat, lex semper inhæreret, si ab illis obseruari non poterat? Num, vt melius cernerent, & voluntatis humanæ seruitutem, & colendæ pietatis difficultatem; & ita spem omnem tuendi officij, atque retinendæ honestatis amitterent? At nec id ipsum est in nostra manu positum. siquidem verum est, quod asserunt, ne cogitationes quidẽ, & animi inductiones, & assensiones esse liberas. Nihil igitur magis potuit humanum genus desperare omnem prorsus honestatem post acceptam legem, quam poterat ante legem. Temere igitur Deus legem tulit, si ob eam caussam tulit. Quid, quod aperte multis in locis pronunciat, se ideo legem tulisse, vt eam homines seruarent, eiusdemq. decretis vitam instituerent? Quid, quod signis, & monumentis voluit eos esse legis semper admonitos, vt ea, quæ erant le-
Num. 15. ge sancita, perficerent? Vnde & ex fimbrijs vestium vittas appendi iussit, legis memoriam repræsentantes; Quas cum viderint, inquit, recordentur omnium præceptorum Domini, vt faciant ea; neque sequantur cogitationes suas; & oculos, qui per res varias animos vitiare solẽt; sed memores præceptorum Domini faciant ea, sintq. sancti Deo suo. Quid igitur? num Deus legem iocum putauit, humanumq. genus lusit, ea facere præcipiens, quæ nullo modo possent homines exsequi? Num ea caussa Aegyptũ afflixit, atque vastauit, Pharaonem voraginibus maris rubri submersit, Hebræos a plagis innumerabilibus incolumes conseruauit, gentemq. in summo vitæ discrimine constitutam cælesti pabulo nutriuit, suamq. præsentiã fulguribus, tonitruis, incendio, ingenti fragore, & strepitu horrifico, tubæ clangore declarauit, vt tandẽ, cum homines ea specie perterritos ad officium excitaret, ea faciẽda præscriberet, quæ ipsi nullo modo possent absoluere? O festiuum Deum, si, ludendi generis humani caussa, tantam operam in gente illa tuenda, & instituenda consumpsit. Hoc enim perinde esset, atque si quis hominem pedibus captum, in stadio currere; aut cæcum ea, quæ in longinquis oris fierent, acriter speculari iussisset. Numquid, vt risum captaret, atque vrbanus, & facetus haberetur, tam multa, atque tam admiranda opera molitus est? Quid, quod non risu, sed supplicio delinquentes in officio prosequitur? vt, qui in hac opinione sunt, non modo leuitatem Diuinæ maiestati, verum etiam iniquitatem sempiternæ iustitiæ tribuant? Quid enim magis cum iustitia, & æquitate pugnat, quam dare aliquem pœnas eo nomine, quod nõ perfecerit ea, quæ nullo modo poterat inchoare? Fingamus enim cogitatione, (velint enim, nolint, homines perditissimi, liberum nobis est cogitare, quidquid velimus) fingamus igitur animis, Dominum lautum, atque morosum, ei seruo, quem habet manicis, & compedibus ita deuinctum, vt se commouere loco nequeat, domo abeuntem præcepisse, vt ei prandium videret, cibos opipare cõdiret, ædes mundaret, mensam insterneret, & aulæa etiam intenderet: hunc, si hæc serio homini constricto præcepisset, non insanũ, atque dementem putaremus? Sed, si idem Dominus, domum postea reuertens, eundem seruum, qui se nullo pacto vinculis eximere potuit, vt ea, quæ iussus fuerat, pararet, flagris conscindat, & excruciet, eo quod imperium non fuerit exsecutus: eum, qui tam crudeliter seruum miserum accipit, hominem putabimus; an potius truculentam belluam in humana specie latentem? Illum igitur furorem, & immanitatẽ, qua nulla videtur esse truculentior, audebit quisquam summæ illi bonitati tribuere? Stupet animus, & eximio horrore concutitur; corpus vero totis artibus contremiscit, quoties venit in mentem nobis, fuisse aliquem, non dico sacris initiatum, non sanctis litteris institutum, non denique Christianum appellatum, sed hominẽ certe rationis, & ingenij participem, tanto furore percitum, vt illi summo, & optimo, & sapientissimo rerum omnium Domino, conditori, atque moderatori, duplicem sceleris immanissimi rationem tam impudenter adscriberet. Vnum, quod nobis, vt instrumentis, vtatur, ad nefaria facinora patranda; alterum, quod pœnas ab innoxijs repetat; eosque, qui nihil ipsi commisere, sed vi tantum illius ad scelus impulsi fuere, supplicijs æternis excruciet. Vtrum autem sit cogitare scelestius, explicare non possum. Tu in illum bonorum omnium principium sceleris nostri caussam conferes? tu illum au-

ctorem

ctorem omnium malorũ esse ore impio, atque sacrilego cõfirmabis? & ea, quæ cum audimus, esse ab homine nefario commissa, vix credimus; tu in illam summam benignitatem, atque immensam virtutem, reijcies? Etiam ne illa, quæ in tragœdijs, cum non aguntur, sed per nũtios referuntur, ita videntur horribilia, vt spectatores, sceleris atrocissimi illata mẽtione, perhorrescant; tu in Deum referenda disputabis? Thyestes. Atrei fratris genialem lectum adulterio contaminauit; Atreus ipsius Thyestis filios innoxios obtruncauit, ipsiq. patri comedẽdos apposuit; Sol, ne tantum scelus adspiceret, oriẽtem versus contrario cursu equos incitauit. Si ea, quæ dicis, vera sunt; nec Thyestes adulter, neque Atreus vllo modo parricida nominãdus est, neque vllum crimen in familia Pelopidarum inhæsit. nẹ Clytemnestra quidem est accusanda, quod adultera fuit, quod viri interfectrix, quod filio necem machinata; neque vlla caussa fuit, cur Orestẽ, postquam matrẽ exstinxit, furiæ vexarent: si quidem omnia ista tætra facinora ad Deum, auctore Luthero, referẽda sunt. nihil enim egerunt; sed acti a Deo fuerunt. Medea, libidine furens, patriam, parentes, & propinquos deserit; vnicum fratrem dilacerat; membra illius dispergit; vt patrem insequentem luctu remoretur. eadem, post aliquot annos, proprios natos interficit; nouam mariti sponsam crudelissime necat; regiam diris facibus inflammat; totamq. Thessaliam cæde, & incendio permiscet. etiã ne hæc tanta scelera, Deo ipso Medeam mouente, impellente, concitante, dices fuisse conflata? Fabulæ sunt, inquies? fabulæ quidem. sed, quid refert: quasi minora his, quæ in theatris recensentur, sint ea scelera, quæ furore hominum perfecta fuisse scimus. Cain, ardens inuidia, & scelere, fratrem vnicum, pietate, atque religione præcellentẽ, a quo verbo nũquã violatus fuerat, manu sua crudelissime necauit. qua cæde parentes miseros graui luctu afflixit; illo primum sanguine tellus imbuta fuit. Illud ne etiam tam nefarium, & crudele facinus, Deo compellente, commissum fuisse dices? Cum progressu temporis vitia quotidie magis ex libidinis stirpe pullularent, vniuersæq. terræ fuissent omni scelere corruptæ; fuit tandem omne genus hominum, paucis exceptis, ingenti eluuione consumptum. Hæc igitur flagitiorum omnium colluuies, quæ fuit aquis vltricibus absumpta, ad Deum impulsorem, (vt Lutherus asserit) & actorem reuocanda est. Quod etiam de ciuitatibus, quæ cælesti incendio conflagrarunt, illi est asseuerandum. Possum hic Pharaonis immanitatem, Hebræorum impudentissimã rebellionem; possum multorum incesta, & sacrilegia nefanda commemorare: possum innumerabiles cædes, & parricidia, sceleratorum hominũ recensere: qualis fuit Abimelech, qui, dominandi cupiditate præceps, septuaginta fratres vna die concidit: qualis fuit Iezabel, mulier omnium scelestissima; quæ, vt veram religionem ex animis hominum deleret, pro delectamento habuit incredibilem sanctorum hominum multitudinem trucidare: qualis item Athalia; quæ, vt impune regnare posset, omnem prolem Regiã interemit. Quid dicam de Manasse, qui vniuersam Hierosolymam sanctorũ, atque Diuinorum hominum impia, & nefanda cæde funestauit? Multos eiusmodi prætereo, sceleribus tæterrimis inquinatos. Quæ omnia facinora, si Lutherus vera prædicat, sunt illi sanctissimo Domino, qui ea perfecit, non hominibus, per quos illa perfecit, assignanda. Sed veniamus ad illam cædem, omnium tæterrimam, atque ad facinus dirissimum, omniumq. maxime detestandum. Quod enim maius animo scelus excogitari poterat, quam id, quod fuit a Iudæis in Christi nece commissum? Homines, in Diuina lege nutritos, & ad spem salutis per vnicũ Dei filium constituendæ Diuinis oraculis excitatos, in tantum furorem, & insaniam prorupisse, vt in illius cædem conspirarent, quem excellenti vitæ sanctitate, Diuinæ iustitiæ splendore, mirabilibus signis cum oraculis olim editis mirifice congruentibus, operibusq. plane Diuinis, esse verum Dei filium poterant explorate cognoscere? Illi igitur necem attulerunt, qui, vt hominibus vitam daret, sese a cæli fastigio in terras demisit; honestatis, & gloriæ totius architectum indignissimis contumelijs affecerunt; concisumq. plagis in crucem immanissime sustulerunt. Etiam ne hoc tam dirum, & inhumanum facinus, tam audax, & immane scelus, tam atrox, tam detestabile, & exsecrandum furoris, amẽtiæ, sceleris, & impietatis exẽplum, Deo homines impellente, & instigante, atque adeo facinus illud patrante, editum fuisse contendes? summamq. illam clementiã, & æquitatem ad perditorum hominum societatem aggregabis? neque solum in scelere immanissimo socium, & adiutorem, verum etiam principem, & cædis ipsius effectorem Deum exstitisse confirmabis? & impiorum hominum nequitiam, impuritatem, inuidiam, odium, furorem, audaciam, crudelitatem ad Deum trãsferes? Neque interim numen illius extimesces? neque iudicium formidabis? neque sempiterna supplicia pauebis? Sed operam ludimus, cum, vt hominem impudentissimum tanti sceleris pudeat, laboramus; & omnium mortalium audacissimum ab amentia deterrere conamur. id enim asserit, id prædicat, id audacissime confirmat; illud tantum scelus, quod est omnem impietatem complexum, ab ipso Deo fuisse conflatum. In qua quidem sententia con firmanda, Diuinorum hominum testimonijs abutitur. Quale est illud Petri, quo dicit, Dei 1. Pet. 1. consilio decretum ita fuisse, vt Christus illa supplicia subiret. alia item colligit, quibus sententiam suam conatur adstruere. In quo nihil aliud agit, quam vt suis tenebras offundat; pijs autem, quanta sit oppressus amentia, de-

monstret. Nec enim intelligit alia quidem a Deo fieri, alia vero tolerari. Bona quidem tantum efficit; mala autem tolerat, atque sustinet. Eorum autem, quæ facit, alia certa quadam lege colligauit, vt semper vna ratione fluerēt. Sic omnis siderum conuersio immutabili quadam ratione definita est: sic in reliquis naturæ partibus statutum est, vt antegressis caussis certi effectus necessario consequantur. Alia vero libera esse voluit, qualia sunt omnia, quæ tam Angelis, quam hominibus imperauit. Diuinæ enim benignitatis, & æquitatis ratio postulabat, vt omnes, qui essent mētis participes, essent in eligenda libertate constituti. Erant enim ad beatam vitam creati. beatam autem vitam fas non est eos adipisci, qui iustitiam nō colunt, nec veræ virtutis laudibus abundant. virtus autem nulla esse potest, nisi libere, & sponte colatur. Sic fit, vt, sublata rationis libertate, omnis Dei benignitas interclusa sit. Cui enim liberum non est, vel honestatem, vel flagitium colere; sed vi tantum extrinsecus illata ad aliquid agendum trahitur; is iustus esse nequit. si non iustus, neque Deo similis esse potest. ergo neque amicus vllo modo, neque claritatis illius particeps exsistet. Nec enim fas est, eum, in quo non similitudo Diuinæ virtutis elucet, cum ipso Deo similitudine beatæ vitæ coniungi. Si igitur hominibus eligendi libertas eripitur, omnis beatæ vitæ spes eripitur. Deinde, quæ ratio Diuinæ æquitatis exstaret, si pro his, quæ non sponte nostra, sed extrinsecus agitati, suscipimus, nos ipse Deus aut præmio afficeret, aut pœna? Si igitur eligendi libertatem non habemus; aut neque præmio, neque pœna quemquam afficit, aut est iniustus. Præmia autem, atque supplicia scimus esse a Deo constituta; & de iustitia, & æquitate illius dubitare non licet: ex quo efficitur, omnium hominum voluntatem esse liberam. Qui igitur voluntatis humanæ libertatē tollit, Deo benignitatem, & iustitiam detrahit; atque, vt rectius dicam, Deo ipsi, quantum est in se, diuinitatem eripit. siquidem benignitas, & æquitas Dei, non Dei sunt accidentia, (nulla enim esse possunt) sed in naturam illius includuntur; ita, vt nihil sit aliud Dei virtus, quam ipsemet Deus. Qui igitur Dei clementiam, atque iustitiā impia oratione labefactat, Deum de mundo tollit; qui autem hominibus libertatem eripit, Dei clemētiam, & iustitiam labefactat; quo fit, vt Deum quodam modo diuinitate spoliet. Neque periculum est, ne cōtinuo cum Pelagio faciamus, si libertatem nobis a Deo donatam defendimus. Neque enim inde sequitur, nostris meritis, & non Diuinæ clementiæ esse nostram salutem tribuendam. Is enim nos ab illo penitus auersos in viam reuocauit; is mentes nostras illustrauit; is ad fidem incitauit; is animos repente sanauit; is denique iacentes, atque in terra defixos excitauit, atque in cælum tandem euexit. ita, vt non solum iustitia, sed fides, atque mentis ipsius ad iustitiam accipiendam præparatio, sit in illius muneribus habenda. Nec enim nos ad illum prius adiuimus, quam ipse nobis accurreret, atque ad societatem bonorum omnium conuocaret. Non igitur meritis nostris obligatus, sed bonitate tantum sua ardenter incitatus, nobiscum cælestia bona communicat: ita, vt, cum nobis promissa præmia persoluit, non tam officia nostra, quam opera sua, in nobis remuneret. Hoc tamen ab illo didicimus, esse in nobis situm, omnem illius beneficentiam aspernari, imperium repudiare, lucem repellere, opem reijcere. Ego, inquit, stò ad ostium, & pulso. non ait; repagula conuello, fores effringo, violenter irrumpo: sed, pulso tantum assidue, & ad aperiendum inuito. Si quis igitur aperuerit, Christi spiritum mentis hospitio recipiet, & cum illo epulabitur. Is igitur illius numine vitam diriget, voluntateq. sua ductum illius, & imperium sequetur, atque, illius ope fultus, & præsidio munitus, ad cælestes opes adspirabit. Hæc autem sunt, quæ Deus facit: quæ autem non facit, sed tolerat; pecata sunt. Ex ea enim libertate, quā dicimus, consequenter euenit, vt quidam Christi spiritu, fide amplexi pietatis munus, ipsius Christi numine commoti, alacriter exsequantur; alij vero benignitatē illius repudient, & in flagitijs omnibus sponte, & voluntate sua volutētur. Hæc igitur nullo modo possunt Deo impellente fieri. Sic enim Deus sibi ipsi repugnaret, & immensa bonitas, flagitium, & prauitatem subeundo, a se ipsa dissideret. Tolerat tamen, vt dico, vt ex illis malis bona quædam eliciat; & ita rursus inordinata in ordinē reducat, atque ad legis sempiternæ rationem reuocet. Sic autem fit, vt nihil præter illius voluntatem possit accidere. Mala enim non facit; ea tamen in ordinem reducit, atque sibi tandem seruire compellit. Ordinatione, inquit, tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi. Psal. 118. Neque enim vllo modo summa bonitas mala permitteret, nisi bona nosset ex nostris malis educere. Inde autem euenit, vt, cum omnium conatus liberos esse permittat, aliorum effectus prohibeat, alios exitum suum consequi patiatur; prout ordini ab eo constituto conuenire perspicit. Multi enim multa conantur, quæ tamen non possunt ad exitum deducere. multi vero scelera, quæ moliuntur animo, vt cogitauerant, ita perficiunt; atque, vnum & eundem instituti facinoris effectum aliquando impediri, rursus autem permitti, cernimus: veluti, cū Iudæi necem Christo machinarētur, multis in locis voluerunt illum ad mortem ducere. nemo tamen illum apprehendit, quia nondum venerat hora eius. cum autem fuit nostræ salutis rationi commodius, tum, quod iam pridem libere destinarant, libere etiam exsecuti sunt. Quocirca Dominus ipse ait: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Luc. 22. Et Pilato item dicit: Non haberes aduersum me potestatem Ioan. 19.

vllam, nisi tibi datum esset superne. Cum igitur vtilius fore vidit, & conuenientius, tum demum sceleris perficiendi potestatem impuro homini concessit. Itaque non Deus Pilatum in scelus induxit; sed scelus illud nefarium, gratia summi cuiusdam boni, tolerauit. Conatus igitur animi semper liber est, effectus autem non semper. Hæc autem tolerat Deus, aut gratia illius, qui fraudem concipit; aut aliorum gratia. Si enim Deus statim, vbi quisque primum scelus admitteret, de illo, qui deliquit, supplicium sumeret; neque ei pœnitendi spatiũ concederet; omnis profectò spes salutis fuisset hominibus interclusa. Omnes enim multis in locis deliquimus, multisq. sceleribus adstricti fuimus: quocirca omnibus fuisset suppliciũ sempiternum subeundum. Ideo igitur crimina nostra tolerat, vt sint, quibus aliquando possit ignoscere, atque iustitiæ munus impertire. Interim tamen numquam nostræ salutis studiũ intermittit, nunc minis absterrendo, nũc beneficijs alliciendo, nunc plagis impositis erudiendo, atque crebris vocibus mentem interne pulsantibus enocando. Iccirco Paulus, cum de iustitia nobis per Christi fidem concessa disserat, ait nobis gratis esse donatam iustitiam per gratiam Dei. Per redemptionem, inquit, quæ est in Christo IESV, quẽ proposuit Deus propitiatorium per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, per remissionem peccatorum, quæ Deus tolerauit, ad ostendendam iustitiam suam in hoc tempore. Vt igitur Paulus ait, ideo multorum flagitia clementer passus est; vt essent, quibus opportuno tempore clementius ignosceret; atque, ne deinceps ruerent, firmiore quodam præsidio stabiliret. Quorum autem communis boni gratia crimina tolerantur, ij sunt, qui ad extremum in scelere persistunt; ita, vt neque monitis, neque minis, neque plagis, neque vllis terroribus velint ad officium reuerti; sed, instituta contumacia, perpetuo ad contemptum Diuinæ legis obdurescunt. Hi sunt, quos Deus, vt Pauli verbis vtar, ad pœnitentiam vocat; ij autem secundũ animi duritiem, & impœnitens cor, iræ Diuinæ thesauros sibi coaceruant. Et hoc est, quod alibi dicit, esse aliquem adeo induratum, hoc est clementer ad pœnitentiam vocatum, neque statim ad extremum supplicium adductũ; qua clementia importunus homo ad maiorem imperij Diuini contemptum abutitur, vt ita, prorsus a clementia desertus, in grauissimam Diuini iudicij seueritatem incurrat: quæ tamẽ peruicacia multis est vtilis futura. Vt enim reip. rectores, in eum, qui insanabili scelere constrictus est, atrocissimi supplicij exemplum edũt, vt eo perterriti ciues manus a scelere omni contineant, & sic vnius interitu salutem ciui tatis vniuersæ constituant; sic Deus, cum improbum hominem, & nimiũ in scelere pertinacem, cuius immanitas occasione Diuinæ clementiæ magis atque magis aucta, & amplificata

Rom. 3.

Rom. 2.

Rom. 9.

ta fuit, insigni aliquo indicio peruertit; omnem iram suam, vt ita dicam, in illius supplicio profundit: vt intelligant homines, esse numen cæleste, atque vim Diuinam, pœnas ab improbis, & sceleratis seuerissime repetentem, iustissimoq. supplicio facinora vindicantem; eoque metu a flagitio deterriti, se se ad studium pietatis applicare tandem incipiant. Fit etiam præterea, vt, explicatis iustitiæ, atque seueritatis opibus, magis ipsius Dei claritas elucescat; maioreq. gloria triumphent ij, qui immensa illius benignitate perfruuntur. Sic igitur euenit, vt omnia in piorum hominum gloriam mirifice redundent. Hoc autem vt Paulus ostendat, adducit illud, quod Deus de Pharaonis exi tu prædixit. In hoc, inquit Dominus, excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Quo in loco animaduertendum est apud Hebræos בעבור זאת העמדתיך. quod est, ideo te cõsistere feci, atque stare permisi. quod Septuaginta ad hũc modũ verterũt ἕνεκεν τούτου διετηρήθης ἕως τοῦ νῦν. quod tantundem est, ac si diceret, Ad hunc vsque diem te sustinui, meq. contrinui, ne te statim exstinguerẽ. Ad hanc autẽ sententiam fuisse hunc locum a Paulo adductum, id, quod paucis interiectis exponitur, facile declarat; nempe, Deum, vt explicaret iustitiam suam, atque potentiam insignem redderet, admirabili quadam tolerantia sustinuisse vasa iræ, ad interitum reseruata, vt ea ratione aliorum saluti prospiceret, opesq. suæ clementiæ vasis misericordiæ (sic enim appellat homines ad gloriam destinatos) magnifice capiendas, atque fruendas exhiberet. Nusquam igitur dicit, Pharaonem a Deo concitatum; sed clementissime toleratum, in eum finem, vt, suæ iustitiæ magnitudine in multorum oculis constituta, multi facilius a flagitio reuocarentur, eisq. omni ex parte Diuini numinis maiestas clarius innotesceret. Neque Paulus igitur, neque quisquam alius vir, Diuino spiritu motus, umquã dixit, Deum in improbis peccarum, & scelus efficere, sed peccati effectum non impedire, multaq. diu pati, atque singulari consilio sustinere. Quare non est, cur homines perditi, quoties permissionis vocabulum audiunt, quasi imperitia consiliorum Diuinorum ab hominibus excogitatum irrideant. Auctore enim Paulo, atque adeo Spiritu sancto, in Pauli præcordijs inclusо, videmus scelus a Deo non effici, sed patrandi sceleris facultatem singulari cõsilio permitti. Neque est, quod hinc inculcent aut Pharaonis cor induratum, aut impios homines cupiditatis immanitati traditos, aut multorum mentes excæcatas, multosq. mortales, quod etiam Prophetæ testificantur, in errorem pestiferum inductos. Ad hæc enim omnia vna respõsio est, fieri non posse, vt sit ad iustitiæ semen in se concipiendum cor alicuius emollitum, aut animus contra vim cupiditatis armatus, aut mens veritatis ipsius radijs illustrata; nisi spiritus

Rom. 4.

Exod. 9.

ritus Diuinus adsit, qui hæc omnia in nobis efficiat. Illius enim appulsu, mitescit animus, vt facile possit in illo disciplina Diuinæ legis insculpi; illius præsidio cupiditatis impetũ facillime repellit; illius splẽdore collustratus, omnia perspicit, quę erãt antea crassis tenebris occultata. Diuini igitur spiritus abscessu, obdurescit animus; & nudus, atque inermis; cupiditati dilacerandus relinquitur; & tætris tenebris, atque atra caligine circumfunditur. Cum ergo Deus crebro pulsat animum, atque a vitæ prauitate ad se reuocare contendit, humoque in instituto scelere persistens inuitantis Domini clemẽtiam repellit; euenit, vt quotidie magis ab ea Dei clementia deferatur, atque duritie, flagitio, cæcitate præceps, in pestem multo effrenatius incitetur. Non igitur, quod Deus ea mala efficiat; sed, quod absentiam illius consequantur, ita, vt, qui iustissimo illius iudicio sunt omni eius propemodum ope destituti, toti continui sint in eorum malorum potestate futuri; dicuntur a Deo indurari, motibus turpissimis agitari, atque penitus excæcari. Quare desinant homines amentes, & perditi, scelus institutum immani sacrilegio cumulare, & ad Dei gloriam impugnandã e sanctis litteris perperã intellectis, tela corripere. Non igitur, vt eo reuertar, vnde sum digressus, Deus Pontifices incitauit, aut Iudam instigauit, aut milites, & reliquos tanti sceleris ministros impulit, vt Christum crudelissimo mactarent supplicio, maledictisq. omnibus, atque conuicijs insectarentur; sed Sathanas, cui omnes illi homines impuri seruiebant. Sed illud tantũ malũ Deus ipse tolerauit, vt tantum ex eo fructum gloriæ Christi, atque communis salutis eliceret. Præclare enim Ioseph fratribus suis ait, Vos cogitastis de me malum: Deus autem vertit illud in bonum. Mala cogitatio, non Dei, sed Dæmonis impulsu suscepta fuit; Deus autem, cui tandem omnia seruiunt, ex illo malo salutem vniuersæ illius gentis eduxit: ideo non dicit, Eam mentẽ vobis iniecit Deus; vt mihi pestẽ moliremini; sed dicit, Nefarium consilium; quod de mea pernicie, non illius impulsu, sed improbitate vestra crudeliter iniuistis, Deus ad omnium salutem transtulit. Sic fit, vt Sathanas etiam ea sponte sua moliatur, quæ sint tandem ad Dei gloriam conferenda. Plenum sceleris consiliũ, immane facinus, & exsecrandum, fuit in Christi nece, & cruciatu susceptum: at infinita Dei sapientia factum est, vt ex ea nece vita nostra, atque salus exsisteret. Non igitur, non, inquã, effecit Deus, vt Iudas Christum proderet, Põtifices accusarent, Pilatus iniuste condemnaret, milites virgis cæsum, atque spinea corona redimitum in crucem tollerent. Contineat se tandem furor, & immanis audacia comprimatur, numenq. tandem extimescat, atque formidet tanti sceleris effectionem ad summam illam puritatem, atque iustitiam transferre, hoc enim grauius esset, quam ipsum Dei filium

Gen. 50.

cruci iterum affigere. Si enim multo dirior est omni cruce sempiterni sceleris infamia; si multo grauius est, Deo criminis maculam adspergere, quam omnes mortales omnibus cõuicijs insectari; multo profecto est detestabilius, Deo notam iniquitatis inurere conari, quam illius filium, in hominis specie latentem, in crucem tollere. Qui enim Christũ in crucem egerunt, numen illius tunc minime cernebant; at, qui Deo maledicunt, immensum illius numen, atque potentiam negare non possunt. Quæ igitur tanta dementia est? quis tantus animi stupor? quæ tanta temeritas, & audacia? quæ tã impudens horrendi, & detestandi sceleris officina? Ideo ne ætatem in sanctis litteris contriuisti, vt Dei sanctitatem oppugnes? ideo religionem aliquando simulasti, vt religionem funditus euertas? ideo te studiosũ Diuinæ gloriæ profiteris, vt eam nefando conuicio deformes? Quid habes deinde, quo Diuinum iudicium in improbis sempiterna pœna afficiendis ab iniquitate tuearis? Cũ enim constat hominẽ occisum esse, quis in iudicium vocandus est? isne, qui hominem interfecit? an gladius, quo interfecit? Fuit ne vmquam aliquis adeo mentis expers, vt gladium, aut sicam, aut quod vis aliud cædis instrumentum, in crimen vocaret, eo quod illo quispiam ad hominis cædem vsus esset? Quis enim adeo demens est, vt ipsi, qui cædem fecit, ignoscat; & supplicium in telum excogitet? Si igitur nos nihil agimus, nihil efficimus; sed instrumenta tantum nuda sumus, quibus Deus, vt ei libet, vel ad bonum, vel ad malum vtitur; ita, vt nihilo plus ad actionem aliquam conferamus, quam aut ferra, aut securis, iniuste hominibus irascitur, iniuste crimen vlciscitur, iniuste scelus hominum supplicio vindicat. Potest enim Iudas, vt de hoc in primis loquamur, dicere; Non mea culpa est, quod te prodidi, atque immanissimis hostibus triginta nummis argenteis addixi; sed tua; Domine, cuius voluntati obsistere nequiui: tu enim mihi humanitatem eripuisti; tu me in scelus impulisti; tu me in illam tandem coniecisti, vt, amore pecuniæ occæcatus, vitam, atque sanguinem tuum venalem hostibus importunis proponerem; atque tandem te illis ad necem traderem. Sic item Pilatus, sic scribæ, & Pharisei a te possunt arripere, quo caussam suam facillime tueantur. Dicent enim, Tu nobis, Domine, tenebras offudisti, & in errorẽ induxisti, vt in te pestem machinaremur; atque in ipsam nos cædem, vi tua, atque numine concitasti. Cur igitur in nobis opus tuum damnas, nosq. miseros, nullo scelere obligatos, in perpetuum cruciatum abripis? Quid milites? si nos, inquient, in crimen vocamur, quod te virgis cæcidimus, quod furẽter illusimus, quod maledictis omnibus insecuti sumus, quod tandem cruce confiximus; virgæ etiam, & spinea corona, & crux denique ipsa, quæ tota sanguine tuo cõspersa fuit, atque

adeo

adeo claui, quibus fuisti confixus, accusandi sunt. Neque enim magis ista nostra culpa fuit, quã virgarum, quam spinarum, quam clauorũ, quam crucis ipsius, quam hastæ denique, quæ in sanctissimo latere tuo vulnus alte impressit. Nos enim nihil egimus, sed illius tantum cædis instrumenta fuimus. Tu illam cædem edidisti; tu nos ad furorem, & insaniam redegisti; tu manus nostras sanguine tuo cruentasti. Hæc denique omnes impij, atque scelerati possunt afferre, quibus crimen a se remoueant, illudque in iudicem ipsum reijciant. Sic igitur nullus erit adulter, nullus homicida, nullus sacrilegus, nullus flagitio, & scelere pollutus, præter eum, qui est de illorum vita sententiam laturus; ita, vt is, qui mala omnia solus machinatus est, omniumq. scelerum caussam sustinet, sibi parcat, & innoxia instrumenta supplicio sempiterno conficiat. Sed, inquiunt quidam, non esse obscurum, esse hanc sententiam hominibus parum in rebus Diuinis exercitatis inuidiosam. neque enim facile posse quempiã rationem illius peruestigare. quin etiam rationem esse multis impedimento, quo minus homo doctrinæ huius in se lumen recipiat. esse igitur opprimendam fide rationem, vt tum demum Euangelij huius lumen appareat. Optime. nemo enim in vestram sententiam discedet, nisi prius omnem mentem amiserit. Fatemur, inquiunt. est enim ratio vniuersa in cruce necanda, vt tum demum Euangelij lux possit exoriri. vigente enim ratione, vis Euangelij comprehendi non potest. O Euangelium infaustum: o lumen tenebricosum: o crucem vitæ perturbatricem: o remedium, quod rebus communibus attulistis, pestilẽs, atque mortiferum: siquidem illi locus esse non potest, nisi ratio, in qua viget Diuinæ mentis imago, & quæ lege Diuina impressa est, exstincta, atque deleta fuerit. Ista crux, quam in ore semper habetis, non Christi est, sed Sathanæ. Christus enim in cruce non rationem exstinxit, sed libidinem rationi repugnantem: vt, ea deleta, ratio exstincta reuiuisceret. vestra autem crux rationem contra delet, vt rursus libidinem in dominatu constituat. Sed, vt sententiam inuidia liberetis, huius iudicij caussam assignate. Quo modo iudex ille sanctissimus eos plectit, qui nihil egere, sed instrumenta tantum Diuinæ voluntatis exstitere? Nulla, inquiunt, caussa est Diuinæ voluntatis assignanda. Cur ita tandem? quia caussa necesse est, vt maiorem habeat vim, quam id, cuius caussa est. si igitur aliqua caussa Diuinam voluntatem antegredi potuisset, sequeretur, aliquid esse Diuina voluntate præstantius. Quid dicam? contemni ne nos, nempe quos existiment facile captiosis argumentis inductos a sententia depelli? an eos furere, qui, fallacibus rationibus, se egregie munitos esse confidunt? falsum enim est, omnẽ caussã esse effectu suo potiorẽ. Nam & materia rei cuiuslibet, & artificis instrumenta, & alia multa, sine quibus opus aliquod effici non potest, numerãtur in caussis, quæ nullo modo sunt cum operis absoluti præstantia conferenda. Si illam principem caussam intelligis, quæ rem quamlibet efficienter antecedit; fateor, eam esse prestantiorẽ effectu; & sic nulla est caussa efficiens Diuinæ voluntatis inuestiganda, cum nulla penitus esse possit. Est tamen caussa mouens, vt ita dicã, & impellens Deum ad aliquid volendum. ea autem est, illius sapientia, atque rerum omnium prouidentia. Vt enim in nobis opus est, vt voluntatem iudicium mentis antecedat; (nihil enim appetimus, quod non prius appetendũ esse iudicemus) ita & in Deo scientia voluntatem anteit; non tempore tamen, sed natura, atque ratione. Nihil enim sine summa ratione vult. aliter enim sapiens non esset. Qui igitur dicunt, Deum aliquid sine caussa moliri, Epicuri impietatem, & aliorum Physicorum similiter delirantium errorem, sequuntur. pro Deo enim temeritatem in naturam inducunt. Videte igitur, quantum inter piorum hominum sententiam, & istam sceleratam opinionem intersit. Vos voluntatis Diuinæ caussam nullam esse defenditis: nos, contra, Deũ nihil sine caussa, hoc est sine summo consilio, & ratione, fecisse, summa fiducia confitemur; & eos, qui secus statuunt, impios, & sceleratos, iure, atque merito, reputamus. Deo enim sapientiam detrahũt. qui enim sine caussa vult, quod vult; nullo modo sapientia, sed temeritate, & amentia ducitur. Ergo, qui sic omnia in Diuina voluntate ponunt, vt eam rerum selectione spolient, sapientiam Diuinam plane tollunt. Quibus autem gradibus potuisset, auctore Paulo, genus humanum ad Dei cognitionem adscendere, nisi caussis rei cuiuslibet inuestigandis? vt videlicet, cum in singulis rebus admirabilem naturæ sollertiam, & artificiũ inspiceret, & totius mundi fabricam ratione comprehenderet, omniumq. rerum ordinem, conuenientiam, vtilitatem, & pulchritudinem notaret; intelligeret tandem omnia caussa, & consilio fuisse condita, & constituta; vniuersamq. naturam non temere ferri, sed Diuina mente, & ratione gubernari. Tantum enim abest, vt Deus maiores res sine caussa crearit, vt ne formicas quidem sine admirabili ratione condiderit. & tu interim, cum in formicæ corpore, victu, & incessu, caussam, & rationem sollertiæ Diuinæ liceat inspicere; in iudicio de homine, cuius caussa Deus reliqua omnia finxit, nullam, vel illius in perpetuum euertendi, vel opibus sempiternis egregie cumulandi, caussam subesse disputabis? eademq. ratione, qua iniquitatem, & immanitatem Deo tribuis, sapientiam, & rationem illi totam in summis rebus eripies? ita, vt non solum homines ratione orbare, verum etiam Deum mente, & ratione spoliare coneris? Quid, quod tecum ipse pugnas? dicis enim, eos, quos Deus æterno decreto damnandos cẽsuit, inexplicabili iudicio fuisse ex omni æter-

Rom.

nitate temporis improbatos? Vbi enim iudicium est, ibi nulla potest inesse temeritas. ergo & ratio decreti exstabit: aliter enim indicium non esset indicium. Quę igitur caussa esse potest vel aperta, vel occulta, cur ego damner eo nomine, quod Deus me fuerit ad meum interitum abusus; quodque me commouerit, & agitauerit; & vi sua, quocumque illi libitum fuit, vehementer impulerit? Ede igitur caussam, assigna rationem, quare Deus in homine, non hominis opus, (neque enim homo aliquid, vt affirmas, gessit) sed opus plane suum supplicijs æternis vindicandum putat; aut te prorsus amentem esse confitere? Nam, cum dicis, nihil omnino ab homine geri; omnem caussam illius improbandi, quam subesse suspicari poteram, licet eam explicare non possem, omnino tollis. Quare non est, cur eam inexplicabilem esse contendas, quando nulla prorsus esse potest. Si autem iudicij Diuini caussam exstare nō censes; cur, ratione conuictus, illius caussam interdum explicas. At, quam caussam, & quantæ tandem æquitatis plenam, assignant? Eam enim primum a stirpe criminis illius repetunt, quo se primus parens obligauit, nosq. secum in calamitatem impulit. Tunc enim aiunt libertatem penitus amissam, tunc opes euersas, tunc omne iustitiæ lumen exstinctum, tunc animum dominatu cupiditatis oppressum, tunc omnem naturam humani generis immutatam; ita, vt, quæ primum bona fuerit, nunc nihil sit aliud, quam omnium flagitiorum, & scelerū perennis quidam fons, & origo. Nunc igitur, quamuis peccata vitare minime possim; tamē, quia libertas culpa mea fuit amissa, (omnes enim illo primo scelere alligati fuimus, idemq. peccatum seminis propagatione cōtraximus) merito nunc pœnas me daturum asserunt, non illius tantum criminis, sed aliorum etiam, in quæ necessario deducor, quando in hanc necessitatem meo scelere incidi. Videamus, quam acute Diuinam æquitatem hac ratione tueantur. Primum enim frustra caussam nostrę prauitatis ab illo primo peccati seminario repetunt. Si enim vera Lutherus tradit, etiam illud scelus, Deo primum hominem ad facinus adigente, susceptum fuit. Non enim maiorem vim habet nunc vis illa sempiterna, quā in primordio humani generis habebat; neque magis poterat ille voluntati sempiterni numinis obsistere, quam nunc possumus. Quare tanta vi fuit Adam in peccatum illud compulsus, quanta nos sumus, cum peccamus. Frustra igitur se se in latebram illius peccati conijciunt. Deinde, crimen illud non fuit nostra, sed primi parētis voluntate susceptum: quare ius non est, vt nos id crimen perpetuo supplicio luamus. Est enim Diuina lege sancitum, ne pœnæ pro peccatis parentum ab eorum filijs reposcantur. Postremo fas non est, vt officij illius rationem reddam, quod præstare non potui. sum cæcus: & tu, vt videam, postulas? Merito, inquit. tuo nāque vitio cæcus es. Recte diceres, si illo tantum me crimine damnares, propter quod oculis priuatus sum. Nunc, quando, eo supplicio minime contentus, nouis me supplicijs laceras, quod oculorum officio non fungar, cum tu mihi iam primum oculos effodi iusseris; te non modo iniquum, sed etiam sæuum, inhumanum, & truculentum fateare, necesse est. Finge, me crimen commisisse, propter quod crura mihi lege suffracta sunt. si mihi princeps, qui eo me supplicio affecit, imperet, vt in stadio curram, palmamque omnibus præripiam; deinde me capite damnet, eo quod id non effecerim; hominem appellabis? an potius tyrannum immanem, & importunum, diuturna consuetudine crudelitatis efferatum? Quid, si, cum, claudus, & viribus omnino destitutus, ad currendum tamen eniterer; magna quadam vi me tenuit, ne currerem? quid, si etiam excogitauit, ne niti quidē ad cursum possem? quid, si a principio me coegit id crimen admittere, propter quod mihi crura fracta sunt? Si igitur Deus hominum naturam propter illud primū crimē luce destituit, viribus exspoliauit, in omnem fraudem coniecit; quo modo potest ab hominibus officij rationem exigere, maxime cum non solum reliqua crimina, quæ postea in se humanum genus admisit, sed illud etiam, ex quo reliqua omnia nata sunt, violento quodam numinis impulsu commissa sint? Quid igitur toties illius peccati mentionem repetis? quid hominis illius miserijs insultas? Cur humanæ naturæ scelus obiectas? cur non aperte optimū, & sanctissimum Dominum, vt auctorem illius etiam sceleris, & totius erroris humani, criminaris? Aut enim id tibi faciendum est, vt Deum iniquitatis insimules; aut alia Diuini iudicij caussa excogitanda. Sane, inqnit. alia siquidem potest assignari. Mirum quidem est; te, qui caussam illius exstare negabas, tam multas repente caussas in medium afferre. Effice igitur, vt eam nobis exponas. Deus, inquit, vt gloriæ suæ consuleret, atque iustitiæ suæ opes explicaret, cum ab omni æternitate quosdam ad gloriam sempiternam destinasset, alios absque vllo delectu a communi massa secreuit, quos peccati necessitate deuinciret, atque tandem æternis tormentis cruciaret. Hoc per ipsum Deum, cuius immensa maiestas hoc tam exsecrando conuicio violatur, quale tandem est? Tu tibi in mea pernicie, absque vllo meo scelere, gloriam quæres? meoque sanguine, absque vlla graui caussa, ludes? ob idque tantum, vt gloriam aucuperis, me sempiterno cruciatu conficies? Quis vmquam Epicureus tam ad se omnia retulit, vt sua caussa innumerabilem hominum multitudinem vellet exstinctam? Quid; quod non vlla vera gloria crudelitatē, & immanitatem consequitur? Est enim gloria, fama celebris, maximarū virtutū meritis excellētibus excitata. Est igitur gloria, benignitatis, atque iustitiæ comes, non immanitatis, & iniquitatis.

tatis. Quas igitur opes iustitiæ Deus explicare posset, si tanto seipsum iniustitiæ crimine colligaret? Ius ne est, vt, cum me ad facinus adegeris, atque in omne flagitium, & scelus compuleris; eiusdem sceleris, quod tu perfecisti, ipse, qui nihil feci, sed tantũ a te attractus sum, acerbissimas pœnas exsoluam? carnificina hæc quidem est, & immanitas, non iustitia, Luthere; & ea carnificina, qua nemo vmquam, quamuis esset omni diritate tæterrimus, se vllo pacto cruentauit. Memoriæ proditum est, cum Hannibal fossam humano sanguine redundantem adspexisset, dixisse: O pulchrum spectaculum. Volesius item, qui sub Augusto Proconsul Asiã prouinciam obtinuit, cũ vna die trecentos homines securi percuti iussisset, O rem Regiam, exclamasse. Quis, cum hæc audit, non illos homines exsecratur? non eorum nomen odit? nõ eis perpetuum cruciatũ apud inferos exoptat? Quid enim magis ferum, & inhumanum facinus, quam, hominum supplicio delectari? At ij neq. homines miseros in eam caussam induxerant, ob quam eos postea trucidarent; neque eos sempiternis suppliciis, si possent, affecissẽt. Illam igitur sæuitiam, cuius tenue vestigium cum in hominibus impuris intuemur, obstupescimus, in illam summam benignitatem confessres? eamque illi crudelitatem attribues, quæ ne in homines quidem sceleratissimos cadere vmquam potuit? Et tamen, inquies, gloriam suam illustrat; quasi Dei gloria sit in sæuitia cõstituta. Gloria exstare non potest, vbi æquitatis lumen non lucet. æquitas locũ habere nõ potest, vbi quis pœna minime dignus pœnam extremo supplicio pendit, pœna autem prorsus indignus est, qui aliunde actus, & attractus est. Immo, inquit Caluinus, pœna dignus est, quoties voluntas adest, quamuis ea voluntas necessaria sit. Multum enim interest, inquit, inter necessitatem, & coactionem. nemo enim volens cogitur. Qui igitur vult peccare, quamuis necessario velit, peccat; nõ is, qui cogitur, & efficit, quod nõ vult. Iccirco fit, vt merito puniãtur a Deo, q peccãt. quãuis.n. ad flagitiũ cõpellãtur, id tamẽ flagitiũ volẽtes admittũt. O acutũ hominẽ, qui tã cõmode excogitauit, quo modo sententiæ absurditatem defenderet. Itaque breui distinctione totum negotium confectum putat. Sed libenter ex eo quærerem, quid appellet Coactionem. Equidem cogi hominem puto, quoties vis illi extrinsecus adhibetur, quæ illũ aliquid facere, aut adire, cogat, veluti, si aliquem imbecillum hominem rapias, & in ignem coniicias. Hunc tamen, qui nolens ad exitium rapitur, simplici tãtum necessitate obstrictum video. adhuc enim voluntas illius libera est. Sed, si habeas eam vim, vt non modo corpus illius vexes, & raptes, &, quocumque velis, abducas; verum etiam voluntatem illius ita deuincias, vt nihil velle omnino possit, nisi quod tibi libuerit, ita, vt, si tibi ita visum fuerit, in exitium sponte sua ruat; tunc eum duplici nodo colligatum dicam. siquidem, non modo constrictum corpus, sed etiam mentem gerit. Multo igitur minus ab illo officium requirã, quam si libero illius animo corpus tantum haberet ferreis vinculis alligatum. duplici enim necessitate cogitur. duplici igitur coactione, vt tuo verbo vtar, vtique tenetur adstrictus. Si simplex igitur coactio satis est, ad reum omni crimine liberandum; multo æquius est, vt duplex adhibita omni scelere soluat. Quæ enim ratio est, vt ei, qui furens voluit aliquem violare, crimini des, si tu primum venenis mentem, atque sensum illi penitus eripuisti? Si igitur Deus me cogit, vt velim aliquid sceleris machinari; non ego vllo modo, sed ipse, qui me furere cogit, sceleris caussam sustinere debet. Mihi quidem, qui certum, & constitutum id habeo, quod est in natura vniuscuiusque penitus incisum, nempe liberam esse vniuscuiusque voluntatem; nihil est planius, quam omnes, qui volentes sunt sceleris alicuius administri, iure, atque merito cruciandos. Tibi vero, qui non modo voces Diuinas audire contemnis, sed omne prorsus iudicium naturæ repudias, voluntatemq. asseris esse oppressam, & impeditam; neque aliquid velle posse, nisi id tantum, ad quod eam Diuinus quidam motus impellit; necessario confitendũ est, neminem esse nocẽtem, nisi eum solum, qui miseris hominibus duplici, atq. maxime miseranda necessitate colligatis, ad perniciem abutitur. Nullæ igitur argutiæ possunt sceleratam hominis impuri sententiam tueri; nec eum testimonia illa subleuant, quibus vtitur. Quale est illud Ieremiæ: Scio, Domine, quod non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. In quo quidem loco plane docet vir sanctus, non esse in hominis potestate positum, vt prosperos actionum suarum euẽtus consequatur. nisi enim Deus nos singulari ope sua protexerit, spirituque suo deduxerit; nullo modo poterimus ad optatum finem peruenire. In eo vero, quod asserit Solomon, Deum omnia propter se creasse, etiam impium in diem pessimum; ostendit, impiorum hominum cruciatus esse ad Dei gloriam referendos; & ita fieri, vt etiam ea, quæ cum voluntate Diuina pugnant, ad voluntatem illius, & gloriam reuocentur. Quod si improborum supplicium Dei gloriam illustrat; illius certe bonitatem, & æquitatem illustrat, e qua gloria omnis emanat: quod fieri minime potuisset, si homines, necessitate sempiterna compulsi, in sempiternam pestem, & exitium raperentur. Iam vero, in Pharaonis, & in aliorum hominum simili ratione furentiũ immanitate, siue cæcitate, siue duritie, iam vidimus nullo modo fuisse vim perditis, & profligatis hominibus illatam; quin potius Dei clementiam, multis in locis oblatam, quam illi ingrate, & impie repulerunt; ita, vt in eorum interitu, simul & illorum scelus horreamus, & iudicij Diuini æquitatem debita prædicatione celebremus. Quo modo autem hæc, & alia quam plu-

Ierem. 10.

Prouer. 16.

plurima testimonia, quibus aduersarij abutuntur, intelligenda sint, magna ex parte est iam a nobis superius explicatum. ex quibus facile apparet, quam sint Diuinarum rerũ ignari ij, qui sibi tantum arrogant, vt reliquos omnes intolerando fastidio contemnant. Sed libẽter ab illis audierim, cur Christus hanc disciplinã iis, quos Diuinæ sapientiæ muneribus instruxit, quibus arcana sua patefecit, quos secum sanctissimo fœdere consociauit, quos deniq. ad orbem terrarum splendore veræ pietatis illustrãdum spiritus sui facibus inflammauit, minime tradiderit? Cur, quæso, hæc tãta mysteria discipulis suis sanctissimis, atq. carissimis, quibus cum omnia nostræ salutis consilia familiarissime communicauit, celata esse voluit? Num, vt ea Luthero, homini scelestissimo, & impurissimo, maturis temporibus explicanda reseruaret, maioreq. sapientia ministrum libidinis, quam honestatis magistros, erudiret? Numquam enim Christus eas iudicij sui caussas exposuit, quas homo ingeniosus post multa sæcula commentus fuit; sed alias, multo certe magis æquitati suæ consentaneas. Illum igitur audiamus, non implicate, & obscure, sed plane, atq. dilucide iudicij sui caussas aperientem.

Matth. 25.

Ait enim, futurum, vt dicat improbis, Ite maledicti in ignem æternum. Plena horroris vox, grauis, & dira sententia, terribile, atq. tremendum supplicium. Sed tantæ seueritatis rationem videamus. Num eam caussam affert, quod lues quædam tabifica naturali contagio ad eos permanarit, eaq. de caussa sint crimine primi parẽtis infecti? Minime vero. Num illud fortasse, eos fuisse iam inde ab omni æternitate sempiterno exitio deuotos, vt essent videlicet, in quorum supplicio Deus sine vlla graui caussa iram effunderet? Nihil horũ. Quid igitur dicit? Esuriui, & non dedistis mihi cibum; sitiui, & non dedistis mihi potum; peregrinus eram, & non hospitio recepistis me; nudus, & nõ operuistis me; infirmus, & vinctus, & non visitastis me. Delinquere igitur in officio, caritatis studia cõtemnere, generis humani societatem violare, egentes, & afflictos in calamitate despicere; est, quod homines in sempiterna supplicia deducit, non sempiterna necessitas. Hoc enim esse in nostra potestate situm, ipsius Diuini iudicij seueritas aperte declarat. Numquam enim tam seuere in crimina vindicasset summa illa sapientia, nisi vidisset, homines nullo modo fuisse ad flagitium, & impuritatem adactos, sed ipsos libere, & sponte flagitia suscepisse, atque in pestem volũtate sua irruisse. Aliter enim numquam dixisset, interitum nostrum a nobis ipsis prouenire. numquam item illud, Ite in ignem, quem vobis ipsis incendistis. nũquam tam crebro nos ad resipiscendum inuitasset. numquam certam spem salutis iis, qui vellent ad officium reuerti, tam multis in locis ostendisset. Neque enim, vt apud Ezechielem inquit, mortem expetit hominum; sed omnibus salutem offert, atque præsens auxilium pollicetur. Non delector, inquit, morientis interitu: reuertimini, & viuite. Nos igitur, nos ipsi exitiũ nobis afferimus: nos scelere, & amentia nostra in pestem incurrimus: nec est, cur nostræ calamitatis caussam ad Deum, non ad nos ipsos, referamus. Nobis enim optio data est, vtrũ velimus, vel vita sempiterna frui, vel morte sempiterna deleri. Quocirca Moses cælum, atq. terram inuocat, clarissimaq. voce perditorum hominũ impietatem refutat, atque vtrumque in potestate nostra situm demonstrat.

Deut. 28.
Deut. 11.

Obtestor, inquit, hodie cęlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionẽ. Quid aliorum prophetarum testimonia colligã, quibus Deus testificatur se omnium salutem procurare; nec se quidquam prætermittere, quod ad eorum vitam tuendam pertineret; sed hominis perfidia, & improbitate sua corruere? Quale est illud Isaiæ:

Isaiæ. 5.

Nunc, inquit, viri Ierusalem, & habitatores Iuda, estote iudices inter me, & vineam meam. quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Non recusat, quo minus, si fuisset ab illo quidquam in vineæ suæ, hoc est, in hominum cultura, prætermissum, inclementer agere putetur, cum eos, qui peccauerunt, vlciscitur. Longum esset, si vellẽ reliqua omnia consectari: illud igitur tantum adducã ipsius Christi testimonium, quo de hominum, benignitatẽ illius ingrate repudiantium, improbitate conqueritur.

Matth. 23.

Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis. Cernis hic immensam Dei benignitatem, homines ad salutem euocantẽ? cernis rursus hominum scelus, & improbitatẽ, cum Diuina clementia certantem? Et tamen alias humanæ ruinæ caussas inquires? & tamen scelere infando numen Diuinum violabis? & tamen omnia detestanda facinora in summam illam æquitatem coniicies? & tamẽ humanæ impuritatis labem, nequitiam; turpitudinem, ad illum sanctissimum Dominum reuocabis? & tamẽ illi malorum omnium caussam assignabis? & tamen illi temeritatem, sæuitiam, crudelitatem, immanem, importunamq. naturam affinges? O monstrum, o portentum, omnium, quæ vmquam in terris exstitere, truculentissimum, & immanissimum. Quæ te tanta amẽtia vexat, tantum scelus exagitat, tantus morbus excruciat, vt tibi totam mẽtem, & sensus eripiat? Tune sanctissimo numini tam insigne conuicium facere ausus es? tu illi totius æquitatis, salutis auctori, bonorum omnium principio, tantũ dedecus inurere conatus es? Non numen illius timebis? non iudicium illius horrebis? non ad cæli conspectum trepidabis? Sed primum quidem temeritas, atq. libido te præcipitem egere; deinde impietatis scelus, & audacia te concitauere, vt bellum contra cælum susciperes; omnia pudoris septa reuelleres; Diuina iura conculcares; pietatis ruinas ederes; Diuinum numen, quod in te fuit, infando conuicio maculares. Quare minime mirãdum est, quod accepimus,

te, etiam antequam e vita discederes, pestiferi Dæmonis incursu sæpenumero vexatum, & excruciatum fuisse, atque terroribus obiectis frequenter exanimatum. Neque enim fieri potest, quin tantum scelus, furor immanis, & acerbũ oppressæ conscientiæ supplicium repente consequatur. Nullum enim scelus fuit post homines natos atrocius, nullum dirius, nullum pestilentius. simul enim omnem vitæ statum perturbat; & Deo scelerum omnium caussas assignat. Et admiramur fuisse aliquem, tanta stupiditate, atq. feritate præditum, qui Deum esse negaret, omnemq. vim Diuinam impia oratione cõuelleret. At, quanto impurior Lutherus, qui Deum fingit, non modo natura maleficum, & iniustum; sed immanem etiam, atque truculentum, pœnas de sceleribus, quorũ ipse molitor, & effector fuit, ex aliis, qui nihil omnino commisere, nimis crudeliter exigentẽ. Multo enim tolerabilius est, Deum non putare, quã iniquitati, & sceleri affinem putare. Si igitur summum illum Dominum, omnia potestate, & numine suo continentem, colendum omni religione, & sanctitate censemus; si rectissima, atque sanctissima illius iudicia metuimus; si omnem sceleris, & impietatis contagionem exsecramur; si pestem a nobis auertere; si cladem arcere; si sempiternum exitium vitare cupimus: est omnis impuri hominis amentia repellenda, oratio illius detestanda, scelerisq. illius contagio summopere vitanda: ne mentes nostras veneno mortifero pestilentissimi erroris inficiat; aut aliqua certe leuissima flagitij nota commaculet: idq. statuendum, quod est Dei maiestati decorum, quod illius iustitiæ, & æquitati consentaneum, quod etiam cum eiusdem sapientia congruens, & benignitati illius accommodatum, quod denique omnes Dei leges, & instituta, omniaq. oracula summa consensione testificantur: nempe, liberum esse nobis omnibus, vel opera pia, atq. sancta moliri; vel flagitium, & impuritatem suscipere; tætrisq. criminibus alligari.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER NONVS.



Emeritatem, & impudentiam eorum, qni libertatem humanæ voluntatis oppugnāt, iam satis conuictam arbitror. Sed occurritur nobis a qnibusdam Prędestinationis nomine: in cuius explicatione, non tantum aduersarij, sed multi etiam ex nostris nobis molesti interdum sunt. Statuunt enim, esse iam ab æterno tempore definitum, vt alij perpetuo crucientur; alij vero ad immortalem, atque beatam vitam deducantur. Cum autem decreta Diuina non possint ullis rationibus immutari; esse iam ratum, & fixum id, quod est cuilibet euenturum. Neque enim potest veritas sempiterna in falsum conuerti; neque Diuina sapientia rebus vllis incidentibus variari. Esse igitur iam cuilibet id necessario perferendum, quod est ex æternitate præfinitum. In quo quidem non video, cur non sanctorum fere omnium uestigia sequar, qui de hac quæstione copiosissime disputauerunt. Vt enim a Clemente, & Origene, & Eusebio, ad Hieronymum vsque perueniās; aut, vt verius dicam, ab Apostolorum temporibus ad Augustinum vsque, seriem hominū clarissimorum oratione recenseas: omnes videbis in hac sententia fuisse, Deum ab æterno tempore, secundum quod nouerat euenturum id, quod erat in hominum potestate relinquendum, ita de singulis hominum personis statuisse. Verbi gratia, præuidit Iudam esse Chistum proditurū: & iccirco Iudam multo ante, quam nasceretur, improbauit, & exitio sempiterno destinauit. Similiter prospexit in Petro fidem: ob quam illi misericordiam tribuere a tempore sempiterno constituit. In hac eadem sententia fuit Augustinus, vt illius scripta declarant: sed aliquando tandem a reliquis omnibus, atque a seipso discessit. Cum enim esset illi cum Pelagio acre certamen institutū, qui hominum meritis tantum tribuebat, vt vix vllum gratiæ Diuinæ locum relinqueret; veritus est, ne, si fateretur, prænotionem rerum futurarum iudiciis Diuinis caussam attulisse, cogeretur fateri, præuisa merita caussam Diuinæ clementiæ dedisse. Vt igitur id vitaret incommodum, hæc inuertit, vt diceret, non quia fidelis erat futurus Petrus, electum fuisse; sed ideo fidelem fuisse, quia fuit electus. Vnde sequitur, Iudam verbi gratia non ex æterno tempore improbatum fuisse, quod erat Christum nefarie proditurus; sed ideo Christum prodidisse, quia decreto Diuino fuerat improbarus. Cum autē multi post illum nefas esse ducerent, a viro sanctissimo, atque doctissimo dissentire; neque tam rationum momenta ponderarent, quam auctoritatem sequerentur; neque, quid alij viri non minori doctrina, & auctoritate præditi dixissent, acute animaduerterent; effectum tandem est, vt nulla sit in scholis sententia, neque maiore contentione, neque minore rationum præsidio defensa. In eo igitur perseuerant, vt dicant; quia Iudas improbatus fuit, ideo nefarium fuisse; non contra, quia nefarius erat futurus, antea improbatum fuisse. Si quæras, cur fuerit improbatus, non aliud dicunt, quam id, quod ab aduersariis etiam dicitur; nullā Diuinæ voluntatis caussam esse. Callide quidem, & nimis acute. Dum enim leuem plagam repellunt, grauissimum vulnus accipiunt; &, dum suburbana tuguria defendunt, in arcem hostes admittunt. In eas enim difficultates delabuntur, vt eam necessitatem, quam negant, esse confirment inuiti. Non vident enim humani arbitrij libertatem tolli funditus, si in ea sententia persistant. Nam, si Iudas non propter suum scelus fuit improbatus; sed, quia improbatus ante fuit, ideo sceleratus exstitit: scelus, & exitium Iudæ non ex ipso, sed ex Diuina voluntate fluxit. nec enim Iudas id vitare potuit, quod erat iam Diuina voluntate definitum. ergo in fraudem illam necessario incidit. Vt igitur omnia circumspicias, nullam rationem reperies, qua possis vllo modo voluntatis humanæ libertatē tueri. In quo quidem valde admirandum est, quid illis in mentem venerit vereri, ne cum Pelagio facerent, si cum Basilio, vel Ambrosio, vel Hieronymo, vel Chrysostomo, vel aliis viris sanctissimis, atque doctrinæ gloria præstantibus, idem sensissent. Num ex eorum sententiis efficitur, hominum meritis esse Dei gratiam tributam? nullo modo. nec enim dicunt, Deum aliquid in hominibus prouidisse, propter quod vllis eorum meritis, aut vllo iuris præscripto cogeretur, eos in gratiam suam recipere. tunc enim gratia non esset gratia. Aliquid tamen in Paulo prouidit, quod in multis aliis minime futurum prouidit. quod, vel aduersario teste, conuincam. Quid enim? non ne fateris, inexplicabili iudicio Paulum electum fuisse, pharisæos

autem

autem reliquos improbatos? At, in iudicio ratio subsit, opus est:& elect ionis nomen aliquid esse in re selecta declarat, propter quod electa sit. Vt igitur id nō possim explicare, quid Deus in eligendo Paulo secutus sit; id tamen possum asserere, aliquid in Paulo præsensisse, quod in multis aliis non pręsensit;& ideo Paulo clementer ignouit;reliquos autem Pauli dissimiles iustissimo iudicio peruertit. Vt tamen aliquam rationem assignemus, statuendum in primis est, omnes improbos iusto iudicio damnandos. Iustum autem iudicium tum de vnoquoque fit, cum id, quod est ab improbo libere susceptum, iustitiæ ponderibus examinatur; nō cum illius crimen aliunde fluxisse perhibetur. Non igitur propter id, quod Deus hominem destinauit; sed quia homo scelera exitio digna conflauit, iudicio capitis arcessitur. Nam, quæso, cum extremo tempore Christus contra impios sententiā proferet, vtrum ne censes, illos propter impietatis scelus esse damnandos? an propter iudicis sententiam scelere impietatis alligandos? Non puto, te adeo amentem esse, vt statuas, non scelus commissum damnationis caussam allaturū; sed potius ipsam sententiam scelus, quod nullum ante damnationem fuerat, effecturam. scelus igitur antegressum est, iudiciū deinde consecutum. Quod igitur de extremo iudicio statuis, idem de primo illo, atque sempiterno iudicio est tibi necessario concedēdum. apud Deum enim nihil inter præteritum, atque futurum interest; cum illi omnia præsentia sint, æuiq. totius ęternitatem sit infinita mente complexus. Prius igitur vidit, impurum hominem obstinato animo in flagitio permansurum, atque clementiam illius omnino repudiaturum; quam illum decreto suo improbaret. aliter enim in hominis iudicio, non de homine, sed de voluntate propria iudicaret. Quod si fieret, iniquitas in illius iudicio versaretur. Ergo futuri criminis pręnotio iudicium illud Dei antecessit, quo sceleratos, antequam geniti essent, improbauit, atque sempiterno exitio deuouit: antecessit, inquam, non tempore, sed caussa, vt ita dicam, & ratione. Quia igitur erant contumaciter scelus amplexuri, atque aures vocibus Diuinis vsque ad extremum spiritum occlusuri; ideo fuerunt anticipato Dei iudicio damnati. Quamuis enim eorum peccatum ad futurum tempus pertineret; tamen, quasi iam esset opere transactum, semper ad Dei iudicium reuocari potuit. Quia igitur, vt vno verbo dicam, erant infideles futuri, & Dei clementiam aspernaturi; ideo fuerunt ad sempiternum supplicium reseruati; non tamen e contrario. Iuste igitur Diuino iudicio improbati sunt. nouerat enim Diuina mens, fore, vt hi mallent sempiternis tenebris sepeliri, quam intra mentem suam Diuinum lumen admittere. Quod si fuerit nobis firme constitutum, iam licebit intueri rationem, cur Deus aliquem ad gloriam, antequam aliquid, vt Paulus inquit, vel boni, vel mali, possit efficere, clementissime destinarit. Prænouit enim, eos non semper perfidiā suam, tamquam molem aliquam, oppositūros; sed tandem a se impedimenta omnia repulsuros, vt, ita, luce diffusa, quid sequendum esset, perspicue cernerent; atque, oblata ope confirmati, ad sempiternum decus adspirarent. Quia igitur futurum erat, vt non opem, atque gratiam Diuinam ad extremum vsque repellerent, & Diuinam clementiam aspernarentur; ideo fuerunt a Deo digni reputati, in quos opes benignitatis suæ cōgereret. omnibus enim immensa illa benignitas consultum esse vult. Sed, cum neminem rationis participem cogat, sed tantum admoneat, & inuitet; euenit, vt aliis benignitatem suam tribuat, iis nempe, qui eam nō aspernantur; ab aliis vero eam remoueat, qui videlicet eam a se sponte sua reiiciūt. Vt enim, cum Sol omnia, quæ sunt aperta, clarissima luce collustrat, liberum est cuilibet, vel radios illius intra ædes suas admittere; vel, fenestris clausis, & omnibus rimis diligenter obstructis, tenebris immergi; ita, cum Diuinus spiritus lumen illud gratiæ suæ diffundit, omnesq. mortales ad salutem vocat, est in vniuscuiusque potestate, vel lumen illud mente recipere; vel, obiectis perfidiæ molibus, omnes mentis aditus, ne ad se lumen illud perueniat, obturare. Qui igitur Diuinis monitis assentitur, seq. illis audientem præbet; is est Diuinæ clementiæ particeps, illiusq. radiis illustratur: qui vero ea contumaciter repudiat, quod etiam est in cuiuslibet potestate situm, is iuste damnatur. Cum autem vtrūq. sit ab infinito tēpore prouisum, nō sine caussa alij sunt ad beatitudinē, alij autē ad miseriam designati. Vrgent tamen quidam, & nihil remittunt. id enim ipsum, quod asserimus, nempe esse cuiuis liberum, vel Diuinis monitis assentiri, vel non assentiri, nō homini, sed Deo tantum esse tribuendum. Verbi gratia, si positū fuerit eodem spiritus appulsu fuisse Iudam vocatū, quo Petrus; tum, quod Petrus se spiritu duci permiserit, Iudas autem spiritui restiterit, id a Deo tantum esse. Itaque distinctionem miram adhibent. asserunt enim, aliis quidem auxilium a Deo sufficiens illud quidē, sed minime efficax afferri, alios autem efficaciter adiuuari. Ea igitur de caussa fieri, vt electi quidem, Diuino impulsu commori, pietatem colant, improbari vero in impietate persistant. Quamuis enim improbi sufficiens auxilium habuerint; ita, vt, si vellent, absque vllo dubio seruarentur; tamen vim illam efficacem auxilio Diuino defuisse; quæ si affuisset, plane Diuinæ vocationi assentirentur, atq. ita iustitiam obtinerent. Vocari igitur illos ad salutem, non negat: sed, efficaciter vocari, id plane negant. Itaque concludunt, hoc totum, quod quidam Deo assentiatur, alius vero minime assentiatur, a Deo effici; qui alium voluit efficaci ope stabilire, alium vero ope illa efficaci destituit. Quo quid dici potest absurdius? Primum enim, si

non

non possum assentiri Deo, nisi Deus ipse, vt assentiar, efficiat; tota mihi ad eligendnm libertas eripitur. aut enim hoc mihi liberum est, aut nihil omnino est. Deinde, quid appellent sufficiens auxilium, non prorsus intelligunt. nam si, quod vnus Diuinæ vocationi assentiatur, alius non assentiatur, hoc nullo modo ex cuiusque electione pronenit, sed a Deo tantum, qui efficit, vt hic vellet assentiri, alius vero nollet; fateantur, necesse est, neminem assentiri posse, animumq. ad obedientiam indncere, nisi Deus illius voluntatem omnino impellat, atque obedire cogat. Ergo, nisi mens mea ad assentiendum efficaciter fuerit impulsa, auxilium mihi allatum sufficiens non erit. Ridicule igitur appellant anxilium sufficiens id, quo iuuari nullo modo possum. Si velis, inquiunt, iuuabit. Quid refert? velle enim non possum, nisi Deus, vt velim, efficiat. Si igitur non facit, vt velim, cum ego sine ope illius velle non possim, auxilium illud nullo modo sufficiens est. Quorsum igitur attinet, a Deo vocari, qui Denm nō potest audire sine illius ope, eademq. omnino ope destituitur? Hoc enim non esset miseros homines ad salutem vocare, sed eorum miseriis illudere. Quod si ita est, cur non Lutherum sequimur, libertatem humanæ voluntatis funditus euertentem? cur non Caluinum audimus, discrimen illud inter necessitatem, & coactionem inaniter afferentem? Qui enim nobis, Deo assentiendi, vel non assentiendi, libertatem tollit; libertatem omnino tollit, voluntatemq. ipsam artissimis vinculis adstringit. Qui rursus Dei auxilium sufficiens, minime tamen efficax inducunt; nos necessario peccare, non tamen ad peccandum cogi, quia non inuiti peccamus, affirmant. fateantur enim, necesse est, nos quidem posse, si velimus, officium tueri; non posse tamen velle vllo modo, nisi Deus efficaci, vt dicunt, ope ad volendum impellat. Quod cum non facit, efficitur, vt necessario peccent, qui peccant: quamuis non inuiti peccent, quia nō possunt velle pietatis officio perfungi, eo quod efficaci ope deseruntur. Inconsiderate igitur homines minime mali ea dicunt, quibus positis, atque constitutis, hostium impietas, atq. perfidia confirmatur. Neque tamen illam vocationem, qua improbi, atque in scelere obstinati a Deo vocantur, efficacem dicimus; sed per impios stetisse dicimus, quo minus efficax esset. Certe enim potuissent velle, potuissent assentiri, potuissent animum ad obediendum inducere. quod si fecissent, iustitiæ Diuinæ, absque vllo dubio, compotes exstitissent. At Deus est, qui dat velle, & perficere, vt Paulus affirmat. Opι imeˑ, nisi enim me spiritu suo impιιlsset, nisi mentem meam crebris consiliis, & monitis incitasset, numqnam ego quidqnam præclari volnissem. is tamen benignitatis suæ munera non contumacibus, & obstinatis elargitur. Fecit igitur, vt vellem, qui, si mihi non opes suas clementer obtulisset, non potuissem earum desiderio teneri; & tamen liberum, & integrum mihi reliquit, vel illius benignitatē grata voluntate prosequi, vel contumaciter aspernari. Ergo, inqnies, licet nostram salutem nobis ipsis adscribere. Minime, inquam, licet. neque enim salutis nostræ caussa fuit in nobis, sed in Diuina clementia, quæ, nullis nostris meritis, nos, infinitis morbis oppressos, maximisq. difficultatibus impeditos, repente sanauit. Multum enim interest, vtrum aliquid eiusmodi sit, quod vi sua quidquam efficiat; an eiusmodi, cū quo aliquid effici necesse sit. Deus autem solus efficit salutem nostram; eam tamē non absque nostræ voluntatis inductione vmquam efficiet. Caussa autem proprie in eo tantum, qui efficit; non in eo, sine quo opus commode fieri non potest, ponenda est. Neq. periculum est, ne statim Diuinum iustitiæ beneficium meritis humanis assignemns. Primum quidem, fides illa, atque voluntatis inductio, maxima ex parte ad Dei munus, atque beneficium reuocanda est. Deinde, nihil ex se meretur illa fides, nisi secundum Dei clementiam, & benignitatem, quæ illā reputat ad iustitiam; non quod fides per se iustitiæ præmio digna sit, sed quia magnificētissimus ille rerum omnium Dominus, qui non secundum debitnm, sed secundum gratiam, fidem remunetat, fidē, quasi dignam iustitia, in gratiam recipit, eamq. iustitiæ cultu confestim exornat. Non igitur dicendum, vt quidam olim asserebant, primam fidei inchoationem a nobis esse; stabilitatem vero, & incrementum esse ad Dei benignitatem referendum: siquidem omne fidei principium fuit Diuinis vocibus excitatum. fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Nec dicendum rursus cum aliis, fidem a Deo sumi, illius vero firmitatem, & amplificationem studio, & industria nostra contineri. Deus enim est, cnius ope, & benignitate fidem, & officium tuemur; & fidei muneribus, atque beneficiis augemur; ita, vt, neque qui plantat, sit aliquid; neq. qui rigat; sed qui incrementum dat, Dens. Is igitur est, qui fidem non tantum a principio excitat; sed excitatam tnetur, & amplificat. Hoc tamen dicimus, neque fidei initium, neq. progressionem, in nobis absq. libeto consensn voluntatis effici, aut effectum stabiliri. Possumus enim semper, vbi velimus, omnem Dei opem aspernari. Qnod cum non facimus, cum opem a Deo oblatam grata volūtate prosequimur; nullo modo ea fide Deum nobis adstringimus, vt ea ratione dicamus, meritis nostris fuisse illius beneficia tributa. Neq. ipsa fides sibi quidquam assumit, neque se ipsa nititur, atque confidit, (sic enim fides non esset, sed temeritas, & confidentia nominanda) sed omnia in Dei bonitate ponit; illius ope, & gratia nititur; in illius mentem respicit; illius fidncia concitatur; atque Dinino spiritu, tamqnam alis, subnixa, in cælum euolat. Itaqne initinm fidei, atque progressio illius, & amplitndo,

cum

cum tota sit Diuina gratia, & ope firmata; Deũ non adstringit ipsa per se; quin potius, ipsa Diuinæ gratiæ est omnibus modis alligata. Fingamus enim cogitatione, hominem quendam in latrones incidisse, a quibus spoliatus, atque vulneribus concisus ita sit, vt vitam omnino desperet. Interueniat autem casu aliquis, Medicinæ gloria præstans, qui remedijs salutaribus facile queat hominem saucium, & animam iam propemodum efflantem, in pristinam sanitatem restituere; nihilq. aliud ab illo requirat, quam vt se curari permittat; multisq. argumentis auctoritatem suam constituat; atque doceat, omnem spem recuperandæ sanitatis, in illa arte, quam se tenere profitetur, esse reponendam. Id si ægroto persuaserit, atque confestim ei salutare remedium adhibeat; quo tandem beneficio Medicus ei adstrictus est, qui sanari voluit? Nullo certe. immo, qui fuit illius ope in sanitatem restitutus, illi vitam debet; eritque sceleratissimus iudicandus, si in optimum Medicum ingratus extiterit. Quid, si Princeps ditissimus hominem inopem, & egentem opibus suis locupletare studeat? num dicemus, Principem illum esse homini illi obligatum, quod opes, quibus indigebat, minime aspernatus sit? Minime certe. quin potius egens homo omnia vitæ studia illi debet, cuius opibus indigentiam suam subleuatam cernit. Ergo, cum in nobis liberam assentiendi facultatem relictam dicimus, non continuo gloriam gratiæ Diuinæ præripimus: siquidem omnes opes, atque facultates, omnia bona, quibus affluimus, Deo nos ad salutem absque vllis nostris meritis clementissime vocanti, lucemq. suam porrigenti, & auxilium pollicenti, & magnificentissime conferenti, accepta referimus. Itaque in nostra salute clementiam illius, non studium nostrum extollimus; in impiorum interitu non iudici iniquitatem affingimus, sed sanctissimi iudicij sanctitatem celebramus. Quid enim iustius, quam homines, qui præ libidine salutem suam prodidere, Deum contempsere, aures suas vocibus illius occlusere, & cum benignitate summi illius Domini vsque ad extremum certauere; tanti sceleris, atque tantæ contumaciæ pœnas expendere? Ergo hæc futura impiorum hominum in scelere pertinacia, omnibus ante sæculis a Deo prouisa, fecit, vt Deus eos iustissime multo ante, quam nascerentur, improbaret. Contra vero, huius impedimenti remotio Dei clementiam allexit, vt eos, qui non erant perpetuo contra illius gratiam, & benignitatem obstinatis animis pugnaturi, clementer eligeret. Non igitur dicimus Deum nobis aliquo iuris nexu obligatum fuisse. quis enim dedit ei prior, & retribuetur ei? quibus igitur salutem confert, clementissime confert. Hoc tamen dicimus, posse nos nobis ipsis deesse, posse inuitantis liberalitatem aspernari, posse vel oblatam gratiam repudiare, vel iam acquisitam abijcere. quocirca Paulus, ad Hebræos scribens, admonet, ne desint ipsi gratiæ Dei. Vtrum autem horum facturi simus, fuit a Deo ab æterno tempore prouisum. id igitur eum impulit, vt alios a principio beatos, alios miseros esse vellet; neque ea Diuinæ mentis prouisio, consilijs humanis vllã necessitatem affert. Vt enim, cũ video hominem amentia præcipitem in exitium spõte sua ferri; non ideo furit ille, quia furentem illum cerno; sed ideo cerno furentem, quia ante oculos meos furit; ita, cum Deus hominem omnibus ante sæculis peccaturum nouit, non ideo peccat homo, quia fuit peccatum illius a Deo præuisum; sed ideo præuidit Deus peccatum illius, quia is homo erat peccaturus. Quod si dicas cum Caluino, Deum futura præuidere non posse, nisi quæ fuerint ab illo designata; ita, vt, si peccata prænouit, sit asserendum, peccata illius consilio designata fuisse; non solum Deum iniquum facis, verum etiam Diuinitate spolias. Nihil enim tam videtur esse diuinum, quam futura prænoscere. Vnde scriptum est apud Isaiam; Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum; & sciemus, quod Dij estis vos. Ea autem, quæ caussis necessarijs continentur, non tam futura, quam præsentia sunt. quocirca Astrologi, cum defectus Solis, atque Lunæ multo ante prædicunt, non diuinant. Si igitur, Deum nihil aliud præuidere, quam quod ipsius immutabili decreto continetur, asseris; Deo nihilo plus tribuis, quam Astrologis: quo quid dici potest amentius? Quod si non intelligis, quo modo Deus immensa, & infinita sapientia, omnia, quæ sunt euentura, siue illa sint vi illius efficienda, siue benignitate illius toleranda, atque rursus ad consilij sui ordinem reuocanda, præsentiat: mirum non est, quando neque illius naturam potes mente cõprehendere, neque, quanta sit illius maiestas, quanta vis, atque prouidentia, suspicari. Sunt tamen, qui nimis imperite rationem hanc totã exagitent. Hinc enim sequi dicunt, vt Dei præscientia a rebus pendeat. Quid hic Pendere appellent, nescio. Num vim illam intelligendi, atque omnia prouidendi, a rebus futuris sumi? nemo tam excors est, qui illud secum statuat. Siquidem ne nos quidem ipsi, cum insitam intelligentiam in res aliquas oblatas intendimus, eam vim ab ipsis rebus sumimus; sed illam intelligentiam, quam habemus, in earum rerum explicatione exercemus. Sic Diuinam præscientiam dicimus, non a rebus futuris sumi; sed in ea tantum, quæ futura sunt, intendi; ita, vt, si futura non sint, nullo modo ea futura prouideat. quemadmodum neque quidquam iudicaret, nisi aliquid esset iudicio illius examinandum; neque aliquid denique prouideret, nisi futurum esset aliquid prouidentia illius dirigendum. Si hoc pendere velint aliunde appellant; appellent sane, quo velint nomine: dummodo intelligant, nihil absurdi in hac

sententia contineri. Fatemur enim, Deum futura non præuidere, nisi quia futura sint. Ergo, inquies, id non potest non euenire: necessario igitur eueniet. secus enim veritas illa sempiterna posset in falsum conuerti. Vidit verbi gratia Deus Iudam peccaturum: peccabit igitur Iudas necessario. pugnant enim hæc inter se, Prænouit Deus Iudam peccaturum, & Iudas non necessario peccabit. Si enim libere peccabit, erit igitur in illo non peccare. ponamus igitur non peccate, cum vtrumuis illi liberum sit. Si igitur non peccauerit, falli poterit Diuina præscientia. Quod si fieri non potest, vt aliquid Deum fallat; eueniat opus est omnino, quod Deus futurum esse præsensit. Itaque efficitur, omnia necessario euenire. Hæc qui sic colligunt, minime vident se contra Dialecticam disciplinam argumentari. Sic enim traditur, sublato eo, quod consequens est, tolli etiam, quod antecedit. In reciprocis igitur enuntiationibus, cum alteram altera mutuo consequatur, vna perempta, & alteram perimi, atque tolli necesse est. Veluti, hominem esse, & rationis esse participē, reciproca sunt. mutuo enim se consequuntur. Si enim homo est, rationis particeps est. Si igitur e contrario, rationis particeps non est, homo certe non est. Cum igitur, Iudam peccaturum, & Deum id peccatum ex æternitate omni prouidisse, sint reciproca, (si enim Iudas peccaturus erat, id peccatum fuit ante præuisum; &, si fuit præuisum, erat peccaturus) efficitur, vt, si peccaturus non fuit, nec ante a Deo peccatum illius præuisum fuerit. Si libere, inquis, peccauit Iudas, potuit non peccare? Recte sane. Ponamus non peccare? vt lubet, inquam, dummodo etiam id ponas, quod consequens necessario est: nempe, Deum minime eum peccaturum prouidisse. At, inquit, iam inter nos erat constitutum, Deum id præuidisse? Erat quidem: sed ita, si ille esset peccaturus. Sunt enim hæc connexa, & ita copulata, vt seiungi nequeant. nempe, quod futurum est, esse prouisum; &, quod prouisum ante fuit, esse futurum: ita tamen, (quemadmodum ante disputauimus) vt illa prouisio non necessitatem inferat; sed, quorsum res casura sit, necessario prænoscat. Quoties igitur aliquid futurum negas; toties id, quod est consequens, negare necesse est: nempe, id ipsum fuisse ante a Deo cognitum, nempe minime futurum. Quod igitur tibi dabam, nempe, Deum id ante cognouisse; ea lege dabā, vt tu etiam mihi concederes, fore, vt Iudas, cum vtrumq. in illius potestate fuisset, mallet tamen officium prodere, quam debitā fidem tueri. Cū igitur statuis, Iudam maluisse permanere in fide; statuas etiam opus est, non in illo perfidiam, sed fidem fuisse præcognitā. Quod autem Dei præscientia, decretum illius sempiternū natura, atq. ratione semper antecedat, ita, vt neq. ante approbet, neque improbet quemquam vllo modo, quam aliquid in iis, de quibus statuit, ante prospiciat; non tantum sanctorum hominum auctoritate, sed sacrarum etiam litterarū testimonio cōfirmari potest. Paulus enim, Quos præsciuit, inquit, & prædestinauit. Vides, quo modo præscientiam anteire, consequi autem prædestinationem demonstret? In eadem vero Epistola ait: Vt secūdum electionem Dei, propositum maneat, non ex operibus; sed ex vocante; dictum est ipsi, quod maior seruiat minori. Loquitur autem de Rebecca, quæ geminos filios aluo continebat. Hic etiam electionem ostendit propositum, hoc est, anticipatum illud Dei iudicium, quo aliquem destinat ad æternam gloriam, semper antegredi. Licet enim doceat, non meritis hominum gratiā Dei conciliari, (non enim, quod electi aliquid in vita præclari gessissent, fuerunt in gratiam Dei recepti; sed, postquam recepti fuerunt, tunc multa præclara gesserunt) licet igitur doceat omnia debere gratiæ Diuinę tribui; ostendit tamen, Deum elegisse, in quos gratię suæ opes conferret. Ea autem ratione interdum fidelium nationem electionem appellat, Rom. 11. quod sint a communi hominum multitudinē selecti: Quod, inquit ille, quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem est consecuta. Vnde etiam passim omnes sanctos appellat Electos. Qui electos esse dicit, aliquid profecto in illis fuisse statuit, quod in improbis non fuerit, ob quod facti sunt clementiæ Diuinæ participes. Electio enim rei alicuius, absque aliquo discriminis in re ipsa consistentis iudicio constare non potest. Quid autem Deus in eligendis hominibus secutus sit, idem Paulus aperit, dicens: Quid dicemus? quod gentes, Rom. 9. quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide est. Israel vero, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis. Quo in loco plane videmus, Deum in hominibus eligendis fidem præuidisse; in sceleratis autem perfidiā, & arrogantiam, contumacisq. animi peruicaciam. Petrus item, cum in principio Epistolæ 1.Pet. 1. suæ salutem adscribit fidelibus, eos Electos esse dicit, secundum Dei præscientiam. In quo plane demonstrat, Dei prænotionem, ipsius præfinitionem, aut (vt iam trito more loquamur) prædestinationem, anteire. Ideo enim decreto suo aliquid de hominibus, qui nondum nati sunt, ante definit; quia, quid ab illis gerendum sit; ante cognoscit. Sed, quid aliorum testimonia conquirimus, cum huius sententiæ auctorem ipsum Dei filium habeamus? Numquid id obscure pronuntiat? numquid inuolucris, & ambagibus, obscuritatem rebus clarissimis affert aliquādo; & non potius apertissime, quid de hoc statuendum esset, exponit? Cum enim in suorum conspectum futuri iudicij rationem constituit; futurum ait, vt Matth. 25. mittat electos in sempiterni Regni possessionē, quod paratum est, inquit, vobis a constitutione mundi.

mundi. Per constitutionem mundi, non tam mundi huius nascentis exordium, quam ipsius designatio, mente Diuina concepta, intelligenda est. quæ cum sempiterna sit, nihil aliud est, esse regnum alicui a constitutione mundi paratum, quam a sempiterno tempore constitutum. Sed rationem, cur Deus ab æterno tempore quosdam elegerit, & ad regnum immortale destinarit, consequens est, vt ab eodẽ summo iudice attentissimis mentibus, & auribus Math. ibid. audiamus. Esuriui enim, inquit ille, & dedistis mihi cibum; sitiui, & dedistis mihi potum; hospes eram, & hospitio excepistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; carcere inclusus, & venistis ad me. Quia ergo Pater vidit fore, vt hi Christum fide conciperent, eaq. fide tandem vehementius incitati, omnia benignitatis officia, cum in omnes homines, tũ vel maxime in Christi fratres, atque membra, conferrent; ideo a sempiterno tempore regnũ illis sempiternum, atque florentissimum, designauit. sequitur autem: Tunc dicet iis, qui a Ibidem. sinistris eius erunt; Discedite, maledicti, in ignẽ æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Hic similiter videmus, esse iniustis supplicia æterno Dei consilio definita. Si rationem exquiris, eam adducit, quod fuerint in eum inclemẽtes, & inhumani; quod nullum illius nomine in miseros, & afflictos officium benignitatis, & clementiæ contulerint. Mentis igitur impiæ rebellio, duri, & contumacis animi peruicacia, cum Diuina lege pugnans, & eminens inde crudelitas, & immanitas, Diuina mente præcognita, fuit in caussa, cur iam ab æterno tẽpore Deus eos sempiterno exitio deuouerit. Quid igitur? num grauiorem aliquem auctorẽ desideras? audis Diuinæ vocis oraculum: audis veritatis ipsius sempiternæ testimonium: audis ipsum Dei filium, iudicij sui rationem suis discipulis aperientem: & tamen, hac disciplina relicta, alias rationes exquires? alias caussas excogitabis? & ingenij tui acumen temere iactabis? in eosq. te laqueos indues, quibus expediri nullo modo possis? Cum igitur hæc sententia, non modo sit recta ratione, sanctorumque hominum testimonio munita; cum etiam sit non solum Apostolorum auctoritate comprobata, verum etiam Christi ipsius clarissima voce, atque sententia confirmata; ita tamen erimus imbecilli, vt, propter inanes quosdam Pelagij timores, & laruarum etiam formidines, illam tueri formidemus? Quid enim habet illa commune cũ Pelagij impietate? Num asserit, hominem absque Dei gratia posse vitam suam recte constituere? num in cælum posse quemquam absque Diuina ope conscendere? num Deum ad homines euocandos, clementissime subleuandos, aliquot hominum meritis adstringi potuisse? Minime quidem. Quid igitur? ne ab iis opinionibus, quæ quasi dictata redduntur, discedamus, Christi sententiam sequi non audebimus? & hominum conscientias curis tristissimis afficiemus? perplexisq. opinionibus, nullum exitum habentibus, multorum animos implicabimus? Quid enim magis possit mentem miseri hominis afflictare, non reperio; quam illa cura, quæ sæpenumero animos quorundam hominum peruagatur; dum cogitant, se se, si iam sunt exitio destinati, non posse id effugere; sed, velint, nolint, esse iam sibi subeundam pestem, æterna necessitate definitam: cum facile sit, hac communi sanctorum, atque adeo Christi sententia, posse quemlibet, si velit, sibi omnia de Diuina bonitate, & clementia, polliceri? omnes enim possumus, Dei ope præmuniti, vitare scelus, & pietatem omni mente colere, & sic beatis annumerari. Obiiciunt tamen quidam quæstiones innumerabiles: qualis illa est de Tyriis, & Sidoniis; qui quidem, teste Christo, si Diuina illius opera vidissent, vitæ flagitia multis lacrymis expiassent; item de pueris infantibus, qui sine lustratione e vita discedunt; de iis etiam, qui in extremis, atque vltimis gentibus positi sunt, ad quos numquam Euangelium penetrauit. hos om- Math. 11. nes disputant, non perfidia sua, neque enim Luc. 10. Euangelium fama, & auditione perceperunt; vt ea caussa dicamus eos interiisse, quod Euangelio restiterint; sed ideo tantum, quod fuerint a Deo improbati, periisse. Quibus omnibus vt breuiter satisfaciam, ita respondebo. Tanta ne estis confidentia, vt iam vobis omnia Diuina consilia comprehensa putetis? sic enim argumentamini, quasi sit necesse, si caussæ vllæ sint Diuinorum consiliorum, eas vobis cognitas esse. ex eo enim, quod vobis cognitæ non sunt, caussas subesse negatis. Nam, quid hoc aliud est? multi sunt, qui intereunt: huius interitus caussam non teneo: nulla igitur caussa est, cur intereant. est igitur eorum interitus ad æternum decretum absque vlla caussa referendus. Sed libenter audierim, vtrum ne sit æquius, ex illis Diuini iudicij caussis, quas mente comprehensas teneo, colligere ea etiam, quorum caussas non assequor, non sine caussa, & ratione constitui? an potius ex eo, quod aliquam Diuini iudicij rationem ignoro, eas etiam rationes, quas a Christo didici, vniuersas negare? Exempli gratia. Corruit turris Siloe, atque ruina sua sceleratos homi- Luc. 13. nes oppressit. Vt autem e Christo didicimus, turris illa non absque Dei consilio corruit. voluit enim Deus homines illos scelestos conterere, vt, illa sui iudicij significatione, reliquos simili scelere conuictos a flagitio reuocaret. Si modo corruat domus aliqua, quæ satis firma videatur, multosque mortales obruat; esset ne magis piæ rationi consentaneum, si alterutrum esset necesse, suspicari, has etiam ædes non absque Diuino iudicio corruisse, quamuis iudicij Diuini rationem non teneam? an ex hac mea inscitia colligere, contra Christi testimonium, neque illam quidem tur-

rim Siloe Diuino iudicio concidisse? Hoc enim perinde esset, atque si aliquis, ex eo, quod vim herbæ vnius ignoret, concludat, neque in aliis herbis aliquam vim ad morbos hominum pellendos inesse. Quo quid fingi potest stultius? inscitiam tu pro argumento sumas ad omnia, quæ sunt fortasse aliis comperta, omnino labefactanda? &, quasi esset necesse, si aliqua caussa subesset, eam tibi perceptam esse; ita omnia, quorum caussam non vides, temere, & importune negabis? isto enim modo naturam prope vniuersam conuelles. neque enim millesimam naturæ partem ex caussis intelligis. Ergo, si earum rerum, quas contrectas manibus, & oculis intueris, caussas ignoras; me coges, vt tibi omnium consiliorum Diuinorum caussas explanem? Ita egnim vrges, quasi sit mihi necesse confiteri, si rationem alicuius iudicij Diuini reddere nō possim, eorum etiam, quorum rationem didici, caussam nullam prorsus exstare. Vide, quantum inter tuam, & meam sententiam intersit. tu ex caussis, quas ignoras, eas etiam, quas nosse facillime potes, euertis. ego, contra, ex iis caussis, quas noui, ea etiam, quæ non intelligo, non sine caussa euenire confirmo. nihil enim Diuina sapientia molitur sine summo consilio, æquitate, ratione. Cum igitur aliquid a Deo geri perspicis, caussam indagato, si potes; si non potes, ab eo tamen nihil sine caussa fieri, tecum ipse constitue. Fateor igitur, me nescire, quod nescis; neque sum curiosus in Diuinis rebus temere perscrutandis. video, me certis finibus circumscriptum, quos trāsilire minime liceat. non eum sapientiæ gradum assecutus sum, vt cum Mose possim in montem Dei conscendere. Terret me vox illa Domini, extremo supplicio sancientis eorum audaciam, & temeritatem, qui iniussu illius ad verticem montis euadere nituntur. Hoc vnum tamen scio, nihil a Deo sine summa ratione fieri. Vt tamen aliquid dicam, Tyrij, & Sidonij non fuerunt ope Diuina destituti: potuissent enim naturæ operibus admoneri, & Diuinis vocibus animū interne pulsantibus ad pietatis studium incitari. Si igitur damnati sunt, merito damnati sunt. Diuino siquidem spiritui, qui eos ad se vocabat, obstitere. Certe, inquies, si Christus apud eos versaretur, ope firmiore stabiliti, a vitiis omnibus emersissent. Fateor equidem. cur igitur, inquis, eo tempore, quo gentes illi se adeo ad illius disciplinam dociles præbuissent, non apud eas potius, quam postea apud Iudæos, Diuinam virtutē suam operibus indicauit? Quia nondum maturum tempus aduenerat; & ratio Diuini consilij postulabat, vt magis vniuerso generi humano, quam paucis ciuitatibus, esset Christi aduentu consultum. Eo igitur tempore aduenit Christus, in quo genus hominum erat maioribus malis impeditum; &, quod magis opportunum fuit, ad vniuersum genus e Diaboli tyrannide liberandum. Nam de pueris primum dicam, ignorare me, an Diuina clementia valde his prospexerit, cum eos immatura, vt videbatur, morte de medio sustulit. Deinde, nullum eis supplicium, vt iam superius diximus, irrogari. Illorum item salutem, quibus Euangelium enuntiatum non est, desperādam non arbitror. Si enim crediderint Deum esse, & se inquirentes remunerari, & hac fide vitam omnem direxerint; certe maiore quodam lumine illustrabuntur, & ad gloriam Diuinam tandem Christi præsidio adspirabunt. Quo modo, inquies, absque Iesu nomine salutem poterunt adipisci? neq. enim est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Recte, omnes enim, qui a mundi primordio salutem adepti sunt, in quibus hi etiam enumerandi sunt, Christi meritis, atque virtute conseruati sunt, neque sine illius illustratione ad beatam vitam peruenere. At dices, si gentibus illis fuisset Christi mysterium aperte nūtiatum, floreret apud eos vera pietas, atque religio; multoq. plures ex illis seruarentur. Credibile quidem est: sed illam culpam tu in desidiam nostram potius, quam in aliam superiorem caussam, conferto. Deinde statue, illos non esse Diuino auxilio penitus orbatos; ita, vt, si velint, (velle autem eis liberum est) iustitiam tandem fide obtinere non possint. Postremo, cum maturitas temporis Dei consilio definita appropinquauerit; erit tunc fortasse melius vniuersæ genti consultum, quod nunc iam fieri videmus. Cernimus enim, Aethiopiam, Indiam vniuersam, Sinarum oras extremas, innumerabilesq. alias nationes ad Christum studium inflammato confluere, omnesq. regiones Crucis insignibus illustrari. Hæc cum dico, non mihi videor oracula fundere, neq. de Christi sententia omnia pronūtiare. quare omnes meos sensus Ecclesiæ submitto, quæ est firmamentum, atque columna veritatis. Vt tamen hæc non sint, illud certe, quod Christus ipse me docuit, ad extremum tenebo: nempe, liberum esse mihi, dedecus vitare, præclara moliri, honestatem amplecti, studio pietatis, & religionis inflammari. Neque, si omnia non assequor, continuo sequitur, Deum absque vlla caussa, nisi tantum, quia libuit, aliquem perdere statuisse. Id enim de Deo suspicari, est impium facinus, & vehementer exsecrandum. Fieri quidē necesse est, vt multa in posterū spectet Diuina sapientia, quare sic potius, quam alio modo, res ipsas moderari statuat; quæ tamen ingenio consequi minime valeamus. Fieri tamen non potest, vt aliquid is sine caussa constituat. neque enim habet vllum temeritas cum Diuina mente commercium. Quare perditorum hominum contagium penitus arceamus; & libertatem, quam Deus est nobis largitus, ita retineamus, vt nulla vmquam impia vox, & oratio, nos ab eiusdem possessione depellat. Longius fortasse elatus sum in hac quæstione explicanda, quam muneris

ris

ris instituti ratio postulabat. Sed, cum iustitiæ colendæ facilitatem explanare voluissem, omnia impedimenta, quæ mihi vel ab aduersariis impie, vel a nostris imperite apponebantur, repellenda putaui. Nunc restat, vt breuiter ostendam, quam prompta, & expedita sit iustitiæ disciplina : nec solum esse in nobis, quod plane demonstratum arbitror, flagitia omnia vitare, libidinisq. ipsius impetum recta ratione comprimere; verum etiã iustitiæ splendorem, & dignitatem facillime tueri. Immanis est, & fera cupiditas : multum valet ad conturbandos animos iracundiæ furor: voluptatis autem blanditiæ, mirum, quantum possunt ad mentis aciem obscurandam: doloris vero faces, totum animi statum exscindunt. infinita sunt vndique pericula miseris hominibus intenta : hominis autem natura est fragilis, & imbecilla, leuiq. statu in varias partes iactata, minimis etiam malorum fluctibus frequenter obruitur. Quo modo igitur, inquies, in tanta virium humanarum imbecillitate, contra tantas, & tam immanes opes, poterimus Diuinum iustitiæ statum adipisci, aut partum perpetuo retinere? si vires tuas consideres, nullo modo: sed, si Diuinas opes, quæ, si velis, tibi semper aderunt, animo complectare, nihil erit facilius. Pone me, inquit ille, iuxta te; & cuiusuis manus pugnet contra me. Sit quantumuis immanis, & fera libido; sint hostes crudeles, & importuni, maximisq. exercitibus constipati; bella vndique contra nos furibundi homines, atque perditi moliantur; ipseq. inferorum manium Princeps omnes copias suas educat: quid tandem poterunt eis nocere, qui fuerint Diuino auxilio præmuniti? si dicas igitur, te non posse tuis viribus hostibus valentissimis obsistere, confitebor; si Diuinis, non solum negabo, sed te etiam impietatis simul, & amentiæ conuincam. Etenim, si Rex quidam maximus, cui ego subditus essem, mihi soli nudo, & inermi, præciperet, vt vrbem hostium munitissimã intra paucos dies expugnarem; is certe furiosus esset habendus, cum id mihi præcepisset, quod exsequi nullo modo possem. Sed, si is mihi machinas, tormenta, commeatum, vim, exercitum, copias assignasset, easq. mihi opes tribuisset, quibus non vnam modo vrbem, sed regna etiam, & imperia, & nationes vniuersas possem, si liberet, exscindere : id si exequi neglexissem, non ille amens, & iniquus vllo modo; sed ego ignauus, & improbus essem merito iudicandus. Ita, cum mihi Deus ea præcipiat, quæ meis, hoc est, naturæ tantum, opibus præstare non possum; isq. mihi robur inuictum, atq. Diuina præsidia pollicetur; fidemq. dat, se præsentem fore, atq. pro me certamen initurum; hosteşq. meos, si mihi deesse nolim, in fugam facile conuersurum : id si ego tantis opibus instructus facere recusem, non ille iniquus, quasi difficilia præscripserit; sed ego nefarius sum existimandus, quod Domini imperium contempserim. Hoc præceptum, inquit Moses, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cælo situm; vt dicas, Quis e nobis in cælum potest adscendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? neque vltra mare positum, vt dicas, Quis traiiciet mare, & illud ad nos vsque deferat, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Hoc, quod ait, præceptum, esse cordi infixum, iam non est legis ipsius lapidibus incisæ; sed fidei præcordiis insculptæ officium, & munus. Si enim fidem Diuinis promissis adhibemus, præsidium repente Diuinum consequimur, quo facillime omnia, quæ sunt nobis imperata, faciamus, atque ita salui simus. Si confitearis, inquit Paulus, ore tuo Dominum Iesum, & corde tuo credideris, quod Deus suscitauit illum a mortuis, saluus eris. Quo modo saluus? numquid alia est ad salutem via munita, quam quæ Diuina lege continetur? nulla prorsus. Fremant, quantum velint, homines petulantes, & improbi; atque clamoribus, etiam si lubet, disrumpantur. Nemo enim, nemo inquam, mentis, & orationis compos, salutem consequetur, nisi legem seruauerit : aut certe, quod idem valet, ad eam seruandam animo promptus, atque paratus exstiterit. Sed, quia nemo potest sine Dei præsidio nefariam cupiditatem, quæ Dei legi est inimica, repellere, atque Diuinis institutis obedire; præsidium vero Diuinum fide tantum consequimur; atque ita facillime præcepta legis obseruamus : ideo dicitur, nos fide saluos fieri. Fides enim facit, vt Dei legem in animo incisam habeamus, atque ita sempiternum salutis fœdus cum Domino faciamus. Ergo, cum habeamus Dei legem intimis animi sensibus inclusam; euenit, vt, compressa cupiditate, exstincta libidine, sublata contumacis animi prauitate, fiat repente animus ipse spiritus Diuini sacrarium, & omni mente in ipsius Diuinæ legis studium incitetur; atque, vt vno verbo dicam, iustitiæ Diuinæ magnificentiam, & decus comprehensam animo contineat. Quid enim aliud est iustitia, quam status animi ita lege Diuina constitutus, vt nihil insit in illo Dei moderationi contrarium? Fide igitur firmati, & stabiliti, promissum a Deo auxilium obtinemus, quo facillime Dei legem seruamus, atque ita salutem consequimur. Quocirca recte dicitur, fide tantum posse legem Diuinam impleri : non quod, inaniter credendo, nihilque honestũ, & præclarum, animo moliendo, possit ullo modo legi satisfieri; sed quia fide, promissi Diuini compotes, illiusque præsentis auxilij participes efficimur; atq. ita vires inuictas assequimur, qbus omnia legi

Deut. 30.

Rom. 10.

legi contraria repellamus, & inflammatis animis ad ipsius legis Diuinæ studium rapiamur. Si igitur crediderimus, vt Paulus ait, salui profecto erimus. Non enim cupiditatem, non libidinem, non flagitia infinita venerabimur; non animum diuersis, & inter se repugnantibus curis distractum geremus; sed vnum Deum intuebimur; illum amabimus; ad illius gloriam omnia nostra studia dirigemus; opibusque illius quotidie magis instructi, & inuictis præsidiis stipati, omnes hostium arces munitissimas expugnabimus. Eo namque amoris fœdere Deo coniuncti sumus, vt nullo pacto, quamdiu in fide permanemus, simus ab illo deserendi; sed potius cælestibus copiis perpetuo firmandi, atque sempiternis bonis mirifice locupletandi. Cum igitur in nobis iustitia sit, &, præter hoc amplissimum Dei munus, simus perpetua Dei custodia muniti, facile possumus hæc omnia munera in dies amplificata tueri, atque conseruare. Multo enim hæc magis in nostra potestate sunt, quæ in Dei benignitate sita sunt, quam si in nobis solum, atque in natura fuissent. Nos enim, cum simus amentes, & imbecilli, facile nostra bona profundimus; & semel amissa recuperare non possumus. At, quæ in Dei benignitate sunt posita, facile illius ope conseruamus; & elapsa de manibus, facile, benignitate illius, recuperamus. Vt enim patrimonium, sapientissimi patris industria gubernatum, multo securius est, quam si fuisset omnino in filij prodigi manibus, atque consilio relictum; (patris enim prudentia non modo retineri, sed etiam augeri potest; filij autem temeritate dissipari facillime, atque in libidine, & flagitio consumi necesse est) sic magis nostra ducenda sunt ea, quæ sunt in Dei benignitate constituta, quam si in nostra solum industria, & consilio posita fuissent. nos enim nobis deesse possumus; at Dei benignitas nobis, quoties fidem amplexabimur, deesse non poterit. Non enim tam communis est Solis claritas oculis animantium; non tam late patet aeris in omnes partes diffusi natura; non aqua, non ignis denique tam est omnium mortalium vsibus expositus, quam est gratia Diuina omnibus, qui illam adipisci, & conseruare voluerint, parata. cælum namque citius euanescet, quam posset gratiæ Diuinæ fructus fidei denegari, aut splendor illius, & dignitas aboleri. Si igitur, frui lumine Solis, est magis in nostra manu, quam iis opibus vti, quas aut a natura habemus, aut industria consecuti sumus; (illæ enim, aut morbo, aut aliqua vi nobis eripi possunt; Sol autem viuis eripi non potest) multo certe magis est in nostra manu ex gratia Diuina sempiternos fructus excipere, quam naturæ muneribus vti. adsit modo vera, atque germana fides; nullum erit tantum malum, quod non facile vitemus; nullum tantum bonum, quod non adipiscamur. si enim sumus morbis oppressi, sanabimur; si vincti, liberabimur; si mærentes, exsultabimus; si pauperes, abundabimus; si exsules, restituemur; si mortui, reuiuiscemus; si notati ignominia, decus, & gloriam consequemur; si versamur in bonis, in eorum tandem secura possessione collocabimur. Quacumque tandem condicione simus, semper nobis Dei benignitas accurrit, si eam fide requirimus, & pia prece flagitamus: & ita, aut amissam iustitiam recuperamus, aut muneribus illius quotidie magis augemur. sic fit, vt nulla sit possessio firmior. nititur enim Diuina promissione, quæ neminem vmquam fefellit; neque fallere vmqnam poterit. Hanc autem promissionem fides spectat, huius fiducia nititur, in ea conquiescit. Ideo ex fide, inquit Paulus; Rom. 4. vt secũdum gratiam firma sit promissio. Qualis tandem est ista promissio? vt, qui cum fide Christi ad Deum accesserint, & scelere soluantur, & exsecratione, qua fuerant deuincti, liberentur, & Dei legem habeant in animis inscriptam; & spiritus sancti numen comprehensum animo contineant; & vitam nullo flagitio contaminent; sed eam Dei lege moderentur; vt, Ezec. 11. quemadmodum est apud Ezechielem, in Dei præceptis ambulent, & opera sancta, & præclara perficiant; vt denique iusti sint. Huc enim omnia promissa Diuina referuntur, vt animos omniũ hominum certa spe iustitiæ confirment. Non sunt igitur iustitiæ parandæ caussa terræ penitus eruendæ, maria omnia transmittenda, regiones vltimæ peragrandæ. præsto enim est, quoties illius suauitate frui concupieris. Nec enim solum iustitiam, sed ipsius iustitiæ parentem tecum semper, si volueris, habebis. Nec enim nos ad illum prius accedimus, quam ipse ad nos adueniat, in animisq. nostris iam gratia illius liberatis stabilem sedem sibi constituat. Cum igitur immensa Dei potentia, nullis finibus possit ratione aliqua circumscribi, cum illius benignitas tam late pateat, vt omnibus obuia sit, vniuersumq. genus hominum ad se alliciat, & inuitet, omnibus denique clementiæ suæ fructum polliceatur; quis potest ambigere, quin sit, iustitiam obtinere, facillimum? Non enim viribus humanis, sed Diuinis, ad eam enitimur; &, quo natura est infirmior, eo facilius possumus ad iustitiam peruenire. Minus enim efferimur, & insolescimus; minus nos ipsos diligimus; minus nos ipsos diligimus; minus nobis assumimus, quo magis nostræ naturæ imbecillitatem cognouimus; & ita facilius, nobis ipsi diffidentes, toti e Diuina clementia pendemus, & multo constantius in fide permanemus. Quo autem fides est acrior, & vehementior; eo maius, & amplius auxilium nobis a Deo comparamus. Habemus, vt inquit Paulus, the- 2. Cor. 4. saurum istum in vasis fictilibus; vt hæc tam excellens vis sit Deo, & non nobis, attributa. Est igitur nobis vtilis infirmitas naturæ; siquidem

quidē illius cognitione fides acrius excitatur; & animus ita fit in dies ope Diuina robustior. Quocirca idem Paulus ait, se tunc esse fortiorem, cum se infirmiorem agnoscit. Illud autem oraculum mirifice amplexatur; quo dicit, Dominum se his verbis allocutum fuisse: Paule, sufficit tibi gratia mea. nam virtus mea in infirmitate perficitur. itaque magnis vocibus testificatur Paulus, se omnia posse, non naturæ viribus, sed ope illius, qui mentem hominis fidelis inuicta virtute corroborat, atque confirmat. Quid illud? non ne satis magno argumento est, esse nobis egregiam colendæ, & exercendæ iustitiæ facultatem Diuina gratia tributam; quod nemo vmquam se totum ad illius studium applicuit, quin intra breue tempus, & exiguum, ex illa maximos fructus assequeretur? nullum enim studium, nulla cura, nullus conatus, exitus tam faciles habet. Quot millia pecuniæ cupiditate flagrant, & illius caussa immensos labores excipiunt? quotus autem quisque diuitias assequitur? Quid, qui voluptatibus seruiunt? quid, qui honores ambiunt? quid, qui aliquid aliud in vita terrenum, & caducum, sitienter appetunt? quid illi etiam, qui artium studia consectantur? Numquid alicui conatus adeo feliciter successit, vt ad id, quod vellet, quemadmodum vellet, aliquando tandem perueniret? immo, quo maioribus vigilijs, atque labore franguntur, minus sæpenumero votorum compotes euadunt. Sic enim sunt res humanæ: inani quadam specie homines impellunt, eisque falsa spe erectis, & concitatis illudunt; sic cupiditatem incendunt, vt incensam minime restinguant; sic se hominibus offerunt, vt se sequentes effugiant; &, cum maxime contingi manibus, atque apprehendi videntur, elapsæ, protinus euanescunt; neque quidquam aliud, quam dolorem animis inustum, relinquunt. Cum igitur ex hominum infinito prope numero, pauci admodum id, quod vniuersi cupiunt, assecuti videntur; & iccirco vulgo beati reputantur; ipsi tamen, experiundo, sentiunt, sese fine vllo fructu vitam in maximo, & assiduo labore contriuisse. omnium igitur hominum, qui rebus terrenis addicti sunt, & cælestia non suspiciunt, labores inanes exsistunt. At, qui, fluxis, & interituris rebus abiectis, se totos conferunt ad iustitiæ cultum, inaneq. iustitiæ simulacrum spernunt, vt veræ fructum consequantur, eaq. de caussa, neglectis hominum studijs, Diuinis tantum opibus innituntur; mirum est, quam subito commutentur; vt, vno temporis momento, ex impuris casti, ex sceleratis pij, ex auaris benigni, ex ferocibus mansueti, ex ignauis strenui fiant. Quantos autem progressus faciant, quam admirabiles fructus ex iustitiæ cultu percipiant, explicari non potest. In Diuinæ namque legis studio ingressi, non tam currunt, quam aduolant, vt, in cæli aditum intromissi, Dei suauitate perfruantur. Efferuntur, inquit Isaias, alis, vt aquilæ; neque in cursu aliqua ex parte debilitati franguntur. Quid illud? non ne satis indicat, quam sit facilis iustitiæ cultus, quod neque teneræ puerorum ætati, neque infirmo virginum sexui sit aditus ad amplitudinem illius interclusus? Multos enim legimus, ineunte ætate sic fuisse iustitiæ studio incensos, vt illius tuendæ gratia nullum cruciatum recusarent. Sic igitur efficitur, nihil esse iustitia facilius. nam, qui in rebus alijs inanissimis parandis frustra sudamus, atque laboramus, & sine vllo fructu totam vitam consumimus; in re vna omnium maxima, atque præclarissima quærenda, numquam operam perdimus: sed, cum primum ad illam rite adspiramus, statim nobis occurrit, mentesque nostras opibus Diuinis exornat. quod quidem minime mirandum est. Nam ad reliqua omnia, quæ sunt fluxa, falsa, fallentia, proprijs viribus, & industria nixi contendimus; ad Diuinæ vero iustitiæ fructum, nullo modo, nisi Diuino auxilio, confidentes, enitimur. Quid autem de illius amplificatione dicendum? nullis enim finibus Dei clementia terminatur; nullis spatijs benignitas illius includitur; nullum est vltimum, in quo multum in iustitiæ studio progressus, eandem possis insistere. Reliquum est igitur, vt, quantum velis, exoptes; quantum optaueris, poscas; quantum poposceris, te impetraturum confidas; &, cum magnum aliquem iustitiæ gradum adeptus fueris, ad altiorem repente contendas; neque vllis bonis contentus ad maiora, & altiora nitare; & semper immensa, & infinita concupiscas. Explebit enim cupiditatem tuam clementissimus ille Dominus; &, quo ardentius sitieris, eo bibes affluentius. Dilata, inquit ille, os tuum, & implebo illud. Vnde Dauid mentem suam excitat ad tantæ magnificentiæ, atque liberalitatis laudes egregie concinendas; illumque optimum parentem perpetuo celebrandum, qui desiderium, quantumuis magnum, & infinitum, replet. Quamuis igitur aliquid amplum, & magnificum consequare, cum semper aliquid in rebus Diuinis amplius occurrat, (neque enim fieri potest, vt in rebus infinitis finem aliquando reperias) semper aliquid erit noui, quod optes, quod obsecres, quod adipiscare. Sic igitur eueniet, vt semper exoriare, &, alijs atque alijs muneribus exornatus, nouis gaudijs exsultes, & recenti voluptate quotidie cumuleris. quod adeo verum est, vt Paulus, in cuius mente Christus sanctissimum domicilium sibi constituit, fateatur, se numquam in gradu aliquo iustitiæ conquiescere; sed muneribus partis minime

contentum

Marginal notes: 2.Cor.13. — 2.Cor.12. — Isaiæ 40. — Psal. 80. — Psal. 145.

contentum ad maiora contendere, atque nouis qnotidie opibus illustrari; &, cum magna quædam ornamenta fuisset consecutus, maiora statim concupiscere. Si igitur nihil est iustitia præclarius, nihil vtilius, nihil pulchrius, nihil iucundius, nihil in vniuersa natura magnificentius; si ea Deum hominibus coniungit, & homines splendore Diuinæ pulchritudinis informat; si non possumus ab illius studio segregari, quin in extremam miseriam, & in hostium immanium tyrannidem incidamus; si postremo constat, nihil esse facilius, quam illius vtilitate, iucunditate, & amplitudine frui; quid obstat, quo minus omnes nostras cogitationes, omnia studia, officia, & consilia, omnes animi vires ad studium illius conferamus? Quid enim amentius, quam in rebus inanissimis, quæ in casu, & temeritate sitæ sunt, omne vitæ studium frustra ponere; in re autem omnium præclarissima, quæ prompta, atque parata est omnibus, eam inuenire cupientibus, nullam operam nauare? Vt autem melius, quantus sit illius splendor, & quam excellens decus, intelligi possit, atque mente cerni, nihil esse pulchrius, & amabilius; deinceps, quod iam magna ex parte fecimus, de illius vtilitate, & amplitudine disseremus.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE IVSTITIA

LIBER DECIMVS.



VAM sit iustitiæ studium facile, & expeditum omnibus, qui Diuina clementia nixi toto animo sunt in Diuinã illius speciem conuersi, summumq. illius splendorem, & magnificẽtiam admirantur; satis explicatum arbitror. Vt autem nobis magis infixum sit, in nulla re esse flagrantiori studio, maioriq. virium omniũ contentione elaborandum; operæpretium arbitror, eius pulchritudinem clarius intueri, fructusq. illius amplissimos memoria replicare. Iuuat enim, ea, quæ cælesti specie antecellunt, non semel tantum adspicere; sed mentis adspectum identidem ad eorum considerationem reuocare; mirabilemq. illam formam, & venustatem in mente defigere: vt de illa noctes atque dies acrius, & attentius cogitantes, illius cupiditate vehementius inflammemur. Est igitur iustitiæ ratio nobis in primis oratione repetenda. est autem iustitia nihil aliud, qnam status animi Dei lege constitutus, atque ad numen illius expressus, Diuinas opes conseruans, & continens. Lex autem ea est Diuinæ mentis moderatio, & rationis omnia imperio sempiterno continentis æquabilitas, vno societatis, & coniunctionis vinculo vniuersam naturam deninciens. Huius autem moderationis, & ordinis vestigia minimis etiam in rebus impressa cernimus; nihilq. omnino posse sine præscriptione illius statum suum incolumem ab interitu conseruare perspicimus. Summa namque vis est, & in omnes partes diffusa in ordine, atque modo rerum omnium, incredibilis in numerorum ratione, & in naturæ ipsius æquabilitate cõcinnitas. Ea namque efficit in corporis constitutione sanitatem, in membrorum apta compositione pulchritudinem, in modulatis vocibus harmoniam, in conuenienti corporis motu venustatem, in hominum cœtu iure deuincto concordiam, in omnibus denique rebus, quoties adhibetur, insigne decus, & elegantiam. Nec solum decus eximium numero, lege, & moderatione conficitur; verum etiam omnium rerum salus, naturæq. totius stabilitas, ea tantum vna facillime conseruatur; ita, vt non modo omnis dignitas, sed etiam vtilitas, vniuersæq. naturæ constantia in rationis, & legis æquabilitate cõsistat. Contra vero, quæ ab ea lege deseruntur, omnia perturbata, & confusa sunt, sine lumine, sine ordine, sine venustate, fœda, turpia, flagitiosa, pestiferisq. morbis oppressa, & impedita. Illa igitur auribus, oculis, animis aspernamur; eorumq. tactum, & congressum refugimus. Eadem lex efficit vniuersi cæli ornatum, clarissimam siderum speciem, & splendorem, & in dissimillimis, atque contrarijs orbium cælestium conuersionibus, ad vnam tamen rationem in ordinem reuocatis, admirabilem concentum, & conuenientiam. Hæc eadem aquas dimensa est; terramq. rationis ponderibus ita librauit, vt, modico calore tepefacta, & cum anima, & humore, rata quadam portione confusa, herbas, fruges, arbores, animantia cuncta profunderet. Hæc supera infimis, calida frigidis, leuia grauibus, humida siccis, & reliqua omnia, quæ sunt inter se pugnantia, medijs certa quadam ratione cum extremis apte conuenientibus eo nodo constrinxit, vt mirifice inter se, quæ sunt disiuncta, consentiant. Eadem postremo rationis temperatio cælum terræ coniungit; vniuersamq. naturam admirabili amoris consensione conglutinat; Mundumq. omnem varijs, atque propemodum infinitis formis completum ita connectit, vt vnam naturam, vnumq. ornatum ex innumerabilibus formis, & ornamentis efficiat. Hic igitur rerum omnium modus, hæc naturæ consensio, quæ Dei lege perficitur, est, quæ res gignit, alit, auget, ornat, & vestit, atque conseruat: ita, vt necesse sit, tamdiu rem quãlibet in statu suo permanere, quamdiu eo legis vinculo continetur; cum autem id dissoluitur, interire. Sed, quo res præstantiorem locum obtinet in natura, eo est in illa vis legis ipsius illustrior. Cum igitur nihil sit in toto mundo, mente, & ratione præstantius, eueniat, opus est, cum legem Diuinam accipit, eaq. statum suum regit, & temperat, vt nihil possit illa cogitari præclarius. Ea namque omnia, quæ singulis in rebus dispersa vi ipsius legis efficiuntur, in hominis mente, cum ea legi Diuinæ paret, coniunguntur; & summa, atque perfecta sunt. Est enim tunc & valetudine firma, & viribus inuicta, & specie præcellens, & claritate splendida, & gloria florentissima, tantaq. sibi ipsi conspiratione consentiens, vt ex omnibus animi partibus modulate sonantibus suauissimam concentum efficiat. Nulla enim symphonia est cum iustitiæ concentu vlla ex parte cõparanda. Iustitia vero tũc exsistit in nobis, cum lex est in mentibus

nostris

nostris diuinitus impressa. Quamuis enim lex communibus omnium sensibus infixa sit, (nemo enim est tam ferus, & immanis, qui non turpitudinem odio, & honestatem amore dignam existimet) cum tamen animus, insana cupiditate corporis inflammatus, ipsius insitæ legis imperium recusat, non ita proprie dicitur, in eo legem inscriptam esse; sed in illo tantum; qui non modo communi sensu legis afficitur, sed qui eam omni studio sequitur, neque ab illius præscriptione deflectit. parum enim iuuat cōmunis ille sensus naturæ, qui prorsus conuelli non potest; si, quoties ad actionem ventum est, mens, cupiditatis immanitate victa, iudicium suum seruare nequit; seq. statim libidini constringendam dat, & contra legis ipsius imperium, flagitio, & turpitudini succumbit. Tunc igitur valde proprie legem animis nostris impressam, & insculptam esse dicimus; cum tanta lux est in mente, tantaq. vis, vt totum animum facile imperio contineat: cum videlicet non modo ratio clare cernit, quid in vita sequendum sit; verum etiam voluntas, veræ dulcedinis suauitate vehemēter illecta, rationi paret, eamq. sequitur, &, corporis voluptate contempta, in sempiternæ voluptatis studium acriter incitatur. Tunc enim temeritate vinculis legis alligata, & omni custodia septa, nihil insurget in animo, quod mēti tenebras offundat, eamq. ab attentissima cæli consideratione deductam, in terram deprimat. Ergo, cum lex Diuina ita collustrat animum, vt non modo mentem erudiat, sed etiam totam volūtatem ad se rapiat, omnesq. partes animi sibi consentientes efficiat; tunc verissime dicitur, Dei legem esse in mentibus humanis inscriptam. Hoc est autem, quod Deus apud Ieremiam se effecturum pollicetur: futurum namque ait, vt fœdus sempiternum cum hominibus feriat, idq. in eorū animis ad sempiternam memoriam consignet. Ponam, inquit, legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam. In cuius igitur animo lex Diuina ita fuerit spiritu illius incisa, vt omnes animi partes sui studio incēdat; hic demum iustus est, spirituq. Diuino fruitur. solus enim poterit omnia iustitiæ munera prosequi, & ita Deo semper amore coniungi. quod vt rectius intueri possimus, par est, vt iustitiæ munera prosequamur, aliud rursus exordium ab illius definitione capientes. Est igitur iustitia, constans, & æquabilis animi prudentis affectio, ex Diuina mente apta suam cuique dignitatem tribuens. Qui igitur id, quod ius, & æquū postulat, vnicuique dissoluit, & rebus singulis id, quod illis debetur, attribuit, neminemq. defraudat; is plane veris iustitiæ ornamentis præditus est. Est igitur animaduertendum, quid Deo, quid nobis ipsis, postremo, quid hominibus debeamus: vt clarius possit intelligi, omnem vim iustitiæ perfecta functione officiorum omnium contineri. Omnia igitur officia sunt in tres partes distributa. alia namque ad Dei cultum, alia deinde ad animi ornatum, alia postremo ad hominum societatem conferuntur. Primum igitur Deo debetur integra fides, deinde metus, & reuerentia, postremo singulare quoddam amoris, & pietatis studium. Vt autē de fide primum loquamur; cui vitam credere, cuius auctoritate confidere mens humana poterit, nisi tantum illius, qui solus natura verus, & immutabilis est; ex cuius immensitate nihil potuit vmquam decerpi; ad cuius maiestatem nihil potest accedere, cum semper immensus; semper omnipotens, semper bonus, semper idē, sibiq. similis in omni æternitate permaneat; nullum principium, neque finem habens, cum sit omnium rerum principium, & finis; mutationis totius expers, & omnia commutans; semper immobilis, & quietus, & omnia mouens, atque versans; in sempiterna naturæ constantia beatissimus. Cum igitur omnis aliarum rerum natura continenter labatur, & fluat, ita, vt proprie numquam sit; cum semper versetur in motu; solus Deus natura semper est. Neque enim quidquam ex illo præteritum tempus exhausit; neque ad illum quidquam futurum tempus apponet; neque tempus præsens illi fluit; neque denique spatio vllo concludi potest, cum omnium seculorum æternitatem ipse contineat. Ego, inquit ille, sum, qui sum. Vt igitur illius natura est expers totius varietatis, & inconstantiæ; ita solus est, in omni sermone verissimus, in fidei conseruatione sanctissimus. Humanum ingenium a Diuina mente segregatum est fallax, & fraudulentum. Angelus ille rebellis, cum primum sese a Deo disiunxit, in veritate non permansit, sed ipsius mendacij pater exstitit. ex quo sequitur, omnia, quæ sunt a Deo seiuncta, esse falsa, & fallentia, fraudis, & malitiæ plenissima. Solus igitur Deus est constans in omni æternitate benignitas, immutabilis fidei sanctitas, atque veritas sempiterna. Illum igitur solum fide venerari, illius benignitati confidere, illius promissis credere, illius tutelæ, & patrocinio vitam, & dignitatem, omnemq. statum animi committere debemus, ita, vt nulla calamitas animos nostros fiducia Diuinæ benignitatis erectos possit infringere. Quid autem de timore dicendum? non illum Dominum metuemus, ad cuius adspectum terra magnis motibus conquassatur, montes inflammantur, cælum tenebris obducitur, marini fluctus obstupescunt, vniuersa denique natura cōtremiscit? non illius iudicium formidabimus, qui, omnibus rebus intentus, cuncta prouidet, & animaduertit; cor etiam, & renes, vt inquit ille, intimosq. animi recessus perscrutatur, & inspicit; cunctas nostras cogitationes exploratas habet; & omnia arcana mentis nostræ considerat? Non illum pauebimus, qui, cūm omnia sit infinita potestate complexus, neque muneribus deleniri, neque cuiusquam gratia flecti potest, neque vllis viribus impediri, quo minus iniquitatem, & turpitudinem, cui est semper infensus,

iracun-

iracundiæ flamma populetur, & improbis supplicia sempiterna constituat? qui terræ fremitum audire non possumus, quo tandem modo vultum ipsius irati Domini, terram nutu concutientis, subire audebimus? &, cum ea valde metnamus, quę nullam vim habent ad animum interimendum; qui fieri potest, vt non horreamus illum summum iudicem, qui impiorũ animos supplicijs æternis mactare constituit? certe, qui seueritatem illius non metuit, aut a fide penitus abhorret, aut mentis expers est. Qui enim Deũ præsentem esse non cernit, rerumq. omnium prouidentem, iustissimoq. iudicio singula ponderantem; hic a debita fide prorsus alienus est. Qui vero hæc ita esse iudicat, non tamen Dei numen exhorret, &, cum minima metuat, Diuina iudicia, quæ sunt omnium maxime pertimescenda, non formidat; neque sentit denique, quam horrendum sit, vt Paulus ait, incidere in manus Domini; hic est certe summo stupore, & immanitate mentis oppressus. Vt igitur vtrumque malum declinemus, est a nobis Deus sanctissimi timoris religione colendus. Apud Mosem enim hoc a nobis efflagitat, (Deut. 17.) vt illum perpetuo metnamus, illiusq. timore ita deuincti simus, legeq. illius, quasi compedibus, & manicis; alligati, vt ne tantulum quidẽ vmquam ad suscipiendum aliquod flagitium moueamur. Vtinam, inquit, talem mentem habeant, vt timeant me, & custodiant præcepta mea in omni tempore, vt bene sit eis, & eorum filijs in perpetuum. Cum igitur Deus ostendat, se id magnopere velle, vt timor illius sit semper animis nostris iniectus; num obscurum est, magnam religionis partem in metu numinis illius esse constitutam? Iam vero, quanta caritas illi debeatur, est explicatu difficillimũ. si enim bonitatem, & honestatem, omnemq. virtutis excellentiam per se diligendam, & amandam arbitramur; si accepta munera, & beneficia multum valent ad amorem alliciendum: quo modo nõ amore illius inflammabimur, totosq. nos ad cultum illius omni impetu animi conferemus? Est enim ille bonitas, & pulchritudo sempiterna, perennis virtutis fons, laudis, & honestatis origo, omnem dignitatis excellentiam numine suo continens; ita, vt quælibet res tantum habeat bonitatis, & venustatis, quantum ex fonte illius benignitatis haurire potuit. Si igitur, qui lumen aliquod venustatis, quantumuis exiguum, ab illo summo, & immenso splendore dignitatis acceperunt; sunt propter illam tenuem, & obscuram similitudinem Diuinę pulchritudinis, quæ lucet in illis, amabiles, atque iucundi: quo tandem amore est illa præcellentissima virtutis, & honestatis pulchritudo complectenda? Porro autem beneficia, quæ in nos contulit, nemo, quamuis excellenti ingenio, memoriaq. Diuina præditus existat, poterit vllo modo enumerando percensere. Quoties enim cælum astris distinctum, & ornatum adspicimus, quoties terram vestitam arboribus, & frugibus intuemur, quoties multitudinem, & varietatem bestiarum animaduertimus, quoties denique totam naturam tanta consensione ad conseruationem salutis, & vtilitatis nostræ conspirantem mente concipimus; toties opus est illius summæ bonitatis recordemur, quæ nos tantis opibus in omni genere locupletauit. Nobis enim, nostrisq. vsibus cælum, terras, & maria, & omnia, quæ cæli complexu continentur, effinxit. Nostrum vero corpus aptũ, & habile formauit, ad rationis obsequium; acutisq. sensibus instruxit; omniaq. ratione muniuit ad salutis nostræ custodiam. Animis enim nostris ingenium, & sollertiam, & acumen attribuit; in illis denique similitudinem, & imaginem suam impressit, mentesq. nostras ad rerum Diuinarum studium excitauit; vt tandem aliquando illius adspectu iucũdissimo æuo sempiterno frueremur. Quid hic commemorem, quo modo nos sceleris tyrannide oppressos in libertatem vindicarit; filijq. sui sanguine animos nostros expiarit; omnibusq. spiritus sui muneribus illustrauerit; Diuinaq. in nos ornamenta congesserit? Adde, si lubet, sanctissimum adoptionis ius; adde cælestis illius hereditatis amplitudinem; adde spiritus Diuini, quo nos regit, moderationem, & inuictum illud præsidiũ, quo a nobis omnia capitibus nostris impendẽtia mala propulsat. Hunc igitur summum conditorem, & Dominum, & optimum parentem, qui nos tanta bonorum Diuinorum copia cumulauit, non ardenter amabimus? non in animis semper habebimus? non laudes illius perpetuo concinemus? non omnes curas, & cogitationes, non omnia vitæ consilia ad cultum illius conferemus? non denique præ amore illius vitam negligemus, & aspernabimur? Capitale profecto, dirissimumq. in nos scelus admittimus, & iniquitatis impia fraude obligamur; cum hoc maxime debitũ officium, quod Deus a nobis præcipue requirit, ipsi non præstamus. Omnis enim pietas, omnis sanctitas, omnis religio, hac numinis sempiterni caritate continetur, ita, vt, qui Deum non amat, summæ impietatis, & sceleris vinculis adstringatur. Si enim, qui homines fraudat, se scelere alligat; quantũ tandem iustitiæ scelus concipiet is, qui Deum debito cultu honoris spoliat? spoliat autem Deum honore debito, qui neque illi fidem adhibet, neque numen illius extimescit, neque postremo, quod omnium officiorũ caput est, amore summo benignitatem illius amplectitur. Triplicem enim hanc a nobis pensionem exigit, vt illi confidamus, illum metuamus, illum amemus. Vt enim triplicem in Deo rationem mente concipimus; (nam & beatissimæ illius naturæ æternitatem, deinde numen cum imperandi, & agendi scientia coniunctum, postremo summam illius benignitatem ratione complectimur) ita fuit consentaneum, vt eum triplici munerum ratione coleremus. Sic enim, fide, præcellentem illius naturam; metu, numen illius,

lius,& imperium; amore,bonitatem,& beneficentiam veneramur. Hæc igitur tria nobis imperat,hæc requirit,hæc efflagitat,ad hunc sanctissimum cultum omnes illius leges,& instituta referuntur. Quod vt melius possit intelligi, primum Diuinæ legis caput audiamus. Ego,inquit, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti,& e domo seruitutis. His quidē ille verbis,cum & naturam, & imperium suum referat, beneficiumq. libertatis a se tributum commemoret,nihil agit aliud, quam vt admoneat,atque præscribat,se solum esse fide colendum;&,vt sanctissimum iudicem,metuendum; &, vt liberatorem,& conseruatorem, amandū. Legis igitur exordium ita fidem sancit, vt metum incutiat; & amorem, beneficij illata mentione, conciliet. Quæ vero sequuntur, partim ad timorem proponuntur, partim ad excitandum amorem conferuntur. Prohibet enim, ne quisquam sibi Deos fingat,aut vlla siderum,vel animantium signa consecret, honoribusq. Diuinis afficiat. Neque enim honorem sibi debitum ad vllam cælestem formam transferri permittit; tantum abest, vt muta signa consecrari, Diuinosq. illis honores institui, patiatur. quod si quisquam secus fecerit, se sceleris vindicem,& vltorem fore pronuntiat. Ego enim, inquit, sum Dominus Deus tuus fortis, & improbis infensus, qui pœnas de parentum sceleribus a filijs expeto,in tertiam, & quartam ætatem; eorum nempe hominum, qui me odio persequuntur. Docet,eos tantum fore ob parentū scelera pœna Diuina cruciandos, qui paternorum scelerum imitatores exstiterint.par enim est,vt,qui parentum sceleratorum vestigijs insistunt,eadem supplicia subeant;tantoq. acrius puniantur, quanto magis hereditariam illam improbitatem sceleris accessione cumulauerint. Fit enim plerumque, vt impiorum hominum posteritas semper aliquid addat ad maiorum suorum impietatem;in eoq. laboret, vt parentes suos sceleris immanitate longe superet. Tertia autem, & quarta ætate pœnam circumscribit; partim, vt doceat se multo magis ad misericordiam tribuendam, quam ad pœnam inferendam,esse propensum; eaq. de caussa,cū pœnam ætate quarta terminet, misericordiam in multa sæculorum millia diffundi testificatur;partim,vt ostendat, genus eorum, qui scelera sceleribus accumulant, tandem fore penitus exstirpandum, eorumq. nomen de hominum memoria tollendum. Cum enim,parētum sceleribus minime contenti,ad tætriora in dies facinora concitentur, eisdemq. improbitatis vestigijs ad sceleris summum tandem perueniant; iuris Diuini ratio flagitat, vt illud genus exstinguatur,& deleatur,neque vltra quartam,verbi gratia, hominum ætatem duret; ne exemplo suo totum humanum genus contaminet;atque,quasi quadam pestifera contagione, corrumpat. Hoc quidem igitur ad metum numinis impietate offensi proponitur; quod autē continuo sequitur, ad excitandum illius amorem pertinet. Dicit enim,misericordiam suam erga piorum hominum nationem fore sempiternam. Sequuntur duæ leges, quarum vna a periurio deterret, seq. tanti sceleris vindicem fore profitetur; altera ad pietatis officium, & Diuini amoris studium adhortatur. Ne assumas, inquit, nomen Dei tui vane. hoc est, ne periurio numen illius violato. Addit deinde, Neque enim ille tantum scelus dimittet impunitum. Lex autem,quæ sequitur, tanta fuit religione perscripta, tantisq. in locis hæc tam sæpe repetita, vt facile appareat, in ea esse aliarū legum robur, atque firmamentum. Quæ nam tandem ea est? illa nempe,quæ sabbati otiū sanxit;nullumq. opus,ne a seruis quidem, & ancillis, illa die patrari permisit. Quid igitur? adeone est Deo cessatio iucunda,vt ea de caussa noluerit quidquā aliud esse tanta diligentia præscriptum,& tam sæpe in sanctis litteris vsurpatum? cessatio quidem minime Deo grata est; illud tamen munus est illi omnium gratissimū, quod sine aliorum vacatione commode obiri non potest. Quod nam tandem illud est? acceptorum beneficiorum recordatio, frequens, & assidua Diuinæ beneficentiæ commemoratio, ingenium ad ea munera, quæ accepimus, animo recolenda,alacriter incitatum,totus denique animus ad Dei laudes referendas, omniq. mente celebrandas incensus. hoc enim nostrū potissimum munus, & officium est, vt numquā memoriam tātæ benignitatis intermittamus; Deoque,qui tantis nos donis ornauit, immortales gratias habeamus,& debitam gloriam tribuamus. Sic enim & accepta beneficia tuebimur,& amplioribus muneribus, & donis augebimur. Vt enim Diuinæ opes ingratis elabuntur, & excidunt; ita grati, atque memores eas facillime conseruant, maioraq. in dies, & ampliora virtutis ornamenta consequuntur. Nihil igitur est nobis tanta cura, & studio prouidendum, quam vt Diuina beneficia semper in memoria nostra penitus insideant; neque ea vmquam ex animis nostris effluere patiamur; omneq. vitæ studium in Diuinæ bonitatis prædicatione ponamus. Sed,quia vitæ curis distentus animus, & infinitis occupationibus impeditus, ab hoc Diuinæ laudis studio sæpe deducitur; neque facile, in tanta rerum humanarum turba, & colluuione, hoc officium tueri, atque sustinere potest; ne paullatim eos Dei obliuio caperet, & negligentia religionis omnibus simul bonis euerteret; commodum fuit, septimo quoque die instaurari, atque renouari numinis memoriam, Deiq. summi benignitatem, illius mentione crebrius repetita, vehemētius animis insculpi. Vt igitur hoc commode fieri posset, opus erat, vt illo die ab omnibus curis, & publicis,& domesticis,vacarent;vt tota mēte in studium religionis,& sanctitatis incumberent. Iccirco fuit olim capite sancitum, siquis ex Hebræis eo die aliquod opus efficeret, nisi

quod

Deut. 5.

Exod. 20.

Exod. 20.

Ibidem

quod ad religionis cultum pertineret. In vnum autem locum omnes conueniebant; vt, cum omnes in Dei bonitate debitis laudibus celebranda vna mente, atque vna voce, conspirarent, quilibet eorum, multitudinis ipsius consentientis oratione concitatus, ipsius Dei amore vehementius incenderetur. Triplicis autem beneficij memoriam necesse erat illa die replicari. primum erat, rerum omnium procreatio; alterum deinde, gentis vniuersæ liberatio; tertium postremo, sanctitatis, & religionis institutio. Vt igitur agitarent animis, quam admirabili vi, sapientia, & bonitate Deus cælum, terram, & maria, & vniuersam denique naturam effecerit; quanta deinde benignitate gentem illius fidei commissam e durissima seruitute liberarit; quibus postremo sacris illam sibi deuinxerit, & ad omnia munera sanctitatis instruxerit; sabbatum, hoc est quietem, & otium, (id enim hæc vox apud Hebræos sonat) die septimo consecratum fuit. Et, quiá primum beneficium, quod animis occurrebat, illo præsertim tempore, quo nondum homines maius vllum facile cogitare poterant, erat vniuersæ naturæ constitutio; consentaneum rationi fuit, vt illum potissimum diem festum agerent, quo primum natura perfecta, suisq. numeris absoluta, omnibus muneribus suis perfecte fungi cœpit. Ob id igitur, cum Deus septimæ diei otium sanciret, eam rationem apposuit, quod sex diebus cælum, & terram, & omnia, quæ cæli ambitu coercentur, effecisset; & septimo tandem die ab illa prima rerum omnium molitione conquieuisset; quasi admonens, vt parenti, & conditori rerum omnium gratias agerent; illumq. ob tam admirandam fabricam assidua prædicatione celebrarent.

Alibi vero iubet eos esse memores libertatis, quam fuerant ope Diuina consecuti; in cuius beneficij memoriam præscribit, vt omnibus sabbatis ferias agant; neque ipsi solum, verum & serui, & ancillæ, atque adeo boues, & iumenta, summo otio fruantur; neque aliquid denique eo die seruiret. parum enim conueniebat, vt aliquid eo die, qui erat libertatis memoriæ
Deut. 5.
consecratus, sibi seruire sinerent. Memento, inquit, quod & ipse seruieris in Aegypto, atque inde eduxerit te Dominus præsenti numine suo, firmoq. præsidio, & inuicto. Adiungit autem continuo: Iccirco præcepit tibi, vt obseruares diem sabbati. Quo modo autem eo etiam die sanctitatis, & religionis beneficium erat animo retractandum, alio capite legis fuit
Exod 31.
diligentissime præscriptum. Videte, inquit, vt sabbatum meum custodiatis. signum enim est inter me, & vos, vt sciatis, quod ego sum Dominus, qui sanctos efficio vos. Cum igitur sabbatum ob eam caussam otio sancto consecrare præcipiebat, vt, naturæ operibus admoniti, & partæ libertatis monumentis quã plurimis excitati, & sacris sanctissimis incredibili religione procuratis instituti, intelligerẽt, illum summum Dominum esse naturæ totius opificem, generis humani liberatorem, totiusq. puritatis, & sanctitatis auctorem laudibus summis efferrent: non ne liquet, sabbati legem summum studium pietatis, amorisq. Diuini fuisse complexam? Non is igitur sabbatum rite colit, qui vnum diem nimis superstitiose colendo pietatis maxima munera, & officia negligit; sed, qui totam ætatem in Diuina bonitate celebranda consumit. neque enim solum est, septimo quoque die laudibus Diuinis vacandum, sed omnis vita ad hoc vnum sanctissimum studium conferenda. semper enim sabbatum obseruat, qui fidem rite colit; quemadmodum Isaias ait, Custodiens sabbatum, ne polluat il- Isaiæ 56.
lud; custodiens manus suas, ne quidquam mali faciat. Hinc certe planum fit, Isaiæ men- Isaiæ 58.
te, & sententia verum sabbatum innocentia contineri, quod alibi multo vberius explanat. Sic enim inducit Deum cum populo suo loquentem: Si auerteris pedem tuum sabbato, ne obsequaris voluntati tuæ, in die sancto meo, illumq. iucundum, & sanctum habueris, & ita Dominum colueris; vt nullo modo vijs tuis ingrediaris, neque tuæ ipsius cupiditati obsequaris, neque verba tua pronunties, tunc percipies voluptatem a Domino. locabo enim te in summo dignitatis fastigio, & in patriæ hereditatis possessione constituam. Hactenus quidem ille: e cuius sententia poterit explorate cognosci, omnem sabbati sanctitatem esse in vna fide collocandam. Qui enim vacat a scelere, cui est otium a libidine, qui cupiditati suæ resistit, vt Dei iussis obtemperet; qui sensus suos repudiat, vt Dei mentem inspiciat; qui seipsum deserit, vt Deo coniungatur; is sabbatum sanctissime colit. Quod quoniam fidei munus, & officium est; sequitur, vt omnes, qui Christi fidem sanctissimam habent, ipsiusque Domini vestigia persequuntur, sabbatum rite custodiant. Cum autem fides perpetuo retinenda sit, necessario colligitur, omnem fidelis hominis vitam esse Sabbatum nominandam.

Cum igitur priscum illud sabbatum, quod perpetuitatem fidei, & summam iustitiæ pacem adumbrabat, fuerit totum Dei gloriæ consecratum: restat, vt non septimum quemque diem tantum, sed omnem vitam ad illius gloriam destinemus; &, quantum conniti animo, labore contendere, industria cõsequi, atque, vt rectius dicam, quantum fidei excellentis viribus incitari poterimus, tantum ad bonitatem illius celebrandam conferamus: & sic tandem fiet, vt amoris Diuini facibus inflammemur. Hæc igitur prima Diuinæ legis capita ad summam iustitiæ partem, quæ tota in religione consistit, conferuntur. His cum paremus, debitum honorem Deo persoluimus. Quamquã enim Deo nemo potest gratiam referre; eum tamen illi gratiam debitam ob accepta beneficia persoluere dicimus, qui ea præstat, quæ Deus a nobis exigit. Id autem solũ exigit, quod pro nostra tenui

tate, & imbecillitate efficere possumus. possumus autem, illius ope firmati, primum quidem fidem omnibus illius dictis, & promissis adiungere; deinde, sanctissima illius iudicia pertimescere; postremo, quod omnem rationem beatæ vitæ complectitur, amore illius incendi, & incitari. Hæc autem sunt illa tria munera, quæ Deo debita esse diximus, quibus a nobis perpetuo colendus, & obseruandus est, si volumus iustitiæ decus, & amplitudinem retinere.

Nunc autem, quid nobis ipsi debeamus, explicandum est. Hoc autem totum est a primo illo pietatis, & iustitiæ munere colligatum. Necesse enim est, vt, qui semper in Deum intuetur, illius in se lumen recipiat, seq. totum ad illius similitudinem accommodet. Etenim, si tales plerumque euadimus, quales ij sunt, ad quorum nos studium adiungimus, (fieri enim vix potest, vt eorum mores, & studia non imitemur, quos laude dignos existimamus) multo certe magis, qui se se ad Dei studium, & amorem applicant, similitudinem illius arripient. Multo enim maiore impetu animi concitantur, qui se ad Deum amandum, quam qui ad homines obseruandos conferunt. Qui enim in Dei studium incitati sunt, tota mente in amorem virtutis summæ, atque sempiternæ rapiuntur; qui vero hominibus dediti sunt, instabili, & incerto iudicio plerumque simulacrum inane virtutis ipsius admirantur. Et homines quidem, quantumuis clari, & spectati, nullam vim ad se sequēdos, & imitandos suppeditare possunt; at Deus mentem illustrat, ingenium acuit, animum roborat, eumq. format, & fingit, vsque eo, dum formæ suæ similitudinem in illo, non squalore, & illuuie fœdatam, aut aliqua flagitij contagione maculatam, sed claram, & nitidam, & Diuino quodam splendore fulgentem, imprimat.

Hinc igitur exsistit illa Diuina vitæ constantia, ille cultus animi, illa morum grauitas, illud honestatis decus, illa mentis altitudo, rerumq. humanarum contemptio, illaq. postremo totius virtutis concinnitas, & pulchritudo, quæ sui admiratione defixos eorum oculos tenet, qui illam adspiciunt. In hoc igitur ornatu animi conseruando officium nostrum collocari debet, si cupimus nobis ipsis, quod nobis debemus, exsoluere. Aliter enim nos ipsi animi nostri statum nefarie prodimus; neque solum in nos ipsos iniusti, sed in Deum scelerati sumus. Vt enim, si summus quidam princeps villam magnis sumptibus ædificaret, marmore parietes, auro laquearia, & omnes fores obduceret, pulcherrimisq. pauimentis atria, cellas, intercolumnia, & ædes denique vniuersas consterneret; si hortos etiam, & pomaria, singulari ordine, & diligentia consereret, in quibus se, quoties commodum esset, oblectaret; eaq. omnia villico suo colenda, & custodienda committeret; si villicus, Domini imperium contemnens, non modo hortum succrescentibus spinis vastari sineret, verum etiam sæpta reuelleret, & feras etiam immanes ad omnia proculcāda immitteret, & incitaret, ædes etiam illas magnificas inflammaret; quæ nam tandem satis digna pœna posset a Domino in serui illius vel desidiam, vel scelus, & immanitatem constitui? Sic & nos, cum ad Dei sedem, & domicilium, manibus illius ædificati simus, &, quasi cō sæpti agri, Diuinis virtutum omnium plantis admirabili ratione, & diligentia consiti, & in nostra ipsorum custodia constituti; si desidia, & scelere nostro Dei ipsius viridarium, & hortū flagitiorū spinis, & vepribus obrui sinimus; neque statim, quod illius amœnitati, & fertilitati officit, amputamus; si legis Diuinæ metum, quo quidem, quasi sæpimento, vallati sumus, sensim labare, atque tandem ruere patimur; si cupiditatis immanitatem ad omnem virtutis cultum vastandum in animos nostros immittimus; si postremo Regiæ Diuinæ magnificentiam, summumq. Diuini operis artificiū, quod in florenti animi statu perspicitur, furore nostro conuellimus, atque coniectis vitiorum facibus inflammamus; quo tandem exhausto supplicio pœnas tanto sceleri debitas persoluemus? Cum igitur honestatem, cum dignitatem, cum animi moderationem, cum omnium virtutum decus, & ornamentum retinemus, & florentem animi nostri statum summa diligentia conseruamus; non modo nobis ipsi consulimus, sed etiam ipsi Domino operam damus. Munus enim nobis assignatum, vt fideles serui, diligenter exsequimur. Quam diu vero homo statum suum tuetur, & omnia virtutis ornamenta Diuina benignitate parta conseruat; cum sit Dei hortus iucundus, & amœnus, fanumq. sanctissimum, mentisq. Diuinæ sacrarium; nullis scriptis legibus indiget; cum summam illam legem pectore inclusam contineat.

Facillime igitur videbit, (quod erat in tripartita officiorum diuisione postremum) quid hominibus debeat: idq. benigne, & non grauate præstabit. Primum quidem igitur in parentes suos, quorum opera fuit in vitam ingressus, numquam ingratus exsistet; sed eos præcipuo quodam studio colet, & obseruabit, & omni pietate prosequetur. Deinde eos in parentum numero habebit, qui præsunt Reipublicæ, animoque patrio omnium saluti, & incolumitati prospiciunt. Tunc illis etiam, quasi parentibus, pietatem præstabit, a quibus magnum aliquod beneficium accepit; &, quo beneficium amplius est, eo magis elaborabit, vt gratiam referat; atque vicem eo maiore cumulo rependat. quo magis in æqualibus donis beneficus existimandus est, qui primum contulit beneficium, eo, qui, alterius benignitate prouocatus, acceptum donum pari, & æquali dono remunerat. benignitate igitur certabit; &, ne in hoc præclaro certamine vincatur, obnixe contendet. Nullum enim maius est concordiæ vinculum, gratia, atque remuneratione. Id autem impulit olim Athenienses, vt fanum Gratijs in

media vrbe dedicarent. in quo significabant, omnem ciuilis societatis rationem gratiarum quasi quodam numine contineri. Gratia namque parit gratiã, & animos alios ex alijs nectit; & vniuersos denique ciues, cum optima fide tribuitur, beneuolentia non mediocri conglutinat. Est igitur in gratis animis magnũ quoddam iustitiæ munus, & summum totius Reip.

Deut. 5. firmamentum. Iccirco Deus in primo legis capite, quod ad hominum inter homines conuictum, & societatem pertinet; proposito præmio, mortales ad remunerationem allicit, & inuitat. Parentes, inquit, colito, vt diu viuas in terra, quam Dominus Deus dabit tibi. Consentaneum rationi videbatur, vt, qui gratus esset in eos, per quos vita communi frueretur, in ea ipsa vita diutissime permaneret; &, ad immortalis vitæ præmium, fieret plerũque hęc etiam vitæ mortalis accessio. Vnde colligitur, numquam memorem, & gratum animum præmio carere; sed eodem genere bonorum a Deo augeri, & cumulari, quorum memoriam conseruat. Hæc igitur dum ille, qui Dei legem non modo mente, & ratione, sed etiam summo studio, & voluntate complectitur, animaduertit; non tantum parentes, verum & Reip. tutores, & conseruatores, & eos, quorum vel disciplinis excultus, vel præsidio, & vigilantia defensus fuit, vel a quibus denique magnum aliquod beneficium accepit, libenter, & studiose venerabitur. Deinde, quod est consequens, patrio animo vxorem, liberos, & familiam vniuersam, suæ fidei, & patrimonio commissam, tuebitur. Tum cognatos, & propinquos, & ciues, quibus se necessitudine sanguinis, & communione iuris implicatum esse considerat, caros habebit. Excurret deinde longius; &, cum in generis humani principium intuebitur, & animaduerterit vnam esse omnibus stirpem, vnam & eandem naturæ rationem, vnum denique omnibus conditorem, & Dominum, omnibus ex æquo consulentem, & prouidentem, & cunctos homines ad præmium immortalitatis euocantem; non dubitabit, quemlibet hominẽ, quamuis externum, & peregrinũ, & plurimũ a suis moribus abhorrentem, ciuẽ tamen, & propinquum, atque adeo fratrem appellare. Qui autem hoc animo est in externos, qua tandem caritate eos prosequetur, cum quibus est sacrorum religione, fidei sanctitate, Diuinæq. agnationis iure coniunctus? Nihil enim potest excogitari, quod fortiori vinculo constringat animos, quam eisdem sanctissimæ religionis sacris initiari, eiusdem spiritus afflatu concitari, eisdem bonis affluere, eundem parentem, & conseruatorem agnoscere, & vna denique sempiterni iuris societate contineri. Cum vero quilibet Christianus, si vere hoc nomen vsurpat, neque Diuinum genus ementitur, tãto amore singulos Christianos cõplectitur; quanto tandẽ studio pro vniuersis laborabit? quã libẽter pro Christi Ecclesia capitis certamen adibit? quanta animi magnitudine vitam, cum opus ita fuerit, pro illius salute profundet? Hæc enim nobis patria est, hæc ciuitas, hoc naturale solum; pro cuius defensione est nobis perpetuo dimicandum, si cupimus huic sanctissimæ matri debitam pietatem præstare; illiusq. vestigia persequi, qui pro Ecclesiæ sanctitate mortem ardenter expetiuit. Sed non est mirandum, eum esse amore totius Christianæ Reipublicæ, quæ omnes omnium necessitudinum sanctitates complexa est, vehementer inflammatum, qui nullum hominem alienum putat, omniumque mortalium, propter naturæ vinculum, se debitorem esse profitetur. Qui autem sic in singulos homines animatus est, quo modo tandem adduci poterit, vt alicuius sanguinem, & vitam petat? vt alterius pudicitiæ labem inferat? vt pecunia aliquem defraudet? vt denique nomen cuiusquam falsa infamia deformet? Facillime igitur ijs præceptis, quæ continuo sequuntur, obtemperabit: nempe, Ne occi- Deut. 5.
dito: ne mœchus esto: ne ve alienum in rem tuam nefarie conuertito: neque fratris tui nomen falsa infamia maculato. Intelligendum autem est hac lege, non solum facinoris effectum prohiberi, verum etiam facinoris initia resecari. Hæc enim est, vt ipse legislator apud Matthæum interpretatur, legis mens, & sententia, vt ita se quisque a cæde contineat, vt odium, & iracundiam refrenet; ita libidini obsistat, vt oculorum etiam petulantiam coerceat; ita manus ab opibus alienis abstineat, vt sua potius ad aliorum fructum conferat. Neque enim illud est silentio prætereundum, ea lege, qua prohibetur crudelitas, humanitatem, & clementiã præscribi; qua vero iubetur obuiam ire libidini, castitatem, & puritatẽ sanciri; qua deterremur a furto, & latrocinio, ad liberalitatẽ, & beneficiũ omnes incitari? Cum lex vetat, ne labẽ aliorum nomini falso testimonio inferamus; id etiam præcipere, vt, quantum possimus, hominum famæ, & dignitati consulamus. Et, quia omne sceleris, & iniuriæ seminarium, in nefariæ cupiditatis impetu consistit; postremo loco iubemur, omnes libidines compressas, & edomitas habere, vimq. ipsius effrenatæ cupiditatis exstinguere, omnesq. iniuriarum radices exstirpare. Iccirco ad maiorem legis explicationem additum est, Ne proximi tui domũ, nec vxorem, neque seruum, neque ancillam, neque bouem, aut asinum, aut aliquid aliud nefarie concupiscito. Nullo igitur modo est cedendum libidini, si legem seruare cupimus; sed est omnis illius impetus, & inconsiderata temeritas rationis imperio constringenda: ne simul & nostri animi statum perturbet, & in aliorum perniciem erumpat. Omnis autem legis summa, quod ad ius humanæ societatis attinet, in hoc consistit, vt ea hominibus tribuamus, quæ nobis ab ipsis tribui cupimus. Hanc Matth. 22.
esse legis mentem, hoc Prophetarum omnium scripta dirigi, Christus ipse, qui legem dedit,

& Prophetas erudiuit, affirmat. Caritate igitur, quemadmodum Paulus ait, omnis legis

Rom. 13.

perfectio continetur. Reddite, inquit, omnibus, quod eis debetur; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Ostendit, reliqua omnia debita eiusmodi esse, quæ possint facillime dissolui: solam caritatem ita semper nos omnes adstringere, vt nequeamus vllo modo vinculis illius iucundissimis expediri. Qui enim pecuniam soluit, eam minime debet; caritatem vero quamuis omnibus impendamus, eam nihilominus debemus. Nam ad eam tribuendam, non tam singulari hominum merito, quam naturæ necessitudine, sempiternoq. legis Diuinæ iure sumus adstricti. Nullum igitur tempus est, in quo possimus hoc sempiterni iuris nexu solui; atque quasi ęre alieno liberari.

Ibidem

Vt autem magis doceat, quo modo lex omnis sit in caritate collocanda, consequẽter adiungit: Qui enim alterum diligit, perfecte legem seruauit. siquidem illud, Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces; &, si quod aliud præceptum est, hac oratione in summa comprehenditur; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. itaque perfectio legis est dilectio. His quidem verbis Paulus admodum luculenter explicat, quod sit illud officium, quod omnibus hominibus debeamus; cuius egregia functione, iustitiæ vis, & ratio continetur. Tria sunt igitur ea, ad quæ sunt omnia iustitiæ munera reuocanda; pietas, & honestas, & humanitas. pietate, Deum veneramur; honestate, animum excolimus; caritate, & humanitate, genus humanum nobis iure deuincimus. Is igitur est iustus, qui religione pius, virtute honestus, caritate benignus est. Is enim solus omnia vitæ munera Diuina lege moderatur, & suam rei cuique dignitatem tribuit; in quo est, vt ante diximus, omnis iustitiæ ratio constituta. Itaque colligitur, omnem iustitiam religionis, & dignitatis, & humanitatis studio contineri. Vt autem ex pietate in Deum omnis animi dignitas exoritur, (omnis enim recta animi constitutio ope Diuina conficitur; hanc autem pij tantũ, qui se ad Dei imitationem conferũt, assequuntur) ita ex animo bene constituto, benignitas, atque iustitia in homines exsistit. Neque enim quisquam potest malum alteri machinari, nisi sit prius ipse bonis omnibus euersus. Omnis enim iniuria, siue vi, siue fraude cõparata sit, nascitur ex impetu, & commotione animi, nefariæ cupiditatis magnitudine perturbati, & ab omni constantia deducti, pestiferisq. morbis perculsi, & abiecti. Quamdiu igitur animus statum suum tenuerit; tantum abest, vt alicui nocere velit, vt potius omnibus prodesse studeat; vt hac benignitate Deum maxime veneretur. Est enim caritas, & beneficentia sacrificium sanctissimum, Deoq. gratissimum. Omnia igitur iustitiæ munera a pietate in Deum, quasi a capite, fluunt; & ad eam rursus admirabili conuersione referuntur. Cum autem, vt dictum est, tres sint iustitiæ partes; nempe, religionis sanctitas, animi dignitas, & ea, quæ sola plerumque commune iustitiæ nomen assumit, quæ videlicet iuris æquabilitate, atque morum benignitate, hominum inter homines societatem continet: prima Sacerdotes facit, postrema vero Reges. Qui igitur animum gerit moribus egregie constitutum, & sanctus quidam Sacerdos, & magnus Rex existimandus est. Primum enim, si is Sacerdos est, qui scienter rem Diuinam facit, & hostijs Deum placat, numenq. illius pure, & caste veneratur; cur eum Sacerdotem minime appellabimus, qui Deum fide colit, qui sacrificia laudis immolat, qui vitæ sanctimonia litat, qui denique se se hostiam ad aram statuit? se enim ipsum immolat, atque in Dei honorem cædit, dum cupiditatem resecat, & corporis petulantiam comprimit, omnesq. peccati sensus exstinguit, animumq. a corporis contagio, quantum potest, auocat; vt nihil eum impediat, quo minus, in terris manens, cælestem vitam incenso mẽtis studio meditetur. Hæc autem sunt sacrificia Diuinæ maiestati decora, hæc munera Diuinæ menti gratissima; nempe, quæ, nixa Christi meritis, & sanctitate, pacem a Deo facillime consequuntur. Sacrificium, inquit, laudis honorabit me. Psal. 49. Tum alibi, Psal. 49. Inuoca me in die afflictionis; & exaudiam te; & honorabis me. Tum etiam, Sacrificate sacrificium iustitiæ. Psal. 4. Illud item, in quo vir sanctus docet suffimenta fragrantissima, quorum odor intimum cæli aditum penetrat, esse in iustorũ hominum precibus assiduis constituta. Dirigatur, Psal. 140. inquit, oratio mea, sicut incensum munus in conspectu tuo. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hæc igitur sacrificia sanctissima qui procurant, & in eo laborant, vt Deum fidei donis, & muneribus, veræq. religionis sanctitate, non sibi tantum, sed etiam vniuerso generi humano propitiũ efficiant; ij profecto casti, & religiosi Sacerdotes habẽdi sunt. Si vero Rex is magis censendus est, qui Regio animo, & disciplina præditus est, eo, qui seruit libidini, & impuritati, quamuis multis nationibus imperet; certe multo magis Regis nomẽ in quemlibet hominem iustum conuenit, quam in Principem maleficum, & iniustum, potentia sua ad suorum pestem, & exitium intemperanter abutentem. Vt enim fas non est, eum Musicum nominari, qui totum diem canit, si absurde canit; sed eum, qui canendi artem tenet, quamuis tacitus sedeat; ita neque Rex appellandus est, qui, stulte nimis imperando, Reip. statum labefactat; sed is, qui regnandi scientiam adeptus est, quamuis nullo publico munere fungi videatur. Est autem omnis Regia disciplina in vna iustitia collocanda: ex

quo

quo efficitur, eum, qui iustitiam colit, esse in dignitate Regia locatum. itaque Diuinam mẽtem, & rationem semper intuetur; omnia vitæ consilia ad legem illam sempiternam dirigit; officiorum omnium momenta, æquitatis Diuinæ trutina perpendit; atque postremo nihil, nisi de supremi Regis sententia, sancit, atque præscribit. sibi igitur pro dignitate imperat; omnes affectiones suas regit, & temperat; &, alias quidem partes animi continendo, alias vero sapienter excitando, totum animum sibi inter se consentientem efficit, & florentem opibus, omniumq. Diuinorum bonorum affluentia beatũ. Hic igitur, qui animi sui statum Diuina lege cõponit, est, qui alios potest legitimo imperio moderari; non is, qui, quantum id munus esset, ne suspicari quidem potuit; &, quasi ad ludum, ita ad tractandam remp. accessit. Qui enim sibi ipsi non imperat, quo modo alijs imperabit? qui suam cupiditatem minime coercet, quo modo aliorum intemperantiam resecabit? qui bellis intestinis agitatur, quo modo ciuitatis pacem, & otium constituet? qui est libidinis effrenatæ mancipium, quo modo libertatem aliorum defendet? qui numquam e mendicitatis sordibus emersit, quo modo ciues suos opibus locupletabit? qui curis anxius, infelix, & ærumnosus, qui denique (vt vno verbo dicam) miserrimus est, quo modo ciues florẽtes, atque beatos efficiet? Cum igitur ciuitatis otium, libertas, dignitas, opulentia, securitas, & beatus denique ciuitatis status Regi propositus esse debeat; liquet certe, eum Regnum administrare nõ posse, qui neque pacem, neque libertatem, neque honestatem, nec opes vllas animi possidet; estq. omnibus simul malis implicatus. Quod si nequam homo, & iniustus est Regio nomine indignus; sequitur, vt iustus eo iudicetur esse dignissimus. Licet enim sit ab omni publici muneris functione remotus; id tamen, quod ad Regium officiũ pertinet, diligenter exsequitur. Quantum namque animo contendere, studio niti, diligentia consequi potest; tantum in omnium fructum, & vtilitatem confert; omnemq. mentem in publica salute defigit; eaq. tandem caritate vniuersum genus amplectitur, vt, pro salute omnium, mori cupiat. Nullum igitur locum, cum adest opportunitas, vel accusandi, vel castigandi, vel admonendi prætermittit; nullumq. pro iustitiæ defensione periculum recusat; sanguineq. suo cupit omnium salutem constitui. Sic enim sequitur maximi illius Regis exemplum; qui, vt suos e mortis ipsius faucibus eriperet, crucem sponte sua subiuit. Cum autem ad hanc laudem Reges spectare debeant, vt, commodorum suorum, cum opus ita fuerit, obliti, vniuersæ Reip. incolumitati prospiciant; qui tandem erunt Reges existimandi? Illi ne, qui, commodorum suorum caussa, ciues euertunt? an, qui vitam negligunt, vt omnium vitam tueantur? qui scelerum exemplis ciues suos corrumpũt? an, qui virtutis exemplis eos ad omne genus honestatis erudiunt? qui miseros homines ab humanitate ad feritatem transferunt? an qui, studio Diuinæ virtutis imitandæ, multos mortales incendunt? qui postremo homines a Deo alienant? an qui homines cũ Deo coniungunt? omnis enim beatæ vitæ ratio in hac coniunctione, quæ nobis est cum Deo, continetur. Rex autem, si vere Regis nomen obtinet, cum id spectare debeat, vt ciues beati sint; sequitur, vt nihil sit ei tanta cura, & studio prouidendum, quam vt omnes ciues Deo pietatis cultu, fideiq. sanctitate deuinciat. Nihil igitur tam pertinet ad Regis officium, quam instaurandæ sanctissimæ religionis studium. Non igitur hi sunt habendi Reges, qui religionem negligunt, sed qui religionem sanctissime colunt. Illi enim perimunt, hi conseruant; illi a Deo diuellunt, hi Deo agglutinãt; illi in sempiternam miseriam detrudunt, hi ad sempiternam gloriam deducunt. Illi igitur, quos iniustitiæ furor exagitat, tyranni truculentissimi sunt existimandi; hi vero, qui iustitia florent, Reges optimi iudicandi. semper enim erunt ciuibus suis salutares; maxime autem, cum tam præclare cum hominibus actum fuerit, vt perinde, atque digni sunt, in Reip. administratione collocentur. Nacti enim materiam, animorum suorum prudentiæ, & magnitudini consentaneam, diuitias suas explicabunt; Regiamq. virtutem multo, quam antea, magnificentius in publicam salutem conferent. Tunc igitur reuiuiscet innocentia, emerget libertas, virtus excitabitur, omnes opes auctæ, & amplificatæ summam communibus rebus tranquillitatem afferent. Quod si aliquid fuerit aut intestino scelere intra ciuitatem tumultuatum, aut aliqua vis externa muris appropinquauerit; ijs armis tecti erunt, vt a suis facillime perniciem depellant. Nam, cum multum possit hominum consensus, & conspiratio in communi salute defendenda; tum contra opes, Diuinæ voluntatis consensione stabilitas, sempiternoq. Diuini amoris fœdere confirmatas, quis poterit in acie stare? Sic igitur eueniet, vt numquam possit illis afferri pernicies, qui sese totos iustorum hominum moderationi commiserunt; eisq. fidem præstant, quam a principio dederunt. Hi enim & sacerdotij religione Deum hominibus placant; & rursus homines ad Deum sanctis institutis, & legibus adiungunt. Hac autem Dei cum hominibus coniunctione permanente, necesse est, vt omnes sint & a malis tuti, & bonis omnibus affluentes. Verissime quidem fuit olim dictum a Stoicis, solum sapientem esse liberum, regem, pulchrũ, lautum, copiosum, & opulentum: quamuis, quis esset ille sapiẽs, minime vidissent. Sapiens enim est is, qui non humanis disciplinis, sed Diuinis, instructus est. is enim solus summam, & altissimam bonorum omnium caussam videt; & viam beatæ vitæ non ignorat; & omnes rationes immortalis gloriæ consequendæ tenet; & in Diuinam mentem semper intuetur, & ad sempiter-

nam legem officia omnia dirigit. Cum igitur mentem Diuino lumine illustratam gerat, res pestiferas arcet, salutares accersit, infima despicit, supera concupiscit, tenebras odit, lucem amat, in illamq. curis omnibus intentus numquam a iustitiæ via deflectit. Is igitur solus liber est. cupiditatis enim tyrannide liberatus, nihil agit, nihil molitur, nihil decernit inuitus; sed cum summa iucunditate omnia facinora præclara suscipit. Rex item solus censendus est. solus enim tum se, tum alios regere potest; & communem salutem, cum ei commissa fuerit, imperio, & moderatione sua stabilire. Pulcher etiam is solus est, in cuius animo nihil discrepans, & dissentaneum inueniri potest; sed admirabilis omnium partium inter se conuenientia; cuius oratio cum mente, cum oratione vero vita consentit; qui Diuino lumine splēdet, & clarioribus in dies ornamentis afficitur; cuius denique tam honesta, & liberalis species est, vt animi decore, & dignitate, Diuinæ pulchritudinis speciem repræsentet. Quid autem de gaza dicam, quam iusti non habent in arca, sed in animo, & in cælo conditam? Nullo igitur modo potest aut latrocinijs diripi, aut calumnijs auerti, aut fluctibus obrui, aut tempestate corrumpi, aut infidelitate comminui, aut vetustate consumi. Quid denique vel ad emolumentum, & fructum, vel ad vitæ decus, & ornamentum, illis deesse potest, qui sunt ipsi bonorum omnium auctori, totiusq. honestatis principio, sempiterno fœdere copulati? In hoc autem fœdere, quo mentes puræ, & castæ cum Diuina mente coniunguntur, omnis iustitiæ ratio consistit; ita, vt nihil sit aliud iustitia, quam Deo cōiungi; nihil aliud iniustitia, quam ab illius coniunctione diuelli. Vnum siquidem est totius iuris initium, vnus æquitatis, & iustitię fons, vnus denique rerum modus, atque mensura, qua cūcta formanda, & metienda sunt; & ad quam omnia, quæ in aliquam ordinis rationem includuntur, sunt necessario reuocanda; nempe, mens illa beatissima, quam eandem legem sempiternā appellare licet, omnia imperio sempiterno deuinciens. Non igitur potest alia iustitiæ regula, legumq. omnium principium assignari, quam illud præcellentissimum Dei numē, natura simplex, virtute multiplex, viribus infinitum; quod omnia coercet, & continet, admirabiliq. ratione regit, atque moderatur. Vnde colligitur, omne iniustitiæ fundamentum esse in superbia, & infidelis animi contumacia ponendum. Nec enim aliud est iniustitia, quam rebellis animi distractio, qua sese ab illo iuris fonte disiungit, tantaq. dementia deprauatur, vt existimet posse se absque Dei gratia singulari illius ope consistere. Omnia igitur mala mentem illius hominis miseri, qui sese a Diuina gratia terrahit, protinus insequuntur. Lux enim eripitur; nox offunditur; cupiditas incitatur; furor inuadit; amentia vexat; & animum curis confectum dilacerat; &, pro decore, & dignitate, flagitium, dedecus, & turpitudo dominatur. Nec enim est interim, cur in tantis malis quisquam naturæ imbecillitatem accuset. Quamuis enim nulla esset nobis cum corpore societas, nullum cum terrestri natura commercium; quamuis humana mens esset ab omni concretione mortali secreta, & libera, ita, vt nullis morbis corporis impediri possit, quo minus verum inquireret; nullo tamen modo per se posset officio fungi, statumq. suum tueri, & incolumem a clade, & interitu conseruare. Nulla enim erat mentibus illis, quæ a cæli fastigio deciderunt, cum corporea aliqua mole coniunctio: quæ tamen, cum primū in se ipsis omnia posuerunt, vanissimisq. cogitationibus inflatæ suspicatæ sunt, se se ope Diuina minime indigere; naturæq. præsidijs innixæ Dei præsidium neglexere; confestim corruerunt; atque superne cadentes, multo se se grauius affixerunt, quam si ex minore dignitatis gradu concidissent. quo enim mens acrior est, & maiores a natura opes habet; eo, cum est singulari Dei ope, & patrocinio destituta, maiore quadam ruina opprimitur, & grauiores amentiæ pœnas exsoluit. Vt enim in fabulis Polyphemum ab Vlysse excæcatum cernimus, multo grauius offendere, & ad rupes allidi, quā si natura fuisset imbecillior; sic mens, & ratio, quo est altior, atque natura vehementior, eo, cum est lumine Diuinæ mentis orbata, impetu magis furibundo fertur, multoq. vehementius ad facinus incitatur, maioremq. sibi pestem cōparat. Quod eo magis de mentis cæcitate asserendum est, quod corporis cæcitas mente iudicatur; mentis vero cæcitas nullo sensu ab eadē mente percipitur. Est enim ereptum illud ipsum iudicium, quo erat illi de sua ipsius cæcitate iudicandum. sic fit, vt, quo magis quisque mentis cæcitate laborat, eo magis sibi sapientiam arroget, & prudentiæ nomine insolentius efferatur. Vt igitur, si fieri posset, vt aliquis, orbatus oculis, id non sentiret, & ea de caussa ducem, a quo regeretur, minime flagitaret; quo esset natura robustior, seq. vehementius incitaret, eo maiore impetu præceps in exitium raperetur; sic mens, orbata Diuino præsidio, cum cæcitatem suam non consideret, sibiq. acumen, & sollertiam insolenter assumat; quo est illius natura præstantior, eo est impetus illius amentior, & ruina calamitosior. hoc in hominibus euenire cernimus, vt, quo quisque magis valet ingenio, & industria, eo, cum se ad flagitium applicat, est amentior, & improbior, & communibus rebus infestior. Quo igitur magis Angeli natura humanæ antecellit; eo furor illius immanior exstitit; & casus, & ruina grauior; & exitium dirius, atque funestius. Parum igitur iuuat præstans vis naturæ, si Dei præsidium absit; Diuinumq. lumen deficiat. abest autem ab omnibus, qui non in Deo, sed in se vitæ præsidia constituunt; eaq. confidentia præcipites se se ab illius moderatione remouent; existimantes, esse se naturæ opibus satis instructos ad

suum statum conseruandum. Non est igitur naturæ fragilitas nobis exitiosa, sed nimius amor nostri, quo nos ipsos amplectimur, vsque eo, dum a Deo desciscamus, gloriamq. illi debitam ad nos ipsos impudenter, & impie transferamus. Vt enim Angelis, qui præcipites amentia conciderunt, naturæ præstantia salutem afferre non potuit, cum primum se se a Deo disiunxerunt; ita neque nobis naturæ imbecillitas perniciem afferre poterit, si Dei voluntati fuerimus affixi; neque vmquam nos ab illius ductu, & imperio seiunxerimus. Inuictum enim robur assequemur, quo facillime cuncta nobis obstantia repellamus, & officijs omnibus cum laude perfungamur. Non est igitur vllo modo cunctandum profiteri, nullam mentem, & rationem, quamuis vegetam, & acrem, omnibusque naturæ præsidijs instructissimam, luce tamen, & gratia Diuina vacuam, posse officium suum tueri, & veræ iustitiæ munus exsequi, & statum animi conseruare. Cũ enim Deus sit mentium lux, cum sit veritas sempiterna, cum denique sit iustitiæ fons, totiusq. vitæ modus, atque moderatio; sequitur, vt, qui se ab illo segregant, sint continuo tenebris oppleti, falsis opinionibus inflati, immoderate in omnes partes agitati, & plurimum ab omnibus iustitiæ laudibus abhorrentes. Vnde cõcluditur, omnem iustitiæ vim in eo positam esse, vt Deo semper agglutinemur; neque aliquid in vita sequamur, quod non sit illius voluntate, & imperio comprobatum. Constat enim, eum, qui in se ponit aliquid, quod ad summũ beatæ vitæ pertineat; qui disciplinam aliquam profitetur, quę non a Diuina mente hausta, & delibata sit; qui denique humanis præsidijs se egregie munitum fore confidit, aliundeq. omnia vitæ subsidia comparat, esse nefarium, & iniustum. Quod vt rectius possit intelligi, ipsius iustitiæ magistrũ
Ioan. 5. in medium afferamus. Vide, quo argumento iustitiam suam confirmat. Non possum, inquit, ego a me facere quidquam. hoc est, non possum ego ius, & fas omne delere, iustitiæ sanctitatem violare, quidquam contra iuris Diuini præscripta moliri; atque (vt vno verbo sensum illius explanẽ) non possum, inquit, ego iniquitatem vllam suscipere: susciperem porro, si aliquid facerem, quod non esset patris mente, voluntate, numine, sententia constitutum. Ex quo quidem loco sane liquet, eum, qui a se promit aliquid, hoc est, qui sensum suum, nõ patris illius optimi voluntatem, sequitur, esse iniustitiæ scelere contaminatum. Adiungit deinde: Sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hic plane docet, id esse verum iudicium, quod patris mente, & sententia continetur; illud verissimum iustitiæ munus, quod ad voluntatẽ illius dirigitur; ita, vt, qui id, quod a Deo non accepere, temere pronuntiant, aut proprium ingenium sequuntur, neque in Dei mentem, & voluntatem respiciunt; sint omnes mendaces, & fraudulenti, omnibusq. iniustitiæ sceleribus alligati. Tum addit: Si ego testimonium perhibeo mihi ipsi, testimonium meum non est verum. Docet, omne maximarum rerum testimonium, quod non est patris auctoritate confirmatum, esse fallax, & inane, ex mendacio, & fraude compositum. Paucis deinde interiectis, inter verum Regem, atque Tyrannum importunum, insigne discrimen apponit. Ego, inquit, veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, hunc accipietis. Coarguit eorum furorem, & amentiam, qui, vero Rege neglecto, & repudiato, immanem Tyrannum ceruicibus suis imponent. Rex autem verus, & in omni genere Regiæ virtutis excellẽs, is est, qui numquam se se iniuriæ vllius contagio maculauit; sed omnia iustitiæ munera semper obiuit. Numquam enim oculos a patris mẽte deiecit; & leges omnes de sentẽtia illius sanxit; & ex volũtate illius Regnum semper administrauit; omniaq. munera, & officia ad illius voluntatem direxit. Contra vero, Antichristus, qui est scelere, & immanitate sua exitium multis mortalibus allaturus, erit totus ex omnium scelerum colluuione, & ex iniustitiæ importunitate concretus. quod quidem ex eo cognoscitur, quod a se sumet omnia; mentem suam consulet; ingenio, & opibus suis fretus, Tyrannidem occupabit; & omnia, quæcumque faciet, ad gloriam suam referet; atque, vt nomẽ suum clarum, & illustre reddat, scelera infinita suscipiet; in eoq. vehementer elaborabit, vt se Deo anteponat. Illum igitur iam studio, & voluntate sequuntur, & imaginem illius gerunt, qui suam inconsideratam temeritatem Diuinis institutis anteferunt; neque in Dei nomen, sed in suam ipsorum gloriam intuentur; qui omnes, quantum in illis est, improbi Tyranni, humanoque generi pestilentes, & perniciosi sunt. Contra vero, illi solum benefici, & salutares sunt existimandi, qui omnia præclara facinora, vt Deo obediant, moliuntur; ad illiusque gloriam dirigunt omnia vitæ consilia. in quo Regem illum imitantur, qui venit, vt ille ait, in nomine Domini. Ecce, inquit alibi, relinquetur vobis domus vestra deserta. dico enim vobis, quod me non videbitis posthac, donec dicatis; Benedictus, qui venit in nomine Domini. De- Matth. 23.
nuntiat illis exitium, & vastitatem, qui imperium illius detrectarunt; eosq. tantisper ait ab ope Diuina deserendos esse, dum in ea improbitate permanserint. Neque enim, inquit, me, in quo solo est omnis vestræ salutis ratio constituta, præsentem habebitis, donec fateamini, esse me Regem illum, quem Dauid Diuino instinctu, & afflatu venturum prænuntiauit; non vt se contra patris imperium in principatu locaret; sed vt omnia ad patrem, tamquam ad summum bonorum omnium principium, & caussam, dirigeret. Idem inquit alibi, Eum, qui Ioan. 6.
venit ad me, non eijciam foras: quia descendi

de

de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Tũ etiam illud, Ioan. 7. Qui a semetipso loquitur, propriam gloriã quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui misit eũ, hic verax est, & iniustitia in eo nõ est. Alio item Ioan. 8. in loco; Si, inquit, ego gloriam mihi assumo, gloria mea nihil est. Multa alia in hanc sententiam illius testimonia colligi possunt, e quibus efficitur, omnem iustitiam in eo esse positã, vt nihil a nobis ipsis sumamus; sed omnia ad summi patris voluntatem, & mentem referamus. Nam & Christus ipse, si aliquid designasset animo secus, quam sibi fuerit a patre imperatum, non modo filius Dei habẽdus non esset, vt illius oratio declarat, sed ne iustus quidem esset vllo modo re Ioan. 7. putandus. Huc enim pertinet, quod inquit, Mea doctrina non est mea; & ego, quæcumque audiui a patre meo, hæc loquor; vt, cum intellexerimus, ne filio quidem vnico, eadem omnino maiestate, & imperio prædito, fas esse quidquã statuere, quod non sit patris sententia designatũ, & constitutum; clarius cernamus, omnem iustitiæ rationem in patris sui moderatione cõsistere: vsque adeo, vt, quisquis aliquid ingenio suo absq. respectu ad patrem, & absq. illius ope molitur, in nefarium scelus incurrat. Hæc quidem filius de sua ipsius persona disseruit. Porro autẽ, Ioan. 16. de Spiritu sancto sermonem instituẽs, ait: Cum venerit ille spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur a semetipso; sed, quæcumque audiet, loquetur. Vide, quo argumento probat, Diuinum spiritum esse veritatis magistrum. eo nempe, quod nihil ex se loqueretur, neq. aliquid enunciaret; nisi, quod sibi esset a patre, & filio, e quibus omni æternitate temporis emanat, inexplicabili ratione communicatum. Vt igitur filij iustitia ex eo perspicitur, quod nihil posit assumere, quod nõ sit patris sententia definitum; vt spiritus Diuini veritas, & sanctitas, eo testimonio confirmatur, quod nihil hominibus explanet, nisi quod ab ipso sapientiæ, & bonitatis fonte perceperit; ita nostra iustitia, & sanctitas, in eo tota consistit, vt nihil in vita, nisi de illius summi Domini sententia, statuamus. Quidquid enim ille non præcipit, quidquid non est illius voluntate constitutum, scelus est; quamuis sit interdum populari fama gloriosum. Contra vero, quidquid ille statuit, quamuis, primo adspectu, tætrum, & inhumanum facinus esse videatur; est tamẽ officium iustum, & debitum, & necessarium, in sempiternaq. laude, & gloria ponendum. Quid enim videtur esse ad laudem præclarius, quam, eos, quos vi belli subegeris, misericordia conserua- 1. Reg. 15. re? At Saul, cum Amalecitarum Regem, quem prœlio fuderat, supplicem, & abiectum excitauit, scelus nefarium commisit; quia contra Dei imperium se benignum videri voluit. Quid contra videtur immanius, quam filium nullo crimi Gen. 22. ne infamem iugulare? At Abraham, cum, vt Deo obediret, vnicum filium, animi sui effigiem, in quo spem omnẽ posteritatis suæ collocarat, manibus suis immolandum suscepit, iustitiæ laudẽ sempiternã consecutus est. Hic igitur vnus tantum est habẽdus officiorum omnium delectus; hoc notandum iuris, & iniuriæ discrimen; hæc iustitiæ, & æquitatis regula seruanda; vt, quidquid intellexerimus esse Diuina mẽte, & ratione sancitum, quamuis illius caussam minime teneamus, iustum, & sanctum, & pium existimemus; quidquid vero cum illius mente, & sententia pugnat, licet videatur esse iustum, & piũ, scelestum tamen, & immane facinus arbitremur: ita semper in omnibus vitæ consiliis, & legem, & numen illius summo studio consulamus. quẽadmodum vir ille sanctissimus ait, Consilium meum sanctiones tuę. Quocirca Deus apud prophetas sæpe cum impiis hominibus expostulat, quod non Domini mentem inquirerent; quod spiritum illius minime consulerent, quod ingenium suũ, quod cogitationes, & consilia sua sequerentur, nec in Dei voluntatem respicerent, neq. illius opem implorarent. Itaq. summũ iniustitiæ facinus, in hac amentia, & improbitate ponit, qua homines, non quid Deus præscripserit, sed, quod illis rectum esse videtur, operibus exsequuntur. At vero, apud Isaiam, cum illius Isaiæ 62. iustitiæ sanctitatem, qua erat Ecclesia exornanda, prædiceret, nomen illi imponit חֶפְצִי בָהּ, hoc est, voluntas mea in ea: vt doceat, omnem Ecclesiæ sanctitatem in ea sitam esse, vt in ea nihil aliud, quam Dei ipsius voluntas dominetur. Vt enim omnis iniquitas, & iniustitia, ex voluntate nostra fluit, (tunc enim scelere iniquitatis alligamur; cum ipsi nobis obsequimur) sic iustitia tunc in nobis efflorescit, cum, nostra voluntate neglecta, omnẽ vitam ad Dei voluntatem accommodamus, neq. sensus nostros, sed spiritũ Christi sequimur. ita, vt posit quilibet cum Gal. 2. Paulo dicere: Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus. Hoc autem fit, cum, oppressis humanis sensibus, & exstincta cupiditate, sensibus Diuinis afficimur, & incitatione quadam mentis ad cælum adspiramus. Omnis igitur iustitia in fidei perfectione consistit. Fides enim hoc vnum munus in vita suscipit, vt cupiditati interitum afferat, vt spiritus tantũ Christi animo dominetur, atq. ita tandem animus ipse cũ Deo, artissimo vinculo coniungatur, vsq. adeo, vt ex animis humanis, atq. Diuina mente, fiat vna voluntas, & studiorum omniũ summa consensio. In hac autem animorũ nostrorum cum Deo, coniũctione, omnem iustitiæ sanctitatem, omnemq. beatæ vitæ rationem contineri, sanctissima illa Christi precatio declarat, qua, pridie illius diei, quo erat afficiendus, pro fructu Ioan. 17. mortis suę patrem veneratus est. Pater, inquit, sancte, serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnũ, sicut & nos. Quam cupiat nos esse Deo coniunctos, & nobiscum inter nos amore consentientes; satis hac ratione perspicitur. idcirco a patre contendit, vt nostri amoris coniunctio Diuinæ naturæ coniunctionẽ, quoad eius fieri potest, imitetur. Deinde, post pauca, docet, illud ar-

ardentissimum caritatis suæ desiderium non esse tantum Apostolorum, cum quibus vixerat, amore, & studio definitum, sed in nos omnes extendi. Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt, per sermonem eorũ in me; vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Vt autem magis ostendat, omnem rationem nostræ dignitatis, cuius constituendæ gratia in crucem sublatus fuit, hoc animorum nostrorum vinculo contineri; in eadem sententia perseuerat. Ait enim, Ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum: vt cognoscat mundus, quod tu misisti me, & dilexisti eos, sicut & tu me dilexisti. Vtrumq. simul docet, & eos, qui Deo sunt pietate coniuncti, esse iam ornamenta Diuina consecutos; & nihil aliud esse, quod Dei gloriam apud homines clarius illustret, quam omnium sanctorum hominum in amore consensus, & conspiratio. Cum enim quilibet eorum sit Deo eximio quodam amore deuinctus, necessario fit, vt sint inter se illo communi amoris Diuini vinculo colligati, tantoq. fœdere consentientes, vt nihil cogitari possit in vita copulatius. Ex ea autem animorum cum mente Diuina consensione, omnis Diuinæ virtutis claritas emanat, & bonorum omnium affluentia, quam intuẽtes homines obstupescunt, Deumq. debita laude venerantur. Cũ igitur, vt iam hinc vltimæ parti finem imponamus, omnia Christi vota eo pertinerẽt, vt e corpore excedentes, ad Deum adiungeremur; omnesq. ab eo suscepti labores ad eum finem spectarent, vt nos iustos efficeret; satis constat, omnem iustitiam in hoc sanctissimo vinculo consistere, quo summo illi Domino, optimoque parenti, deuincti sumus, atque nodo sanctissimo colligati. ex hac autem animorũ cum Diuina mente colligatione, summa tranquillitas, & quies repente nascitur, omniumq. curarũ laxamentum. Vt enim, cum variã, & infinitam, eandemq. immanẽ, & importunam cupiditatẽ sequimur, quieti esse non possumus; sic, cũ, corporis cupiditate liberati, in vnum illud tantum studium incumbimus, vt Deo coniungamur, felicissima laborum omniũ requiete perfruimur. omnibus enim bonis, quorum cupiditate incendimur, & infinitos labores excipimus, & vitam in discrimen adducimus, & cum assiduis molestiis conflictamur; tum demum circumfluimus. Lucem namque Diuinam adspicimus; opes ingentes habemus; eximiis voluptatibus abundamus; excellẽti specie, & forma præcellimus; Regiam postremo dignitatem adipiscimur; ita, vt nullum bonorum genus sit, quod homo præterea in hac vita desideret; maxime, cũ eos, quos eximie diligit, eisdem bonis affluere cõspiciat; & ea de caussa multis partibus amplificato gaudio triumphet. Recte igitur in sanctis litteris, Requietis nomine, iustitia declaratur. in ea nãque operis Diuini perfectio, atq. summa consistit, ita, vt in ea Deus ipse quasi conquiescat. Non quidem ita, vt iusti ab illius procuratione deserantur, aut aliquid in vita absque illius ope moliantur; sed, quemadmodum septimo ab orbe condito die quieuisse dicitur Deus; non vllam instituti muneris vacationem habuerit; sed, quod nihil illis diebus prætermisisset, quod ad Mundi perfectionem, & ornatũ pertineret. ita, vt nihil aliud quies illa designet, quam operis absolutionem. ita post iustitiam in animis informatam, quiescere Deum non incommode dici potest, eo quod opus omniũ pulcherrimũ, in quod reliqua omnia conferuntur, admirabili quodam artificio, & excellẽti opere fecerit, & expolierit. Vt enim post sex illos dies nullum opus, quod ad corporeã naturam pertinet, nouum instituit; nec vllam formam finxit, cuius non ante caussas, atque semina creauisset, cum nihil ad mundi stabilitatem desiderari posset; sic post iustitiam in animis effectam, non opus est, vt Deus nouam aliquam speciẽ ingeneret; sed, vt eam, quam formauit, tueatur, atque conseruet, maioribusq. in dies ornamentis afficiat. Vt igitur artifices excellentes, cum opus, in quod plurimum operæ, & studij contulerant, absolutum vident, relaxãtur animis, & cura omni, atq. solicitudine liberati quiescũt; eximiãq. voluptatem percipiunt; sic, cum Deus in hominis mente iustitiæ formam perficit, & absoluit, ab illa molitione (vt ita dicam) operis conquiescit, & perfectione illius mirifice delectatur. est enim illa requies, animiq. remissio, nihil aliud, nisi operis absoluti comprobatio. Si igitur quieuit die septimo, quod mundum a se perfecte cõditũ animaduerterit: multo ꝑfecto magis quiescit, plenioreq. voluptate perfunditur, cũ opus omnium maximum, cuius caussa reliqua omnia molitus est, expletum considerat. Si enim rationem inquiras, cur cælum astris distinxerit, & ornauerit, cur terram aquis cinxerit, omniq. genere arborum, & frugum conseuerit, cur aerẽ terris, & aquis circumfuderit, & animantia cũcta creauerit, & totum hoc deniq. admirandum opus fabricatus sit; non aliam reperies, quam bonitatem illam eximiam, atq. præcellentem, quæ illum impulit, vt iustitiæ fructum hominibus impertiret. Vt igitur essent in terris homines, qui iustitiam colerent, mũdum ædificauit; non modo, vt haberent aptissimum vitæ domicilium, verum etiam in ipsa natura clarum iustitiæ specimen, atq. documentum, in quod intuentes, sese in iustitiæ studium incitarẽt. Quid legis Diuinæ promulgatio? quid sanctæ religionis institutio? quid Reip. vniuersæ descriptio? quid pręmia bonis a lege proposita? quid supplicia nocentibus, & facinorosis constituta? Nonne hæc omnia iustitiæ caussa fuerunt sancita, sacrisq. monumentis ad hominum sempiternam memoriam consignata? quid de illa Diuinæ clementiæ, & benignitatis magnitudine dicendũ, qua Deus hominũ peccata tolerat; neque, cum primum scelus aliquid immane suscipiunt, meritum

ritum

ritum sumit de illorũ improbitate supplicium: quo spectat alio, nisi, vt vel improbos ad iustitiam a prauitate vitæ conuertat; vel eorum improbitate iustorum hominum virtutem exerceat;vt & improbos seuerius vlciscatur, & probos præmio ampliore remuneret?Sed,vt tandẽ ad id, quod est omnium maximum, veniamus; quid aliud gessit Christus in vita? cuius rei gratia tantos labores suscepit? cur deniq. necem, & cruciatum expetiuit, nisi vt hominum mentes iustitiæ Diuinis ornamẽtis excoleret? Luc. 12. Itaq. ait, se cruciari vehementissime desiderio balnei illius perficiendi,quo erant omnes hominũ fidelium sordes eluendæ.Adiungit deinde, se nihil aliud in vita moliri, quam vt ignẽ cælestem in hominum visceribus implicaret. Ignem appellat illud studium pietatis, ardore iustitiæ vehementer inflammatum.Itaque dicit,adeo sibi gratum esse hoc incensum,& incitatum iustitię studium,vt nihil sit sibi præterea postulandum. Si igitur hoc vnum opus egit, hoc ardenter appetiuit, & huius vnius muneris efficiendi gratia labores immensos pertulit; quæ nam tandẽ erit hic alia requies illius existimanda,quam iustitiæ perfectio, & tanti,tamque Diuini operis absolutio? Sic enim inquit apud Isaiã: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor,iustitia eius; & salus eius, vt lampas, accendatur. Quo in loco plane demõstrat, requietem illius esse in iustitia nostra cõstitutam. Vt enim olim Iosue,cũ multis nationibus signa contulit, atq. conflixit,ingentes exercitus ad internecionem deleuit, quam plurimas ciuitates expugnauit; vt tandem populum sibi commissum in quietis sedibus locaret,atq. laboribus summis cum amplissima laude perfunctus a bello gerendo conquiesceret; sic & Christus, postquã humani generis hostes inuicta virtute repressit, profligauit,& exstinxit;eos omnes, qui sub illius imperio militant, in ipsius iustitiæ possessione constituit;vt ipse laboris sui fructum quiete perciperet;&, qui in illius fide permanent, quietis, & tranquillis animis Diuinæ gratiæ fructu, cum summa vitæ iucunditate,potiantur. Quod non solũ vniuerse in omnibus, sed in singulis etiam hominibus explorate perspicitur. Cum enim Deus hominẽ aut minis exterret, aut præmiis inuitat; cum motum affert animo,eumq. futuri iudicij cogitatione solicitat;cum suorũ opera eum erudit,& admonet,& insectatur;in iustitia constituenda laborat. Cum vero homini in pietatis studium fide concitato iustitiæ possessionem confirmat;tunc ipse quodammodo cessat a labore, quem in iustitia inducenda susceperat;& animos eorum,qui tãtis opibus exculti sunt,quietos,atque tranquillos efficit. Non igitur immerito,iustitia, Diuino beneficio concessa,in sanctis litteris requies Domini nuncupatur. Psal. 131. Iccirco Dauid ait,Surge, Domine,in requiem tuã,tu & arca sanctitatis tuæ. Nec enim tam laborabat Rex ille sanctissimus,vt arca sẽderis, quæ stabilem sedem non habebat,in templo,quod animo designarat,tandem locaretur; quam,vt ipse Dominus sibi stabilem sedem, & domicilium in animis collocaret:quod quidem erat iustitiæ munere perficiendum. adiungit enim:Sacerdotes tui induant iustitiam, & sancti tui exsultent. Videbat enim vir Diuinus, omnẽ lætitiæ caussam in iustitiæ fructu consistere.Idẽ alibi,exemplo eorum,qui perfidia sua conciderunt in solitudine, neque sunt in regionem illã a Deo promissam ingressi, vehementer homines exterret,atq. ad fidei studium exhortatur. Sic enim Deus apud illũ loquitur:Quadraginta annis pertuli gentem illam;& dixi,Hi errant corde; & non cognouerunt vias meas; quibus iratus iuraui,eos minime ingressuros in requiẽ meam.Quem locum Paulus in epistola,quã scripsit ad Hebræos,Diuinitus explanans,argumento necessario concludit,Requietis nomen, neque tam in septimum a natura condita diẽ conuenire, neq. tam in illud otium,Iosue opera in Syriæ regione constitutum,quadrare;quam in iustitiæ fructum,& possessionem. Nec enim Dauid,cum metum proponit hominibus,ne scelere suo a requie Domini penitus excludantur; sabbatum illud intelligit,quod omnes, tam pij, quam scelerati, septimo quoque diẽ incredibili cærimonia celebrabant;neq. regionem illam intelligit,in qua multi, etiam perditi,atq. profligati sedes habuerunt; sed beatissimam illam iustitiæ hereditatem, & possessionẽ,in qua quidem omnes, qui Diuino munere, & beneficio locati sunt,in summa bonorum omnium abundantia requiescunt, & tranquillissima pace, & otio perfruuntur.Relinquitur igitur, vt inquit Paulus,sabbatismus populo Dei. Heb. 4. Sic enim appellat,nomine ab Hebræa voce deducto,illam animi quietem,& otium iucundissimũ,iustitia partum.Tunc addit: Qui enim ingressus est in requiem ipsius, & ipse cessauit ab operibus suis, quemadmodũ a suis Deus.Assignat rationem, quare iustitia nobis a Deo concessa per fidem, non modo requies Domini,sed nostra etiam requies,appellanda sit. Deus enim antea magnã (vt ita dicam) molestiam capiebat; humanæq. perfidiæ, & improbitatis acerbitatem perferebat;multumq. in efficienda iustitia laborabat: a quibus curis omnibus requiescit,cum iustitiã in nobis absoluit.Nec enim iam auocat a flagitiis animum,in quo nullum residet flagitij vestigium;nec iam a scelere deterret eum,quem videt studio probitatis incensum; nec comminatur exitium hominibus omni iam crimine solutis;nec molestiam vllã capit ex illius vita, quæ tota ex ipsius voluntate gubernatur; neq. postremo nouæ alicuius formæ dignitatem efficit in eo,quem iam pulchritudine, & claritate suæ virtutis illustrauit. Cessat igitur ab iis operibus;neq. aliud opus suscipit,quam vt eandem ipsam iustitiæ formam,quam genuit, numine suo tueatur; clarioribusque, & amplioribus in dies ornamentis afficiat. Sic etiam & nos tunc ab ope-

operibus nostris omnino cessamus. nec enim sensus nostros in consilium adhibemus; neq. ingenio nostro confidimus; neq. Diuinæ præscriptioni indicium nostræ mentis anteponimus; nec in vias nostras ingredimur; neq. vi, & impetu multiplicis, & infinitæ cupiditatis in varias partes diducimur; neq. postremo Diuini numinis metu, & ancipiti cura conficimur. Qui enim totam suam vitam, & dignitatem habet in Diuina benignitate repositam, illudq. tãtum summum bonũ intuetur, & respicit; facile animum, ab illa nefariæ cupiditatis infinitate retractũ, ad illam vnam curam traducit, vt illi Domino, cuius complexu omnia summa, & sempiterna bona continentur, amoris eximij indissolubili vinculo copuletur. Hæc est igitur illa requies, quæ sola est salutaris, atque iucunda, Diuinisq. voluptatibus in omni genere referta, ipsiq. Deo gratissima. Quod quidem vt olim lex designaret, in sacrificiis maiore quadam religione, & sanctitate procuratis, dicit Deum fuisse odoratum odorem suauitatis, aut (vt verbum e verbo Hebræo vertamus) odorem requietis. Sacrificium autem Domino gratissimum, & acceptissimum, odorisq. suauitate fragrantissimum, est iustitiæ sanctitas, atque religio; qua quidem requies Dei, & hominum continetur. Vt.n. Deus molestissimis curis leuatur, (nec enim irascitur, neq. minas proponit, nec supplicium irrogat) ita homines metu, cura, & angore, ægritudine, tabe, & cruciatu liberantur; & omni bonorum copia cumulati incredibiliter exsultãt. Nostris enim viis ingressi, in sempiternam pestem ruimus; Domini vero viis ingressi, omnia repente bona cõsequimur; & ita fit, vt quietem cum summa iucunditate, & otium cum dignitate, nobis ipsi pariamus. Quid enim expetit animus? quæ eum cupiditas tenet? quę mentem humanã cura solicitat? cuius rei gratia versat in omnes partes ingenium? in quem finem laborem immensum suscipit? non ne, vt aliquando a laboribus omnibus requiescat? Quiescere autẽ non potest, nisi prius omnibus veris bonis expletus, & cumulatus exstiterit, vt nulla eum cupiditas deinceps exagitet. veris autem bonis affluere non possunt, nisi fuerint ad illũ bonorum omnium fontem applicati. Deum autem cõiungi nequeunt, nisi qui iustitiam sancte colunt. Sic igitur fit, vt nemo quietus esse possit, nisi cum iustitia vixerit. in iustitiæ igitur cultu omnis beatæ vitæ ratio, & summa consistit. Si igitur id præstat animo iustitia, quod nullæ diuitię, nullæ facultates, nulla imperia, præstare possunt; nempe, vt animus ab omni cura, & solicitudine conquiescat; idq. tandem obtineat, in quod omnia vitæ consilia ab omnibus mortalibus conferuntur; cur non, aliis rebus omnibus contemptis, & abiectis, omnes curas, & cogitationes, omniaq. vitæ studia, vni iustitiæ dicamus? Quid enim illa clarius? quid illustrius, & magnificentius? quid bonis Diuinis affluentius? qui enim illa potiuntur, non modo Diuina luce fruuntur, nec solum sacerdotij sanctitate, Regiæq. dignitatis amplitudine præditi sunt; verum etiã Diuino motu animi sæpenumero futura præsentiunt; & res, summa obscuritate inuolutas, & ab omni humano sensu remotas, clarissime cernunt; ita, vt Dij quidam sint inter homines existimandi. Sed, quid mirum, eos tantis in omni genere laudibus circumfluere, qui ex hominibus exierunt, &, ab ipso Deo adoptati, in Diuinam quodammodo naturam conuersi sunt? Qui igitur tam multis bonis referti sunt, quanto gaudio cumulabuntur? quanta lætitia efferentur? quos cantus, & carmina personabunt? quanta denique in voluptate perpetuo versabũtur? quid autem de sempiternis illis præmiis post hanc vitam iustitię constitutis disseram? Numquid aliquem Pamphylię militem ob Rep. interfectum ab inferis excitabimus, quod Socrates apud Platonem facit; qui nobis fabulas suas exponat, iustitiæq. præmium circumscribat? Num Africanum illum, quem Cicero somnia sua narrantem inducit, admonebimus, vt, quæ sibi per quietem visa sunt, de futura bonorum gloria nobis explanet? Minime gentium. non enim figmẽtis hominum, aut somniis vllis indigemus; cum ipsius sempiternæ veritatis voces intimis sensibus audiamus, cælestibusq. disciplinis instructi, perfecte cognoscamus, esse omnibus, qui cum iustitia vixerint, definitum in cælo locum, in quo, summis bonis expleti, & Christo gloriæ communione coniuncti, sempiterna gloria, cum immensa, & inexplicabili voluptate perfruantur. Illic igitur nec ægritudo gaudiũ contaminabit; neq. decus vllum contagium turpitudinis inquinabit; neque opes calamitas vlla peruertet; nec statum illum florentissimũ vetustas vlla consumet. Absterfurus enim est Dominus, vt inquit Ioannes, omnem lacrymã ab oculis eorum, & mors vltra non erit; neq. luctus, neq. clamor, nec dolor erit vltra. Quas lacrymas narrat? non ne demonstratum est superius, omnem iusti vitam in voluptate versari? Optime. Sed illa voluptas, atq. lætitia, quamdiu hac compage corporis inclusi, quasi ferro vincti, detinemur, non potest non esse cum insigni aliqua molestia coniuncta. Primum enim, cum corpus sit innumerabilibus morbis obnoxium, fieri non potest, quin animum, cum corpus ipsum morbo vexatur, aut vulnere sanciatur, aliquis sensus doloris afficiat. Deinde, cum recogitat, se aliquando officio functum nõ fuisse, sed multis sese olim flagitiorum maculis inquinasse; necesse profecto est, vt eam temporis iacturam dolenter patiatur. Tum illa cura animum iusti sæpe solicitat, verentem, ne quidquã imprudens admittat, quod Dei voluntatem, cui maxime placere studet, offendat. Caritas etiam interdum illum vehementer excruciat; dum cernit, legem Diuinam hominum improbitate conculcari, multosq. mortales amentia præcipites ad supplicium sempiternum trudi. Postremo, vt nihil sit aliud, quod illius angat ani-

animum, certe illud futnræ gloriæ desiderium, de qua noctes & dies cogitat , eum in mærote, atq.luctu sępenumero versari cogit.Est ille quidem summis opibus præditus; non nego:maximis præsidiis instructus; confiteor : habet egregiam gloriandi materiā; bene narras:voluptatem eximiam ex spiritus Diuini suauissima cōiunctione, & familiaritate capit ; verissime dictum est.Cum tamen animo reputat, præmij illius sempiterni magnitudinem , & intelligit,ea bona,quibus affluit,nullo modo esse cum illis futuris bonis,quæ sperat,vlla ex parte comparanda,se plane relegatum putat;atque,quasi in graui exsilio constitutus,gemitu, fletu,& singultu, cupiditatem suam patriæ illins sempiternæ potiundæ sæpe significat.Hæ tamen molestiæ voluptatis eximiæ compensatione mitigantur,& iustitiæ ipsius dulcedine facillime leniuntur; ita, vt nihil posit in vita cogitari illis lacrymis, & fletu iucundius.Esse tamen in ea voluptate aliquid doloris admixtum,& eædem ipsæ lacrymę declarant.Eas igitur omnes clementissimus ille pater absterget,cum filios suos,mortali corpore exsutos,immortali cultu vestiet; Diuinisque opibus,atq. sempiternis exornabit . Accedet ad maiorem gloriæ cumulum; quod,cū extremo tempore corpora nunc sepulta reuixerint, Diuina quædam claritas ex animis in iustorum corpora redundabit; ita, vt,quæ erant crassa,caliginosa,caduca,fragilia, sint repente admirabili luce collucentia,cælesti virtute firmata,inuictoq. robore munita.Sed, de præmiis illis sempiternis quid attinet disputare,cum ea neq. verbis explicari, nec oculis vsurpari, nec cogitatione comprehēdi possint. Maiora namque sunt,quam vt ea ingenium aliquod, quantumuis magnum, & excellens,Diuinisq. disciplinis instructissimum, aliqua tandem ratione consequatur.Cum enim iusti Deum intuebuntur, cum illius splendore collucebunt, cum totam mentem habebunt in illa summa,atq. præcellenti specie defixam;erūt ipsi Deo vitę splendore, & claritate simillimi.Ex quo fit, vt nemo possit eorum Diuinam gloriam, non dico oratione , aut stylo consequi,sed neque mente, & cogitatione complecti.Ea igitur, quæ præstare non possumus,omittamus:quæ autem,Dei pręsidio firmati,possumus,id susciapimus; vt, assiduis precibus,ab illo summo iustitiæ magistro, qui, vt nobis iustitiæ disciplinam traderet, humanam formam induit, contendamus, vt nos iustitiæ Regio cultu, ornatuq. vestiat ;gloriæq. tandem sempiternæ, atque adeo Diuinitatis ipsius compotes efficiat.

F I N I S.



IN LIBROS V. DE VERA SAPIENTIA

Ad Gregorium XIII. Pont. Max.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

PRÆFATIO.



VM natura insitum in mentibus humanis sit, esse vim Diuinam, atque sempiternam, qua omnia mouean tur, & conseruentur; in ipsius Diuinæ naturæ notitia comparanda, fuit olim a multis hominibus sine vllo fructu omne studium vitæ consumptum. Atque in principio in eum errorem inciderunt, vt Soli, Lunæ, & Sideribus, nempe quibus neque pulchrius quidquam, neque salutarius cogitare poterant, Diuinitatem tribuerent. Deinde, a cælo delapsi, (neque enim poterant animi vitiorum pondere, quod augebatur in dies, miserè depressi, in cæli regione diu peregrinari) Deum in terrenis sordibus, in impuris voluptatibus, in monstris horrificis inquirere, & inuestigare cœperunt, atque tandem, impurissima religione constituta, finem vlterius progrediendi sibi statuendum esse decreuerunt, quasi iam fuisset id, quod ardentissime concupierant, feliciſsime consecuti. Itaque, vero Deo furenter, & impie neglecto, tanta dementia vexati sunt, vt etiam flagitiis, & horrificis monstris, & quadrupedum, & serpentium simulacris immolarent; & furias etiam, atque adeo feritatis sempiternæ truculentiam honoribus Diuinis afficerent. Similiter est de Sapientiæ studio iudicandum. Omnes enim illius cupiditate tenentur, nec quidquam vel pulchrius, vel admirabilius esse iudicant rerum cognitione: pauci tamen in ea comparanda, propter desidiam, & imbecillitatem animi, neruos intendunt. Qui tandem ingenio valent, & ad claritatem nominis adspirant, omnemq. sibi ætatem in studio sapientiæ conterendam esse decernunt, sæpenumero fit, vt multo maiora signa temeritatis, & amentiæ dent, quam illi, qui studium sapientiæ prorsus abiiciunt. Vt enim, qui Dei numen præcellentiſsimum ignorabant, & Deum sibi in terris turbulentiſſimi erroris opinione fingebant, quo maiore cum superstitione diriſsimis illis sactis adstricti erant, eo grauius in se iram Diuinam incendebant; ita, qui sapientiæ student, quo maiore conatu ad eam enituntur, eo ple-

plerumque grauioribus amentiæ stimulis agitantur; eo quod se longissime a verissima sapientiæ ratione diuellunt. Si enim sapientia est summæ, atque sempiternæ caussæ cognitio; quam aliam caussam possumus assignare rerum omnium, quam summum illum Dominum, qui omnia designauit, effecit, & constituit; per quem omnia conseruantur, & ad vltimum naturæ suæ finem referuntur? Consequens igitur est, vt, qui in Deo defixam mentem non habent, sapientes esse non possint; immo, quo maiorem operam in sapientiæ studio collocant, eo tætrioribus amentiæ tenebris obruantur. Vt enim, qui nocturna caligine iter magnum suscipit, cum primum viam rectam deserit, quo magis accelerat, eo longius a loco, quem petit, aberrat; ita, qui sine Diuina luce sapientiæ operam nauat, quo mentem in naturam acrius intenderit, & ingenium suum argutius in omnes partes versauerit, eo furentius in pestem ruet. Vera namque sapientia in vigenti, & incensa fide, qua Deum, quo ad licet, mente complectimur, tota consistit. Ea namque nobis iustitiæ donum conciliat; ea mentem claritate Diuini splendoris illustrat; ea postremo animos nostros summis, atque sempiternis bonis egregie locupletat. Si ergo verum Inuenire volumus, statuendum nobis est, semper fore a lumine veritatis auersum, qui minime sempiternam veritatem intuetur. Sapientiæ fructum vehementer exquirimus: fructus illius est vita beata, qua sola frui poterunt animi, qui Domino beatissimo coniuncti fœdere sempiterno sunt. Qui autem se ab hoc summo bonorum omnium fonte remouerint; quo longius abscedent, eo grauioribus miseriis, & ærumnis opprimentur; & maioribus suppliciis æuo sempiterno cruciabuntur. Vt igitur, qui naturam sibi Diuinam placare conabantur, dum falsos sibi Deos adsciscebant, ipsum numen, quod propitium habere cupiebant; fœdissimis sacris irritabant; ita multi, qui sapientiæ cupiditate flagrant, dum sapientiam amplexari student, in pestiferos errores delabuntur. Sunt enim quidam, qui cæli spatia immensa metiri nituntur, cum se ipsos penitus ignorent; sunt, qui argutiis insolescant, cum litteris, & argutiis inanissimis sibi pestem machinentur; sunt, qui sibi peracuti videntur, eo quod homines apertos, & simplices callide circumueniant; & non vident se multo miserius illis ipsis fraudibus implicari. Denique, ne plura consecter, multis rationibus, dum multi summæ sibi sapientiæ nomine placent, summa furoris, & amentiæ documenta constituunt. Illa namque summa dementia est, quæ falso in sapientiæ nomen arroganter inuadit. Præterea nihil est Rebuspublicis calamitosius. Quid enim est ad euertendam Remp. efficacius, instructæ, & armatæ temeritatis audacia? Audacia porro summa, falsum sapientiæ nomen, si, vt plerumque fit, popularis insaniæ fautrix exstiterit, necessario consequetur. Vnde concludi potest, omnes fere Rerumpublicarum, quæ opibus, & imperio floruerunt, euersiones a falsa sapientiæ opinione ortum habuisse. Si igitur, in euellenda falsa multarum nationum religione, Cruce proposita a Diuinis hominibus laboratum fuit; æque propemodum pugnandum censeo, vt falsa sapientia funditus euertatur, vt facilius vera claritas elucescat. Magnum quidem opus est, persuadere hominibus elatis, & confidentibus, & terrenis opibus nimium affixis, summum, & altissimum sapientiæ gradum in Cruce Christi, & in humilitatis disciplina, quam Philosophi despiciunt, esse constitutum. Sit, quantum velint homines, arduum, atque difficile; quid tamen in eo efficere possim, mihi certum est experiri: ita tamen, vt ingenio meo minime nitar, sed omnem spem in auctore sapientiæ reponam. His igitur quinque libris statui omnem verissimæ sapientiæ rationem complecti, quos tibi dicari constitui; partim, vt nomine S. T. contra improborum calumnias, & conuicia præmunirem; partim, vt meam erga te obseruantiam, & pietatem testimonio, si fieri posset, sempiterno declararem. Accedit, quod vix quidquam mihi conuenientius occurrebat, quam libros de Sapientia inscriptos Pontifici sapientissimo consecrare. Quid enim tibi ad sapientiam summam deesse possit, non facile quisquam dixerit. Summum enim ingenium summis artibus excolui-

sti:


sti : longo rerum vsu prudentiam insignem assecutus fuisti : in omni genere virtutum, quibus Reip. salus, & salutaris moderatio continetur, excellis : quanta solicitudine Christi Ecclesiæ prospicias, apparet; quanto studio pacem, & otium tuearis, omnibus explorate cognitum est. Quantam operam similiter in eo ponas, vt omnes & humanitatem tuam diligant, & seueritatem vereantur, nemo ignorat. Sed, de laudibus tuis plura dicere, temerarium fortasse multis videbitur, cum eæ sint omnibus notæ, & operibus clarissimis illustres. Tuam vero Sanctitatem oro, & obsecro, vt hos nostros conatus boni consulat, studiaq. nostra in sanctam Ecclesiam benignitate sua singulari complectatur. Quod si fecerit, animum mihi certe dabit ad alia multa, quæ apud me compressa sunt, ad Ecclesiæ vsum, & vtilitatem in lucem proferenda. Felicissime valeat S. T. ad totius Christianæ Reip. salutem, & incolumitatem.



HIERONYMI OSORII LVSITANI

DE SAPIENTIA

LIBER PRIMVS.



VM multis argumentis immortalitas animorum hominibus Diuinæ legis ignaris ostendi possit, haud scio, an sit aliquod firmius, & vehementius eo, qnod insita cupiditate sapientiæ continetur. Cum enim ea sit rerum altissimarum, & Diuinarum cognitio, is, qui sapientiæ cupiditate flagrat, indicat se ad Diuinum statum adspirare: quod facere non posset, nisi cælitum agnatione teneretur. Animorum namque beatorum, atque cælestium pabulum sempiternum, est, Deum videre, illiusque speciem, & pulchritudinem clara, & illustri mentis acie contemplari; & ita quodam modo in naturam illius conuerti. Qui igitur sapientiæ desiderio tenetur, se Dei similem fieri concupiscit: quod certe non appeteret, si id omnino fuisset humanæ naturæ denegatum. Id enim quælibet res insito naturæ sensu desiderat, ad quod nata, & apta est, & cuius fructu naturæ ipsius perfectio continetur. Quantum vero intelligendi desiderium natura nobis insenerit, in pueris cernere licet, qui, cum primum loqui incipiunt, multa quærunt; multa curiose, & diligenter inuestigant; ita, vt, etiam quæ in cælo fiant, quæ natura Solis, atque Lunæ sit, &, quantum summi vertices montium a cælo distent, inquirant.

Fabulis autem mirabiliter oblectantur, adeo, vt earum dulcedine vehementer allecti ciborum interdum memoriam deponant.

Quo autem clarior eorum indoles est, eo plura nosse desiderant; & acrius, & attentius mentem in ea, quæ narrantur, intendunt. Non possunt illi quidem, quid verum, quid falsum, quid cohærens, & verisimile, quid disiunctum, & incredibile sit, ratione discernere. Quanta tamen multa cognoscendi cupiditate teneantur, curiositas inquirendi, & voluptas andiendi facile declarat. Cum vero ætate progrediuntur, vbi veritas lateat, curiosius examinant; labi, decipi, errare turpissimum iudicant; neque mediocrem voluptatem, si valent ingenio, ex artibus, quibus ætas illa institui potest, accipiunt. Quod si libido, & ambitio, & auaritia, & reliquæ vitæ pestes tantas vires non habuissent, studium sapientiæ multo ardentius exstitisset.

Sed, cum adolescentium animi, his morbis agitati, in diuersas partes distrahunt, nullum tantum malum est, qnod non in eorum vitam incurrat. Nullum tamen grauius, & pestilentius est ipsius mentis errore, in quo inest malorum omnium seminarium. Ex eo namque omnes calamitates, omnes rerum publicarum, & priuatarum euersiones, omnia bonorum omnium detrimenta nascuntur. In quo tamen errore qui sunt, sapientiæ studium, vt existimant, non intermittunt. Sapientiæ namque fructus est vita beata. Beata porro vita bonorum affluentia continetur. Bona autem sunt opes, honores, voluptates non futiles, & inanes, sed stabiles, atque sempiternæ. *Bona quæ sint.* At, qui se libidini constringendos dediderunt, dum dinitias immanes appetunt, dum vmbras falsæ gloriæ consectantur, dum flagitiosas voluptates exquirunt, dum versute, & callide in rebus inanissimis comparandis omne studium vitæ consumunt, se sapientiæ officio fungi putant, eo quod opinentur omnia illa valde ad bene beateque viuendi rationem pertinere. Itaque, dum Calliditati Sapientiæ nomen imponunt, nimiumq. malitiæ suæ confidunt, illisq. bonis inhiant, quibus humana sitis expleri, & satiari non potest, sero intelligunt se sine vllo fructu vitam in beatitudinis studio contriuisse. Qui licet in summa inanitate versentur, numquam sic sensibus orbati sunt, vt non eos interdum, qui in aliam ingressi viam se sapientiæ dicauernnt, admi-

rentur, & dignos honoribus amplissimis existiment. Cur igitur tam multi reperinntur, qui de sapientiæ doctrina detrahunt? Quia, languore, desidiaque fracti, & flagitiorum morbis oppressi, sapientiæ luce se frui posse desperant; & ideo, quod assequi studio nequeunt, oratione vituperant. Non enim æquo animo ferre possunt, aliquem tantum vera dignitate præcellere, vt ipsi ad illum collati homines existimari minime debeant.

Homines quo bruta antecellãt.

Quid enim est, quo homines brutis animantibus antecellant, nisi mente, consilio, ratione? His autem rebus tantum sapientes insipientibus antecedunt, vt insipientes, eorum comparatione, brutorum animantium instar obtineant. Hoc igitur inuidia ferre non potest: & ideo, quantum potest, in sapientiæ studium, quod exstinctum cupit, inuehitur. Ad hoc malum accessit sophistarum loquacitas, quæ, cum se sapientiæ nomine in animos imperitorum insinuare vellet, ostentatione quadam vanissima multis mortalibus illusit, occultasq. libidines fronte, & supercilio, quasi inducta veste, contexit: quæ, cum se tandem profudissent, euersionem optimis artibus, & communibus rebus intulerunt: sapientiæque nomen odiosum, & inuisum reddiderunt. Non enim cuiusuis est, saltem in principio veram sapientiam a malitiosa calliditate distinguere: euentu tamen, quantum inter vtramque intersit, intelligitur.

Calliditas, q̃ efficiat.

Calliditas enim, malitia, & ostentatione subnixa, emolumenti sui gratia turbas efficit; seditiones concitat; religionem violat; pudorem exterminat; castitatem oppugnat; mendacio gaudet; & est denique decoris, & honestatis, & tranquillitatis inimica.

Sapientia, q̃ efficiat.

Contra vero, Sapientia pacem firmat; religionem tuetur; pudorem sancit; veritatem colit; est officij magistra; & omnia denique verissimæ virtutis ornamenta gremio suo complectitur. Quid igitur illa clarius, & amplius, & magnificentius cogitari potest? Quid vtilius, & salutarius? Quid pulchrius, & amabilius?

Mẽs in homine principatum tenet.

Ea namque mentem, quæ in homine principatum tenet, splendore Diuini luminis illustrat; ea cupiditatem, & libidinem coercet; ea motus inanes comprimit; ea animis pacem conciliat; ea postremo humanas mentes cum Diuina conglutinat. Quod si beata vita honestatis tantum pulchritudine, & virtutis inuictæ præsidio continetur, sapientia est, quę vitæ modum, quæ decoris elegantiam, quæ iustitiæ splendorem, quæ virtutis ornamenta præbet; quæ animi statum firmo, atque Diuino præsidio confirmat. Si vero, vt multi suspicati sunt, ad beatæ vitæ cumulum huius etiam vitæ commoda requiruntur, intelligendum est, eorum vtilitatem non esse in possessione, sed in vsu rectissimo constitutam. Multis enim species, & pulchritudo exitio fuit; multis viribus ad suam, & suorum perniciem abusi sunt; multi, opibus freti, patrias suas euerterunt; multi postremo claris artibus sunt in vniuersam Remp. pestem nefarie machinati. Bonum vero non est appellandum, ex quo malum nascitur. Ea igitur, quæ vel ad naturam, vel ad fortunam referuntur, quæ bona vulgo nominantur, tum demum bona dici poterunt, cum ij, qui ea possederint, illis recte vsi fuerint. Eorum autem rectus vsus sapientiæ moderatione continetur. Itaque Sapientia non est solum totius decoris, & dignitatis efficiens, verum & felicitatis vniuersæ parens, & altrix. Nec enim, vbi sapientia dominatur, fortunæ temeritas locum habere potest. O Diuinum sapientiæ lumen, quis potest laudes tuas enumerando percensere? Tu namque homines a libidine ad officium, & continentiam traducis; tu artes salutares, quibus hominum vita continetur, instituis; tu ordinem rerum publicarum collocas; tu reges hoc nomine dignos splendore Diuinæ lucis illuminas; tu placidissimam animorum pacem constituis; tu dignitatem, & impunitam libertatem elargiris; a te laudes omnes virtutis, & sempiternæ dignitatis emanant; tu denique mortales immortalitate donas, ipsiq. Deo amore sempiterno deuincis. Quæ igitur cæcitas eorum est, qui non, vt te aliquando perfruantur, ingentes labores excipiunt, & pro te etiam mori cupiunt? Immortalitas enim est, amore sapientiæ mortem libenter oppetere. Sed, quo maius, & amplius, & illustrius est sapientiæ nomen, latiusq. patens vtilitas, eo difficilius esse videtur illius studium. Si enim sapientia est veritatis inuentio; veritas autem, vt homines eruditissimi olim confirmabant, in profundo demersa latet; dubium non est, quin sit, ad sapientiam peruenire, difficillimum. Non igitur immerito Pythagoræ modestia laudari solet, qui se non Sapientem, sed Philosophum appellari voluit. Philosophi enim nomen sapientiæ studiosum significat. Illius auctoritate factum est, vt, Sapientiæ nomine suppresso, Philosophiæ nomen in ore omnium versaretur; nemoq. deinceps, qui non stulte arrogans esset, inueniretur, qui nomen Sapientis assumeret. Vt enim Socrates apud Platonem dicit, solus Deus est natura sapiens. Humana autem sapientia, vt ille dicebat, in animi moderatione perspicitur. Ille namque inter homines sapientia præcellit, qui tenebras, in quibus hominum vita versatur, non ignorat, &, se nihil sapere, ingenue confitetur. Quid igitur impulit homines excellente ingenio præditos, vt in rem tam difficilem tantum operæ, & studij conferre vellent? An, perinde atque ij, qui fama tantum eximiæ formæ commouentur, sic illi ad cupiditatem sapientiæ, cuius expressam formam intueri non poterant, exarserunt? Quod si adumbrata sapientiæ species, atque nomen tantum apud eos valuit, vt;

præ

præ illius studio, omnes voluptates aspernarentur, & commoda vitæ contemnerent; quid tandem nobis faciendum est, qui possumus ex vera sapientia fructus maximos, atque sempiternos excipere? Ipse enim Socrates nobis certam, & directam sapientiæ viam monstrat. Nam solum Deum dicit esse natura sapientem. Ergo, qui se ipsi Deo in disciplinam tradiderit, disciplina sapiens esse poterit. Opus tamen nobis est, ad Deum adeundum, aliquo ductore, cuius opera facilius id, quod volumus, adipiscamur. Quem igitur potissimum deligemus? In tanta diuinorum hominum copia difficilis electio est. Attamen, quod ad præsentem materiam attinet, in primis nobis noster Paulus occurrit. Is enim, non ab hominibus instructus, sed spiritu Christi eruditus, tantum in studio sapientiæ progressus est, vt, mente etiam in cælum euectus, ea Diuinæ mentis arcana perspiceret, quæ hominibus explicari non possunt. Is tantum sapientia præstitit, vt orbem terrarum tenebris liberaret; & cunctis gentibus lumen clarissimum præferret; hominesq. amore, & studio gloriæ immortalis incenderet. In illius mente Christi spiritus insidebat, ita, vt Paulus Christi ipsius sacrarium, atque dedicatum templũ posset existimari. Quis nam igitur verius nobis sapientiæ disciplinam tradiderit illo, in cuius mente sapientia sibi domicilium collocauit? Quæ nam est autem huius viri sanctissimi doctrina? Gorgias, Protagoras, Euenus, Hippias, Thrasymachus, & reliqui, qui Socratis ætate sibi variam, & multiplicem sapientiam ar rogabant, non eloquentiæ tantum disciplinam, sed virtutis, atque sapientiæ se facillime traditoros afferebant. Nihil esse dicebãt tam abstrusum, atque reconditum, quod non eruerent; nihil tantis obscuritatibus inuolutum, quod non explicarent: nullam autem rem excipiebant. Si ue enim res, quæ in quæstionem vocabatur, in naturæ peruestigatione, siue in officiorum moderatione, siue in Reip. administratione, siue in imperatoria disciplina, siue in quolibet alio artificio versaretur, de ea se ex tempore disputaturos esse iactabant: ita, vt nemo posset, vt dicebant, in re vlla sapientiæ rationem magis illustrem, & luculẽtius explicatam requirere. Hac tam insigni ostentatione, & leuitate, & his tam magnificis promissis, ad se iuuentutem sapientiæ cupidam alliciebant. Quis enim non valde cuperet omnium rerum cognitionẽ intra breue tempus (hoc enim magistri pollicebantur) non ita magna mercede complecti? At noster Paulus quid discendum proponit? Ad cuius artis disciplinam omnes mortales inuitat? Quid se scire profitetur? Nihil quidem prima specie clarum, & amplitudinis ostentatione magnificum; id tamen, in quo omnes opes verissimæ sapientiæ consistunt. Quid igitur illud est? Ego, inquit ad Corinthios scribens, non sum arbitratus me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Quanto verborum compendio sapientiæ verissimæ summam complexus est? Pythagorici musices ignaros a schola repellebant: Platonici eos, qui non multam operam Arithmeticæ, & Geometriæ dederãt, non admittebant. At Paulus omnes & eruditos, & imperitos admisit; & neminem, qui discendi studio ad illum accederet, exclusit. Qua disciplinæ mercede? Eorum ipsorum, quos instituendos susceperat, salute, pro qua sanguinẽ profundere paratus erat. Sic autem factum est, vt, cum illi, qui sapientiã ostentabant, discipulos erroribus infinitis imbuerent; Paulus, qui miram humilitatis speciem præferebat, auditores cælestis sapiẽtiæ disciplinis illustraret. Sed vim ipsius disciplinæ videamus. Iudæi, inquit ille, signa petunt; Græci sapientiã quærunt; Nos autem prædicamus Christum, crucifixum: Iudæis scandalum, Græcis stultitiam, vocatis autem Iudæis, atque Græcis, Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ex his Pauli verbis intelligi potest, eos, qui sapientiæ operam dabant, in duo genera distributos fuisse. Quidam enim fuere Iudæi, alteri autem Græci. Græcis autem reliquæ nationes annumerandæ sunt, quæ eadem via, & ratione studia sapientiæ colebant. Iudæi signis, Græci argumentis sapientiam sibi parare nitebantur. In quanto tamen errore vtrique versarentur, explicandum nobis est. Atque primum de Iudæis orationẽ habebimus; deinde ad Græcos veniemus. Iudæi, vt Paulus inquit, signa petunt: in quo non ita vituperandi videntur. Intelligunt enim fortasse, sapientiam non esse hominis inuentũ, sed Dei munus, atque beneficium. Itaque non humanis argutijs, sed Diuinis testimonijs sibi nitendum existimant. Non enim pro vero habendum putant, nisi quod diuinitus enuntiatum fuerit. Vt autem aliquid a Deo enuntiatũ esse constaret, admiranda signa requirebãt. Quod vt facerent confidentius, sanctissimorum hominum sibi exempla proponebant. Abraham enim, quamuis iam fuisset iustitiam consecutus, vt clarius tamen cerneret, hereditatem sibi, & posteritati suæ promissam, esse fœdere sempiterno confirmandam, sibi signum dari postulauit. Hoc enim significauit, cum dixit: Vnde scire possum, quod possessurus sim eam? Moses similiter sibi signum præsentis numinis ostendi concupiuit, vt facilius populo fidem faceret. Quod autem ardenti fide petijt, feliciter impetrauit. Itaque signis auctoritatem suam constituit; signis rebelles, & contumaces euertit; signis Israelem in libertatem vindicauit; signis summũ sacerdotium sanxit; signis leges, mores, & instituta consciuit; omnis denique illius disciplina, signis admirandis tradita, recepta, confirmata, & stabilita fuit. Similiter Iesus, filius Nun, signis populum in sui admirationem conuertit; innumerabiles hostes absumpsit; & clarissimas victorias consecutus est. Eadem ratione Gedeon signa non semel efflagitauit: signa Ma-

nue

Marginal notes: Paulus non ab hominibus instructus, sed spiritu Christi eruditus. — 1. Cor. 1. — 1. Cor. 1. — Signa requirebãtur — Gen. 15. — Exod. 4.

nue Samsonis pater eodem studio requisiuit. Quid de Heliæ signis admirandis edisseram? In. 38. Quid de Helisæi miraculis verba faciam? Quid illud maxime admirandum signum Ezechiæ datum oratione commemorem? An parum liquet maximas olim sanctorum hominum admonitiones, sanctiones, actiones, signis constitutas fuisse? Nou igitur immerito Iudæi videntur omnem veritatis explorandæ rationem in signis collocatam habuisse; eorumque studium magis videtur esse ad religionem, quam ad fidei inconstantiam referendum. Attamen, qui secum reputauerit, quam multa flagitia in hac Iudæorum petitione sint, ab ea, tamquam ab infandi sceleris contagione, refugiet. Illi namque sanctissimi viri, cum tempus signa postulabat, (eraut enim res euenturę signis adumbraudæ) & cum id Dei gloria flagitabat, (erant enim mentes hominum in fide nutantium confirmãdæ) signa uon tam sibi, quam alijs, requirebant. At, qui se illorum vestigijs ingredi simulabant, rebus iam multo clarius expressis, & firmissime constitutis, cum signa petebant, de fide Diuina dubitabant. Sic faciebant illi, qui dicebant, Estne in nobis Dominus? an non? Item illi, qui, cum viderent aquas perennes e silice Diuino beneficio prorupisse, de cibis, quos intemperanter efflagitabant, an possent a Deo in vastissima illa solicitudine donari, ambigebant. Itaque dicebant, Numquid Deus panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Illa autẽ dubitatione non mediocre in Deum scelus ediderunt. Aut enim illius fidem, tantis beneficijs, atque tam sæpe confirmatam, in dubium reuocabant; aut illius infinitam potentiam angustis admodum finibus circumscribebant. Quale, aut quantum signum requiris, homo? Num maius cæli totius conuersione? num illustrius solis splendore, & claritate? num salutarius vniuersæ naturæ ad humanæ vitæ præsidium consensione? At, inquiunt, illa quotidie videmus, & iccirco minus admiranda ducimus. Quasi vero minus admirabile sit, quod est stabile, atque sempiternum, quam id, quod momento temporis euanescit; aut clarius beneficium sit, quod est vni genti concessum, idq. certo temporis spatio definitum, eo, quod est quotidie cunctis gentibus, immeusa Dei benignitate, & magnificentia, tributum. Præterea, si te non mouent vlla signa, nisi quæ raro videntur; cur in singulis pæne rebus signa requiris? Si enim signa, quæ postulas, peruulgari senseris, illa contemnes. Nam, si propter oculorum consuetudinem opera Diuina, quæ sunt nimis admiranda, pro nihilo putas, certe maiore cum fastidio minora signa despicies. Quod igitur remedium Iudæus malis suis inueniet? Fidem habere recusat, nisi signum prius adspexerit. Ergo, si multa signa non viderit, fidem paucis rebus adiunget; si signa multiplicata conspexerit, ea consuetudine fidẽ signis omnibus abrogabit. An non hoc olim vitio miseri homines periculose laborabant? An non collata singulis diebus beneficia, propter eorum frequentẽ vsum, & consuetudinem, fastidiose respuebãt? Cælesti pabulo, quod omuem suauitatem iu se continebat, alebantur; e rupe, quam Moses virga percusserat, aquæ dulcissimæ ingenti copia dimanabant; coturnices inuectæ eorum ingluuiem satiabant; solis ardorem nubes ab eorum capitibus arcebat; noctis tenebras admirabilis splendor discutiebat; hostes præferoces in eorum conspectu exanimati concidebant; & tamen, eo quod nullus fere dies intercederet, quo non Deus signo aliquo se illis præsentem adesse significaret, signa contempserunt; & tamen libertatis beneficium ingrate, & impie despexerunt; & tamen Aegyptiorum allia, & cæpas dapibus Diuina benignitate concessis aute tulerunt. Non igitur signorum frequentia Iudæorum salutem constituet; sed miseriam multis modis amplificabit. Quo enim signa frequẽtiora sunt, eo scelestius, qui fidem violat, Dei maiestatem offendit. Quid igitur signa petuut, quæ, si rara sunt, obliuione conteruntur; si peruulgata, & vsitata, contemnuntur? Præterea, dignum non est Dei maiestate, frequentibus signis fidem suæ probitatis, quasi ea parum comperta sit, facere conari; &, qui illa flagitãt, perfidia sua dedecus nomini illius inurunt. Cõtumeliã enim Deo inferunt, qui illi, nisi signis, quasi fidei parum exploratæ pignoribus, credere nolunt. Præterea, parum est amplitudini illius consentaneum, corporeis signis frequẽter ostensis Diuinitatis fidem confirmare. Alia enim sunt signa multo clariora, magis illius numini congruentia, quæ valde frequentia sunt; ita tamen, vt frequentia coutemptionem non afferat, sed gloriam illius indies magis illustret: de quibus postea dicemus. Hæc vero, quæ homines humi stratos, si non in sceleribus nimis obstinati fuerint, ad credendum, & fidẽ habendam impellunt, cum primum lex Diuina sancitur, aut aliquod noui operis exordium nascitur, dari a Deo solent. Postquam vero lex, & sanctio promulgata, & moribus comprobata est, & opus aliquod Diuinum ad salutem totius vniuersitatis absolutum, omittuntur. Aliter enim, si frequentius darentur; & fidei splendor posset attenuari; & signi ipsius claritas vsu frequentiore contemni. Deinde, periculum esset, ne homines, signis assuefacti, res signis adumbratas consectari negligerent, &, imaginis assimulatæ pulchritudine contenti, pulcherrimã veritatis ipsius speciẽ intueri non appeterent. Postremo, signi nomen, non veritatem, sed veritatis imaginem designat. Nec enim hominis simulacrum homo verus est; neque species animantis in aquis perlucidis, aut in speculis extersis animaduersa animans est; nec pictura aliquid solidum, & expressum in oculis ponit. Sapientia vero non adumbrata veritatis similitudine, sed veritatis ipsius cognitione continetur. Tantum vero abest, vt in signis collocanda

sapientia

sapientia sit, vt is magnos in illa progressus habere putetur, qui, quantum potest, animum a signis abducit, vt ipsam per se veritatem contueri possit. Si igitur signorum petitio est plerumque perfidiæ signum, temeritatis argumentũ, fidei grauius violandæ periculum, instituti sceleris amplificatio, sapientiæ ipsius, cuius gratia signa petuntur, impedimentum; nullo certe pacto Iudæi, quamdiu signa postulauerint, sapientiæ compotes esse poterunt. Verum Paulus illis egregie satisfacit. Vnum enim signum illis conspiciendum proponit, quo nullum clarius, & mirabilius, neque quod magis numinis Diuini virtutem, & potentiam confirmet, excogitari potest. Quod, inquiunt, signum narras? Iesum, inquit, & hũc crucifixum. Quid est hoc? inquiunt, nos signum virtutis Diuinæ flagitamus; vos autem nobis extremæ cuiusdam imbecillitatis exemplum proponitis. Hoc est igitur nobis aperiendum, id, quod Iudæi infirmitatis, & imbecillitatis argumentum opinantur, continere vim numinis admirãdam, robur virtutis inuictum, claritatem victoriæ sempiternam. Sed prius necesse est, vt, quid sit scãdalum crucis, explicemus. Scandali nomen est Græcis, atque Latinis, qui sacras litteras minime norunt, ignotum: nostris tamen valde frequenter vsitatum. Significat autem Offensionem. Offensio autem de Christo sumpta, quæ Iudæis ruinæ caussam attulit, hæc fuit. Erant Iudæi ab incunabulis in spe summæ cuiusdam felicitatis enutriti: quæ felicitas erat, vt prophetæ prædixerant, per Christum afferenda. Itaque fore sperabant, vt Rex potentissimus ex stirpe Dauidis oriretur, qui res Iudæorum afflictas in pristinum splendorem, multis opibus amplificatum, restitueret; tyrannidem hostium deleret; orbemq. terrarum sub imperium, ditionemq. subiungeret; & suos bonorum omnium affluentia cumularet. Quo magis autem eos Romanorum dominatus opprimebat, eo magis illam libertatem, & diuitiarum affluentiam, quam animis finxerant, spe inanissima deuorabant. Legerant, & audierãt, quantas victorias Dauid adeptus fuisset; quantas opes Salomon, illius filius, habuisset. Eas tam insignes victorias, ingentes diuitias, iam pro nihilo putabant. Nec enim dubitabant, quin Christus esset rebus etiam ab Alexandro Magno gestis, victoriarum multitudine, obscuritatem allaturus. Iam intra se Romanis atrociter minabantur. Fore enim confidebant, vt Christus Romanorum imperium exscinderet; & Romanos Imperatores confestim de amplissimo dignitatis gradu præcipites exturbaret; eorumque opes vniuersas Ierosolymam transferret. Ad hanc autem spem confirmãdam Diuinorum hominum testimonia, qui de summo Christi imperio, de victorijs, atque triumphis illius præclara cecinerãt, in ore semper habebant. Accedebat, quod, prophetarum prædictiones cum illius memoriæ signis conferentes, opinabantur, breui tempus illud affuturum, quo tantis opibus potirentur. His cogitationibus inflati, iam ferocius, & insolentius incedere meditabantur, cum subito, præter omnium opinionem, ipsum Christum longe diuersa ratione ab ea, quam finxerant, exortum adspiciunt. Hominem enim cernunt ignotum, in vrbe ignobili, sub parentibus, vt hominum opinio ferebat, obscuris educatum, nullis opibus instructum, nullis disciplinis eruditum, nulla specie popularis famæ gloriosum, egentem præterea, & incommodis multis exercitum, qui tamen se diceret illum Regem esse, quem exspectabant. Videbant in illo, pro amplitudine maiestatis, humilitatem; pro summis opibus, egestatem; pro bellicarum rerum studio, mansuetudinem; pro imperio amplissimo, voluntariæ seruitutis speciem. Pedibus iter faciebat; principum familiaritatem non appetebat; ad multitudinis fæcem se libentius aggregabat. Concitabat præterea grauissimam cunctis impuris hominibus offensionem illa oratio, qua se Dei filium appellabat. Nam indignissime patiebantur, illum, quem infra quosuis homines esse ducebant, tantum efferri, vt sibijpsi Diuinitatẽ tribueret. Adde nunc vitæ dissimilitudinem, quæ animos abalienare solet; adde in scelere coercendo libertatem, & acrimoniam, quæ odium acerbum sæpe concitat; adde mirabilem vitæ sanctimoniam, quæ inuidiæ faces inflammat. Cum igitur a spe decidissent; neque Christi species, & habitus eorum optatis respondisset; & simul humilitatis indignitas, seueritatis odium, virtutis inuidia, eorum animos exagitasset; admodum grauiter offensi sunt. Fuit igitur Christus, vt Isaias futurum prædixerat, lapis offensionis, in quem homines, cæcis tenebris, & horrenda caligine demersi, ruentes conciderunt; fractique, & vehementer allisi, in hostium manus peruenerunt, vt tanti sceleris pœnas sempiternas exsoluerent. Nulla tamen offensa grauior exstitit ea, qua ignominia Crucis excitauit. Habet enim hoc hominum furentium cæcitas exsecranda, vt ex humanis casibus, quem locum apud Deum quisque teneat, iudicium faciendum existimet. Cum enim huius vitæ commodis nimis addicti sint, & de futura vita parum cogitent; quem opibus, atque delicijs circumfluentem animaduertunt, beatũ iudicant; quem vero multis incommodis afflictari conspiciunt, ærumnosum, & miserum, & Deo nimis inuisum arbitrantur. Iccirco factum est, vt, cum Christum in crucem sublatum adspicerent, quasi tunc illum impietatis conuicissent, in supplicio illius insultarent. Cum enim vulnera a fronte, & a tergo, capiti, manibus, atque pedibus, & alijs corporis sanctissimi partibus, inflicta conspicerent, cum illum summis doloribus excruciatum animaduerterent, non solum oculos eo spectaculo satiarunt, & animos crudelitate furentes expleuerunt; verum etiam, eo quod litem se obtinuisse crederent, ingenti gaudio cumulati sunt. Nec enim credibile suspicaban-

Scandalum Crucis, q̃d sit.

Christus, ea o. tus.

ſpicabantur, ſi Chriſtus non fuiſſet maximorum criminum reus, vt, a Deo (vt opinabantur) deſtitutus, tam acerbo ſupplicio mactaretur. Sic autem dicebant: Tu ne ille es, qui tantum tibi aſſumpſiſti, vt diceres, te Dei templum euerſurum, & tribus diebus illud inſtauraturum? Age, nunc, euerte templum: illudq. rurſus inſtaura. Si filius Dei es, deſcende nunc de cruce. Tum illud etiam adiungebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex ille eſt, qui erat ſalutem Iſrael daturus, ſuā ipſius ſalutem prius conſtituat; clauos euellat; vulnera ſanet; e cruce deſiliat; vt tum demum credamus, illum eſſe Diuina virtute, vt præ ſe ferebat, ſtabilitum. Atqui dicebat, ſe omne vitę præſidium habere in Deo conſtitutum. Liberet eum nunc Deus, ſi vult. Nec enim ſolum ſe Dei amicum, verum & Dei filium ſane fidenter aſſerebat. Si amicus eſt, Deus amici res haudquaquam negliget; ſi filius eſt, illi patria caritate proſpiciet. Si Deus igitur illi nec vt amico præſens adeſt, nec vt filio conſulit, non ne liquido conſtat, orationem illius fuiſſe vaniſſimam? Illud etiam, cum motu capitis, & irriſione petulantiſſima, & multis cachinnis, addebant: En Chriſtus ille, cuius exſpectatione Iudæorum genus erectum volitabat; en princeps beneficus, & ſalutaris, qui ſuis firmam ſpem ſalutis oſtendebat. Quorſum tandem magnifica illius promiſſa reciderunt? Male certe reliquos florentes, & beatos efficiet, qui ſibi in tantis miſerijs conſtituto opitulari non poteſt Nunc igitur luat temeritatem, vanitatis pœnas det; & ſic demum fiet, vt nemo tam audax, & impius ſit, vt auctoritatem Diuini nominis, atque virtutis vſurpet. His multa ſimilia viri perditiſſimi dicebant. ex quibus intelligi poteſt, quanta eorum offenſio fuerit. Hoc eſt autem ſcandalum, illud, ex Crucis ſpecie, & Chriſti ſupplicio ſumptum, quod perditis hominibus euerſionē intulit. Chriſtum enim imperatoria virtute clariſſimum exſpectabant: at illi, contra opinionem, Chriſtum plagis contuſum, & vulneribus deformatum, adſpiciebant. Quare minime conſentaneum illis videbatur, vt aliquis ab eo ſalutem exſpectaret, quem eſſe ſumma miſeria perditum ſtatuebant. Hoc autem Iudæos impia fraude obligauit, & ita miſerabiliter impediuit, vt, cæci furore, in tenebras ſempiternas inciderent. Explicato Crucis ſcandalo, par eſt, vt, quanta vis, atque potentia nominis Diuini in hoc Chriſti ſupplicio, quo perditi homines illum abiectum putāt, eluxerit, illis aperiamus. Prius tamen, quam id faciamus, ab illis libēter audierim, quid opinentur de Chriſti Regno, a Deo promiſſo. Fore ne putant, vt quidquā cogitari poſſit in terris præſtantius, atque magnificentius, omnibusq. veriſſimis bonis affluētius? Negabunt. Quæram deinde, ſit ne præſtantius id, quod animi ſtatum conſtituit, ornamentisq. Diuinis afficit; an id potius, quod ad corporis emolumentum, & elegantiam vitæ confertur? Fatebuntur certe, verbo ſaltem, licet inuiti, nō eſſe bona corporis cum bonis animi conferenda. Rurſus quæram, ſit ne amplius & vtilius id, quod anguſto admodum telluris ſpatio definitur; an quod ad vniuerſitatem generis humani conſeruandam, & ornandam dirigitur? Id etiā valde perſpicuum eſt, bonum, quo latius patet, eo præſtabilius eſſe. Poſtremo interrogabo, ſit ne melius, & optabilius id, quod vitę breuis curriculo circumſcribitur; an quod nullo temporis ſpatio terminatur? Et hoc etiam nemo dubitat, haud eſſe res fluxas, & interituras cum ſempiternis aliqua ex parte comparandas. Ergo, ſi nihil poteſt cogitari Regno Chriſti præſtātius; & opes immortales animi, vniuerſitati generis humani tributæ, multis partibus corporis emolumentis vni tantum genti conceſſis, & interituris antecellunt; nonne conſtat, Regnū Chriſti opibus animi cunctis gentibus afferēdis, atque ſempiternis, contineri debuiſſe? Quid cōueniebat igitur, pro diuitijs animi emolumenta corporis intueri, beneficētiæq. Diuinæ magnitudinem in anguſtum contrahere, & pro bonis ſempiternis fluxas, & interituras opes ſitienter appetere? At id neque erat Dei magnificentiæ decorum; neque ſaluti noſtræ conſentaneū. Magnificentiæ namque Diuinę, cum magna bona promittit, congruens eſt, vt ſempiterna munera, & dona hominibus largiatur; & ſalus hominum, quæ morte exſtinguenda, atque delenda eſt, ſalus appellari non poteſt. Hæc autem peruerſa Iudæorum opinio, quæ promiſſiones Diuinas ad corporis emolumenta referebat, illis totius calamitatis cauſſa fuit. Cū enim animaduerterent, a Chriſto opes contemni, quarum illi cupiditate flagrauerant; exteris gentibus ſpem ſalutis oſtendi, in quas ipſi odium infinitum conceperant, ſe deludi putauerunt; & tam immani odio exarſerunt, vt ipſi ſempiternæ ſalutis auctori perniciem molirentur. Vt autem clarius cerni poſſit, quanta Iudæos amentia vexarit, commodum arbitror ſcripturæ ſanctæ teſtimonijs oſtendere; primum quidē, opes a Deo promiſſas, quas Chriſtus erat terris allaturus, non ad corporis victum, & luxum, ſed ad animi ſtatum, & ornamentum pertinere; deinde, eas non Iudæis tantum, ſed omnibus gentibus, pro ratione fidei, atque pietatis conferendas fuiſſe; poſtremo, eas nullis ſæculis interituras eſſe. Primum igitur a Iudæis, qui Regnum Chriſti in huius vitæ ſplendore, & magnificentia collocant, interrogemus, an exiſtiment, ipſum Chriſtum, tantæ felicitatis Architectum, ipſius felicitatis expertem fore? Negabunt. Et iure negabunt. Non enim fieri poteſt, vt, qui miſer eſt, alios beatos efficiat. Ergo neceſſe erit illis, eum Chriſtum fingere, quem nec inopia vlla ſolicitet, neque maledictum vexet vllum, neque dolor vllus attingat. Conſequens enim eſt, vt is, qui reliquis omnibus, qui illum ſectati fuerint, eſt cauſſam felicitatis allaturus, tanto felicior omnibus ſit, quanto gradus illius dignitatis

Reg. Chriſti nihil pręſtantius.

tatis est futurus altior,& illustrior. Itaque opus est,vt equorum multitudine,auri,& argēti copia,vestium nitore,gemmarum fulgore,seruorum numero, ministrorum sedulitate, exercitus ingentis robore, mulierum specie, & pulchritudine, totiusq. vitæ iucunditate omnes Persarum Reges,& Romanos Imperatores vincat,& superet. Si ita est,vnde illa tanta equorū pænuria, vt eum cogeret die celeberrima, qua erat Rex ab omnibus maxima voce salutādus, Zach. 9. asino in vrbem vehi? Sic enim inquit Zacharias, Exsulta satis,filia Sion;iubila, filia Ierusalem. Filiam Sion, aut filiam Ierusalem,Hebræorum more,Ierosolymitanam Remp. aut,vt rectius dicam, fidelium hominum cœtum appellat,quem ad lætitiam,& voluptatem inuitat;& continuo caussam tantæ voluptatis exponit. Sequitur enim: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator. Rex, inquit,non tyrannus; tuus,nō alienus; veniet tibi, non enim commodum suū quærit, sed salutem tuam constituet. Iustitiæ enim ornamentis excultus incedet, & salutem tibi sempiternam dabit. Hoc in loco ciuitas ipsa dicere potuisset: Summam mihi voluptatem nuntias. Illum enim exspecto;desiderio illius incendor; moram diutius ferre non possum. Sed narra, quæso, quanto exercitu stipatus, quali principum comitatu circumsæptus, quibus curribus,& quam eleganter instratis inuehetur. Si Regiæ,inquit,maiestatis ornamenta requiris, ea iam exposui. Illum namque iustitiæ principem, & salutis auctorem fore dixi. His ornamentis ampliora,& illustriora cogitari non possunt. Non id quæro, inquit Iudæus, sed, quæ futura sit pompa triumphi, quæ militum copia, quæ maiestas imperij. Falleris, inquit vir Diuinus, si alia in Rege summo maiestatis insignia requiris, præter ea, quæ iustitiæ splendore, & benignitatis amplitudine continentur. Reliqua omnia,quæ sunt mortalia,fluxa, & fragilia, Rex hic noster pro nihilo putabit, suosq. ad eorum contemptionem acriter incitabit. Quod vt commodius fiat,in die triūphi non currus, non equites, non instrumenta bellica comparabit. Immo paupertatis, & humilitatis insignia documenta statuet. Asino enim vehetur. Asino inquit, asinæ pullo, insidens, vrbem inibit. Quid ais, Iudæe? Opes exspectas? iustitiæ tibi,atque salutis opes exponimus. Si opes humanas in Regis huius maiestate desideras, Zacharias,vir Diuinus, te isto errorè liberat. Nam in Rege nostro tibi pro diuitijs inopiam, pro studio celebritatis humilitatem,pro curribus,ostro, & auro fulgentibus,asinæ pullum in oculis,& adspectu proponit. Non igitur opibus oculum adijcias,quas a Rege summo contemni perspicis; sed eas tibi propone, quibus ille merito gloriatur,nempe quæ sint diuinæ,atque sempiternæ. Ille namque,cum cerneret, superbia, & auaritia fieri, vt homines, a cæli conspectu deiecti,terram intuerentur,exēplo humilitatis,& paupertatis,superbiæ,& auaritiæ securim inflixit, vt hominum rursus oculos ad cæli conspectum excitaret. Zachariæ testimonio iam satis constat,Christi Regnum nō opibus fluxis, sed immortalibus, atque sempiternis contineri. At forsitan ita inopiā,inquiet aliquis, tolerabit, vt nulla vmquam contumelia violetur. Immo ijs probris erat afficiendus, quibus nemo post homines natos affectus vmquam fuit. Sic enim Isaias Deum de Christo lo- Isa. 52. quentem inducit: Ecce seruus meus sapienter se geret,efferetur, & extolletur,& in summo dignitatis gradu locabitur. Deinde,ad Christum conuersus, ait: Sicut te intuentes obstupefacti sunt multi, ita deinde supra cunctos homines contumelijs,& ignominia deformaberis; & omnium mortalium despicatissimus eris. Quem tamen fructum Christus erat ex ea breui temporis ignominia percepturus,continuo demōstrat in eo loco Propheta. Futurum namque prædicit,vt humanas mentes expiet;vt multos mortales ad suum nomen specie mirabili virtutis, & probitatis alliciat; vt Reges, & principes,illum religione summa venerentur; vt,qui numquam de eo quidquam audierant, luce illius clarissima perfruantur. Sed inquient Iudæi,vt inopiam aliquando perferat,& ignominiam toleret, quæ sunt magis in opinione, quā in sensu,posita. non enim acrem morsum doloris efficiunt: credibile tamen non est,vt is dolores acerbos aliquando sustineat. Hoc eorum cōmētum refellit Isaias. Sic enim paullo inferius ait: Contēptus,& infra cunctos mortales abie- Isa. 53. ctus est,doloribusq. summis afflictus, inualetudine vehemēter oppressus, & impeditus, adeo, vt oculos ab illo, tamquam ab horrendo spectaculo,auerteremus. Sic autem despectus erat,vt ne hominem quidem duceremus. Verum morbos nostros ipse pertulit,& dolores nostros iste sustinuit. At nos opinabamur,illum a Deo propter maleficia percussum,& abiectum fuisse. Ipse vero vulneribus suis rebellionis nostræ pœnam subijt; & propter iniquitates nostras afflictus est. Hoc enim suscepit, vt pacis nostræ disciplinam, qua nos erat in gratiam cum Deo positurus,pœnis suis sanciret, & plagis suis vulnera nostra sanaret. Omnes nos quasi oues errauimus; quilibet in viam suam deflexit;at Dominus supplicia, iniquitatibus nostris debita, illi constituit. Hæc, & alia multa persequitur Isaias, quibus Christi dolores intolerandos, & acerbissimos,ac ineffabiles cruciatus exponit. Hoc in loco misere torquentur Iudæi; in eoq. frustra contendunt,vt Isaiæ testimonium a vero sensu detorqueant. Sed, quo magis in eo laborant,vt lucem meridianam tenebris suis obscurent, eo magis eorum detestanda cæcitas apparet. Quidam enim hæc ad vniuersum Iudæorum genus referenda censent, quod dicūt diuturno exsilio gentium pœnas luere, & Isaiā sub gentium persona multitudinis Iudaicæ sanctitatem admirari,nempe quæ pro alienis peccatis incommoda tam multa, atque tamdiu perferat.

perferat. Hæc portenta qui dicunt, videãt,quo modo sibi possint accõmodare illud; quod hoc in loco continetur; nempe: Peccatum non fecit,nec est inuentus dolus in ore eius. Gens impia,& scelerata,ex fraude,& mendacio composita,sanctitatem,& fidem sibi tam insolenter arrogabit,vt dicat,se nullum vmquam in vita flagitium,aut fraudem suscepisse? Aut tantum meriti pondus in laboribus, quos merito sustinet, inesse constituet, vt non solum ipsa pietatis insigne decus se tenere dicat, verum & gentium omnium scelus expiare? Deinde, quo modo in eos quadrat illud, quod hoc in loco dicit

Ibidem. Isaias, nempe, Et pro transgressoribus orauit, cum constet,ab illis esse sollemni ritu diras execrationes institutas,quibus omnia mala perpetuo capitibus nostris in conuentibus suis imprecantur? Alij rursus, cum cernerent, quam male cum aliqua saltem specie verisimili, genus orationis ineptissimum, & fallacissimum cohæreret, aliam eludendi rationem excogitarunt. Messiam enim alium venisse finxerunt, quem nescio vbi latere multis ab hinc sæculis voluerunt, de quo Isaiam hoc in loco sermonem habere fatentur. Verum quidem illi loquuntur inuiti, sed veritatem rursus, mendacijs ineptissimis confictis, obscurare nituntur. Vt tamen ineptias omittamus, Isaiæ certe testimonio confirmatur, quot erant ipsi Christo subeunda supplicia, cum terras inuiseret. At

Psal. 68. Dauid,præter dolores, & gemitus,neque fel,& acetum, neque contumelias & maledicta silet,

Psal. 21. & illam eandem Christi querimoniam, qua se in cruce a Deo desertum esse conquestus est,totidem verbis exponit. Hinc Iudæi sibi aliquam auram afflari posse confidunt. Si a Deo, inquiunt, desertus fuit,iustus minime fuit. Deus

Hominũ iustorum querella. enim iustos numquam deseruit.Ignorãt homines amentissimi, esse quasdam iustorum hominum,tanquam amantium querellas,quæ nõ diffidentiæ significationem dant, sed dolorem, in quo sunt propter dilatum spei suæ fructum,gemitibus crebris aperiunt. Præterea, in sanctis litteris non solum sanctorum hominum fides, verum & cogitationes,quæ fidem oppugnant, sæpenumero describũtur.Sic Abraham,sic Moses,sic Iesus filius Nun,sic Dauid,sic Helias,Isaias,Ieremias,& reliqui sancti viri,cum Deo interdum expostulant,& de statu suo,illius ope,& solatio destituto, lugubri admodum oratione conqueruntur. Qua tamen oratione non diffidentiam,sed doloris vehementiã,in qua versantur,explanant;seq. diutius mala,quibus opprimuntur,pati non posse, nisi mature subuentum fuerit,nimis dolenter edisserunt. Ad hunc autẽ modum Christus, vt humanæ naturæ statum, & condicionem exprimeret, & in omnibus rebus se fratrum suorum (sic enim iustos appellat) similem esse ostenderet, cum se desertum commemorat, non res suas a Deo negligi, sed se in acerbissimo cruciatu versari, auxiliumq. differri, significat. An vero desertus fuerit, Iudæus animaduertat. Nam in eodem ipso carmine,in quo Dauid Christum lamentantem inducit,de auxilio, quo fuit ipse Christus patris beneficio liberatus,de gloria,qua fuit egregie cumulatus, de imperij illius amplitudine multa, atque præclara dicit. Ergo,si fieri nequit,vt in Christi regno quisquam ipso florentior, omnibusq. bonis affluentior, atque beatior sit,& testimonio Diuinorum hominum,quod Iudæi negare non possunt,apertissime constat,ita futurum fuisse, vt Christus extremam inopiam perferret,ludibria, maledicta,conuicia sustineret, cruciatus intolerandos pateretur: restat, vt opes regni,quas sanctissimi viri tãto ante prædixerant,ad animi cultum,& Diuinæ formæ similitudinem conferendæ sint. Vt autem id clarius animaduerti possit,non erit alienum,quas opes huius florentissimi Regni viri Diuini fore prædixerãt, explicare. Isaias,cum ruinam,qua Ierosolymitani ciues erant opprimendi, & hominum stragẽ exposuisset, Christi decus, & imperium continuo oratione persequitur. Ait enim: In die illa erit germen Domini in magnificentiã, & gloriã, & fructus terræ sublimis ijs, qui saluati fuerint de Israel. Quem germen Domini vocauerat,rursus fructum terræ nominauit;vt intelligi posset,eum & Deum, & hominẽ esse, qui Iudæorum reliquijs salutem erat allaturus. Quamuis enim numerus filiorum Israel esset cum arenæ multitudine conferendus, reliquiæ tantum erant conseruandæ per fidem. Ait deinde: Et erit, omnis qui relictus fuerit in Siõ, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, qui scriptus est in vita in Ierusalem. Nomen relicti, & nomen residui, cædem & stragem exaggerat: e qua pauci tãtum erant fidei beneficio conseruandi, & ciuibus cælestis Ierosolymæ, qui soli verissima vita fruuntur, adscribendi. Id autem fieri non poterat, nisi vitæ puritate, & sanctimonia. Sed quæro, quæ ratio sanctitatis illa fuerit? Num ea, quam legis antiquæ ritus,& sacerdotium continebat? Minime gentium: sed quã Diuinus spiritus instituit. Sequitur enim; Si abluerit Dominus sordes filiarum Siõ, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & in spiritu ardoris. Cernis, quæ sint opes regni? Non aurum, non argentum nominat, non corporis voluptates; non magnificentiam huius vitæ recenset; sed spiritus sancti munus, atque beneficium, quod continet in communi strage salutem; in internecione securitatem; in scelerum colluuione sanctitatem, non in lustralibus aquis, aut vitulæ rubræ cineribus, sed in spiritus Diuini gratia constitutã. Spiritus enim iudicij innocentiam,& puritatẽ; spiritus autẽ ardoris, animum cupiditate Diuinitatis inflammatum significat: vtrumque autem spiritus sancti munere continetur. Alibi vero inquit, Exsistet surculus e stirpe Iesse, & virga de radice illius pullulabit. Hoc in loco non est Iudæus, qui dubitare possit, quin oratio de Christo habeatur. Sed opes Regis adspiciamus.

(Margin: Isa. 4. — beside "nim: In die illa erit germen Domini in magni-"; Isa. 11. — beside "bi vero inquit, Exsistet surculus e stirpe Iesse,")

ciamus. Num auri, & argenti, aut gemmarum mentio fit? Non profecto; sed aliarum diuitiarum, quæ multum omnibus humanis opibus antecellunt. Sequitur enim, Et requiescet super eum spiritus Domini. Non dicit, Afflabit eum, aut impellet eum spiritus Domini; sed, Requiescet super eum; vt demonstret, spiritũ sanctum sibi in illo sedem stabilem, atque sempiternam constituisse. Opes autem ipsius Diuini spiritus luculenter explicat. Spiritus, inquit, sapientiæ, atque intelligentiæ, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus prudentiæ, & religionis, spiritus, qui religionis odorem longe, lateque diffundet. Paullo autẽ inferius fore dicit, vt Christus iustitia, atq. iudicio, quasi baltheo, præcingarur. Hæ sunt, hæ sunt Regis nostri diuitiæ, hæ sunt opes, hæc instrumenta bellica, quibus feritatem expulit; immanitatem profligauit; mores efferatos exstinxit; atque perfecir, vt vituli cũ leonibus simul habitarẽt, id est ne crudeles homines ijs, qui minimũ poterant, perniciem, vt ante faciebant, inferrent. Alio

Isa. 35.

rursus in loco, Aperientur, inquit, oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet vt ceruus claudus, & soluta erit lingua mutorum. Quia prorumpent aquæ in terra deserta; & in aridum solum torrentes emanabunt. Quænam est hęc rerũ connexio? Num ob eam caussam, quod in locis desertis aquæ sunt eliciẽdæ, verum est, vt cæci videant, surdi audiant, claudi saliãt, muti Dei laudes enuntient? Si Iudæos secutus fueris, exitum nullum reperies; si vero Prophetæ sententiam, nihil congruentius fieri, aut dici posse iudicabis. Per aquas enim munera sancti spiritus intelligit; quæ perficiunt, vt, qui antea res cælestes intueri non poterant, eas clare cernant; qui legem Diuinam minime ad aures admittebant, eam cum iucunditate summa percipiant; qui, propter animi imbecillitatem, nullum opus iustitiæ, & humanitatis edebant, opera sancta alacriter exsequantur; qui linguam impeditam gerebant, ne Deo gratiarum vota persoluerent, vitam in Diuina benignitate celebranda consumant. Quam sæpe autem Isaias per aquas dulces, atque perennes, dona sancti spiritus intelligat, videre possunt, qui mediocre studium in illum contulere.

Aquæ dulces, quid significent.

Veluti, cum dicit, torrentes in vastitate prorupisse, Deumq. in horrida solitudine arbores perpetuo virentes manu sua conseuisse; sempiternumq. hortum, & viridiarium instituisse; aut, cũ ostendit, quo modo loci irrigui, & amœni erant æstu, & siccitate vastandi; & rursus inculti propter aquarum affluentiam in amœnitatẽ conuertẽdi. Quibus in locis docet, aquas, quæ hanc viriditatẽ, & amœnitatem efficiunt, a Iudæis neglectas, ad alienas gentes deriuandas fuisse. Alibi vero inquit, Omnes sitientes, venite ad aquas; &, qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Emite absque argento, & absque vlla cõmutatione vinũ, & lac.

Isa. 55.

Per aquas spiritus sancti largitatem, & beneficentiam intelligit, quæ sitim explet; quæ fecunditatem inducit; quæ virtutum omnium plantis incrementum in dies affert. Idem per lactis dulcedinem, quæ infantes nutrit, & per acriorem vini vim, quæ robustiores incendit, atque iucunditate mira lætificat, aperte significatur. Spiritus enim Diuinus disciplinæ mitioris suauitate rudes instituit; deinde, instinctus vehementiori impetu, eos, qui sunt magis ætate prouecti, corroborat. Aquas autem, vinum, & lac, & cibos præterea venales esse dicit; ad ea tamẽ coemenda argento, & auro opus non esse, quia non meritis antegressis, (nec enim merita spiritus sancti gratiam antegredi possunt: ex illa namq. omnia merita nascuntur) sed fidei nõ languidæ, sed incensæ, & incitatæ tribuũtur. Quod autem hæc sit Isaiæ sententia, ea, quæ sequuntur, ostendunt. De fide namque, de iustitia, & æquitate, de pietate luculenter edisserit. Multa sunt apud hunc Diuinum virum, & apud alios Prophetas testimonia, ex quibus colligitur, huius nostri Regis opes in vitæ puritate, & integritate, in rerum humanarum despicientia, in iustitiæ studio, in virtutis magnificentia, in caritatis ardore, in Diuinarum rerum assidua commentatione, & in opulentia denique cælesti, atque Diuina consistere. Quæ, malum, igitur illa Iudæorum cæcitas fuit, quæ illos a studio Diuinæ virtutis abstraxit, vt sibi opes instabiles, & interituras in hac vita exigua pollicerentur, & nihil, aut parum admodum, de sempiternis cogitarent? Quo modo autem gentes vniuersæ erant in societatẽ tanti muneris euocandę, quod Iudęi ferre non poterant, infinitis etiam propemodum testimonijs demonstrari solet, e quibus pauca colligam. Primum quidem, Deus ad Abraham dicit: omnes gẽtes per illius semen, id est, per Christum, exsecratione liberandas esse. Idem Isaac illius filio: idem etiam Iacob illius nepoti totidẽ verbis pollicetur. Iacob vero, moriens, cum sub Iudæ nomine, a quo Christus erat oriũdus, multa de Christo prædiceret, in illo spem gentium reponendam esse prænuntiauit. Dauid autem ita Deum cum Christo loquentem inducit: Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines vniuersæ terræ. Alibi vero idem Dauid ait, Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Tum illud, Omnes gentes plaudite manibus, Et, Lætentur, & exsultent gentes: & apud eundem vatem Christus ipse: Populus, inquit, quem non cognoui, seruiuit mihi. Infinitum esset, si vellem reliqua omnia huius Diuini viri testimonia persequi, quę hanc eandem sententiã confirmant. Isaias vero, quam sæpe de hac gentium conuersione commemorat? Fluent, inquit, ad eum omnes gentes; & ipsum gentes deprecabuntur; & dedi te, inquit apud illum Deus, in lucem gentium; & domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus; & mittam ex ijs, qui euaserint in Ciliciam, in Lydiam, in gentes iaculã-

Gen. 22. Gen. 26. Gen. 28. Gen. 49. Psal. 2. Psal. 21. Psal. 46. Psal. 66. Psal. 17. Isa. 2. Isa. 11. Isa. 49. Isa. 56. Isa. 66.

di peritissimas, in Hesperiam, in Græciam, in extremas insulas, quæ nominis mei famam minime perceperant; & prædicabūt nomen meū inter gentes: & offerent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus in sacrificium domino. Hoc in loco duo consideranda sunt. Primum, quod gentes ad Iudæorum cœtum aggregandas, Iudæorum fratres appellat. *Iudæorum fratres, qui* Hæc enim diuina cognitio non sanguinis communione, sed fidei consensione continetur. Alterum est, quod sacrificandi ratio erat prorsus immutanda. Non enim dicit, Quadrupedes adducēt ad victimam, sed, Fratres vestros ex gentibus electos offerent, vt sint sacrificium Deo gratissimum. Non enim sanguinem pecudum, sed interitum nequitiæ requirit; neque carnium nidore, sed inflammatæ fidei magnitudine delectatur. Et, quemadmodum nouum sacrificandi genus inducit, ita & nouum sacerdotium instituit. Paucis enim interiectis, inquit idem Dominus: Et assumam ex eis Sacerdotes, & Leuitas. Ergo sacerdotium Aaronis infirmatur, & tollitur. Ex gentibus enim, quæ nulla generis propinquitate Hebræos attingunt, Leuitę, atq. *Malach. 1.* sacerdotes eliguntur. Quam acceptum vero sacrificiū a nouis sacerdotibus oblatum Deo, futurum esset, ille apud Malachiam demonstrat. Sic enim Iudæos repellit, vt alienas gentes adsciscat. Non est, inquit, mihi voluntas in vobis. Ab ortu enim solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco offertur, & sacrificatur nomini meo oblatio munda. Hæc gentium conuersio cum olim ab omnibus fere Diuinis hominibus testata, sanctissimisq. monumentis consignata sit, *Actor. 22.* Iudæi tamen eam ferre non poterant. Itaque, cū Paulus multa apud Lysiam tribunum cum Iudæorum multitudine, de Christi gloria disputauisset, illius orationem patienter audierunt, vsque eo, dū diceret, se a Christo missum fuisse, vt nationes longinquas ad notitiam Diuini nominis erudiret. Hoc autem audito, exarserunt, & clamorem furibunde sustulerunt, vestibusq. in terram proiectis, nubem pulueris excitauerunt; & vociferati sunt, altero quoque verbo a Lysia contendentes, vt hominem nefarium, qui tam immane facinus dicere ausus fuisset, in crucē tolleret. Iudæe, quid furis? quid insanis? Dei ne caussa, an tua potius laboras? Si Dei caussam agis, stultissimus es. Quo enim illius notitia ad plures peruenerit, eo gloria illius erit in terris illustrior. Si dignitatem tuam imminui putas, inuidia vexaris. Non enim gentium salus tuam salutem, si fidem sanctam colueris, euertet. Interim, velis nolis, Deus gloriam suam in gentium conuersione vehementer illustrabit, quemadmodum Prophetæ prædixerunt. Non enim tantum Iudæorum Deus est, immo & gentium. Diues enim est in omnes, qui inuocant illum. Non igitur gentium dignitas fontem immensæ benignitatis exhauriet. Ita enim gentium vniuersitati prospexit, vt tibi aditum ad eādem benignitatē non intercluderet. Odium istud immane repelle; inuidiam, quæ te exagitat, detestare; fidē arcte complectere; & sic demum intelliges, gētium cōuersionem non tibi mæroris, & angoris, sed lætitiæ summæ materiam præbere. Quo enim plures ex gentibus fratres hereditatis Diuinæ participes animaduertis, eo magis amplificatam, si in te aliquod vestigium pietatis, & humanitatis residet, voluptatem ex Dei gloria, & ex hominum salute percipies. Sed, vt Iudæorum inuidiam omittamus, restat, vt paucis aperiamus, quam aperte viri sanctissimi Regnum Christi sempiternum fore prædixerint. Quod si secus fuisset, non erat certe, cur ille summus, & sapientissimus Dominus tantam operam poneret in Regno constituendo, quod erat exiguo temporis spatio circumscribendum. Ex illo namque non erat, vt Deus ipse promiserat, breuis salus, sed sempiterna postulanda. *Bonū quo præstātius, eo finis acerbior.* Bonum enim, quo præstantius est, eo est finis illius acerbior. Itaque præstitisset, numquam bonis frui, quam eisdem, post voluptatis breuissimæ sensum, cū doloris acerbitate spoliari. Cum autem natura æternitatis appetētes simus, nullum bonum animos nostros explere potest, nisi quod fuerit constans, & sempiternum. Bonorum igitur diuinorum promissio tam sacrati fœderis religione confirmata, nihil potest mortale, & caducum, sed immortale, atque diuinum continere. Regnū igitur Christi non erat aliquo fine terminandum. Quod quidem non ratione tantū, sed Diuinis testimonijs apertissime confirmatur. *Psal. 44.* Regnum tuum, inquit Dauid, Regnum omnium sæculorum. Et sedes tua, Deus, sempiterna est, & sceptrum æquitatis, sceptrum Regni tui. Quod autem de Christo eo in carmine loquatur, ex eo, quod sequitur, clare perspicitur. Amas, inquit, iustitiam, & odio persequeris iniquitatē; eo quod vnxerit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Cum vnctionis Diuinę meminit, eum sane Christum appellat: nomen enim Christi Vnctū significat. Summus autem Christus est ille, quem vnxit, Deus, vt Petrus ait, spiritu sancto, & virtute. Quem spiritum Dauid Vnguentum lætitiæ nominat. Quem tamen Christum Deum appellat, eumq. a patre spiritus sancti muneribus perfusum esse demonstrat. Præ consortibus autem suis vnctum fuisse dicit, quia ex illo, tamquam ex perenni honorum omnium fonte, vnctio Diuina in omnes, qui illum sequuntur, emanat; ita tamen, vt nullius hominis Diuini splendor, & dignitas sit cum illius splendore comparanda. *Psal. 60.* Alibi vero idem Dauid, de Regni huius æternitate loquens, ait, Et permanebit cū sole. Hebræorum vsitata loquendi consuetudine æternitatem designat. Isaias vero in eandem sentētiam: *Isa. 9.* Super thronum, inquit, Dauidis, & super Regnum eius sedebit, vt corroboret & confirmet illud in perpetuum. *Dan. 2.* Daniel item ait: Temporibus Regum istorū Deus cæli Regnū fundabit,

dabit, quod nullis vmquã sæculis interibit. Huius autem Regni æternitas multo magis cõfirmat, illius opes minime commodis huius vitæ contineri. Nihil est enim eorum, quæ cernimus oculis, quod non sit interiturũ. Sic enim Deus

Isa. 51.

apud Isaiam loquitur: Suspicite cælum, & terram, & cultores illius intuemini. Cælum enim instar fumi dissipabitur; & terra sicut vestimẽtum atteretur; & omnia, quæ cernitis, interibunt; salus autem mea perpetuo constabit, & iustitia mea non deficiet. Hæc ipse Deus apud Isaiam testatur. Si igitur omnia, quæ cæli ambitu continentur, vt Diuinum testimonium confirmat, finem sunt habitura, & salus, atque iustitia, quam Christi Regnum erat allaturum, sempiterna est; quemadmodum & fides Domini, qui eam promisit, est sempiterna; quæ tandem amentia vexauit Iudæos, vt bona sempiterna ad opes fluxas transferẽda putarẽt? Quis illos delusit? Eorum cupiditas, & mentis angustia, & animus terrenis rebus nimis addictus. Diuina namque testimonia clarissima sunt: quibus probatur, Christi Regnum bonis animi cõtineri; illiusq. gentes vniuersas participes fore; illudq. finem nullis vmquam sæculis habiturum. Itaque diuitiarum terrestrium immanis cupiditas, & detestabilis inuidia, animiq. abiecti, atque demissi flagitium, & spes fallaces, & cogitationes inanes, illos ex patrimonio cælestis hæreditatis præcipites eiecerunt. Et tamẽ sunt, qui dicant, nondũ gentes vniuersas Christum sequi. quasi sit necesse per gentes vniuersas omnes homines intelligi, & non ex omnibus gentibus esse delectos, qui Diuinam here-

Vniuersitas, quæ.

ditatem cernerent; aut parum constet, Vniuersitatis nomine nationem vnam, voluntatis cõsensione conspirantem, contineri. Numquam enim deerunt, qui pietati furẽter aduersentur; & tamen interim ex omnibus nationibus permulti alacritate mirabili ad Christũ confluẽt. Nondum signa persequimur; ea tamen, quæ adduximus, pro signis habenda sunt. mirifice namque cum Regno Christi consentiunt. Sed aliud est etiam considerandum, quam apte tempori, quod fuerat olim oraculis Diuinis præfinitum, cum Christi ipsius ætate conueniat. In primis autem Iacob, moriens, cum singulis filijs fausta, & felicia precaretur, &, quæ erãt vltimis temporibus euentura, prædiceret, sic Iudam fi-

Gen. 49.

lium affatus est: Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicẽ inimicorũ tuorum: adorabunt te filij patris tui. Tria fore commemorat, dum Iudam alloquitur: primũ est, vt eum fratres eximie laudent; alterum, vt hostes viribus illius opprimantur; tertium, vt illum fratres adorent. Laus insignis honestati, victoria præclara virtuti, adoratio autem numinis sanctitati tribuenda est. Hæc autem in Iudam conuenire non poterant. Quæ enim laus Iudæ tam illustris exstitit, vt tãto interuallo fratrum laudes exsuperaret? Quas de hoste victorias cõsecutus est, vt merito dici potuisset, illum manu sua hostium ceruices oppressurum? Quo in loco fratres illum, quasi numen in eo lateret, venerati sunt? Non igitur hæc oratio de Iuda, sed de Christo, qui erat Iudæ sanguine propagandus, habetur. Id autem Rabinorum sententia confirmat. Id enim decernunt, quoties in scriptura sancta reperitur aliquid vltimis temporibus futurum, toties illud, quod scriptum est, esse ad Mesiæ tempora referendum. Quemadmodum hoc in loco, cum Iacob filios admonuit, vt attente audirent, se, quæ vltimis temporibus futura essent, nuntiaturum asseruit. Ea deinde, quæ sequuntur, magis perspicuum faciunt, hæc præcipue ad Christum pertinere. Catulus, inquit, Leonis Iuda, a præda, fili mi, adscendisti, a[illegible]it se & accubuit vt Leo, & quasi Leæna, ecquis suscitabit eum? Nam Leo, e præda rediens, ita decumbit, vt iacens, atque adeo consopitus omnibus formidini sit, ita, vt nemo illum excitare audeat. Robore igitur suo nixus, confidenter accumbit, atque somnium etiam capit. Hæc autem quo pacto in Iudam quadrant? Nam quas prædas egit ille? Qua sui ipsius fiducia sine vllo timore hostium placidissimo somno consopitus est? Quo vmquam terrore hostes suos exanimauit? An parum liquet, hæc omnia de Christo sub Iudæ nomine prænuntiata fuisse? Illius enim decus excellens omnes fratres admirantur; illius in bello virtutem sempiterni hostes extimescunt; illius numẽ ij, quos pater summus filios adoptauit, sanctissime colunt. Hic rectores tenebrarũ spoliauit; & morti necẽ intulit; clarissimumq. triumphum duxit. Cum autem in sepulcro decumberet, quis illius dormientis impetum, & virtutem sustinuit? Tunc enim inferorum manium claustra reuellebat; & eorum copias inuicta virtute dissipabat. Addit deinde: Non auferetur sceptrũ de tribu Iuda, & legislator de femore eius, donec veniat, qui mittendus est. Interpres ita vertit, quasi שלה apud Hebræos esset. Et ita fortasse scriptum aliquando fuit, & postea, vt alia, similiter deprauatum. Nunc scriptum est שילה quod multi interpretantur, Quod ei. vt sit sensus, Donec veniat id, quod ei promissum est. Hanc autem sententiam confirmant Septuaginta Interpretes. Sic enim vertunt, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, Id est, Donec veniant, quæ seruata sunt ei. Sunt, qui verbum שילה filium eius interpretentur. Quocumque tamen modo hoc nomen Hebræorum explicetur, omnes consentiunt, per illud vel Christum, vel Christi opes designari. Chaldaicus vero Interpres Mesiæ nomine hanc vocem explicat. Hoc igitur est, quod dicit Iacob, Numquam ex stirpe Iudæ principem, & Reip. moderatorem defuturum, donec Christus ad-

Tribus Iudæ.

uenerit. Itaque factum est, vt tribus illa multos viros principes, & duces, & reges ederet, & multos etiam, qui Remp. auctoritate, & consilio iuuarent, ex se procrearet. Quadraginta annis, quibus Hebræi in solitudine versati sunt,

Iudę princeps semper fuit reliquis principibus antelatus. Itaque primus castra mouebat; primus agmen ducebat; primus dona, & victimas offerebat. Post Iesu filij Nun mortem, ad illam tribũ auctoritas summa delata est, & maxima belli munera permissa. At, postquam Dauid, ex eadem tribu oriundus, imperium, & nomen Regis obtinuit, Regnum in eadem stirpe vsque ad Zedechiam Regem cõtinuata successione permansit. Quantum autem hæc tribus excelleret dignitate, vel ex hoc existimari potest, quod, cum militum delectus ex omni Israele habebatur, copiarum Iudæ separatim mentio fiebat. Postquam vero Hebræi Babylonem abducti sunt, nec in illa quidem seruitute Iudæ nomen, atque dignitas obsoleuit. Ob hanc igitur caussam Hebræi reliqui, gentis nobilitate ducti, Iudæ nomen secuti sunt, ita, vt Iudæi omnes appellarentur. Libertate autem recuperata, Zorobabel, qui nepos erat Iechoniæ Regis, populi moderationem suscepit. Pontifices deinde imperium tenuerunt, qui quamuis ex stirpe Leui procreati fuissent, erant tamen ijs, qui originẽ a Iuda ducebant, sanguine coniunctissimi. Vigebat præterea septuaginta senum auctoritas summa, qui, postquam Iudæi Ierosolymam rediere, omnes, aut maxima eorũ pars genus ad Iudam referebat. Hoc concilium Iudæi Senaedrim vocabant, nomen Græcũ, nempe συνέδριον secuti. Multa namque eiusmodi nomina post illud exsilium, a Chaldæis, & Persis, & Græcis adsciuerunt. Auctoritas huius senatus vsque ad Herodem integra, & inuiolata permansit; & de illius consilio, & sententia, Pontifices, qui tandem Reges appellati sunt, Remp. administrabant. Numquã igitur aut Principes, aut Reges, aut Reip. moderatores in Iudę stirpe defuerũt, vsque ad Herodem, qui, contra ius, & fas, cum esset Ascalonita, & a Iudæorum genere prorsus alienus, in Regni opes inuasit. Is Aristobolũ Pontificem, ad quem Regnum iure veniebat, per summum scelus interemit, senatusq. grauitatẽ afflixit; ita, vt nomen tanti concilij, atque senatus obtineret, vis autem, & auctoritas penitus abrogaretur. Eo igitur tempore Christus natus est, quo Regiũ nomẽ ad alienos translatũ fuerat; quo Iudæ nomẽ occiderat; ita, vt stirps ipsius Iudæ penitus excisa videretur. Et sic demum vaticinatio patris sanctissimi euentu verissimo comprobata fuit. Huic prædictioni consentaneum est testimonium Danielis attexere, quod est paullo fusius explicandũ. Cum enim, vt ipse refert, Ieremiæ monumenta versaret, eum illum attentissima consideratione perlegit, in quo erat Iudæorum exsilium, quo Babylonem abducti sunt, septuaginta annorum spatio definitum. Poterat tamen dubitari, an numerus ille esset expletus. Bis enim fuerant Iudæi a Rege Babylonis in exsilium abducti. Primum quidem, cũ regnaret Ioachin. Iterũ vero, regnante Zedechia. Daniel igitur, vt de hac tẽporis ratione certus esse posset, in preces conuersus, veniã sibi, & vniuerso populo summa cõtentione postulauit; & Dei infinitam clementiam obtestatus est, vt res Iudæorum afflictas respiceret. Angelus aũt Gabriel illi in precibus occurrit, & his verbis eundẽ affatus est: Daniel, nunc egressus sum, vt docerẽ te, & intelligeres. *Dan. 9.* Ab exordio precum tuarũ egressus est sermo, hoc est, exitũ habuit prędictio illa Ieremię, qua *Ier. 25.* de libertate populi vaticinatus est, quę erat opera Cyri regis afferẽda. Erat aũt ille annus sexagesimus ab eo, quo Ioachin abductus Babylone fuerat. Is autem erat primus annus Cyri, qui nõ solũ Iudæis libertatem restituit, sed eos etiam multis muneribus affecit. Sed, cum Ieremias non modo futuram libertatem prædixisset, verum & vrbis instaurationem, & verissimam libertatem, quæ vera, & sempiterna iustitia continetur, præmonstrauisset, nullumq. certum tempus, intra quod erant illa summa Dei beneficia conferenda, explicuisset, Angelus id aperiendum suscipit. Inquit igitur: Ego veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es, vt animaduertas verbum, & intelligas visionem. Et his quidẽ verbis ostendit, altissimarũ, atque Diuinarum rerum ardentissimam cupiditatem non posse Diuinæ sapientiæ fructu destitui. ait deinde: Septuaginta hebdomades definitæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam tuam, vt imponatur finis sceleri, & obsignetur peccatum, & expietur iniquitas, & afferatur iustitia sempiterna, & obsignetur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Commodum fuit, vt, quemadmodum Ieremias septuaginta annos illi libertati recuperandæ præfinierat, quæ ad hanc vitam pertinet exiguam, & ærumnosam, & æui breuissimi spatio circumscriptam, quam Cyrus erat allaturus: ita Gabriel Angelus, numero septies multiplicato, septuaginta hebdomadum tempus assignaret, intra quod erat vera, atque sempiterna libertas, non opera Cyri, sed Christi optimi maximi, illis, qui cum fide illum sectarentur, magnificẽtissime conferenda. Illud autem satis perspicuũ est, cum in sanctis litteris duplex hebdomadum genus reperiatur, vnum dierum, alterum annorum, hoc in loco hebdomadas annorum intelligendas esse, quarũ quælibet annos septẽ continet. Sed, quo modo hæc iucundissima libertas constituta sit, operæ pretium erit attendere. Vt imponatur (inquit) finis sceleri. *Scelus, quid significet.* Est enim scelus, impietas in Deum, quæ quidem in se flagitiorum omnium seminarium continet. Et obsignetur peccatum, ne videlicet exstet, & emineat, sed ita Dei beneficio tegatur, quasi numquam commissum fuisset: quemadmodum Dauid dicit, Beati, quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et expietur, inquit, iniquitas. In quo nos admonet, iniquitate religionem violari, quæ est sacris sanctissimis expianda. Et afferatur iustitia sempiterna. Repellit legis iustitiã in vmbris positam, verissimæque iustitiæ fru-

ctum

ctum cælestem, atque sempiternum pollicetur. Cum vero seruitus nihil aliud sit, quam humilis, & fracta mentis abiectæ demissio, iniquitatis, atque libidinis legibus adstrictæ, & flagitio, atque dedecori seruientis, illa certe demum vera libertas est existimanda, quę impietatis iugum repulit; quæ peccati immanitatem profligauit; quæ tyrannidem iniustitiæ deleuit; quæ sempiternæ iustitiæ compos est. Ad eam vero institiam explicandam, omnia legis, atque Prophetarum testimonia referuntur. Et iccirco adiungitur, Et obsignatur visio, & prophetia. Obsignata est visio, & prophetia, cum fides legis, atque prophetarum euentu verissimo comprobata fuit; cum lex finem suum, nempe Christum, fuit mirifice consecuta. Omnia siquidem legis, atque prophetarum monumenta ad Ioānnis disciplinam, qui Christum indicauit, conferuntur. Est etiam obsignata visio, & prophetia: quia imagines rerum, & prædictiones, non ita necessariæ sunt, cum veritas ipsa perspicitur, & solidi, & expressi fructus bonorum Diuinorum in animo fideli conduntur; & lux cælestis, atque Diuina, mentis oculis vsurpatur. Sed, vnde, aut cuius opera tanta copia munerum Diuinorum erat ad homines peruentura? Per Christum certe, inquit. Hoc enim significat, cum ait: Et vngatur sanctus sanctorum. Ille nempe, quem vnxit Deus Spiritu sancto, & virtute. Sanctus enim sanctorum non modo propter sanctitatis excellētiam, sed etiam propter sanctitatis efficientiam nominatur. Nam non solum sanctus est, sed omnibus sanctis hominibus sanctitatis caussam attulit. Quemadmodum Ioannes ait: Et de plenitudine eius omnes nos accepimus. Hic opus erat, vt animus, spe tantæ felicitatis erectus, inquireret, vnde erat exordium temporis præfiniti capiendum, vt intelligeret, quo tempore erat humanum genus tam Diuino beneficio cumulandū. Vt igitur Angelus Danielis voto satisfaciat, ait: Animum aduerte, & intellige. Ab exitu verbi, vt instauretur, & ędificetur Ierusalem, vsque ad Christum principem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duę. Ab exitu, inquit, verbi, non libertatis, quæ iam parta est, de qua vaticinatus est Ieremias, sed ab exitu verbi, de vrbis instauratione, quam idem vir diuinitus fore prædixit, numerādæ sunt primum hebdomades septē, quæ sunt videlicet in vrbe ædificanda, atque munienda cōsumēdæ. Deinde alię sexaginta duæ, vsque ad illud tēpus, quo Christus princeps, quē sanctum sanctorum nomino, se ad homines docendos dederit, perducendæ. Quia tamen dixerat, ab exitu verbi, vt ædificetur Ierusalē, docet, quo modo ciuitas ędificāda sit. ait enim, Instaurabitur, & ędificabitur vrbis latitudo, & muri ambitus, & quidē in angustia temporū. in angustia (inquit) temporū, propter eorū improbitatē, qui opus impediebant, & Iudæos multis incōmodis, & angoribus affligebāt. ait deinde: Et post sexaginta, & duas hebdomades exscindetur Christus, & nō ipsi. Ab opere vrbis absoluto ad CHRISTI necem, vt ex hoc loco perspicitur, duæ & sexaginta hebdomades effluxerunt; quibus si septem primas addideris, sexaginta & nouem colliges, post quas, hebdomada nempe septuagesima, quę numeranda restabat, erat Christus occidendus. Quid est autem, quod ait, Et non ipsi? Quia nihil fuit in CHRISTI supplicio de illius amplitudine, de illius imperij maiestate, de illius sacerdotij sanctitate detractū. Dedit illi namque pater nomen, quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Si igitur excisus fuit, Iudæis excisus fuit. Nec enim illius præsenti numine liberari poterunt, donec dicant, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Paucis deinde interiectis, ait: Confirmabit autem pactum hebdomada vna; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. Hæc est autem hebdomas illa, quæ numeranda restabat; intra quam fœdus nouum Christi sanguine factum fuit, & hostia, & sacrificium legis antiquæ defecit, & omnis adumbratæ sanctitatis institutio interuentu solidæ, & expressæ sanctitatis euanuit. Non enim sanguis vitulorum, aut hircorum Dei numen placare, & hominum genus a sempiterna peste redimere potuit. Solus Christi sanguis pro nobis in Cruce profusus, vim sempiternam obtinuit, qua mentes humanas expiaret, patrisq. numen a seueritate ad clementiam infinitam inflecteret. Dimidio igitur hebdomadis, qua Christus nouū fœdus sanguine proprio sanxit, vetustum fœdus abrogauit. Nunc autem consequens est, vt, a quo tempore sit hic annorum numerus ducendus, explicetur. Atque primum Iudæorum sententia irridenda est. Sunt enim pessimi antiquitatis auctores. Nec enim, cum a sanctis litteris deseruntur, Græcorum, aut Romanorum annales euoluunt, sed fabulas tantum suas legunt. Cum vero in locum paullo difficiliorem incidunt, vt se expediant, portenta cōfingunt, & tempora vel contrahunt, vel dilatant, neque iudicium suum rebus ipsis, sed res opinionibus suis violenter accommodant. Inde factum est, vt secundum templum quadringentis & viginti annis constitisse dicant, cum cōstet, illud circiter quingentis & nonaginta annis integrum permansisse. Hanc vero imperitiam Iosephus redarguit, qui sexcentis & triginta & nouem annis secundum templum durauisse confirmat. Non enim a sexto anno Darij, quo templum absolutum fuit, sed a primo Cyri anno, quo fundamenta illius iacta sunt, numerum ducit. Et, quanquam Iosephus non semper in annorū recensione valde diligens sit, (nimis enim interdum memoriæ confidebat) illius tamē testimonium, in quanta temporum ignoratione Iudæi recentiores versentur, clare demōstrat. Error autem illorum inde natus est, quod opinati sunt, per exitum verbi, quod est apud Da-

niclem, non prædictionis effectum, sed orationis emissæ pronuntiationem intelligi debere. Cum igitur hebdomadas septuaginta a Ieremiæ prædictione numerent, & eum numerum ad templi euersionem pertrahere conentur, vt sententiam tueri queãt, Cyri imperium annis tribus definiunt; Reges multos silentio suppriment; ætates in angustum contrahunt; vsque eo, dum id, quod temere suspicati sunt, verum esse persuadeant. In quo tamen seipsos iugulant. Quo enim citius hebdomadum numerum expletum fuisse constiterit, eo clarius eorum pertinacia conuincetur. Sed Iudæorum inscitia minime admiranda est. Sunt enim illorum sententiæ eiusmodi, vt passim eorũ stupor immanis appareat. Eusebium autẽ, virum longe doctissimum, admiror, quid illi venerit in mentem, in tam absurdam sententiã incidere. Nã, cum Africani sententiam in medium attulisset, suam tandem interposuit, qua statuit, hebdomadum numerũ esse a Cyri Regno inchoandum. Quod si fieret, non poterat vllo modo numerus annorum ad Christi vitam peruenire. Itaque in Herodis Regno constitit, & Gabrielis effatum de Christi nece tũ effectum habuisse dicit. Non enim per Christum principem, Christum Dei filium intelligit; sed Pontificiam dignitatem, quam Herodes afflixit, aut potius, vt ille dicit, omnino sustulit. Duos enim Pontifices, nempe Hyrcanum, & Aristobulũ, qui Christi more, atque præscripto legis appellabãtur, interemit; illudq. deinde munus ad eos, qui non erant ex stirpe sacerdotum, pretio delegauit. Primum quidem hoc falsum est. Vt enim Herodes tyrannice Pontificis dignitatem ab Assamoneis in quosuis alios homines transferret, non ita tamen, vt sacerdotalis generis rationẽ minime habendam esse putaret. Sed Eusebius memoria lapsus est; & id, quod Iosephus tyrannis illis attribuit, qui Ierosolymam, cum vrbis occasus appropinquabat, armis oppresserunt, qui in sacerdotijs mandandis, nullam Leuitici generis, sed pecuniæ rationem habebãt, ad Herodem refert. Deinde, si ita esset, quorsum attinebat, illam hebdomadum distinctionem induci, vt primo septem, deinceps duæ & sexaginta ponerentur: postremo vna eademq. septuagesima, intra quam Christus occideretur, totum numerum terminaret? Deinde, quo modo verum est, vt tum demum post illum annorum numerum vngeretur sanctus sanctorum, si vnctio hoc in loco vnctio legis intelligenda est? Antiqui Pontifices non vngebantur? Quod igitur mirum Angelus nuntiabat, si dicebat fore, vt id, quod erat sollemne, & vsitatum, & lege etiam constitutum, in Pontificibus illis fieret? Quod si dicas, illud legis vnguentum obsoletum fuisse, & priscum morem vngendi Pontificis abrogatum, dicam, si id verum est, nec Hyrcanum quidem fuisse legis ipsius vnguento delibutum. Præterea, qui sanctus sanctorum poterat appellari, nisi tantum summus ille totius sanctitatis fons, & origo? Vellem præterea, vt explicaret Eusebius, quæ fuerit hebdomas illa, qua fœdus firmatum fuit, aut quæ religio fœderis illa fuit, aut quid illa sancitum exstiterit. Tum [illegible] sempiterna iustitia, quæ alia poterit esse, nisi quam Christus, iustitiæ verissimæ, atque sempiternæ parens, & auctor, induxit? Tũ illud etiam falsum est, Herodis tempore sacerdotium abrogatum fuisse. Si enim id verũ fuisset, numquam Zacharias, Ioannis Baptistæ pater, litauisset: numquã Christus leprosos sacerdotum iudicio commisisset; numquam denique Cayphas, cum esset omniũ mortalium scelestissimus, aliquid tamen, propter muneris Pontificij sanctitatẽ, afflatus Diuino numine, protulisset. Vt autem aliud nihil dicã, non aduertit Eusebius, nõ dixisse Gabrielem, Ab exitu verbi, vt templi fundamenta iaciantur, sed ab exitu verbi, vt ædificetur Ierusalẽ, vsque ad Christũ ducem, hebdomades septẽ, & hebdomades duæ & sexaginta. Hæc igitur Eusebij sententia respuatur, cum tam multa absurda contineat. Longe rectius Africanus. Censet enim, numerũ hunc a vicesimo anno Regis Artaxerxis ineundũ. Hic autẽ annus fuit centesimus decimus quinctus, a primo Cyri anno, quo templum ædificari cœpit. Opus deinde fuit gentium finitimarũ peruersitate sæpe prohibitum: anno tandem quincto & quadragesimo, aut, vt Iudæi apud Ioannẽ dicebant, sexto & quadragesimo, absolutum fuit, anno sexto Darij Histaspis filij. Post absolutum templum vixit Darius annis triginta; Xerxes, illius filius, regnauit annis viginti. Artaxerxis anno vigesimo (hi summam septuaginta annorum faciunt) Nehemias ab Artaxerxe ciuitatis instaurãdæ facultatem impetrauit. Porro autem, de his septuaginta annis, quibus post absolutum templum vrbs imminuta, atque deserta permansit, est intelligendus ille Zachariæ locus, quo sibi per visum demonstratum fuisse dicit, Angelum Iudæorũ caussam egisse, atque dixisse: Domine, quousque misericordiam nõ tribuis vrbibus Iudæ, quibus iratus es his septuaginta annis? Si enim de septuaginta annis, quibus Iudæi in exsilio fuerunt, loqueretur, inepta fuisset oratio. Hoc enim visum fuit diuinitus ostensum Zachariæ, anno secundo Darij, qui fuit circiter cẽtesimus decimus ab eo, quo Iudæi Babylonem abducti fuerant. Quamuis autem eo tempore, quo id vidit Zacharias, illi septuaginta anni, quos dicimus, nondum cœpissent, mirum videri non debet, cum, vt Propheta, de Diuina mente futura prænuntiauerit. Hi igitur anni septuaginta, de quibus Zacharias loquitur, ab anno sexto Darij ad vicesimum Artaxerxis ducendi sunt. Ab eo vero anno sunt hebdomades Danielis (vt auctor est Africanus) inchoandæ. Non erit tamen alienũ, quam parum Olympiadum ratio ab hac computandi ratione discrepet, animaduertere. Annus vicesimus Artaxerxis fuit olympiade, vt doctissimi viri perhibent, octogesima tertia,

anno

Eusebij error.

Septuaginta anni, q'd apud Zachariam. Zacha. 1.

anno quarto. Annus vero quinctus decimus Tiberij Cæsaris, quo Ioannes Christo viam munire cœpit, exstitit olympiade ducentesima secunda, anno secundo. Inter vtramque igitur olympiadem cẽtum decem & octo olympiades interiectæ sunt. Hæ quadringentos & septuaginta & duos annos efficiunt. His si addideris vnum annum octogesimæ tertiæ olympiadis, & duos præterea ducentesimæ secundæ, quadringentos & septuaginta & quinq. annos colliges. Huic rationi Regnorum tempora minime refragantur. Persarum enim Regnum durauit annis ducẽtis atque triginta. Græcorum vero imperium annis circiter trecentis. Tot enim ab interitu vltimi Darij, ad Cleopatræ necem interfuere. Inde ad quinctum decimũ, vel potius sextum decimum imperij Tiberij Cæsaris, cuius principio Christus numen suum indicare cœpit, anni circiter sexaginta numerantur. Hi summam annorum quingentorum atq. nonaginta faciunt. Ab hac summa, si annos centũ & quindecim deduxeris, (tot enim a primo Cyri anno ad vigesimum Artaxerxis computantur) reliqui sunt quadringenti & septuaginta quinque anni. His adiuncta septuagesima hebdomade, quæ numeranda restabat, post quinctum decimum Tiberij Cæsaris annũ, quadringentorum & octoginta & duorum annorũ summa conficitur; ita, vt octo tantum anni desint, secundum olympiadum rationem, ad summam septuaginta hebdomadũ, quam Gabriel Angelus prædixit explendam. Quod mirum videri non debet. Nec enim tam certus est apud Græcos olympiadum numerus, vt non sæpe inter se dissideant, dum quidam aliquid ad vnam olympiadem, alij ad aliam referunt. Præterea multum refert, quoto anno cuiuslibet olympiadis, aut quoto mense vnius anni, aut die, aliquid gestum fuisse dicatur; quas temporum minutias exacte persequi, est difficillimum. Accedit error scribarum, qui sæpe numerorum notis abutuntur, & vnum pro alio ponunt. Quare mirum videri non debet, multos in olympiadum ratione a verissima computatione discrepare. Africanus tamen, vt hunc nodum expediret, exemit ex integris annis dies interkalares, quos inseri certis annis opus erat, ne temporum perturbatio fieret. Nam, cum Hebræi, duodecim mẽsibus ad Lunæ cursum descriptis, vt Græci, atque Romani ante Iulium Cæsarem faciebant, annum definirent, & ita singulis annis vndecim dies, & quarta circiter vnius diei pars deessent, ad solidum annum, qui solis naturali conuersione conficitur, necesse erat certis temporibus certum dierum numerũ interponi, vt menstrua Lunæ cursus cum Solis ratione congruerent. Hos igitur dies Africanus eximit, & illis ad rationem annorum, quibus vtebantur Hebræi, reductis, annos 15. facit. Hos autem ad quadringentos & septuaginta & quinque annos (tot enim demonstrauimus inter vicesimum Artaxerxis annum, & quinctumdecimum Tiberij intercessisse) adiungit, vt quadringentorum & nonaginta annorum summam expleat. Quod quidem nimis inconsiderate, & nimis licenter effecit. Primum enim interkalares dies eximere, qui sunt insiti necessario, ne temporum perturbatio, & confusio sequeretur, non est explere certum, & definitum annorum numerum, sed temporum ordinem certum, & necessaria ratione constitutum, disturbare. Deinde non animaduertit vir diligentissimus, vnam hebdomadem, nempe septuagesimam, in eundem numerum includi minime posse. Ea nãque post quinctumdecimũ Tiberij annum censenda est. Tolerabilius certe multo fuisset, non nimis olympiadum numeris adstringi, quã vim contra ius, & fas temporibus intentare. Sed, vt opiniones omittamus, certum mihi est, illius sententiam, qui labi non potest, artissime complecti. Iudęi turpissime delirant; Eusebius toto cælo aberrat; Africanus, vt ad olympiades adhærescat, tempora conturbat. At ego habeo certissimum antiquitatis auctorẽ, quem qui secuti fuerint, errare non poterunt. Quis, inquis, ille est? Daniel Propheta, aut, vt rectius dicam, Angelus Gabriel, qui Danielẽ erudiuit. Is igitur dicit futurum, vt ab euentu prędictionis Ieremiæ, qua de instauratione vrbis illius Ierosolymitanę vaticinatus fuerat, septẽ prius hebdomadas annorum, deinde post vrbem videlicet instauratam, alias sexaginta & duas numeremus. quo tempore futurum dicit, vt Christus Pontifex, Rex, & Imperator noster, vim sui numinis in sceleribus exterminandis, & in animis expiandis indicaret. Aliã deinde hebdomadem adiungit, quæ fœdus sanciret, & confirmaret, qua dimidiata, hoc est, intra quam (nec enim semper Medium in sanctis litteris medium Arithmeticum significat) erat Christus occidendus, & per illud sacrificium sanctissimum adumbrata sacrorum sanctitas oblitteranda. Hoc tempus effluxisse nouimus; &, quo tempore transacta omnia sunt, exploratum habemus; vnde sint hebdomadæ inchoandæ, minime laboramus. Vt tamen, quod opinor, libere dicam, is sum, qui putem, eos, qui a vicesimo Artaxerxis anno numerum hunc annorũ ducunt, errare. Quo modo? inquies. Quia non eo anno vrbs ædificari, atque muniri cœpit. Gabriel vero monet, vt ab exitu verbi, hoc est, ab euentu prædictionis Ieremiæ, de instauranda ciuitate numerum colligamus. Ergo, si constiterit aliquot annis ante ædificari vrbẽ cœpisse, nonne perspicuum erit, ab eo tempore, & non a vicesimo Artaxerxis anno, septuaginta hebdomadas esse computandas? At id ex Nehemia facillime constat. Narrat enim ille, fuisse anno vicẽsimo Artaxerxis allatum sibi nuntium de incommodis, quibus affecti erant illi Iudæi, qui Ierosolymam incolebant. Muri enim excisi fuerant a gentibus finitimis, & portæ vrbis exustæ. Quos muros, quæso, disiectos, aut quas portas ambustas fuisse conqueritur?

Dan. 9.

Nehem. 1.

Illos

Illos ne muros, quos Chaldæi disturbauerant, aut portas, quæ fuerant in cinerem in vrbis cómuni incendio redactæ? Ineptum certe fuisset, cladem, quæ centum & quindecim iam annis accepta fuerat, quasi recétem calamitatem lamentari; aut certe de re tã antiqua, quasi paucis illis diebus accidisset, nuntium afferri. Illi igitur muri, quos vicinæ gẽtes maxima ex parte disiecerant, & portæ, quas exusserant, ad opus nouum pertinebant. Ergo constat, multo ante vicesimum annum Artaxerxis mœnia, & muros excitari cœpisse. Sed, quo tempore operis fundamenta iacta sunt? Num anno quincto Artaxerxis, quo tempore Esdras Ierosolymam venit, vt populum legis disciplinis instrueret? Non prorsus. Nec enim apud Esdram fit operis illius mentio, quod si tunc inchoatum fuisset, id Esdras minime tacuisset. Esdras præterea primis illis diebus omnem operam, & studium in legis disciplina, & in ornamentis templi, & in constituẽda religione consumpsit. Post aliquot annos, cum Artaxerxes egregia in Iudæos voluntate propenderet, factum est, vt illi, ea principis humanitate freti, muros, & mœnia instauranda susciperent. At gentes finitimæ, inuidia furentes, opus maxima ex parte disiecerunt; & probris innumerabilibus Iudæos affecerunt. De hac iniuria grauem querimoniam apud Artaxerxem habuit Nehemias; & ad eam propulsandam opes, & præsidium postulauit. Ierosolymam igitur profectus, operam dedit, vt, quod corruerat, instauraret; &, quod inchoatũ fuerat, absolueret; vrbemq. firmissime muniret. Quod tamen opus non ita facile perfici poterat, cum hostes in Iudæos frequenter incursarent. Iudæi igitur necessario erant in duas partes distributi; ita, vt vna pars operi diligenter incumberet; altera vero pars armis hostem repelleret. Ex anno igitur Artaxerxis vicesimo vrbs Nehemiæ præsidio liberius ædificari, & frequentari cœpit. Opus tamen aliquot ante annis inceptum fuerat, a quo tempore hebdomades inchoandæ sunt. Quotus ille, inquies, annus fuit? Vt verum fatear, ignoro. Hoc vnum scio, neq fuisse quinctum, neque vicesimum Artaxerxis annum, vt demonstratum arbitror; sed aliquem inter hos duos annos interiectum. Si igitur Olympiadum ratio vera, & constans est, si Artaxerxis vicesimus annus fuit quartus annus Olympiadis tertiæ & octogesimæ; & ita, si ducentesima secunda olympiade anno secundo Ioannes sibi assignatum munus obire cœpit; necessario concluditur, exordium hebdomadum a duodecimo Artaxerxis anno sumendum esse. Sic autem, vt ex ante dictis intelligi potest, olympiadum numerus ad rationem hebdomadum apte quadrabit. Octo namque anni, qui deerant, a principio ædificationis sumi poterunt: cui rationi nullum sanctarum litterarũ testimonium repugnat. Sed, vt iam ex his scopulis enauigare possit oratio, hoc certe cõstat, illud Gabrielis effatum de hebdomadum termino, ad Christum, humanæ salutis auctorem, pertinere. Siue igitur a primi templi excisione, vt Iudæi faciunt, hebdomadum sumas initiũ; siue, cum Africano, a vicesimo anno Artaxerxis numerum ineas; siue, si Olympiadum ratio constans est, vt ipsa nos facere admonet, a duodecimo Artaxerxis anno hanc annorum summam efficere velis; siue quamcumque aliam opinionem eorum, qui de hac quæstione disseruerũt, sequi constituas; hoc certe perspicuum est, illas hebdomadas multis ab hinc sæculis effluxisse. Quæ igitur amentia Iudæos vexat? Quis eorum mentes furor exagitat? Quæ tam diræ pœnæ gentem sceleratam, & impiam persequuntur? Quod tam durum scelus in se conceperunt, ob quod sanitate mentis spoliantur? Quod quidem supplicium tantum fuit, vt reliqua omnia mala magnitudine superaret. Nullũ namque supplicium esse poterit mentis cæcitate funestius. At illi ita excæcati sunt, vt in clarissimo numinis Diuini testimonio, in certissima temporum ratione, in luceq. meridiana, quasi in tenebris, ruant, & errore immanissimo compleantur. In qua quidem miseranda caligine debitas pœnas facinoris illius, quo nullũ maius cogitari potest, expendunt. Illum enim Pontificem Maximum, non vnctione legis antiquæ, sed spiritus sancti numine perfusum, illũ sanctum sanctorum, totius sanctitatis, & pietatis architectum, illum sceleris exstinctorem, mortis euersorem, vitæ, salutis, atque dignitatis auctorem, qui Diuinum statum omnibus offerebat, in crucem immanissime sustulerunt.

Nunc veniat Aggæus, vt non minus vehementer perditæ gentis amentiam conuincat. Agg. 2. Sic enim apud illum Deus loquitur: Adhuc semel, & breui commouebo cælum, & terram, & mare, & desertum, & incultum solum. Et commouebo omnes gentes, & veniet bonum cunctis gentibus expetendum; & implebo domum istam gloria. Maior erit gloria domus huius posterioris, quam prioris, dicit Dominus exercituum; & dabo pacem in loco isto, dicit Dominus exercituum. Hoc in loco Deus ipse prædicit fore, vt secundum templum primo clarius futurum sit. Id autem quo modo fieri potuisset? Primum enim, quod Salomon ædificauit, fuit magnitudine amplius, opibus illustrius, opere pulchrius, & magnificentius. Illud non principes humiles, & inopes, non ita pridem e seruitute liberati, sed Rex opulentissimus, sapientissimus, summis sumptibus exstruxit; & singulari quadam religione dedicauit. In illius antiqui templi dedicatione Deus præsentiam suam declarauit, &, quod maximum fuit olim placatissimi numinis argumentum, ignis a cælo demissus, hostias admirabili incendio consumpsit. Erat præterea in primo templo arca fœderis; erant tabulæ, manu Dei ipsius inscriptæ; erat ignis sempiternus, e cælo demissus; erant Diuinæ clementiæ monumenta. At in templi secundi statu res erant afflictæ. Sic enim Iudæi libertatem recuperarunt,

perarunt, vt nō omnino sui iuris essent, sed Persarum Regibus obedirent. Interim vero vicinorum odio laborabant, & bellis assidue vexabantur; opusq. fuit sæpe, multis incommodis, intermissum. At, postquam fuit absolutum, neque flāma cælestis, vt asserunt Iudæi, hostias deuorauit; neque epulum fuit, vt olim, vniuerso populo munifice datum. Arca fœderis, ignis cælestis reliquiæ minime comparebāt. Omnia namque fuerant illis communi exitio, & vastitate con-
1. Esd. 3. sumpta. Zorobabel quidem, & alij, qui prius tēplum non viderant, gaudio exsultabant. Senes autem, qui templi antiqui magnificentiam memoria continebant, cum cernerent, quantum secundum illud templum ab antiquo distaret, lamentis se dedebant. Et tamen Deus ipse dicit, templum illud multo clarius priore futurum. Claritatis autem rationem illā assignat, quod esset, stante illo templo, venturum illud summum bonum, gentibus cunctis amabile, & expetendum, quod erat sui luminis splendore templum illustraturum; & pacem animorum omnibus, qui disciplinam illius acciperent, daturum. Meum, inquit, est aurum, meum argen-
Agg. 2. tum. Quasi dicat, facillime potuissem domum istam auro, & argento, & margaritis exornare: Sed aliæ sunt opes multo clariores, quibus templum istud cumulare decreui. Implebo namq. domum istam gloria. Quæ gloria poterat esse, quæ templi primi gloriam superaret, nisi Christi ipsius numen, atque disciplina, qua templū ipsum magnificentissime decorauit? Aut ostēdant Iudæi, quæ gloria fuit illa tanto prima clarior, & magnificentior. Num est aliquis adeo tardus, & hebes, qui non videat, hanc Diuinam promissionē ad Christum pertinere? Qui enim alius esse potuit, in quo gentes vitæ præsidia collocarent? Quis salutem dare, & sempiternam pacem conciliare posset? Ergo, illo templo stante, opus erat, vt Christus adueniret; vt Diuini promissi fides euentu certissimo comprobaretur. At tēplum illud est dirutum, euersum, flammis exustum, monumenta omnia cōminuta, atque dissipata; & tamen illi, cum Diuinum beneficium summa fide præstitum aspernati sint, spem alterius beneficij in inanitate constituendam arbitrantur. Quid exspectant miseri? Cur tam multis sæculis se spe fallacissima deludi patiuntur? Cur, euerso templo, quo stante beneficium illud summum cōferendum erat, non similiter incisas inanes cogitationes esse considerant? Cælum in nostræ salutis exortu nouo gaudio cumulatum fuit; terræ noua, & insolita luce collustratæ sunt; gentes vltimæ certatim ad Christum inflammato studio confluxerunt; soli Iudæi, in spe tam Diuini muneris enutriti, minime commouentur; salutem suam produnt; summumque Dei beneficium exsecranda temeritate cæci repudiant. Tempus oraculo Diuino præfinitum cernunt: ipsi tamen se ad inania quædam sæcula, quę sibi finxere, reseruant; templum funditus euersum lugent; & tamen suæ vitæ, atque salutis interitū minime lamentantur. Christi aduentum Deus non in tempus ita longinquum differendum esse promiserat; at illi neque tam multis sæculis sine vllo fructu transactis, quam inani fiducia nitantur, edoceri volunt. Id interim animaduertendum est, quam singulari ratione optimus ille parens, & Dominus eorum saluti prouiderit. Erant illi quidem signis, & imaginibus ad Christi fidem paullatim instituendi, antequam Christus adueniret. Sed, ne, vmbris assuefacti, studium ipsius veritatis signis adumbratæ abijcerent, Deus signa remouebat, vt veritatem intueri condiscerent. Tabernaculum fuit opere excellenti constitutum, vt tabernaculum illud, quod non erat a loco ad locum mutandum, nempe in quo Deus erat semper habitaturus, obscure designaret. Homines in tabernaculo illo vitæ præsidia constituenda putabant. Fuit igitur vtile, vt illud tabernaculum dissiparetur. Regnum erat fundandum, quod imaginem Regni sempiterni gereret. Ne autē homines in Salomonis Regno spem salutis reponerent, fuit necesse Regni illius opes diuidi, & imminui, tandemq. exstingui, atque deleri. Templum similiter, quod Diuini templi, quod est Christi corpus, similitudinem continebat, similiter excisum, & inflammatum fuit: sacerdotium ob eam caussam funditus euersum est: secundum templum eundem casum subijt: omnia denique signa remota sunt, ne contemplationi veritatis ipsius officerent: & tamen Iudæi, spoliati signis omnibus, nudati rerum imaginibus, mentem in verum templum signis designatum intendere, illudq. intueri, recusant.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE SAPIENTIA

LIBER SECVNDVS.



LLI quidem, qui diuinorũ hominũ scripta diligẽter euolnerint, & Prophetarum monnmẽta exacte perpenderint, & qnã apte omnia, quæ de Christi virtute, sanctitate, numine sempiterno, de tempore denique, quo erat terras Instraturus, cum illius actibus, & vita conueniãt, mente perceperint, non profecto signa, Indæorum more, flagitabunt. Omnia enim ita sunt clara, & illustria, vt in dnbium vocari minime possint. Instant, & vrgent nihilominus Iudæi, atque signa petunt: quasi potuerint vmquam illi, quorum animi ad cælestem disciplinã prorsus obduruerunt, vllis signis ad sanitatem reuocari. Vt tamẽ illis aliquo modo satisfaciamus, aliqnot signa oratione perstringemus, qnorum quædam Christi ortum antegressa sunt; quædã autem cum illius ætate coniuncta fuerunt; quædam postremo mortem illius, & adscensum in cælum, & Euangelij latissime diffusi disciplinã consecuta sunt. Vt ab antiquioribus, & obscurioribus signis ordiamnr, Isaac, cum humeris ligna portauit, quibus erat, vt pater in animo habebat, inflammandus, Christi humilitatem, & obediẽtiam, & animi ardorem, quo erat pro salute humaui generis immolandus, luculẽter expressit. *Gen. 22.* Iacob, cnm iter in Mesopotamiam haberet, & Deum innixum scalæ, quæ in cælnm penetrabat, per somnium vidit, Christi mẽtem sanctissimam, cui Diuinum numen incumbit, mente contemplatus est. *Gen. 28.* Ille enim scala est, per quam adscensns in cælum datur; & per quam ad nos bona cælestia angelorum opera deserũtur. Itaque vir sanctus, postquam experrectus fuit, tanti mysterij consideratione tremuit; & ait, Vere Dominus erat in loco isto, & ego nesciebam. Deinde, Quam terribilis est, inquit, locus iste? Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Domus enim Dei est. In illo enim Deus vere, atque semper inhabitat: est etiam cæli porta: nemini enim vmquam aditus in cælum, nisi per Christũ, patuit. Et, vt magis, quod animo continebat, signo aliquo designaret, lapidem in monumentum statuit, quem oleo perfudit. Lapis enim Christum, quem litteræ sanctæ Lapidem appellare solent, significabat: similiter & oleum, vnctionis Diuinæ, qua Christus persusus fuit, mysterium continebat. *Lapis, quid significet.* Ioseph, a fratribus nefarie proditus, spoliatus, & venditus, & in carcerem insidijs impurissimæ mulieris inclusus, & e carcere tandem liberatus, & in summo imperio constitutus, vt Aegyptios primum, deinde genus suum aleret, atque sustentaret, Christi formam gessit, qui erar suorum scelere prodendus, pecunia hostibus addicendns, crudelitate, & inuidia necandus; & e mortis carcere virtute Diuina reuocandus; vt primum gentium vniuersitatem cælesti pabulo nutriret; atque postremo Iudæorum genus ad illum conuersum eodem pabulo satiaret. *Gen. 37.* Moses, in ortu suo, ad necem quæsitus, postea a suis improbatus, & metu in exsilium pulsus, atque tandem populi princeps, libertatis vindex, salutis auctor, legislator, sacrorũ antistes effectus est, vt Christi similitudinem gereret, qui, vt tyranni crudelitatem deuitaret, exsulauit, &, inde reuersus, salutem, libertatem, & dignitatem snorum constituit; legem sempiternam sanxit; se in sacrificium obtulit; proprioq. sanguine litauit; violatamq. religionem expiauit; nostraq. flagitia in profundo demersit, vt, innitis hostibus, a quibus expulsus, & eiectus fuerat, imperio, atqne sacerdotio sempiterno fungeretur. *Exod. 2.* Virga Mosis, in colubri speciem versa, Regiam Christi maiestatem, in similitudine carnis peccati latentem, (alieni siquidem peccati pœnas ipse luit) aperte designauit. *Exod. 4.* Horror ille, qui Mosem perfudit, ita, vt virgam fugeret, crucis offensionem, quæ a Christo Iudæos alienauit, luculenter expressit. Cum vero Moses Dei iussu caudam serpentis apprehenderet, virgæ pristinam speciem redditam adspexit: vt futuram Iudæorum conuersionem adumbraret, qui vltimis exsilij temporibus, ad Deum conuersi, in Christo non peccati similitudinem, sed Regij decoris amplitudinem intuebuntur. Quid azymorum pastus? Quid herbarum agrestium amaritudo? Quid agni sanguis, ædium postibus, atque superis liminibus adspersus? Quid illa in agno vorando celeritas, atque festinatio significabat? An parum liquet, istis signis & vitæ puritatem, & dedecoris admissi dolorem, & sanguinis illius, quo sumus a peste sempiterna redempti, virtutem, & ardentissimum pietatis studium, quo Christus est in animi visceribus condendus, & summam denique Christi benignitatem adnmbrari? An hæc omnia, si non fuissent maximarum rerum signa, tanta cærimonia, & religione fuissent imperio summi, & sapientissimi,

pientissimi, qui nihil sine caussa molitur, & efficit, designata, atque constituta? Hæc si Iudæi nihil significare dixerint, Deum ineptiarum impie, & furenter insimulabunt. Si rerum maximarum significationẽ continuisse confessi fuerint, ostendant, quid maius, & amplius, & salutarios generis humani salute Christi sanguine constituta signis illis portendi, atque præmonstrari potuisset. Nubes die solis ardorem arcebat, nocte lumen proferebat, &, vt iter monstraret, anteibat, vt præsidium spiritus Diuini, quod Christus ipse suis afferre solet, adumbraret. Illius namque præsidio fit, vt, dum illum sequimur, nec vllus nos infestæ cupiditatis, atque libidinis ardor amburat; nec vllus error mentis, aut flagitiorum tenebræ a recta via deducant. Mare Aegyptios absumpsit; Hebræis viam latam in mediis fluctibus aperuit: vt intelligi posset, scelera eorum, qui, a peccatis auersi, Christum secuti fuerunt, esse gurgitis profundi fluctibus obruenda; & illis aditum per medias aquas aperiendum; quo cursum iustitiæ cum laude sempiterna conficiant, atque in cælum tandem adscendant. Ros admirabilis e cælo demissus multitudinẽ aluit; e lapide, Mosis virga percusso, aquæ perennes emanarunt; quibus omnium sitis restincta fuit; vt cerneretur, vitam omnium nostrum esse pane cælesti susteotandam; animorumq. sitim muneribus Diuinis, quæ ex Christo, Diuina seueritate percusso, profluxerunt, expleodam. Adde nunc tabernaculi exstructiooem, sacerdotijq. religionem, fœderis sacramentum, varias lustrationes, & exspirationes. Adde brutorum animantium stragem, sanguinis effusionem, carnium nidorem, & aceruos cinerum: quibus rebus omnibus, si eæ nihil, quod esset Dei maiestate dignum, significabant, quid magis ineptum, & superstitiosum cogitari poterat? Num, inquit ipse Deus, comedã carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? Vt autem oemo dubitare posset, illa omnia magnarum rerum signa esse, illa Dei verba toties repetita cernimus: Omnia, inquit, fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Quæro a Iudæo, cuius rei sibi in monte monstratæ Moses similitudinem secutus est, cum tam multiplicis operis fabricam designauit? Quid vidit? Quid inspexit? Necesse namque erat, vt aliquid multo pulchrius opere, quod molitus fuit, animo complecteretur, ad cuius formam, & speciem, omnia formanda præscriberet. Aliter enim pulchrum opus minime fieri potuisset. Nec enim opus aliquod laude dignum fingi, & effici potest, nisi in artificis mente species illustris insideat, qua nihil in eo genere pulchrius cogitari posit, quam artifex imitari conetur. Quæ igitur species illa fuit? Si dixerint Iudæi, inanem quandam imaginem in monte apparuisse, quæ tabernaculi faciendi similitudinem contineret: Ergo tabernaculũ, quod exstructum postea fuit, multo certe fuit specie illa inani præclarius. Magis igitur erat, cur inanis illa forma ad exemplum tabernaculi fingeretur, quam tabernaculum, ad imaginis inanis exemplum. Si dixerint, speciem illã, quam Moses in monte vidit, solidam fuisse, rursus interrogabo, quo modo tam cito euanuerit. Deinde, quid opus alia molitione fuerit, cum tabernaculum illud, nempe quod esset, si illi vera loquuntur, a Deo fabricatum, multo melius religioni seruire potuisset? Quærerem deinde, quod exemplum vtriusque tabernaculi exstiterit, cum nihil omnino ab artifice fieri possit, qood non ad aliqood exemplum mente perceptum dirigatur. Non igitur species inanis illa fuit; tum enim exempli perfectionem, & pulchritudinem minime contineret: neque solidi operis fabricatio; sic enim opus altero tabernaculo non fuisset. Itaque exemplum illud, quod vir Dioinus, lumine, & splendore Diuini spiritus illustratus, mente, & cogitatione perplexus est, id fuit, quo nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil magis suis omnibus numeris, & partibus absolutũ cogitari potuisset. Potest autem quidqoam pulchrius, clarius, & magnificentius cogitari Christi sacerdotio, sanctitate, & religione? Non certe. Ille enim est illud verum, immobile, sempiternum tabernaculum, in quo Deus, vt prædixit Isaias, sibi sedem stabilem, atqoe sempiternam constituit; ille sacerdos sanctissimus, qui pacem nobis sempiternam coociliauit; ille sacrificium acceptissimũ, cuius meritis, atque virtute patris numen placatur, & nobiscum fœdere sempiterno coniungitur. Hoc si Iudæus fateri non volt, aliquid aliud, quod Deum magis deceat, ostendere conetur; vt magis animi sui tenebris damnati stuporem, & amentiam demonstret. Populus, tædio, & labore confectus, in Deum petulanter inuectus est. Deus in sceleris vindictam serpentes immisit, qui morsu ignito, atque venenato multos interemeruot. Populus errati veniam flagitauit. Moses, Dei iussu, serpentem æneum fioxit, & hasta in altum proposuit; vt omnes, qui erant serpentum morsibus icti, in æneũ serpeotem intuentes, sanarentur. Quæro igitur, illa sanandi vis in ære fuit? an in serpentis figura? Si fuit in ære, cur non illud ad sanandos morsus viperinos adhibemus? Si in figura, cur non multo magis eandem vim serpẽtibus viuis adscribimus? Si vero sanitatem neque materia, neque forma serpentis, sed Diuioa tantum benignitas attulit, qui attinebat æneum serpentem conflare, & sublimem tollere? An Deus, nisi formam illam tætram, & horridam adsciuisset, non potuisset homioibus ope præsentissima medicari? Vertant se in omnia Iudæi. Nec enim aliam caussam serpentis conflandi, & tollendi reperient, præter Christi signum. Christus enim, qui peccatum non fecit, cum, actus in crucem, peccati pœnam sustinuit, peccati similitudinẽ, vt peccata nostra sanaret, arripuit. Hoc autem experiundo sentimus. Quoties enim, antiqui

Num. 21.

serpeo-

ſerpentis morſu ſanciati, in Chriſtum, pro nobis in crucem ſublatum, intuemur, opemq. illius ſuppliciter imploramus, ſanitatem confeſtim recipimus. Muri Iericho tubarum clangore corruerunt, vt Euangelij vis inſignis fieri poſſet, cuius ſonitu Satanæ propugnacula, & munitiones deijciuntur, & funditus euertuntur. Iud. 7. Similiter Gedeon non armis, ſed lucernis, & turbarum clãgore Madianitas exterruit, vt ſimili ſigno ſplendor, atque vis diſciplinæ cæleſtis explicaretur. Iud. 16. Samſon ſolus, inermis, funibus alligatus, hoſtium crudelitati permiſſus, eorumq. multitudine circumfuſus, vincula perrupit; aſini maxillam corripuit; in hoſtes ferociter inuectus mille occidit; reliquos in fugã conuertit, vt Chriſti robur inuictum portenderet, qui proditus, & relictus a ſuis, & hoſtium immanitati traditus, & cruci tandem affixus, atque mortuus, & in ſepulcrum incluſus, in manes inferos inuaſit; inimicorum ſtragem edidit; mortis vincula perfregit; Apoſtolorum rudi ſimplicitate dæmonis infeſtiſsimi copias fudit, illiusq. arces, & mœnia diſturbauit. Jon. 2. Ionas, quem balæna deuoratum poſt tridnum viuum, & incolumem in litus euomuit, num obſcure Chriſtum mortis faucibus abſumendum, & die tertio ſuſcitandum hoc tam admirabili ſigno præmonſtrauit? Aetas me deficeret, ſi vellem omnia ſigna, quæ Chriſti ortum anteceſſere, conſectari. Neque enim ſacrificiorum genera, neque inſtituta libamina, neque Dauidis Regnũ, neque Salomonis amplitudinem, neque templi ſanctitatem, neque alia multa tacuiſſem, quæ Chriſti imaginem continebant. Sed, vt modum orationi ſtatuamus, conſentaneum eſt, vt ea ſigna ſummatim perſtringamus, quæ cum Chriſti ipſius ætate coniuncta fuere. Non hic dicã, quo modo, antequam Chriſtus naſceretur, id Gabriel Angelus Mariæ pronuntiauerit; quantam lætitiam cæleſtis nuntius paſtoribus in pecorum cuſtodia vigilantibus attulerit; quam iucundo concentu, & harmonia cælites Chriſti natalem diem celebrauerint; quanto mentis ardore Magi ab vltimis terris, vt puerum adorarent, aduenerint: ſtellę ductum, & reliqua ſigna prætermittam, quæ Iudæi minime confitentur, vt ea, quæ confitentur, attingam. Gen. 49. Iacob futurum prædixerat, vt non deficeret ex ſtirpe Iuda, qui princeps eſſet in populo, donec Chriſtus adueniret. Dan. 9. Daniel tempus præfinitum aſſeruerat, intra quod tempus erat Chriſtus vẽturus. Agg. 2. Aggæus futurum prænuntiauerat, vt, ſtãte illo ſecundo templo, veniret ille generis humani liberator, in cuius benignitate gentium ſalus erat collocanda. Nemo dubitabat, quin tempus illud elapſum fuiſſet. Neceſsitas opem Diuinam in rebus propemodum euerſis flagitabat. Regnum enim conciderat; Pontificum auctoritas erat imminuta; populi libertas oppreſſa; Reip. ſtatus omnino conuulſus; remedij cupiditas animos omniũ ſolicitabat; ſpes eos interdum erigebat. Neque deerant interim, qui, tanta opportunitate temporis abuſi, Chriſti nomen impudenter aſſumerent. Sic enim Theudas, ſic Iudas Galilæus, ſic Aegyptius ille, cuius (vt eſt in Actis Apoſtolorum) mentionẽ fecit Lyſias, ſic tandem alij viri peſtilentes in Chriſti nomen inuaſerunt. In hac igitur tanta animorum fluctuatione, quid Iudæis faciendũ erat, vt verum Chriſtum a falſo diſtinguerent? Primum quidem animaduertendum, an is, qui ſe Chriſtum eſſe iactaret, eſſet ex tribu Iuda, & ex ſtirpe Dauidis oriundus; an natus eſſet in Bethlehem, vt propheta Micheas futurum prædixerat; Mich. 5. an eſſet pauper; an mitis, & humilis; an ſuperbis infenſus; an ſupplicibus benignus; an iuſtitia, & ſanctitate præcelleret; an hominibus cæleſtis iuſtitiæ diſciplinam traderet; an poſtremo ſigna virtutis Diuinæ daret, quæ fuerant (vt olim Prophetæ dixerant) opera illius edenda. Tunc enim erant venia digni, ſi ſigna peterent, vt illis admoniti intelligerent, quis verus Chriſtus eſſet, & quis ſe Chriſtum emẽtiretur. Si autem viderent, omnia, quæ de Chriſto Diuini viri, vel de genere, vel de natali ſolo, vel de moribus, & vita, vel de doctrinæ ratione dixerunt, in Chriſtum quadrare, illum tunc ſine vlla cunctatione ſequerentur. Vt autem genus, & natale ſolum, & ſanctimoniam illius, quæ optime cum prædictionibus prophetarum conueniebant, omittamus; quis illo tempore cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis eloquentiam, leproſis ſanitatem donauit? Quis ægrotis omnino deſperatis ſalutarem medicinam adhibuit? Quis frenum tumidis fluctibus, atque procellis iniecit? Quis dæmones e corporibus, quæ obſeſſa tenebant, eiecit? Quis mortuos, atque adeo ſepultos voce tantum in vitam reſtituit? Multa ſigna prophetæ per illum danda prædixerant: illa, & alia multa edidit, quibus apertiſſime ſuum numen oſtendit: neque vos, o Iudęi, ab illo opera nimis admiranda facta fuiſſe negatis. Quis ergo vos impedire poteſt, quo minus illius numen vereamini? Signa quidem, inquiunt, ab illo nimis admiranda facta fuiſſe fateamur: ſed, illa fuiſſe Diuina virtute edita, negamus. Quis ergo alius tũc ſignum Diuinæ virtutis oſtendit? Nemo. At tempus inſtabat; & ſignis erat vobis explorandum, quis vere, aut falſo Chriſti nomen vſurparet. Quod ſi nullum alium actorem operum mirabilium proferre poteſtis; & miracula cum prophetarum prædictionibus, cum temporis opportunitate, cũ annorum præfinitione congruebant; quæ, malum, fuit iſta temeritas, atque vęſania, quæ vos a via ſalutis auertit, & in tantum, & tã immane ſcelus præcipites exturbauit? Non igitur tempus ſolum ad Diuinorum hominum prædictiones, & effata præfinitum, nec opera tantum mirabilia numine noſtri liberatoris effecta vos impietatis exſecrabilis deteſtando ſcelere condemnant; ſed etiam ipſi contra vos teſtimonium dicitis, voſq. ſempiterno ſupplicio dignos eſſe iudicatis, cum opera a Chriſto edita fuiſſe fatemini,

mini,

mini, quæ nemo vmquam vir Diuinus, quamuis mira sanctitate præcelleret, designauit. Et tamen tam impudentes estis, vt opus, quod nullo modo, nisi Diuino numine, fieri potest, humanis artibus effici potuisse contẽdatis? Quod si, etiam signis editis, vobis adhuc dubitandi materia restabat, & vos nullam notam habetis, qua signa Diuinitus ostensa a reliquis signis internoscatis; quid vobis ad explorandam veritatem reliquum fecistis? Argumenta contemnitis: signa postulatis: ipsa rursus signa furenter eluditis. Sapientia autem vobis non aliter, quã aut argumentis firmissimis, aut signis clarissimis, paranda est, quorum vtrumque repellitis. Restat igitur, vt semper amentes, & stupidi sitis. Fingite animis Messiæ illius, quem impie, & inaniter exspectatis, aduentum. Numquid ab illo signa postulabitis? An absq. signis estis cuiuis fraudulento fidem habituri? Si absque signis vllis credituri estis, reliquum est, vt quemuis circumforaneum præstigiatorem sequamini. Si vero ab illo postulaturi estis signa, in quem finem, quæso? Quo modo enim poteritis discernere, an signa illa sint Diuinitus edita, an humano artificio conficta? Deinde, quis ille tantus, & tã immanis furor exstitit, vt ea, quæ nullo modo, nisi a Deo, fieri possunt, artibus humanis adscriberetis? Non cernitis, homines amentissimi, a vobis Dei nomen violari, gloriam obscurari, numen illius contemni; & interim non toto corpore contremiscitis, nec iudicium extimescitis? homines olim, qui gloriam Deo debitam ad homines, aut ad simulacra transtulerunt, numquam tantum commenticiis numinibus tribuendum esse statuerunt, vt iis vim istam concederent, vt signa darent, quæ vos, nescio qua dementia vexati, artificio humano fieri posse contẽditis. Dæmonibus quidem, aut hominibus, fortasse licebit oculos eruere, necẽ inferre, membra debilitare; at, visum reddere, vitam restituere, nemo potest, nisi solus Deus, bonorum omnium principiũ, & fons. Ille namque solus est, cuius ope lux, vita, salus, dignitas omnium continetur. Et tamen vos eo dementiæ progressi fuistis, vt Dei ipsius gloriam ad artes humanas, vel, vt rectius dicam, Stygias transferre nitere mini. O deplorandam cæcitatem, o scelus exsecrãdum, o dirum supplicium, quod infandi facinoris isto tanto furore mentis exsoluitis. Nullum enim supplicium est amẽtia, & cæcitate detestabilius. Creditis ne, Isaiã virum Diuinum fuisse? Credimus, inquient. Prędixit Isaias, futurum, vt opera Christi cæci viderent, surdi audirent, muti loquerentur, claudi discurrerent. Videtis, cæcos clare cernere, surdos audire, mutos loqui, claudos ambulare. quid amplius postulatis? & tamen Diuinę virtutis signa humano artificio tribuetis? Sed quæro, quænam fuerit ars illa mirabilium operum effectrix. Deinde, Christus eam ab alio didicit, an per se primus inuenit? Si ab alio didicit, quis magister illius exstitit? aut quibus

Isa. 35.

signis magister illius artis suæ disciplinam nobilitauit? Si vero Christus magistrum nullum habuit, qua ratione tam admirandam artem ingenio consecutus est? Non didicit, inquiunt, aliunde, neque artem ipse peperit; sed fuit ars illa patribus antiquis sine scripto tradita, ne res sacrosancta in vulgus emanaret. Hæc autem scientia, quæ Cabala nominatur, nominis Diuini expositione continetur. Qui autem Diuini nominis explicationem fuerit assecutus, res admirandas efficiet. Erat autem in adyto templi lapis, in quo arca fœderis olim locata fuerat: In eo lapide erat explicatio Diuini nominis incisa. Ne autem hæc nominis explicati notitia vulgaretur, & ita rerum omnium mutatio fieret, duo canes ex ære facti sunt, vt, si quis, ingressus adytum, litteras illas legeret, & expositum nomen memoriæ traderet, canes horrendum in modum vtrimque latrarent, vt ita ei, qui nomen memoria continebat, ex animo confestim nomen elaberetur. At Iesus Nazarenus, cum esset mira sagacitate præditus, in adytum se fraudulenter intrusit; nomen in charta descripsit; femoris cutem dissecuit; chartam in femur inclusit; cum exiuit, canes oblatrarunt; is nominis vim confestim oblitus est; sed, domum rediens, cutem rursus aperuit, vi namque ipsius nominis sanata fuerat; & chartam euulsit, & expositum nomen edidicit, cuius vi res illas vehementer admirandas efficiebat. Hæc quidem homines perditissimi commenti sunt; ex quibus, quam detestanda cæcitas eorum sit, clare perspicitur. Qui enim hæc adeo non dico furenter, & impie, sed inepte, & insulse confingunt, non sunt quibusuis canibus impudentiores? & ipso ære, e quo canes illi facti sunt, duriores? Quis canibus æneis sensum, & sollertiam, & latratum dare potuit? Si homo ille fuit, quis in terris exstitit, qui tantũ artificio Dædalum superaret? Aut quo modo tam excellentis artificis nomen euanuit? Si vero vis alia fuit humana præstantior, fuit ne illa Deo, an Dæmonibus adscribenda? Si Diuina vis illa fuit, cur illam calliditas humana fefellit? Si dæmonis artificio facta, cur operibus dæmonis fuit locus in Dei sanctissimo tẽplo designatus? Præterea, tantæ disciplinæ ratio in paucis ne litteris, an in grandi volumine consistebat? Si in paucis litteris, cur non omnes, qui Cabalæ operam dant, qui sunt innumerabiles, miracula edũt? Si grande volumẽ illud fuit, quo tandẽ modo potuit in femur includi? Præterea, quid opus fuit vulnere, cum potuisset, si paruum volumen erat illud, vestis integumento contegere? Sed, cum commentum sit ineptissimum, ineptiarum suspicionem minime vitabit, qui contra illud plura disseruerit. Illud tamen est valde considerandum, qui mentis error, quæ tenebræ vexent improbos; quæ furiæ eorum animos, qui veritatem odio persequuntur, exagitent; quibus mendaciis operam dent; quibus fabulis, & quam male concinnatis, incumbant.

Rectiſsimo namque Dei iudicio fit,vt, qui lucẽ fugiunt, tenebris obruantur. Hoc tamen illis interim debemus, quod ſigna mirabilia a Chriſto edita fuiſſe confitentur, quod eſt veriſsimum.Id quod fingunt,propter fabulæ ſtultiſsime confictæ vanitatem nobis officere non poteſt. Sed ab his miraculis,quæ Iudæi nimis ſtulte, & imprudenter ad Cabalam referunt, abeamus, vt alia ſigna,multo clariora, conſideremus. Nec eſt enim valde mirandum ſignum,cæcis adſpectum reddere, qui ſit intra breue tempus morte delendus. Illud eſt Diuinæ probitatis, atque potentiæ ſignum clariſsimum,homines, qui mentis cæcitate laborabant, luce Diuina frui,res cæleſtes inſpicere, amore Diuinæ pulchritudinis inflammari.Non ita magnũ beneficium eſt, mutis ſermonis vſum reſtitui; linguam vero maledicentia corruptam ſanari, & in laudibus Diuinis exerceri,munus, & beneficium eſt perpetua prędicatione celebrandum. Sic etiam non tam admirabile eſt, lepræ maculam delere, quam vitiorum omnium ſordes eluere; neque tam ſalutare, dæmones e corporibus expellere, quam mentes eorum tyrannide oppreſſas in libertatem vindicare;neque poſtremo (vt alia prætermittam) tantum eſt Diuinæ virtutis argumentum, mortuos in vitam renocare, quantum exſtinctis animis vitam, & lucem concedere. Quo enim animus corpore præſtãtior eſt,eo ſunt munera, quæ in animum conferuntur, ampliora. Vulgus quidem ea ſigna magis admiratur, quæ in corporibus adſpiciuntur,quia,quæ fiunt in animo,nõ ita perſpicit:Re autem vera,tantum hæc, quæ animis tribuuntur,excellunt,quantum nullius oratione explicari poteſt. Nec enim erat digna cauſſa, cur Dei filius in terras deſcenderet,vt corporibus ægris, quæ erant paullo poſt interitu conſumenda, mederetur;ſed vt animos,ad naturam Diuinam aptos,& ipſius Dei imaginem referẽtes,e peſtiferis morbis eriperet.Quid igitur fuit in cauſſa, cur Dei filius in corporibus curandis tam multa ſigna proderet?Vt videlicet per illam curationem corporum intelligeremus,illum animorum medicum eſſe,omnesq. morbos flagitiorum,& ſcelerum, ſi velimus illius iuſsis obtemperare, facillime depulſurum. In hæc igitur ſigna maxime admirãda,quæ neque Aegyptiorum Magi, neque Cabaliſtæ, neque Antichriſtus, nec vlli falſi prophetæ vmquam poterunt aſsimulare,reſpiciant Iudęi,& maiora, & ampliora poſtulare iure non poterunt.Vides,o Iudæe,quanta hominum multitudo Chriſtum ſequatur?Quam multi ſint,qui illi operam dent? Quam incẽſo ſtudio diſciplinam illius audiant?Quære,qui fuerint;quibus inſtitutis vixerint; quæ vitæ conuerſio facta ſit; & tum demum clariora ſigna minime requires. Multos enim in eo comitatu reperies, qui fuerant flagitiis infames, qui nunc laude ſumma caſtitatis, atq. puritatis excellunt:multos omnia rapiendi cupiditate flagrantes, qui nunc, opibus in caritatis, & humanitatis ſtudio conſumptis,ad opes cæleſtes,atque Diuinas adſpirant; multos odio furentes, qui nunc pro hoſtium ſalute vota faciunt; multos denique,qui nihil amplum, & excelſum cogitabant, & nunc humana cuncta deſpiciunt, & in cælum ardenti ſtudio mentis efferuntur. Quid igitur dicendum? Cernis pro flagitio puritatem, pro auaritia beneficentiam, pro odio caritatem, pro deſidia vigilantiam, pro imbecillitate fortitudinem;& dubitas,quin hæc tam admiranda cõmutatio Dei ipſius numine facta ſit? Quæro enim, veriſsimæ virtutis ornamenta,Diuina, an humana putas? Si humana dixeris, te crimine impietatis alligabis. Quid enim ſceleſtius dici poteſt, quam, cum omnia corporis bona a Deo poſtulanda cenſeamus, animi bona, quæ ſunt multo clariora, nobis ipſis adſcribere? Si Diuina dixeris,neceſſario conſequens eſt,vt fatearis,illum, cuius benignitate ea omnia conferuntur,Dei filium eſſe.Si vides igitur,omnes, qui ſeſe vere, & ex animo ad Chriſti ſtudium contulerunt, eſſe virtutum omnium opibus affluentes, cur poſtulatum ſigni clarioris non omittis, cum ſignum clarius oſtendi non poſsit? Sed aliud adhuc ſignum non minus admirabile videamus; Chriſtum verberibus cæſum,& ſpinarum, & ſentium corona redimitum in crucem ſuſtuliſti;manus,& pedes illius clauis perfoſſos adſpexiſti; membra ſummis viribus diſtenta,& cruciatibus intolerandis afflicta, contemplatus es; cum ſitiret, ei fel,& acetum porrigendum curaſti; ad hæc, indigniſsimas in illum contumelias intorſiſti; ſupplicio illius oculos pauiſti;& odium,quod in illum conceperas, exſaturaſti. Quæro modo, num te aliqua verborum contumelia perſtrinxit? Num aliquod maledictum iecit? Mediocre ne ſpecimen ſummæ, atque plane Diuinæ virtutis exiſtimas, in ſuppliciis innocentiæ conſtitutis nullum verbum inſolens ab homine iuſto contra ſontes,atque ſceleratos emitti?Quod ſi ſapientia,& conſtantia continet in ſe inuictę virtutis argumentum,id quod tu imbecillitati tribuis,eſt Diuinę virtuti tribuendum; quod ignominioſum exiſtimas,eſt immortali laude prædicandum.Nã, cum virtus, atque iuſtitia ſemper illuſtris, & ampla ſit, tum vel maxime ſplendor illius eminet, cum ex hoſtibus ſempiternis, & doloribus ſummis victoriam inſignem conſequitur.Nulla vmquam iuſtitia clarior exſtitit; nulla ſententia iniquius vmquam lata fuit;cruciatus nullus acerbior, & immanior conſtitui vmquam potuit: quæ tamen omnia Chriſtus tanta virtute ſuperauit,vt etiam pro illis,a quibus in crucem actus fuerat,ſupplices ad patrem preces adhiberet. Audis ſummæ clementiæ votum, cernis virtutis inuictæ propugnaculum, quod nullæ hoſtium iniuriæ labefactare, nulli cruciatus de ſtatu conuellere potuerunt;& tamen adeo cæcus es, vt Diuinæ firmitatis argumentum, ad ſummæ imbecillitatis iudicium traducere coneris?

Animus corpore præſtãtior.

neris? Lapis quidem Christus est (vt inquit Isaias) probatus, angularis, pretiosus, in fundamento locatus, cuius firmitate Dei domus innititur; & tu, vbi lapidis firmissimi munimentum cernere potes, quasi tibi infirmitatis summæ species obiecta sit, lapidem tibi offensionis ad ruinam cõstituis. Quid referam Solis obscuritatem, totiusq. cælestis naturæ caliginem? Quid horrendos terræ fremitus, velumq. templi discissum? Quid terrorem manibus inferis iniectum, & sepulcta resetata, & mortuos excitatos? Quid postremo de illo maximo omnium signo dicam, quo seipsum Christus ab inferis excitando mortis immanitatem profligauit? Illud vero Iudæorum commentum, quam ridiculum. Veriti fuerant, eo quod Christus se a mortuis triduo suscitandum prædixerat, ne discipuli illius e sepulcro corpus auferrẽt, eumq. reuixisse dicerent, & ita posterior error esset priore turbulentior. Ne autem id accidere posset, summa ope præcauendum existimant. Itaque ad Pilatum adeunt; militum præsidium ad sepulcri custodiam impetrant; obsignatoq. sepulcro discedunt. Dum Christus exsurgeret, milites obstupefacti concidunt; rem Iudæorum principibus annuntiant; illi vero milites grandi pecunia corrumpunt, atque facile persuadent, vt dicant, se dormientibus, Christi discipulos e sepulcro corpus abstulisse. Si hoc, inquiunt, auditum fuerit, nos præsidem vobis placabimus. O male confictum mendacium. Si enim milites dormiebant, quo modo furtum illud a discipulis factum fuisse testificari poterant? Sed id omittam; & a Iudæis quæram, quo modo se tam faciles erga milites præbuerunt, quorum somno tantum incommodum erat publice subeundum. Timuistis, ne Christi discipuli corpus illius furarentur: ne posterior error maiorem perniciem inferret, quam prior intulerat, expauistis. Id, quod valde metuebatis, militum negligentia, quos custodes apposuistis, euenit. Quanta animi facilitate id factum, quo omnis vestra caussa niti videbatur, tulistis? Nec in cælum manus intendistis; nec hominum fidem implorandam esse duxistis; neque milites capitis arcessistis; neq. illis paullo atrocius denuntiatione periculi minati estis. Tantum vero abfuit, vt male milites acciperetis, vt eis Pilatum placaretis. Num, si tota ea fallacia vobis auctoribus conflata minime fuisset, odium, quod vos inflammabat, & inuidia, quæ vestros animos exagitabat, pati potuisset, vt, in tanto (vt dicebatis) incommodo, non vocibus, & querimonijs omnia compleretis? Tota fabula, impudenter, & impie cogitata, per se sine vllo argumento vacillat, & claudicat, aut (vt rectius dicam) eorum ipsorum testimonio, qui fraudem commenti sunt, aperte conuincitur. Sed, vt fraudem omittamus, consequens est, vt signa, quæ Christi mortem consecuta sunt, attente consideremus. Nihil hic dicam de clarissima victoria, qua inferos manes exterruit, hostes sempiternos spoliauit, peccati vim, & imperium deleuit, ornatusq. manubijs in cælum bellorum omnium victor adscendit. Illud etiam signum vehementer admirandum præteribo, quod ostensum est, cum spiritus Diuinus, e cælo, cum ingenti tonitru, & cæli totius fragore, demissus, Christi discipulos, in vnum locũ celebri, & clara die coactos, linguis igneis inflammauit; vt non modo eorum animi Diuinitatis amore flagrarent, verũ quam plurimos homines ardentissimo genere orationis incenderent. Miracula sileo; linguarum peritiam taceo; sapientiæ vim, qua discipuli Christi silentium aduersarijs imponebant, omitto; ea, quæ clarissima, notissima, testatissima Iudæis eo tempore, quo signa rectius peti potuissent, exstiterunt, similiter prætermittenda puto. Nec enim mihi sermo tam cum illis est, qui olim obstinatis, & in scelere nimis obfirmatis animis spiritui sancto pertinacissime restiterunt; quam cum ijs, qui hodie viuunt, parentumq. vestigijs insistunt. Ea igitur signa, quæ illi negare solent, omittam; vt, ea, quæ negare non possunt, oratione complectar. Duo igitur tantum signa, ex quibus, quantum Christi crucifixi numen sit, aperte declaratur, ostendam. Primum signum est orbis terrarum conuersio; alterum Iudæorum, qui in scelere perstiterunt, euersio. Vt autem primũ de mundi conuersione orationem habeamus, animaduertendum est, in quo statu erant res humanæ, cum in eas cælestis disciplinæ lux sparsa fuit. Erãt vniuersæ terræ sceleribus infinitis alligatæ, & tenebris tæterrimis oppletæ. Erat lumẽ virtutis exstinctũ; leges, atque iudicia cõculcata; religio vel prorsus neglecta, vel pessimis rationibus instituta. Honores Diuini non sideribus tantũ, sed scelestissimis etiam hominibus, & brutis animantibus, atque adeo impurorũ hominum, & serpentium, & belluarũ simulacris habebantur. Quin etiam flagitijs, & pestibus funestissimis, multi templa magnis sumptibus exstruebant, & hostias frequenter immolabant. Apud multas nationes erat in more positum, vt homines in deorum honorem iugularent; in qua feritate, atque immanitate multi tantũ progressi sunt, vt nõ satis Deos sibi placari posse crederent, nisi naturæ sensum opprimerent, & sanguinis caritatem repudiarẽt, vsque adeo, vt filios occiderent, deorumq. suorum aras liberorũ sanguine, & cæde conspergerẽt. Præterea multi, vt Venerem propitiã haberẽt, filias virgines prostituebant. Itaque factum est, vt, cum religio, quæ pietatis, pudoris, officij magistra fuerat, immutaretur, & nefarijs sacris homines ad scelus, & flagitium, ad immanitatem, atque libidinem incitaret, nullum tantum malum cogitari posset, quod non in hominum vita versaretur. Multi parẽtes mortuos comedebant; multi canibus lacerandos obijciebant; nullum iam libidinis, turpitudinis, crudelitatis, impietatis genus multi mortales indignum

Signa duo Christi crucifixi.

hominis præſtantia indicabant. Tyrannus ille, qui mortem in terras inuexerat, ſic omnia violento dominatu oppreſſa continebat, vt nemo poſſet vllis humanis opibus in libertatem vindicari. Accedebat antiquiſsima in ſuperſtitione, & ſcelere cōſuetudo, quæ tātas vires habet, vt rebus turpiſsimis, atque ſceleſtiſsimis, honeſtatis, atque pietatis nomē imponat. Adde nūc principum furorem, imperatorum amentiam, qui maieſtatem ſuam imminui, & imperiū contemni putabant, ſi ſecus aliquid fieret, quā fuiſſet Satanæ placitis, atque decretis inſtitutum. Hic in tantis tenebris, & caligine, in tāta bonorum omnium vaſtitate, in tanta ſalutis deſperatione, pauci viri, Iudæorum ſtirpe propagati, hoc in ſe receperunt, vt vniuerſum genus humanum e tenebris eriperent, & ſempiternis bonis egregie cumularent. Qua nobilitate freti? Quibus opibus, & armis inſtructi? Quibus diſciplinis eruditi? Quibus artibus ad fallendum parati? Si nobilitatem exquiris, erant obſcuriſsimi; ſi opes, egentiſsimi; ſi eloquentiæ diſciplinam, infantiſsimi; ſi vitæ lenocinia, ſeueriſsimi. Erant impuræ veneri, flagitio, turpitudini vehementer infenſi; nefarijs hominum copiditatibus bellum indixerant; omnia, quibus mortaliū animos nimis addictos eſſe conſpexerant, demolicoda, euertenda, & affligenda ſuſceperant. Quo facto, neceſſe erat odia in illos acerbiſsima concitari. Ac cuius auctoritate pugnabant? Hominis illius, quem vt maleficum, & iniuſtum in crucem ſublatū fuiſſe conſtabat. Quæ præmia in vita proponebant? Labores, contentiones, multorum odia, vitæ duritiam, ſalutis diſcrimen, atque tandem crucis, & ignominiæ ſocietatem. Hoc igitur facinus tantum ſuſcipere, virtutis erat adumbrandæ; perficere autem, incredibilis felicitatis. At vide, qui ſint exitus conſecuti. Gentes, a Iudæorum inſtitutis, & moribus abhorrentes, & flagitijs innumerabilibus adſtrictæ, ſic animis commutatæ ſunt, vt, abiectis ſimulacris, contēptis, & ſpretis vitæ lenocinijs, Chriſtum, morte propoſita, per omnes flammas ita ſequerentur, vt nihil malle viderentur, quam pro illius nomine vitam in tormentis abijcere. Itaque vides, orbem terrarū a paucis hominibus, & ijs ignotis, inermibus, egentibus, & infantibus, expugnatum: cernis, cæleſti diſciplina vltimas gentes illuſtratas; Deos commenticios de honore deiectos; Satanæ propugnacula funditus euerſa; & dubitas, quin hęc omnia ſint Dei numine, mente, & cōſilio perfecta? Quo minor eſt enim militum numerus; quo maior armorum pænuria; quo immanior hoſtium ferocitas, atque multitudo; eo clarius apparet, victoriam nullo modo, niſi præſenti numine, parari potuiſſe. Ob eā vero cauſſam, Deus Gedeoni imperauit, vt copias ad eam paucitatem redigeret, ne quiſquam poſſet humanis viribus magnitudinem victorię illius adſcribere. Itaq; factū eſt, vt in hoſtium caſtra trecentis tātum hominibus ſtipatus inuaderet. Quilibet autem eorum altera manu tubam, altera laternam fictilem, in quam erat incluſa fax incenſa, geſtabat. Fractis laternis, ſplendor emicoit; tubarum concentu hoſtes exterriti, in cædem mutuam conuerſi ſont. Quis vmquam fuit tam ſine mente, qui non cerneret animo, hanc Gedeonis victoriam nullo pacto eſſe viribus humanis, ſed opibus Diuinis adſcribendam? Huic victoriæ vir Diuinus Iſaias Chriſti victoriam, quam ſuorum opera conſecutus eſt, ſimilem facit. Multiplicaſti (inquit) gentem, & profudiſti lætitiam. Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe, & ſicut exſultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſoperaſti, ſicut in die Madian. Quod perinde eſt, atque ſi diceret, vt Madianitas innumerabiles, qui, impotente dominatu, Hebræos oppreſſerant, non armis, ſed tubarum cantibus, & lucernarum micantium ſplendore, opera paucorum hominum percuſiſti, & ſtrauiſti; ſic tādem Satanæ tyrannidem, quæ pondus intolerabile ſubditorum humeris imponebat, & dominatum duriſsimum, quo peccati tributum cunctis hominibus imperabat, Euaogelico claſsico, nouæque virtutis lumine, quod fracta corporis libidine, & compreſſa, & domita cupiditate in diſcipulorum moribus ſplendebat, exſtinxiſti, atque deleuiſti. Hæc quidem Iſaias. Tanto tamen hæc Apoſtolorum victoria fuit illuſtrior, quanto maius eſt, dæmonum vires exſcindere, quam Madianitas profligare; & quanto maior erat in animorum euerſione, quam in corporum vexatione calamitas; & quanto fuit admirabilius, orbem terrarū imperio Chriſti ſubdere, quam gentem vnam vno prœlio ſuperare. Alij orientis ſolis regiones Chriſti nomine compleuerunt; alij, ad occidentem Solem profecti, lucem Diuinam hominibus attulerunt; alij, ad auſtrū conuerſi, victoriæ clariſsima monumenta ſtatuerunt; neque ſolum cōmenticia numina peruerterunt; verum & libidinem, ambitionem, odium, crudelitatem, auaritiam ex animis eorum, qui ſe ad Chriſti nomen adiunxerant, exterminarunt. Huius tanti muneris admiratione commotus Iſaias, exclamans, inquit: Celebrate nomeo Domini in vallibus. Valles appellat locos, in quos olim flagitiorum omnium colluuies influxerat. De gentium namque conuerſione diſſerit. Ait continuo: In inſulis nomen Domini laudibus in cælum efferte. Ab vltimis terris carmen audiuimus, & gloriam iuſto tributam. Iuſtum Chriſtum nominat; nempe a quo omnis iuſtitiæ ſplendor exoritur. Admiratur autem Iſaias, intra breuiſsimū tempus nomen Domini vltimas terras ita peragraſſe, vt vbique Chriſti gloria Diuinis laudibus ornaretur. Iſaias admiratur, & tu contēnis? Is magnitudinem beoignitatis Diuinę celebrat; & tu maledicta conijcis? Is gaudio exſultat;

Iſa. 9.

Valles, quę apud Iſaiā.

Iud. 7.

tat; & tu sine vllo fructu, dolore, & inuidia contabescis? Sed animaduerte victoriæ magnitudinem. Omnes Satanæ satellites, atque ministri, de sanctorum hominum pernicie coniurabant; ignes, cruces, equulei, variaq. suppliciorum genera parabantur; corpora eorum carpebantur; omni crudelitate lacerabantur; & tamen eorum virtus inuicta permanebat; & de hostium conatibus maxima cum gloria triumphabat. Tantus autem ardor illos inflammabat, vt vehementius pro Christi nomine snpplicia, quam reliqui mortales opes, & facultates, expeterent. Quid illud? qnantũ fuit? Quo enim maiorem operam tyranni ponebant in Christi nomine delendo, eo magis Christianorum numerus augebatur. Quid igitur dicendum est? Cernis hanc disciplinam, hominum cupiditati contrariam, voluptatibus nefariis infensam, opibns iniquitate, & ambitione partis inimicam, ab improbis, inuidis, flagitiosis vexari, & summis Principum maximorum opibus oppugnari, eamq. nihilominus statum, & dignitatem suam retinere; & dubitas, quin vis illius cælestis, atque Diuina sit? Vos a principio in illam furenter irruistis; imperatores, tyranni, præfecti de illins interitu coniurarunt: hæretici subsecuti sunt, qui, machinis admotis, eam sæpe sunt labefactare conati; neque solum dolis, & fraudibus, verum etiam armis, & viribus, in eam inuehuntur; illa tamen inuicta permanet, & in loco firmo, & egregie munito consistit. Nec enim est humanis opibus, sed Christi Regis sempiterni præsidio vallata. Conueniant igitur hostes; bellũ comparent; copias instruãt; insidias intendãt; collatis signis, & aperto Marte confligant: illa namque semper de hostium immanitate triumphabit. Poterit quidem fieri, vt Christiana respublica aliquãdo latius proferatur, aliquando vero artius angustetur: vt autem opprimatur, fieri numquam poterit. Itaque semper vigebit in illa pietas, religio, sanctimonia, mansuetudo, modestia, caritas, rerum cælestium cupiditas, humanarum despicientia, inflammatumq. Diuinitatis studium. Hæc igitur in bellis victoria, in tempestate tranquillitas, & in omni rerum varietate constantia, & hoc, quod magis admirandum est, in calamitosis temporibus incrementum, parum ne declarant, quantum insit in Christi cruce roboris, atque firmamenti? Potuisset ne fieri, cum natura dolorem fugiamus, voluptates, & commoda vitę consectemur, vt Christi disciplinam, cruce proposita, sequeremur, nisi nos spiritus Christi Diuino robore confirmaret? Quid deinde illud? quantum est? Illius enim numen crebro nobis in precibus, & votis occurrere, & adesse sentimus. Si libido nos inflammat, illius ope libidinem profligamus; si dolor lacerat, Diuini spiritus iucunditate facillime sensum a cogitatione doloris abducimus; si superbia latenter irrepit, arrogãtiam, & fastum Christi mansuetudine, & humilitate comprimimus; odio, inuidia, iniquitate laboramus, cruce Christi in oculis constituta, facile pestes istas animorum a nobis longe repellimus; si hostis in nos incurrit, illius impetum a nobis crucis huius vi, & robore propulsamus. Crux est nobis in ærumna perfugiũ, in mærore solatium, in ruinæ periculo firmamentũ, in bello præsidium inuictum. Sed hæc, quæ minus a Iudæis animaduerti possunt, sileamus, & id, quod eorum animos non mediocriter excruciat, explicemus. Nos enim, qui ab hominibus a lege Diuina prorsus alienis originem ducimns, qnorum maiores simulacra colebant, monstris immolabant, sanctis litteris, a sanctissimis olim Iudæis, impulsu, & inflatu sancti Spiritus, scriptis, operam damus; illisq. ad cognitionem cælestis numinis erudimur; cum interim illi, qui sunt ab illis sanctis Patribus orti, eas vel non attingant, vel non intelligant, nullumq. omnino ex illis fructum accipiant. Itaque nos alieni, nos hospites, & peregrini, Abraham patrem agnoscimus, illosq. viros sanctissimos, qui hæc vobis pepererunt, Gentiles arbitramur. Eorum namque fidem sequimur; cum interim illi, qui genus ad Diuinos illos homines referunt, iam pridem ab illa stirpe præcisi, & ab antiqua nobilitate deiecti, solo Iudæorum nomine glorientur. Si igitur nos, olim a luce, a veritate, ab omnibus veris bonis auersi, nunc lucem adspicimus, si vita fruimur, si prophetarum monitis incendimur, si in societatem cælestis hereditatis cõuocati sumus, si cælum intuemur, & rerum Diuinarum cupiditate flagramus; & hæc omnia constat Christi cruci affixi numine, benignitate, potentia affecta fuisse; quod signum esse potest ad Iudæorum perfidiam conuincendam admirabilius? Sed illud alterum signum, quod est in Iudæorum euersione constitutum, videamus. Ex eo tempore, quo Iudæi se tam infando scelere adstrinxerunt, vt Diuinum numen aspernarentur, auctoriq. vitæ crudelissimam necẽ inferrent, Diuina vindicta in eos exarsit; vsque adeo, vt nnlla vmquam gens tam diris cladibus afflicta fuerit. Odio erant omnibus: expulsi vndique, & eiecti vagabantur; leuissimis de caussis ferro contrucidabantur; multa hominum millia passim concidebant; in Syria, Aegypto, & Cyrene, & multis aliis regionibus, erant rapinæ, atque cædi, & contumeliis expositi; donec tandem ad vrbis excisionem peruentum est. Atque primum seditio turbulenta miseris modis ciuitatem afflixit; illamq. cæde, & sanguine deformauit; & templum, & aras, & loca templi, maiore quadam religione consecrata, sceleribus infandis violauit. Obsidio tandem maximam ciuium parte, non ferro tantum, (id enim iam in minimis malis habebatur) sed etiam extrema rerum inopia, atque dira fame, consumpsit. Patres, repudiato naturæ sensu, cibum e filiorum faucibus extorquebant; filij vicissim parentum guttura premebant, vt, si quid cibi sumpserant, rursus eiicerent, vt ipsi, cibo

parentibus impie detracto, vitam miserrime ad aliquod tempus producerent; vt grauiores malorum acerbitates impurissimis oculis vsurparent. Matres filios infantes discerpebant, vt illorum carnibus famem depellerent. Sic autem erant omnium mentes alienatæ, & stupore calamitatis oppressæ, vt nullus humanitatis sensus, nulla parentum verecundia, nulla filiorum caritas in animis resideret. Exstructi cadauerum innumerabilium acerui, vias, & forum, & alia publica loca constrauerant. Iam enim, mortuorum multitudine superante, & viribus eorum, qui manebant in vita, deficientibus, vix reperiebatur, qui mortuos humo contegeret. Tæterrimus odor vrbem lue dirissima contaminabat. Hostium crudelitas eos foris exterrebat. Sed tantus erat intra muros pauor, atque trepidatio, vt nihil optabilius multis videretur, quam in hostium manus incidere. Id tamen illis per tyrannos, qui vrbi præerant, minime licebat. Iam malorum consuetudo sic omnium sensus obstupefecerat, vt vix plangor, & eiulatus, aut clamor denique, doloris index, audiretur. Vrbs tandem illa, tam celebris, tantis opibus abundans, tanta hominum multitudine referta, tantis præsidiis munita, ab hostibus capta, direpta, & incensa fuit: templumq. illud sanctissimum, mira mortalium religione consecratum, horrifico, atque valde miserabili incendio conflagrauit; omniaq. priscæ religionis monumenta flammis vltricibus absumpta sunt. Hanc funestissimam cladē multis ante sæculis miseris modis Isaias lamentatus est. Sic enim ciuitatem alloquitur:
[Isa. 5.] Viri tui concisi gladio cadent; & fortes tui in prœlio; copiæ tuæ sternentur. Mærebunt, & lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.
[Isa. 24.] Alibi vero inquit: Heu me: Rebelles a Deo desciuerunt. Pauor, & fouea, & laqueus tibi parabitur, o miser, qui terram scelere contaminatam incolis. Qui hostium voce territus aufugerit, in foueam cadet. Qui e fouea adscenderit, irretitus laqueo capietur. Deinde iudicij illius seueritatē oratione describit, & Diuinæ iustitię laudes debita prędicatione celebrat. Sic enim ait: Domine, quem Deum meum perpetuo confitebor, & laudibus summis afficiam: Admiranda consilia multis ante sæculis iniuisti, quæ rata tandem esse opportuno tempore voluisti. Tu namque ciuitatem in aceruum redegisti; ædes magnificas eorum, qui se se a cultu sanctissimæ religionis abalienarant, euertisti; ita, vt nullum vestigium ciuitatis antiquæ remaneret. Numquam instaurabitur, & renouabitur; aut in pristinam Reip. formam erigetur. Persequitur deinde iudicij illius fructum, & gentium pietatem miris laudibus extollit; & gloriam eorum, qui erant ad epulas cælestes inuitandi, luculenter explanat: ex quibus intelligitur, quam infelices, & ærumnosi fuerint hi, qui, Diuinas opes aspernati, inopia sempiterna conflictari voluerunt. Neque tamen, post vrbis excidium, ira Diuina cessauit; sed eos grauissimis plagis insecuta est; ita, vt nullo in loco consisterent. Cum vero, rursus a falsis Prophetis in fraudem impulsi, (se enim Christos appellabant, & tempus Prophetarum oraculis prẹfinitum aduenisse demonstrabant, quo erant Iudæi libertatem recuperaturi) a Romano Imperio deficerent, rursus ab Hadriano Imperatore funditus euersi sunt. Nūc igitur exsules, & extorres, omnibus mortalibus odiosi, & inuisi, omniumq. contumeliis, & rapinis obnoxij, aliquando ferro cæsi, aliquando autem bonis spoliati, expelluntur, eiiciuntur, maledictis omnium configuntur, nec vllum habent in tantis calamitatibus alleuamentum. Illos horrentes, & trementes adspicimus; ad quemuis auræ motum exanimati trepidant; truncorum etiam vmbras extimescunt; vbicūque vestigia ponunt, mirum in se odium multitudinis accendunt; Regis imperio carent; sacerdotij præsidio nudati sunt; ornamentum Reip. prorsus amiserunt; nullas proprias sedes habent; eos cuncti mortales a se, vt malum auspicium, detestantur. Tanta vero sunt ignominia notati, vt timidis, & ignauis, & omnem periculi rumusculum metuentibus, Iudæorum nomen imponatur. Itaque Iudæi nomen, quod olim, dum in illa gente fidei, atq. religionis studium vigebat, fuit valde clarum, & nobile, nunc probris, & contumeliæ seruit; & in promptu est omnibus, quoties hominem insigni dedecore, & ignominia afficere volunt. Omnes enim mortales, siue illi Christiani sint, siue nefariis Mahumetis disciplinis imbuti, siue simulacris addicti, in Iudæi nomine summū dedecus inesse constituunt. Præterea, inueterauit apud multos opinio, eum, qui Iudæum iniuriis affecerit, spoliauerit, occiderit, in nullis iniquitatibus hærere, immo præclare officio suo fungi. Tantum est in gentem miseram multitudinis odium, vt iniuriis in eam illatis multi temere glorientur. [Isa. 7.]
In omnibus his, vt inquit Isaias, non est auersus furor Domini, sed adhuc manus illius est extensa. Non enim conuersi sunt ad illum, cuius iudicio peruertuntur. Supra mille & quingentos annos miseram seruitutem seruiunt; omnium gentium dominatum acerbissimum patiuntur; earumq. iniuriis, & conuiciis expositi sunt: cum nullum interim a Deo præsidium in tanta malorum omnium diritate consequantur. Quam rem gerunt? Quod scelus conflant? Quæ maleficia suscipiunt, propter quæ a Deo, quem tam propitium olim habebant, omnino deserantur? Simulacris immolant? Immo eorum contactum perhorrescunt. Commenticios Deos adsciscunt? At eo nomine, quod vnum Deum colant, efferuntur. Est id verum. Sed moribus immanibus efferati sunt? At ipsi sibi summam laudem æquitatis, & pietatis assumunt. Quid ergo est? Parum ne supplices ad Deum preces adhibent? Immo in precibus assidui sunt, neque tamen exaudiuntur. Si igitur neq. simu-

simulacra colunt, neque aduenas Deos inuocant, neque humanum sanguinem fundunt, neque se impiæ fraudis impuritate contaminant; cur illos Deus, quos in fidem suam recepit, tam diuturno tempore ope sua destituit? Cur gentem illius numini consecratam tam diuturnis plagis insequitur? Cur antiquæ clementiæ, & benignitatis obliuiscitur? Cur denique fidei suę memoriam deponit? promiserat enim, fore, vt, si propter flagitia exsularent, vbi primum, toto animo ad se conuersi, pacem exposcerent, in patrias sedes remigrarent. Itaque, cum olim, propter simulacrorum cultum, Moabitis, Ammonitis, Madianitis, Palæstinis, & reliquis finitimis nationibus in seruitutem traderentur, vbi primum eos sceleris admissi pœnitebat, & opem læsi numinis implorabant, hostibus deuictis, in patriam liberi redibant. Assyrij deinde, atque Babylonij diutius eos duriore dominatu oppressos tenuerunt. At neque in eo exsilio fuere Diuino præsidio orbati. Prophetæ namque eos erudiebant: & exsilium tandem illud vltitimum, atque grauissimum, septuaginta annorum spatio definitum fuit. At nunc nec Astartem colunt; neque Belo supplicant; neque Beelzebubo sacra conficiunt; neque in hortis rem Diuinam faciunt; neq. filios in honorem Deorum iugulant; & tamen Deus multo acrius eos exagitat, quam si se omnibus his sceleribus alligauissent. Si dixerint, iustos interdum laboribus exerceri, fatebor. Verum ita Deus eos exercet, vt laborem breui spatio circumscribat, & laboribus sempiternum præmium, atque gloriam proponat. Præterea non vniuersitati exitium infert; immo, propter paucos iustos, multitudini frequenter ignoscit. Neque solum in futura vita iustos muneribus Diuinis afficit, sed etiam in hac eos ornamentis cælestibus illustrat, clarissimaq. documenta dat, quantum tum sibi cordi sint omnes, qui pro iustitiæ sanctitate dimicant. At vos Deus, post Christi cædem, neque præsidiis vllis instruxit; neque per aliquem prophetam ad spem salutis excitauit; nec exsilium definiuit, nec paucis tantum, sed vniuersitati Iudæorum se grauiter infensum esse declarauit. At, ex quo tempore vos numen Diuinum diris pœnis insequitur? Nam id etiam operæpretium erit attendere. Eo, eo, quo, si vera dicitis, par erat, vt vobis summa etiam crimina condonaret. Tantum enim facinus suscepistis, quantum nulla vmquam gens pro Dei honore suscepit. Lege Deus ipse sanxit, vt, si

Num. 12. propheta quispiam exsisteret, qui prædictiones suas euentis verissimis comprobaret, is tamen homines admoneret, vt honores Diuinos diis alienis instituerent; morte continuo sceleris tam diri pœnas exsolueret. Vos autem nó prophetam, qui religionem labefactaret, sed hominem, (vt asseritis) qui sibi Diuinitatem tribueret, honoresque Diuinos ad se transferret, interemistis. Quid fieri potuit ad expiandam religionem sanctius, ad hominum temeritatem coercendam seuerius, ad exemplum prodendum salutarius? Quid enim magnum fecit Phinees, cum hominem proteruum, qui, inspectante Mose, Madianitidem cóplexus est, cum consorte libidinis hasta transfixit? Num. 25. Non est vllo modo factum cum facto comparandum. Illũ namque nequam hominem libido instigauit, vt cum muliere illa congrederetur. at Iesus, (vt affirmatis) iudicio ductus, in gloriam Diuini numinis inuasit. Ille Mosen, & multitudinem despexit; Iesus rerum omnium dominum cótempsit. Ille Mosis imperium detrectauit; Iesus autem imperium summi, atque sempiterni Regis pro nihilo duxit. Facinus igitur multo præclarius illo, quod edidit Phinees, religionis studio suscepistis; ipsumq. Deum vobis obstrinxistis, cum tam grauem iniuriam, nomini illius illatã, tam acerbo supplicio vindicastis. Si igitur Phinees illo, facinore non sibi tantum nomen, & gloriã, & sacerdotij firmissime constituti dignitatem, sed vniuersę quoque multitudini salutem peperit; (vt enim ipse Deus testificatus est, Phinees ea cæde iram Dei leniuit, & pestem, quæ multitudinem conficiebat, auertit) quid vobis exspectandum est, qui tanto pulchrius facinus designastis? Numquid non æquum erat, vt, quamuis antea fuissetis omnibus summis flagitiis, & impuritatibus inquinati, vos sibi Deus, propter tam egregium factum, reconciliaret, & summis præterea ornamentis afficeret? At ille non modo Christi nece placatus non fuit, verum in eos, qui eam machinati sunt, dirissimas clades inuexit; & vniuersam eorum posteritatem seruitute premi, maledictis conscindi, laboribus frangi, doloribus intercludi, formidine perterreri, ignominia notari, diutissime patitur. Quid igitur dicendum est? Deum clementiæ, & æquitatis oblitum esse? Non prorsus. At clementiæ munus est, supplicibus veniam largiri; æquitatis autem, excellentibus meritis præmia cóstituere. At ille vobis nec vt supplicibus ignoscit; nec vt bene meritis vllam mercedem tribuit. Quid ergo dicendum? Opus enim est, vt vel illi Domino sanctissimo, atq. iustissimo, qui vos, nullo vestro scelere lacessitus, immo meritis vestris obligatus, e tantis malis non eripit, iniquitatis, & iniustitiæ crimen affingatis; vel vos ipsos eo scelere constrictos esse fateamini, quo nullum tætrius, immanius, & detestabilius fieri vmquam potuit. At iniquitas in Deũ non cadit. Propter vestrum igitur scelus ista patiamini. Non est, inquit ille, contracta manus Domini, vt salutare dare nequeat; sed iniquitates vestræ pacem, quæ erat inter vos, & Deum vestrum, diremerunt. Hæc quidem Deus, qui mentiri non potest, effatur. Quæro igitur, quæ tanta iniquitas ista sit? Quod tam scelestum, & immane facinus exstitit? Non me diocria, communia, peruulgata vitia requiro; sed tantum scelus, atque flagitium, vt antiqua scelera, in quæ multo leuius olim vindicatum fuit, vincat, & superet. Nec enim est æquitatis Di-

Diuinæ, maximũ scelus leuibus pœnis, mediocre grauissimis vlcisci. Si nullum igitur exsiliũ gentis huius magis diuturnum fuit; si nullæ clades maiores, nullæ calamitates vehementiores exstiterunt; si numquam seuerius clementissimus ille Dominus eorum postulata reiecit; nec eos vmquam diutius, & grauius afflixit; si iudicium illius est semper rectissimum; si pro magnitudine criminum pœnas sontibus imponit; fateantur, necesse est, vt tantum scelus commiserint, vt multis partibus ea scelera vincat, propter quæ fuerunt olim varijs calamitatibus affecti. Vt autem id melius posit animaduerti, non erit alienum, ea scelera, atque flatitia commemorare, quæ olim suscepere. Nec enim solũ a sanctissima religione defecerũt, & Deos alienos adsciuerunt, & dira, & infanda superstitione conflictati sunt; verum crudelitate, maledicentia, periurio, furtis, latrocinijs, sacrilegijs, iram in se numinis incitarunt. Quam acriter eos prophetæ sanctissimi, & quam asperis verbis accusant; quam sæpe illis seuerum Dei iudicium denuntiant; eorum effrenatas libidines exponunt; tyrannidem, atque scelus obijciunt; potentium auaritiam, iudicum iniquitatem, principum flagitia, multitudinis furorem, & amentiam insectantur. Nullam esse fidem, nullam officij religionem, nullam sanguinis caritatem: omnes mentiri, furari, latrocinari, fraudibus fortunas augere, fratres fratribus insidias machinari, quemlibet ad vxores aliorũ, instar equi, fureuter adhinnire. Adde nunc innocentium cædem, & sanguinem, parentumq. furorem, obtentu religionis, in filiorum nece bacchantium. Nec infanda in mares libido erat illis inaudita. Maximam namque laudem monumenta sacra Regi sanctissimo tribuunt, quod catamitos sustulerit. De conuicijs autem, & maledictis, quæ in Deũ conijciebant, infinita testimonia proferri possent. Nullũ igitur genus auaritiæ, libidinis, impuritatis, immanitatis, parricidij, sceleris, & impietatis animo fingi potest, quo se Iudæi nõ olim contaminarint; & iccirco pœnas luerunt, & in exsiliũ nõ ita magno annorũ numero definitũ cõpulsi sunt. Ergo, cũ hæc plaga fuerit longe grauior, & calamitosior; cũ exsilium ab anno supra millesimum & quingentesimum nullum ad hunc vsque diem finem habuerit; cum nulla interim illis spes melioris cõdicionis afferatur; cum sæpe varijs ærumnis, & calamitatibus opprimantur; necesse est, vt fateantur, se id scelus commisisse, quod multum criminis grauitate, infandis flagitijs, latrocinijs, parricidijs, sacrilegijs, & sceleribus infinitis, contra Dei religionem impie commissis antecedat. Quodnam igitur illud crimẽ fuit? Insto, vrgeo, insector: &, quod tantum, tam scelestum, & immane facinus exstiterit, vt dicant, & in medium proferant, efflagito. Si nullum fuisse dixerint, sanctissimum iudicem iniquitatis insimulabunt. Si mediocre scelus protulerint, dicam illum iustissimum Dominum numquam pœnas grauissimas mediocribus erratis constituisse. Vertant se in omnia; antiquitatis memoriam replicent; rem ponderibus iustis examinent; & nullum facinus editum reperient, quod sit cum eo, quod in Christi nece, & cruciatu susceperunt, vlla ex parte comparandũ. In illo namque fuit ingratissimi animi crimen, & scelus: beneficium enim illud, quo nullum maius, & amplius a Deo hominibus dari potuit, aspernati sunt, atque respuerunt: fuit similiter rebellionis, atque perfidiæ: summi namq. Regis imperium legitimum, atque sempiternum contumaciter, arroganter, & impie contempserunt: fuit immanissimi sacrilegij: templum enim illud sanctissimum non operis hominum factum, sed Dei ipsius manibus in vtero sanctissimæ Virginis informatum, vt in eo non adumbrate, sed vere semper habitaret, violandum, euertendum, & affligendum susceperunt: fuit parricidij: naturæ namque parenti, cuius numine, & beneficio viuimus, & sumus, crudelissimam necem intulerunt. Omnia crimina, odij, inuidiæ, crudelitatis, immanitatis, & impietatis, non dico quæ in homines concipi, sed quæ in Deum ipsum ab hominibus audacissimis, & profligatissimis committi possunt, vnũ in locum collata, minime partem aliquam tam infandi sceleris consequentur. Si muta elementa loqui possent, scelestissimi facinoris crimen illis intenderent: quod interitum rerum omnium moderatori, per quem elementa consistunt, attulerint. Cælum contra illos testimonium diceret; quorum scelere factum est, vt in tenebris, & caligine versaretur. Terra illos immani scelere damnaret; quæ motibus horrendis, quantum facinus ab impijs hominibus in Christi nece commissum fuisset, indicauit. Mare gentem rebellem, & immanẽ fluctibus obrueret; quod viderit illius Domini maiestatem cõtemni, cuius imperio id in omni turbida tempestate semper obediuit. Omnis denique natura ad exitium gentis impurissimæ cõspiraret; quæ contra naturæ conditorem bellum pestiferum comparauit. At, qua tandem se ignorationis excusatione defendent, qui tam claris signis fuerunt de maiestate, & imperio nostri liberatoris admoniti? Prophetæ natale solum illius præmonstrarunt: tempus, quo erat nasciturus, exacte definierunt: signa mirabilia, quæ daturus erat, prænuntiauerunt: humilitatem, mãsuetudinem, obedientiam, mortem illius, & gloriam, & eorum, qui illum sequerẽtur, salutem: &, qui ab imperio illius deficerent, euersionem explicuerunt: omnia, quæ prædicta fuerant, ad numerum aptissime cecinerunt: & tamen Iudæi, qui tã claris signis emolliri, & ab inuidia, & odio sanctitatis ipsius abduci minime potuerunt, signa petere non desistunt. Mediocrene signum (vt alia sileamus) arbitrantur esse, in exsilio, seruitute, pauore, consternatione, & gentium odio constitutum? Si, igitur adhuc signa petunt, illo signo contenti sint, quod in malis

suis

suis experiuntur. Nondum tamen malum grauissimum, quo vexantur, attigimus. Quod tandem illud est? inquies. Furor immanis, quo, legis, & prophetarum studio relicto, alia sibi litterarum subsidia compararunt. Scrutamini, inquit ipse Dominus, scripturas. Ipsæ namque testimonium perhibent de me. Hoc autē, quod Christus admonet, ne a Iudæis fieri commode posset, fuit Satanæ astutia, & calliditate excogitatum, vt, sanctarum litterarum studio neglecto, omne vitæ studium in pestifera disciplina consumerent. Poetæ quidem Græci, atque Latini, multa fingunt, apte tamen, atque venuste; non vt fallant, sed vt oblectent: e quorum tamen fabulis multa in mores, & vitam non incō mode transferuntur. At Iudæi ea confingunt, & comminiscuntur, quæ nullam oblectationem habent. Sunt enim vehementer absurda, & inepta, nulla verborum elegantia, nulla concinnitate orationis illustrata. Quæ quidem, non vt animos oblectarent, sed vt errore turbulento complerent, in scriptis reliquerunt. Nam & cælum imperfectum a Deo relictum asserunt; & lunæ splendorem propter ipsius lunæ inuidiam imminutum; & primum parentem, antequam Eua formaretur, cū omnibus animantibus corpus inceste commiscuisse; & omnes arbores, cū is Dei legem transgressus est, frondes, & fructus, ne is quidquam ex illis commodi caperet, in sublime sustulisse; solamq. ficum, quod fuisset sceleris particeps, (illius enim fructum esse perhibent, quē primi parentes contra Dei iussum gustauerunt) illis folia, quibus pudendas corporis partes obtegerēt, præbuisse. Quid illud, in quo asseuerant, ne Leuiatham, quem dicunt esse marinū serpentem, magnitudinis propemodum infinitæ, genus multiplicaret, quo deinde animantia cuncta in aquis absumerentur, Deum feminam illius interemisse? Ne rursus temere formata fuisse videretur, quæ erat statim interimenda, eam sale conditam asseruari dicunt, vt ea iusti in paradiso vescerētur. Sitis enim videlicet iustis, vt eo salsamento iucundius biberent, a Deo quæsita videtur. Tum illud de immani proceritate Og Regis Basan, quem multo antequam terræ eluuione vastarentur, exstitisse, minimeq. deletum fuisse confirmant, eo quod capite supra omnes fluctus emineret, quam ridiculum. Infinitum esset, si vellem omnia portenta, atque prodigia, quæ litteris contra sanctarum litterarum testimonia homines non modo impudentes, & scelerati, sed etiam inepti, & insulsi mandarunt, oratione percensere. Quid hic verborum turpitudinem, quid sordes, & lutulenta scripta commemorem? Quid aniles fabulas, & diras superstitiones, atque mēdacia infinita referam? Hoc tantum dicam, cum Mahumetes in Alchorano multa non modo impudenter, & impie, verum imprudenter, & nimis insulse confinxerit, tantum multis in locis Iudæos magnitudine, & impudentia fabularum Mahumetem superasse, vt Mahumetes ad illos collatus aliquid esse videatur. Et tamen illa Rabinorum portenta leguntur, ediscuntur; & his nefarijs disciplinis adolescentes, vt ab Isaia prædictum fuerat, irretiuntur, & tamquam Diuina testimonia teneris annis imprimuntur. His studijs illecti, studia legis Diuinæ contemnunt, & prophetas leuiter attingunt; summamq. sapientiæ rationem in amentiæ, & temeritatis, & impietatis officina collocatam habent. Iam vero, in eo, quod ad mores, & instituta vitæ pertinet, quantis erroribus, atque flagitijs puritatem legis inficiunt? Sic enim legem interpretantur, vt necesse sit, eum, qui a maiore iudicum parte dānatus fuerit, pœnas dare; eum vero, qui sententijs omnibus condemnatus exstiterit, absolui. Eum, qui falso testimonio ciuem perdere voluerit, capitali supplicio affici; qui vero perdiderit, crimine liberari. Quasi vero voluntas nocendi sine affectu, supplicio digna; cum effectu vero, laudē egregiam consequatur. Licet item illis per Rabinorum statuta, Christianos pecunia fraudare, vita spoliare, gentes vniuersas circumuenire, dolos, insidias comminisci, & pestem dies atque noctes innocentibus imprecari. Multas dant vias, mendacij, furti, libidinis, impuritatis: & tamen iustitiæ magistri, qui hanc disciplinam tradunt, existimantur: eorumq. decreta, & responsa pro sanctissimis legibus habentur. Huiusmodi corruptelis, & legis interpretationibus fallacissimis cumulata est illa doctrina, quam Iudæi Thalmud appellant, quæ se legis scriptum diligentissime persequi profitetur. Quid de illa altera, quam Cabalam nominant, dicendum est? quam magna sibi proponit? in quantis nugis versatur? quanta promissa continet? quam male datam fidem liberat? Diuina quidem pollicetur; & ne humana quidem miseris hominibus relinquit. Hoc enim suscipit, vt intimos legis sensus explanet. neque tā, quid scriptum sit, quam quod mysterium intus lateat, scrutetur; mente, & sententia, non litteris, vitam moderandam existimat. Claram numinis sempiterni notitiam studiosis pollicetur; & nominis Diuini explicationem se tradituram promittit; quam qui fuerit assecutus, fore non dubitant, quin omnes res admirādas, quas voluerit, efficiat. Quid hoc promisso grandius, & magnificentius? quid exitu magis leue, & nugatorium? In explicatione nominis Diuini ætatem conterunt; quam minime consequūtur. Nec enim via naturæ Diuinæ cognoscendę notis, & characteribus, & interpunctionibus inanissimis, sed vitæ puritate, & sanctimonia, Diuiniq. spiritus illustratione continetur. At illi, litteris varie commutatis, & numeris vltro citroq. conuersis, varijsq. flexibus, atque reflexibus, & latebris exitum nullum habentibus, impediti, non modo sensus Diuinos non adipiscuntur, sed humanis omnino spoliantur. Quid enim amentius illis, qui existimant, fieri posse, vt Diuinum numen certis notis adstringatur;

Ioan. 5.

Isa. 29.

Cabala Hebræorum

atque,

atque, vbi primum aliquis nomen illud, quod exquirunt, expreſſerit, vis Diuina præſto futura ſit? Quid ſceleſtius, quam ineptiſsimam, & impuriſsimam Magiæ rationem ad Diuini nominis Maieſtatem transferre conari? Quid inanius, quam tot ſæculis ſine vllo fructu artem illam colere, ex qua non aliam vtilitatem percipiunt, quam ſtupiditatem in dies amplificatã, humanæq. mentis euerſionem? At, quas, erroris confirmandi cauſſa, fabulas admiſcent. Quę portenta, atque prodigia loquuntur. Qua temeritate, & audacia numen ſibi ad nutum præſto futurum pollicentur. Nihil in eorum argutijs acutum, nihil in oſtentatione magnificum, nihil in explicatione ſplendidum, nihil in fructu ſolidum, nihil denique non modo Maieſtate Diuina, ſed ne Philoſophia quidem humana dignum in eorum ſcriptis; ſed omnia, lenia, futilia, veritatis inania, & temeritatis inconſideratiſsimæ plena reperies.

Iſa. 59.

Oua, vt inquit Iſaias, aſpidum ruperunt; telas araneæ texuerunt; itaque non ſalutem, ſed perniciem, non integumẽtum, ſed nuditatem ſtudioſis attulerunt. Quo modo enim alijs ſalutares eſſe poſſunt, qui ſibi ipſis opitulari nequeunt? aut quem fructũ vmquam ex illa diſciplina inaniſsima, præter furorem, & amentiam, conſecuti ſunt? Itaque, ſenſibus orbati, rationis lumine deſtituti, cæcitate mentis oppreſsi, ſomniant, alucinãtur, ingenio tum huc, tum illuc temere vagantur, nec vlla in certa ſede conſiſtunt. Harum alterutra diſciplinarum, Iudæi, qui ſapientiæ ſtudia ſibi colenda ſtatuerũt, mirifice deleniti, litteras ſanctas oſcitanter legunt: nec eas, niſi ex Thalmudiſtarum, aut Cabaliſtarum iudicio, interpretandas arbitrantur. Quo ſupplicio quid calamitoſius fingi poteſt? Si enim mentis cæcitas, ſi ſtupor, & immanitas, ſi furor, & inſania, ſi errores turbulenti magis ſunt in pœnis Diuinis numerandi, quam egeſtas, exſilium, corporis dolor, & cruciatus, & reliqua mala, quæ homines vulgo nimis extimeſcunt; quid illis miſerius eſt, qui, Diuinæ mentis lumine deſtituti, tanto ſtudio tenebras amplexati ſunt, vt eorũ furor in dies ſingulos augeatur?

Deut. 28.

Percutiet, inquit Moſes, te Dominus amentia, & cæcitate, & ſtupore mentis, vt palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Hoc certe, quod Moſes inquit, in Iudæorum cæcitate perſpicimus. Clariſsimis enim in rebus nihil omnino diſpiciunt. Eas igitur pœnas impietatis, atque perfidiæ luunt, quibus nullæ in hac vita grauiores excogitari poſſunt.

Iſa. 6.

Obſtupefac, inquit Dominus apud Iſaiam, cor populi huius, & aures eius obtuſas redde, & oculos eius obline, ne oculis videat, auribus audiat, & corde intelligat, & cõuertatur, & ſanem eum. Scripturæ ſanctæ conſuetudine imperat Dominus prophetæ, non quidem, vt Iudæos in cæcitatẽ conuertat, ſed vt illis futuram cæcitatem denuntiet. Hoc enim prophetæ facere interdum dicuntur, quod euenturum prædicunt. Itaque Deus prophetæ imperat, vt ſupplicium illud, omnium grauiſsimum, quod Iudæis erat, propter contumaciam, præter alia omnia, ſubeundum, denuntiet. Rectiſsimo namque Dei iudicio factum eſt, vt Paulus, ad Theſſalonicenſes ſcribens, ait, vt, qui beneficium veritatis aſpernati ſunt, errori traderentur, vt mendacio crederent.

2. Theſ. 2.

Itaque iam hac cæcitate, & dementia Iudæi Antichriſto præclare viam muniunt. Sic autem apud Zachariam ſcriptum eſt:

Zach. 5.

Conuerſus, inquit ipſe Zacharias, oculos extuli, viſumq. vidi. Tum angelus: Quid vides? volumẽ, inquam, volans ego video, cuius longitudo cubitos habet viginti, latitudo autem cubitos decem. Et dixit ad me: Hæc eſt exſecratio, quæ exit ſuper faciem vniuerſæ terrę. Omnis enim, qui furatur, eo volumine, ſecundum id, quod in eo ſcriptum eſt, abſoluitur: &, quiſquis peierat, eo volumine, ſecundum id, quod in eo ſcriptum eſt, abſoluitur. Quid hoc Zachariæ viſo, & oſtento mirabilius? Volumen enim iſtud eſt fallax Diuinæ legis interpretatio. Nec enim volumen quadratũ eſt, quæ forma, propter æqualitatem, iuſtitiæ ſpeciem refert; ſed altera parte longius, quæ figura iniquitatem deſignat.

Denarius Numerus.

Denarius autem numerus legi Diuinæ conſecratus eſt. Numerus autem Viginti continet nefarium legis additamentum, diris obnoxiũ, quod legem falſis interpretationibus, & iniquiſsimis inſtitutis ad illam adiectis inquinat, illiusq. puritatem, & ſanctitatem fœde contaminat. Si autem in Diuina lege exſecratione deuincitur omnis, qui ad legẽ aliquid addit; quo modo non multo magis erunt deteſtabiles, & exſecrandi, qui multis additamentis eam prorſus immutarũt, atque ab inſtituto ſanctiſsimo detorſerunt? Volumen igitur hoc, quod in terras vniuerſas, in quibus Iudæi damnati exſilio vagantur, incredibili celeritate peruaſit, Thalmudiſticam, aut illi ſimilem diſciplinam aperte ſignificat. In illam enim valde conuenit id, quod ſequitur, nempe, ab ea excogitatum fuiſſe, vt omnis fur omni crimine liberetur; & periurus eiuſdem diſciplinæ decretis iniquiſsimis abſoluatur. Vt enim pauca de fallaci legis explicatione, qua, ſecundum Thalmudiſtarum placita, iudices contra iuſiurandum iniquam ſententiam ferre poſſunt, & nocentes abſoluere, diximus; ita ſunt alia permulta flagitia, quæ eiuſdem inſtitutis ſanciuntur. Sequitur autem in eodem loco: Et eieci illam, inquit Dominus exercituum, vt veniat in domum furis. Per Furem Satanam intellige, qui non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Addit deinde: Et in domo eius, qui falſo iurat, & conficiet eam, & ligna eius, & lapides eius. Quis autem erit, qui periurij ſcelere inter omnes excellet, niſi Antichriſtus, qui erit huius diſciplinæ decretis ab incunabulis inſtitutus? Is enim falſo iurabit, cũ ſe inſeret, & intrudet, Liberatoriſq. nomen impudenter vſurpabit, fictaque ſpecie ſanctitatis, atque Diuinitatis, miſeram gentẽ in capitalẽ

fraudem

fraudem impellet. Ea namque furoris exsecratio, quæ disciplina nefaria continetur, ipsam domum furis, atque periuri palatium, & vires, atque robur absumet. Idem alio viso non minus admirando declaratur. Sequitur enim continuo: Egressus est Angelus, qui loquebatur mecum, dixitq. ad me: Attolle oculos tuos, & vide, quid est istud, quod egreditur? Tum dixi, quid est? Dixitque, Epha est, quod egreditur. Hoc oculus eorũ in vniuersa terra. Et ait, Hæc est impietas. Et abiecit eam in Epha. Deinde abiecit massam plumbeam super os ipsius. Per Epha, quod est publicum, & communi lege definitum mensuræ genus, intelligitur iuris administratio, quam pestilens Iudæorum doctrina furenter occupauit. Et ideo scriptum est, impietatem in amphoram illam iniectam fuisse. Ait deinde, hoc esse eorum oculum in vniuersa terra, quia iam non a Iudæis, quid lex Diuina sanciat, sed quid Thalmud, aut Cabala præscribat, examinatur. His duobus Satanæ placitis, & inuentis, tanquam oculis, vtuntur, & in interpretes, tamquam in salutis auctores, intuentur. Massa vero plũbea, in os ipsius impietatis iniecta, non ponderis tantum in terram deprimentis grauitatem, sed etiam mentis stupiditatem designat. Nihil enim a Iudæis, isti nefariæ disciplinæ deditis, effertur excelsum, nihil elegans, & acutum, sed ponderosum, hebes, & obtusum. Adiungit deinde: Cumq. sustulissem oculos, vidi. Et ecce duæ mulieres prodibant, ventusque erat in alis earum: erantq. eis alæ, quemadmodum alæ ciconiarum: quæ Epha in altum inter cælum, & terram sustulerunt. Personas rebus imponit: &, quemadmodum impietatẽ sub persona mulieris inducit; ita per duas mulieres, quæ impietatem sustinebant, duplex impiæ disciplinæ genus intelligit. Ciconiæ serpentibus pascuntur; & ideo alas harum mulierum, quas ventus, hoc est, inanitas impellebat, alis ciconiarum similes facit: vt ostendat, omnem earũ impetum, vt serpentibus, id autem est, nutrimẽtis scelerum, dæmonum industria suppeditatis, alantur, incitari. Dicit, vas illud inter cælum, & terram sublatum exstitisse, quia disciplinæ illæ nefariæ neque terram tangunt; (neque enim quidquam hominum mediocrium approbatione dignum sonant) neque rursus aliquid altũ, atque cæleste pronuntiant. Adiungit deinde: Dixi ergo ad angelum, quo ferunt istæ Epha? Dixitq. ad me: Vt exstruant ei domum in terra Senaar, vbi præparabitur ei, & collocabitur ibi super basi sua. Per terram Senaar, vbi Babel, id est, confusio ædificata fuit, intelligit Remp. sceleratam, & impiam, Diuinæ legis sanctitati contrariam, omniaq. perturbandi, atque peruertẽdi studium. Ibi sedem impietatis fore dicit, quia in cœtu Iudaicæ perfidiæ, quæ Babylon quædam existimanda est, Ierosolymę cælesti cõtraria, sic ea disciplina furoris insedit, vt ex illa, quasi ex adyto, responsa petantur. Et, cum sancitum sit, ne pythones, qui strident incantationibus suis, consulantur, sed omnia vitæ consilia ad Diuinæ legis normam, & testimonium referantur; Iudæi, pro legis sanctitate, legis labem, & corruptelam consulunt; & magiæ disciplinam, quam Cabalam appellant, in Diuina se de reponunt. Quid autem hoc indignius dici, aut existimari potest? Gentem, sanctorum hominum stirpe procreatam, ad spem salutis sempiternæ Diuinis oraculis excitatam, ad sanctissimam sobolem propagandam Diuino consilio reseruatam, ita de statu concidisse, vt, pro legis Diuinæ studio, scelus, & impietatem, pro Diuinæ mentis testimonio diram magiæ disciplinam, pro sapientiæ doctrina furorem, pro Diuinorum hominum sententijs sceleratas opiniones sequi statuerit? Hoc igitur tã diro supplicio, quo Iudæi perfidiæ pœnas luunt, satis apparet, quantum sit Christi crucifixi numen, atque potentia. Præsidio namque illius orbati, hostibusq. prædæ, & direptioni relicti, furijs agitantur; terroribus exanimantur; a mente, & cõsilio deducuntur; ita, vt nullus tam immanis furor cogitatione fingi possit, quo non stimulentur, vsque eo, dum in sempiternam miseriam irruant. Si Iudæi signa petunt, legant sanctorũ hominum monumenta, quæ Christi aduentum, quæ illius mansuetudinem, quæ paupertatem, & humilitatem, quæ signa mirabilia, quæ mortem, & cruciatum, quæ victoriam de morte partam, quæ clarissimum triumphum, quæ imperium sempiternum prędixerant, quo modo mysterium nostræ salutis fuit a Deo promissum, figuris adumbratum, a Prophetis enuntiatum: recolant animis, quo tempore Christus ortus fuerit; quid in vita gesserit; quam admirandis operibus insitum numen expresserit; quam libenti animo vitam pro omnium salute profuderit; quanta virtutis inuictæ documenta in cruce dederit; cernant animo gentium conuersionem; Diuinæ claritatis splendorem in omnes terras diffusum; Iudæorum, qui Christum odio persecuti sunt, euersionem, & interitum memoria repetant; quam veris euentis hominum Diuinorum effata comprobata sint; & tũ demum, tam admirandis rebus, & tanta Diuinorum testimoniorum consensione conuicti, Deo gloriam tribuent; nec vlla præterea signa flagitabunt. Videant, quo modo facinoris illius immanissimi, cuius nomine gloriantur, nullum a Deo præmium consecuti sint; immo post illũ diem, quo Christum occiderunt, bellis, & vastitate comsumpti, exsilio damnati, dedecore, & ignominia deformati, scelerum pœnis agitati, nullo in loco consistant. Reputent secum, quo furore stimulentur; quibus nugis oblectentur; quibus fabulis aures præbeant; quos sibi magistros adsciscant; quibus tenebris immersi sint. Agitent animis, quot argumentis ducti suspicari possint, se Deo inuisos esse. Nec enim eorum preces audit; nec illis subsidio occurrit; nec illorum labores aliqua spiritus Diuini suauitate compensat; immo eos ita districto gladio seueritatis

Epha, mensuræ genus.

ritatis insequitur, vt respirare non sinat. Illos autem, in huius libri fine, ne diutius, cùm tanto vitæ supplicio, eorum contumacia cum Dei clementia certet, exhortari, minime alienum puto. Quantum vestram salutem constitui cupiamus, o viri sanctissimorum hominum sanguine propagati, nouit ille summus Dominus, qui intimos animorum recessus explorat, & cui nihil est nec in densis quidem tenebris occultum. Quod minime mirandum est. Omnia namque bona, quibus affluimus, a vestro genere profecta ad nos vsque peruenerunt. Principes vestri generis, atque nominis, illi summi viri Abrahã, & Isaac, & Iacob, quos Deus secum amicitiæ fœdere inuiolabili coniunxit, exstiterunt. Doctores vestri, Moses, & Aaron, se, virtutis excellentis altitudine, in familiaritatem summi Dei penitus immerserunt. Vestræ salutis interpretes Prophetæ sanctissimi fuerunt; vobis Diuinæ disciplinæ monumenta, & oracula, qnibus nostra salus cõtinetur, credita, atque commissa sunt; vestrum geuus Dei filins secum fœdere sempiterno colligauit; e vestro corpore sanctissimi viri, qni nos huius tantæ lucis participes effecerunt, prodiere. vestra tandem stirpe propagabuntur, qui temporibus vltimis sanctorum patrum Diuinas virtutes imitentur. Filius Dei non humanum corpus assumpsit, vt nos a coniunctione vestra diuelleret; sed vt nos vobis, & vos nobis artissimo vinculo deuinciret. Quare par est, vt vestram vicem doleamus, & pro vestra salute vota faciamus. Quamquam, quid attinet, ad Denm preces fundere, qui ad vos manus intendit, & prope suppliciter (tanta est illius clementiæ magnitudo) vos rogat, vt sanari velitis? Quid igitur benignitatem Diuinam, quæ vos ad se, vt inquit apud Isaiam, tota
Isa. 65. die allicit, & innitat, negligitis? Cur salutem vestram proditis? Cur in pestem ante oculos positam ruitis? Cur nos hospites, & peregrini in tantorum bonorúm possessionem missi sumus, & vos hereditatis amplissimæ patrimonio deiecti fuistis? Nos, oleastri surculi, in sanctorum stirpem insiti, ex olea geniales succos elicimus; & vos ab ipsa olea, qua nitimur, excisi, ad incendium reseruabimini? Vos igitur oro, & obtestor, per generis vestri sanctitatem, per legis Diuinæ puritatem, per infinitam illã Dei clementiam, qua vobis olim singulari, atque patria beuignitate consuluit, ne diutius vestra pertinacia cum illius seueritate certamen ineat. Satis vos erudit, dum vobis tã multas plagas imponit. Parentum fidem, & pietatẽ imitamini; odium, & inuidiam a vobis repellite; spiritus Diuini iussis obtemperate; exempla patrum, qni in scelere perstiterunt, detestamini; Christi crucifixi, cuius vim tam multis signis perspicere potuistis, numen extimescite. Nunc, dum tempus est, dum aditus ad clementiam patet, dnm potestis illius benignitatis infinitæ fructu potiri, resipiscite; & ad illum, qui vos ad se vocat, inflammato studio properate. Qnod si voces illius audire nolueritis, cum iterum venerir, vt iudicium de hominum factis, atque fide constituat, cum illum gloria Diuina circumfluentem, vitæq. ratiouem a singulis hominibus seuerissime repetentem, flammaq. vindice hostes suos populantem, & eos, a quibus in crucem actus fuit, rectissimo iudicio peruertentem, adspexeritis, ad cuius opem confugietis? In quas vos latebras conijcietis? Is enim, qui nnnc vobis vsuram vitæ concedit, vt in viã redire possitis; qui vos, quamuis illius benignitati repugnetis, vocare non desistit; in vos eo seuerius vindicabit, quo nunc clementius exspectat. Duo tantum a vobis impetrare cupio. Vnum est, vt pestilentem disciplinam, quæ non aliunde, quam a plaga tartarea ad perniciem hominum profluxit, exhorreatis; solamq. Dei legem, & Prophetarum testimonia consnatis: alterum, vt nihil a parentibus præiudicati in precibus, & votis afferatis; sed, simplici animo, ab illo summæ benignitatis, & clemẽtiæ fonte contendatis, vt, quid ad salutem vestram necessarium sit, vobis clemẽter aperiat. Quod si feceritis, non dubito, quin is animos vestros splendore sancti spiritus illuminet; vt tum demum, quantum numen, atque potentia in Christo Crnci affixo lateat, intueri possitis.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE SAPIENTIA

LIBER TERTIVS.



Vdæis quidem signa petentibus, si signis admirandis sanari volunt, abunde satisfactum arbitror; si sanari nolunt, signa petere desinant. Nunc vero consequens est, vt Græcos sapientiam quærentes doceamus, omnes verissimæ sapientiæ rationem Christi crucifixi mysterio contineri. Aptissimum autem huius orationis cum Græcis habendæ principium illud fore videtur, vnde vitæ exordiũ duximus. Vitæ nostræ principium fuit illa fides, qua patrẽ, & filium, & spiritum sanctum confessi sumus. Nec enim satis ad cælestem lucem fruendã nobis fuit illo die fateri, Deum infinita potentia, sapientia, & bonitate præditum, sempiternæ lucis originẽ, vniuersæ naturæ conditorem, rerum omnium formas in se mirifice continentem: sed fuit etiã necesse, vt in summa naturę Diuinę simplicitate triũ personarum distinctionem nobis esse perpetua prædicatione celebrãdam videremus. Si enim sapientiam quærimus, & sapientia in Dei notitia consistit, Deum autem is pro huius vitæ statu, & condicione nouit, qui patrem, & filium, & spiritum sanctum vna diuinitate, maiestate, imperio, contineri firmissime credit, restat, vt summam sapientiam in hac fide constitutam arbitremur. Præterea, cum de signis ageremus, sæpe Christum Dei filium appellauimus: quod Iudæi fere non possunt: Græci non facile consequuntur: ea de caussa commodum nobis visum est, ne opus imperfectum ansam calumniæ præberet, Iudæos sanctarum litterarũ auctoritate repellere, Græcos autem aliqua ex parte tanti mysterij disciplinis instruere. Quãquam, quod ad Iudæos attinet, si illi signa perspiciunt, signis intelligere potuerunt, Christum esse veritatis, atque iustitię magistrũ. Is autem, se verum Dei filium esse, testificatus est. Qui cũ sit patri amore sempiterno deuinctus, consequens est, vt, præter patrẽ, atque filium, caritatem sempiternã cogitemus. Deum nemo vidit vnquam. Nec enim sensibus vsurpari, neque cogitationibus informari, nec scientia cõprehendi, neque mente percipi numẽ illius potest. Fides tantũ relinquitur, vt, quoad licet, & fas est, Deum animo complectamur. Fides vero auctoritate dicentis innititur. Auctoritas autem summa in eo solo collocanda est, qui nullum in se peccatum admisit, aut mendacium concinnauit, numenq. suum Diuinis operibus apertissime cõprobauit. Is igitur solus, qui est in sinu patris, nobis verissimæ Theologiæ disciplinam tradere potuit; de qua antequam aliquid dicamus, opus est, vt numen illius imploremus, & ab illo petamus, vt nobis lumen suũ præferat, quo, sine vllo mentis errore, de tantis rebus, vt pietatis verissima ratio pręscribit, disseramus. Admonendi tamen sunt, qui in hos libros inciderint, esse quædam verba, quæ non sunt ita elegantium hominum consuetudine trita; quibus quo minus vtar, mihi interdictum non arbitror. Nam, si Mathematicis, si Physicis, si Medicis, si reliquis denique in singulari aliquo artificio versatis certa vocabula concessa sunt, longe a consuetudine communis sermonis abhorrentia; cur non id multo magis illis permittitur, qui de rebus Diuinis edisserunt, in quibus necessario verba aut facienda sunt, aut ab alijs iam facta vsu, & consuetudine mollienda? Ve autem institutum prosequamur, cum de Deo neque sensus, neque opinio, neque scientia, nec intelligẽtia sit, (superat enim infinita illius amplitudo omnem mentem, & rationem) & fides tantum reliqua sit, quæ constans, & firma permaneat; hanc certe firmitatem habere non poterit, nisi Diuino testimonio nixa fuerit. Hoc autem testimonium facit, vt fides sit omnibus sensibus certior, omni scientia firmior, & omni denique mente constantior. Sensus enim sæpissime fallunt; scientia vero ea, quæ facultatẽ humanam superant, haudquaquam assequitur: mens humana est angustis admodum spatijs circũscripta; ita, vt sola fides Diuinis testimonijs constanter adhibita animos nostros sollicitudine liberet, & de rebus Diuinis certos efficiat. Solius igitur Christi testimoniũ est, quod nos sapientes reddere potest. De quo summus pater ait: Ecce testem populis dedi eum, ducẽ, Isa. 55. & præceptorem gentibus. Ioannes vero, Nemo, inquit, adscendit in cælũ, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Quod scimus, inquit ipse filius, loquimur; &, quod vidimus, testamur. De se, & de spiritu sancto loquitur, quibus pater a sempiterno tempore omnes sapientiæ opes largitate infinita referauit. Is igitur Dominus, qui vidit, quæ videre nõ possumus, qui audiuit, quæ aures humanæ non capiunt, se filium Dei esse, testificatur. Si igitur Pytha-

Pythagorici tantum magistri auctoritate præiudicata mouebantur, vt non aliud argumentum requirerent; &, quam primum constaret, Pythagoram aliquid enuntiasse, id continuo sequebantur; quid Christianis faciendum est, cum Christi Diuinam sententiam operibus Diuinis confirmatam acceperint? Vt Iudæis tamen omnem materiam calumniæ subtrahamus, non erit incommodum, aliquot antiquorum Theologorum testimonia colligere, quæ Trinitatis sanctißimæ mysterium complexa sunt; vt facilius intelligant, Christum esse verum Dei filium, a patre summo ex omni æternitate generatum. Vt autem ordinem temporum sequamur, Moses hoc mysterium occultius tradidit. Gen. 1. Inquit enim: In principio creauit Deus cælum, & terram. Pro Dei nomine est אלהים. Quod nomen cum multitudinis numero proferatur, id enim est, quod Dij, numero tamen singulari coniungitur, vt intelligamus tres personas vno tantum numine contineri. Quod quidem non in hoc tantum loco, sed passim in Scriptura sancta perspicitur. Et hactenus quidem vim immensam sanctißimi numinis admiramur; nondum tamen clarißimum sapientiæ munus adspicimus. Sapientiæ namque munus est, obscura illustrare; confusa secernere; inordinata in ordinem reducere; nuda vestire; inania complere; & res suis locis apte distributas, conuenientibus ornamentis afficere. Hæc autem vt demonstret Moses, inquit: Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem a tenebris: & reliqua deinde, quæ ordine singulari persequitur, vel quæ ad distinctionem, vel quæ ad ornamentum, & pulchritudinem, vel quæ ad incolumitatem, & stabilitatem referuntur. Sed illud est animaduertendum, cum opifex rerum ex nihilo cælum, & terram, quasi materiam, ex qua mundum ædificaret, ab initio condidit, in ea creatione non ita clare sapientiæ documenta constituisse. Erant enim omnia tenebris obducta, & confuse, & turbide fluctuabant, & huc & illuc temere iactabantur. Et iccirco non scriptum est, Et dixit Deus: Creetur cælum, & terra. At, postquam Moses exposuit, quo modo Deus, exorta luce, tenebras dispulisset, & confusa discreuisset, & ornamentis pro cuiuslibet rei natura distributis effecisset, tunc vsus est hac oratione, nempe, Dixit Deus, quam in singulis deinde operibus repetitam videmus. Cuius quidē orationis quam aliā caussam afferre possumus, præter eam, quæ claritate sapientiæ cōtinetur? Lucem enim rebus obscuris afferre, ordinē collocare, res natura diuersas locis distinctis fœdere colligare, & opibus aptißimis, prout cuiusque rei condicio flagitat, illustrare, sapiētiæ perfectæ munus, & officium est. Ob eam igitur caussam in operibus illis clarißimis Verbi mētio fit: vnde colligitur, per Verbum mentem, & rationem patris intelligi. Stultißimum est enim, Deo verbum nostri simile, quod e gutture funditur, & lingua, palato, & dentibus premitur, atque terminatur, & emissum dissipatur, affingere. Verbum autem Dei illius sapientia est. Itaque Dei oratio arcani est consilij tēporibus ab illo definitis explicatio, & quædā quasi cum intima illius mente consultatio, & operis denique sempiterno consilio designati molitio. Cū igitur Moses Deum in mundi fabrica locutum fuisse demonstrat; patrem per filium, qui verbum, & mens, & sapiētia illius appellatur, opus, quod ante designarat, effecisse pronuntiat. Multo autem clarius hæc personarum distinctio in hominis fabrica declaratur. Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginē, & similitudinē nostram. Multitudinis numero quasi consultans, filium, & spiritū alloquitur: imaginis tamen vnius, nō pluriū, meminit: vt in multitudine personarum distinctionē, in imagine naturæ singularis, atque maxime simplicis vnitatē veneremur. Nam, quod Hebræi dicūt, in hoc loco Deū fuisse cum Angelis collocutum, impiū facinus est, Angelos humani generis simul cum Deo cōditores arbitrari, bonamq. Diuinæ gloriæ partē ad Dei ministros transferre. Vnus est enim rerum omniū conditor, vnus vniuersæ naturæ parens, & Dominus, vnus rector, atque moderator, qui solus a principio omnia finxit, & formauit; &, qui secus statuerit, contra Diuinā legē plures deos in Diuina sede reponet. Illud etiam est ineptißimū, quod Iudæi quidam asserunt, Deum, more hominū, qui dignitate præcellunt, numero multitudinis vsum fuisse; quasi fuerit necesse Deo, ineptijs, quas noua barbaries multis post sæculis induxit, ad commendationem suæ dignitatis abuti. Ergo, cum nec angeli fuerint in societatem huius operis conuocati; nec conueniens fuerit, vt Deus solœcismū sine graui caussa faceret, confiteri necesse est, cōsilium illud a patre cum filio a tempore sempiterno communicatum, tunc ad effectum filij opera, & spiritus sancti comprobatione, aut, vt rectius dicam, totius Trinitatis sanctißimæ potentia, consilio, probitate peruenisse. Sed, cur hoc consilium non ita clare in reliquis explicatur? Vt ex eo posset intelligi generis humani dignitas, cuius nempe gratia reliqua omnia condita, & constituta sunt. Nec enim in cælo, nec in sideribus, nec in sole quidem ipso, reliquorum luminum principe, legitur fuisse imaginē Diuinæ mentis impressam. Vt igitur ostenderet, opus illud præclarius, & maiore cōsilio formatū, ideo scriptum est, Deū dixisse, Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quamquā licet obscurius, quoties Deū dixisse legimus, toties opera Diuina summo cōsilio, & ratione perfecta fuisse conspicimus. Ad hunc modum, cum legimus, Vidit Deus, quod esset bonum, idem Trinitatis mysterium designari cernimus. Pater enim per filium opus videt, & operis absoluti pulchritudinem amore miro complectitur. Amoris autem nomine sancti Spiritus persona significatur. Non quod

opera

opera patris, filij, & Spiritus sancti inter se distingui possint, & certæ singulis personis prouinciæ cum pacto distributæ sint; sed vt in operibus singulis omnium trium personarum coniunctio, & minime distincta societas explicetur. Psal. 32. Vt enim alibi scriptum est, Verbo Domini cæli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque, cum legimus, Dixit, aut vidit Deus, verbi, aut adspectus Diuini nomine filium intelligimus; cum vero Deum opera sua comprobare videmus, spiritum illius oculis mentis intuemur. Alibi Moses, cum per Gen. 18. Dominum imbrem sulphuris, & ignis, a Domino super Sodomam, & Gomorram demissum fuisse demonstrat, clare personarum discrimen apponit. Nam vtrobique nomen illud quattuor litterarum, nempe יהוה, quod nullo modo, nisi in naturam Diuinam conuenit, positum videmus. Cum igitur Deum verum vim sulphuris, & ignis a Deo vero demisisse dicit, Dei filium illo iudicio patris voluntatem, & Num. 6. imperium confecisse dicit. Quid? Ipsa bene precandi formula, quam Deus ipse præscripsit, nonne ipsarum personarum discrimen explanat? Sic benedicetis, inquit, filijs Israel: benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Hic etiam ter illud sanctissimum naturæ Diuinæ nomen repetitum cernimus: vt hoc numero tres in vna natura personas consistere videamus. Alio similiter in loco, Audi Israel, Dominus Deus noDeut. 6. ster Deus vnus est. Ter nomen Dei posuit, vnum tamen Deum confitetur, vt tres in vna, & eadem Diuinitate personas explicaret. Dauid autem, quam sæpe hanc eandem Theologiæ rationem exponit. Veluti, cum ait: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Psal. 109. Et vnxit te, Deus Deus tuus vnguento læti-Psal. 44. tiæ. Christum Deum appellat, & a Deo patre perfusum fuisse vnguento lętitiæ, hoc est, Spiri-Psal. 66. tus sancti virtute significat. Tum illud, Benedicat nobis Deus, Deus noster, & benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Psal. 85. Alibi vero: Ad Sion, inquit, dicetur Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Quasi dicat, Magno gaudio cumulabitur fidelium cœtus, qui Sionis nomine sæpe vocari solet, cum fuerit vnius hominis illius aduentus incredibili gaudio nuntiatus, ita, vt altero quoque verbo nuntius hominem sonet. Sed, quis tādē ille homo erit, qui sit tantæ voluptatis caussam communibus rebus allaturus? Hic, inquit, homo est excelsus Dei filius, qui in Sione, hoc est, in Iudæorum rep. quā ipse fundanit, exorie-Psal. 71. tur. Alio rursus in loco, Deus, inquit, iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio regis. Rex hic, cui fausta, & felicia precatur, Christus est, quem Regis filium appellat. propterea quod erat ex semine ipsius Dauidis procreandus, cuius Christi Diuinitatem eodem in carmine luculenter exponit, eumq. Dei iudicio, atque iustitia exornandū prædicit: quia non secundum sensus, qui insidias multiplices animis intendunt, nec secundum rerum incidentium coniecturas, quæ sæpissime fallunt, nec secundū hominum testimonia, quæ multis fraudibus vim iustitiæ, & æquitatis eludunt, iudicium erat facturus; sed secundum veritatis ipsius exactissimum cogitationum, quibus fraudes innumerabiles occuluntur; examen, erat sententiam laturus. Hoc autem iudicium nemo, nisi Deus, Iere. 17. 10. exercere potest. Nec enim, vt inquit Ieremias, aliquis potest cor hominis perscrutari, & inspicere, nisi solus Deus. Hoc igitur in loco Dauid Deum orat, vt Deo, quē Regem, & filium Regis appellat, iurisdictionem suam largiatur. Multa Regis huius sanctissimi testimonia in eandem sententiam scripta prætereo. Quid de Solomone, illius filio, dicam? Sic enim apud illum scriptum legimus: Quis adscendit in cælum, atque descendit? Quis continuit spiritum manibus suis? Quis constrinxit aquas veste? Quis con-Prou. 30. stituit omnes terminos terræ? Quod nomen est eius, aut filij eius, si nosti? Hic certe, cum Dei filium appellat, illins personam, non naturam, a patre distinguit. Isaias vero, quā clare Christi Diuinitatē celebrat. Puer, inquit, natus est no-Isa. 9. bis; & filius datus est nobis; & factus est principatus eius super humerum eius; & vocabitur admirabilis, consiliarius, fortis, Deus, Pater æternitatis, princeps pacis. Illum a Deo nobis datū esse dicit; & enm, qui datus est, Deum nominat. Cū igitur alius sit, qui dedit, & alius, qui datus est, satis cōstat, filium a patre discerni. Alibi vero apud eundum Prophetam dicit idem Dei filius: A principio non in aperto lo-Isa. 48. cutus sum: ex tempore, quo hæc esse cœperunt, aderam: Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Deus ipse loquitur, & se a Deo missum asseuerat, spirituque illius incitatum fuisse, cōfirmat. Minime necessarium arbitror, omnia Diuinorum hominum testimonia conseetari, quæ hanc eandem sententiam continent. Vt igitur modum statuam, duorum tantum testimonia proferam. Primus testis erit Oseas, alter Zacharias. Osee 1. Apud Oseam dicit Deus: Domui Iuda misericordiam tribuam, & salutem dabo eis per Dominum. Deus ipse loquitur, & salutem a Deo afferendam opera ipsius, qui loquitur, pronuntiat: vtrobique autem nomen illud יהוה positum videmus, vt patrem, & fi-Osee 3. lium intelligamus. Alio rursus in loco ait, Postea reuertentur filij Israel, & quærent Deum Dominum suum, & Dauid Regum suum, & metuent Dominum, & bonū eius vltimis diebus. Dauid hoc in loco Christus est. Hoc enim nomine apud Isaiam, & Ezechielem, & alios Ezech. 34. Prophetas interdum nominatur. Hic etiam ter Dei nomen non sine mysterio repetitum cernimus. At Zacharias multo clarius hanc eandem sententiam confirmat. Nam apud il-Zach. 2. lum Deus ita loquitur: Cane, & lætare, filia

Sion: Ecce namque veniam, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & adhærebunt gentes multæ Domino die illa; & in populo meo numerabũtur; & habitabo in medio tui; & ſcies, quod Dominus exercituum miſit me ad te. Quid hoc teſtimonio clarius, quid euidentius dici, aut cogitari poteſt? Deus ipſe loquitur, ſeq. venturum prædicit, foreq. prænuntiat, vt multæ gentes ad Domini nomen adiungantur; ipſeq. Dominus ſe a Domino miſſum iri præmonſtrat, & in omnibus his locis nomen illud Dei quattuor illis notis inſcriptum apponitur.

Quid eſt igitur, qnod Iudæus tergiuerſari conetur? Quan erroris defenſionem meditabitur? Qnibus artibus elabi poterit? Deus verus ſe venturum denuntiat: gentes exteras ad Deũ verum aggregandas eſſe, demonſtrat: ipſeq. Deus, ſe a Deo mittendum, prædicit; & nomen Domini ter repetitũ animaduertimus, vt tres perſonas in vnius Diuinitatis ſimplicitate veneremur: & tamen Iudæi tam claro viri Diuini teſtimonio impudentiſsime repugnabunt? & tamen in luce meridiana caligabunt? & tamen in eodem errore perſiſtent? Eadem enim cæcitate, qua Chriſtum adueniſſe negant, vt Antichriſtum recipiant, Diuinæ ſapientiæ lucem fugiunt, vt magicis Cabalæ delirationibus, & commentis peſtiferis incumbant. Sed in quæſtionem vocari poteſt, cur Trinitatis ſanctiſsimæ notitia non fuerit olim explicite tradita omnibus Indæis, quemadmodum & nobis, Nam, ſi ad ſalutem neceſſaria eſt, illi non erant de ſalutis ſpe deijciendi; ſi non erat neceſſaria, non erant inutili quæſtione reliquæ gentes implicandæ. Sed, vt breuiter reſpondeamus, olim non erat neceſſarium, immo erat periculoſum, aliquid vulgo de numero perſonarum diſputari, ne Iudæi, propter ingenij tarditatem, tres Deos aſſererent. Et, antequam Dei filius in terras adueniret, non tantam fidem ab illis requirebat. Pro ratione namque muneris, & beneficij, magnitudo fidei, atque pietatis exigitur. Nullum beneficium maius eſſe potuit Chriſti præſentia: nulla igitur maior fides vllo tempore requirenda fuit. Quamuis enim antiqui homines olim venturæ ſalutis fiducia niterentur, multum tamen inter ſpem ſalutis, & ſalutis ipſius præſentem fructum intereſt. Nobis prætetea poſt Chriſti aduentum maxime neceſſaria fuit hæc Diuinarum perſonarum explicatio. Quo modo enim potuiſſet intelligi, quantum fuerit Dei in noſtra ſalute conſtituenda beneficium; niſi fuiſſet oſtenſum, ſalutem noſtram per ipſius Dei filium eſſe conſtitutam? Chriſtum vero Dei filium eſſe, credi non poterat, niſi nobis certa fide conſtaret, Deum a ſempiterno tempore filium ſibi omnino ſimilem genuiſſe, quem amore immenſo diligeret. Quamuis tamen hoc myſterium minime in vulgus emanaret, viri tamen primarij, litteris, atque fide præcellentes, illud ex ſanctis litteris aperte colligebant. Petrus Galatinus, vir eruditione, & religione præſtans, & in eruendis Iudæorum arcanis valde diligens, varia antiquiſsimorum Rabinorum, qui Chriſti ortum anteceſſerunt, teſtimonia citat, quibus Iudæos acerrime connincit. Teſtimonia ſunt clariſsima, quibus hoc myſterium ſacratiſsimũ aperte confirmatur; & impietatis, atque perfidiæ mucro retunditur. Sed, Iudæis omiſsis, ad Græcos veniamus, cũ quibns multo minus erit nobis negotij. Vt enim facilius ad Chriſti religionẽ adducti ſunt; ita facilius ipſi Chriſto, doctori, atq. magiſtro ſummæ eruditionis, auſcultabunt. Sed, ante quã cum Græcis de hac re agamus, opus eſt, vt de quæſtione valde inter Philoſophos agitata diſputemus. Quæſtio autẽ erat, an mundus a ſempiterno tẽpore conſtitiſſet; an aliquod initium tẽporis habuiſſet. Sed mirum fortaſſe nonnullis videbitur, quid attineat ad ſanctiſsimę triadis myſteriũ, de mundi vel principio, vel æternitate diſſerere. Quantũ id ad diſputationẽ noſtrã pertineat, apparebit. Plato, ſine dubio, Mundnm ortũ eſſe, ſtatuit, & Deum ex aliquo tempore molitionem illins ſuſcepiſſe. Ariſtoteles contra, Mundum nec initium temporis habuiſſe, nec interiturum eſſe. Argumenta, quibus pugnat, magis illius auctoritate, quam rationum pondere, nituntur. Sunt autem hæc fere. Vis, & ratio rei mobilis, ea ratione, qua mobilis eſt, eſt ipſius mobilitas actus. Itaque neceſſe eſt, cum cauſſa mouens adfuerit, vt ſit ſemper in motu. Ergo, ſi ea, quæ mobilia ſunt, ſemper exſtiterunt; &, qui moueret, ſemper exſtitit; motus initium habere non potuit. Si non exſtabat res, quæ mutationem ſubire poſſet, paranda certe fuit. Parari autem non poterat ſine motu. Rem igitur mobilem motus anteceſsit: quod eſſe non poterat, cum ante illam nulla res exſtaret, quæ moueretur. Quod ſi ſemper fuit aliquid mobile, & ſimul vis, quæ moueret, ſempiterna fuit; & tamen neque motor rei mobili motum attulit, neque res mobilis vim infinitis ſæculis accepit extrinſecus, qua moueretur; motor contra motoris vim, & rationem immenſo tempore cõquieuit. Forma nãque motoris, ea ratione, qua motor eſt, eſt, vt ſemper moueat. nam, ſi ceſſauerit aliquando, motoris vis, & nomẽ occiderit. Quod ſi aliquando ceſſauit, & tãdem ſe ad motum afferendum applicuit, immutatus eſt. Cõſequens igitur eſt, vt illius immutationis cauſſam quæramus; & ſimiliter illius cauſſæ, quæ motorẽ ad mouẽdum impulit, aliã cauſſam inueſtigemus: & ſic erit infinite progrediendũ. Præterea, tempus ortum non habuit. Tempus autem eſt numerus motus, ſecundum prius, atq. poſterius. Motus igitur, ſi tempus eſt ſempiternum, ſempiternus etiam fuerit, neceſſe eſt. Quod autem tempus numquam inceperit, hoc argumento probatur. Si aliquando tempus non fuit, tempus fuit, cum tempus non eſſet. Aliquando enim tempus aliquod deſignat. Præterea, Nunc, quod Latini Philoſophi Inſtans appellant, (eſt

autem

Mundus an a ſempiterno, an initiũ habuerit.

Nunc, tempus inſtãs.

autem inſtans illud pręſentis temporis momentum, quod, antequam mente concipi, atque retineri poſsit, effluxit) illud igitur Nunc vel inſtans, ſic definit Ariſtoteles, vt ſit medium præſentis temporis, & futuri. Deinde ſic argumentum concludit. Si tempus inchoatum fuiſſet, ergo tunc ab aliquo nunc, vel inſtante, initiũ cœpiſſet. Sed illud etiam Nunc tẽpus anteceſſerat, ſiquidem Nunc & præteriti tẽporis finis eſt, & futuri principium. Ergo tempus ſemper fuit. A quocumque enim Nunc tẽpus inceperit, eſt neceſſe, vt illud Nunc alicuius præteriti tẽporis finis exſtiterit. Omne igitur, quod principium temporis eſſe poſueris, tẽpus aliquod fuerat antegreſſum. Hæc quidem Ariſtoteles fuſius, quæ nos in hoc loco perſtrinximus. His argumentis victi recentiores philoſophi, qui ſe Platoni dediderant, cum Platonis ſententiam ſe tueri poſſe diffiderent, excogitarunt, idem Platonẽ ſenſiſſe, quod Ariſtoteles poſtea decreuit: Nec eſſe inter illos vllum ſententiæ diſsidium, ſed orationis, & ſtyli diſsimilitudinem. Platonẽ enim, ſempiternum eſſe mundum, ſtatuiſſe; neque, cũ mundum a Deo formatum eſſe dixiſſet, arbitratum eſſe, Mundum ab aliquo temporis initio exordium ſumpſiſſe, ſed originem illius eſſe ad Deum ex tempore ſempiterno referendam. Hoc igitur aſſerunt de Platonis mente, & ſententia, Mundum eſſe a Deo ex omni æternitate generatum. Quam falſa autem eorum opinio ſit, Plutarchus, & Cicero, atque adeo Ariſtoteles ipſe, qui Platonem reprehendit, eo, quod temporis initium poſuerit, & omnes denique antiqui Philoſophi aperte demonſtrant. Omnes enim vno ore conſentiunt, eam fuiſſe Platonis ſententiam, vt Mundus principium temporis habuerit. Proclus autem in Commentarijs, quos edidit in Timæum Platonis, Platonem ſtatuiſſe, Mundum eſſe ſempiternum, demonſtrare conatur. Quod quidem oſtendere, ex temporis, & animæ mundi æternitate, fruſtra contendit. Cum autem multis argumentis leuibus vtatur, aliqua tamen ſunt, quæ nonnullis moleſtiam exhibere interdum poſſunt. Si, inquit, mundi conditor, atque moderator ſuum officium facit; cum ille ſempiternus natura ſit, conſequens eſt, vt ſemper ſuum munus obeat; & non aliquando officio fungatur, aliquando rurſus gubernaculum dimittat. Aliter enim, illum alternis vicibus immutari, neceſſe fuiſſet. Si autem ſemper aliquid agit, quid eſſe potuit, quod ageret, antequam mundus eſſet, ſi nihil erat? Deinde, quid illum mouit, vt, cum ſæculis infinitis ceſſauiſſet, ita mutaretur, vt mundi creandi conſilium repente ſuſciperet? Arbitratus ne fuit, nihil eſſe ceſſatione commodius? Cur igitur ſe poſtea ad mundum ædificandum contulit? Exiſtimauit, officium eſſe muneris vacatione præſtantius? Cur immenſo ſpatio otium complexus eſt? Quod ſi fuit melius, Mundum gigni, id videlicet antea ignorabat; & ea de cauſſa, cum antea nihil agere melius eſſe ſtatuiſſet, mutauit poſtea conſilium. Aliquando igitur Deus aliquid ignorauit, & iccirco fuit poſtea a priſtina ſententia deductus. Pręterea, ſi mundus aliquã do non fuit, ergo Deus tunc nihil agebat. Infinito igitur tempore potentia tantum, nõ actu, mundi Architectus fuit. Quod autem potentia tantum eſt, imperfectum eſt. Si igitur Deus aliquo tempore potentia tantum conditor naturæ fuit, ſecundum hanc rationem imperfectus aliquando fuit. Hoc autem dici nullo modo poteſt. Nullum igitur tempus fuit, quo Deus non eſſet actu naturæ conditor. Mundus igitur ſemper exſtitit. Hæc quidem Proclus: cuius quidem argumẽta quam fallacia ſint, aperiemus. Neceſſe tamen eſt, vt prius Ariſtoteli reſpondeamus. Primum Ariſtotelis erratum fuit illi commune cum multis. Ex ordine enim, quem a principio rerum omnium conditor, cum naturæ vniuerſæ ſtatum collocauit, in natura cõſtituit, legem ſumunt, quam ipſi naturæ conditori nimis inſipienter imponunt, eiusque immenſam potentiam nefarijs conatibus adſtringunt. Et, quia ſic ille ſanxit, cum omnium rerũ ſemina ex nihilo produxit, vt deinceps nihil e nihilo fieret; ij ne a principio quidem fateri volunt, Deo licuiſſe rerum omnium materiam, atque ſeminarium e nihilo proferre: quaſi ſit ſemen aliquod in rerum natura Diuina potentia, atque voluntate fecundius; aut maius ſit, materiam rudem, & impolitam creare, quam ex eadem materia tam varias, atque tam pulchras formas effingere. Alterum erratum eſt, quod ſic argumentatur, quaſi Deus natura, & non libera voluntate, & conſilio Mundum conſtruxerit. Fateor equidem, omne, quod efficit natura, ſi materiæ fuerit applicatum, inſitam continuo vim in materiam expromere, ex eaq. ſimilem ſibi formam effingere; veluti, cum ignis aridis lignis adiungitur, ignis exoritur. Quod ſi Deus, vt quidam philoſophi dicebant, eſſet orbis igneus, omnia coercens, & continens, & omnia natura conficeret, mundum totum igneſcere, neceſſarium fuiſſet. Similiter, ſi Deus non libero conſilio, ſed natura tantum omnia confeciſſet, omnia Diuinitatem aſſecuta fuiſſent. Hoc autem falſum eſt. Falſum igitur eſt etiam id, vnde hoc ſequitur. Præterea, argutulus eſt hoc in loco noſter Ariſtoteles, atque plane ſophiſta. Non enim materiam nominat, ſed mobile, ea ratione, qua mobile. Neque Deum appellat, ſed mouens, ea ratione, qua mouens. Vt, quemadmodum Architectus, ea ratione, qua eſt Architectus actu, non poteſt nõ architectari, ita mouens, ea ratione, qua mouens eſt, non poſsit ſine re natura mobili, quam ipſe moueat, intelligi. At hæc inſignis diſſerẽdi fallacia eſt. Fabricatio enim mundi non naturam Diuinam attingit. Liberũ enim erat Deo, vel ædificare mundum, vel non ædificare. In quo autẽ dicit, rem mobilem, ſi antea non erat, non potuiſſe ſine motu parari, falſum eſt. Ante-

quam enim esset materia, nihil erat, quod moueretur. Et eam ob caussam creatio, cum sit ex nihilo, Motus appellari non potest. Quod si materia sempiterna fuisset, nõ tamen apta ad motum accipiendum, & opus fuisset motu ad eam præparandam, minime Deum ille motus attigisset. Aliter enim non fuisset prima caussa mouens non mota. quod cum ipsius Aristotelis sententia pugnat. At, inquit, si non mouebat antea, & mouit postea, immutatus est. Vnde hoc sequitur? Sequeretur porro, si natura, vt diximus, & non libero consilio mundum exstruxisset. Primum, inquit, motor non erat actu, & postea factus est. quasi vero motoris nomen naturæ nomen sit, vt ea de caussa mutationẽ in Deo formidare debeamus. Mouentis autem nomẽ, non ad naturam, vt diximus, sed ad effectionẽ operis æterno quidem consilio designati, opportuno antem tempore constituti, referendũ est. Si rursus mouentis nomen obieceris, ego Dei nomen amplectar, cui nulla vmquam mouendi necessitas incubuit. Itaque fatebimur, Deum infinitis sæculis extra se nihil egisse. Mutauit ergo consilium? Nullo modo. Immo consilium, quod ab omni æternitate cœperat, ad exitum opportuno tempore perduxit. Et hoc sine vlla ipsius mutatione. Nam & consilium æternum est, & opus non tactu vllius corporis, sed magnitudine virtutis absolutum. Si tempus, inquit, æternum est, & motus æternus: nam tempus est numerus motus. Sed tempus est æternum: igitur & motus æternus. Ego contra dico, si motus non est æternus, ergo neque tempus. Sed videamus, quo modo temporis æternitatem probet. Si tempus, inquit, aliquando non fuit, ergo tempus non fuit, cum tempus esset. Aliquando enim tempus designat. Et hoc quã ridiculum est! Definitiouibus enim, quas ipse finxit, intemperanter abutitur. Quemadmodũ in definitionibus mouẽtis, & mobilis faciebat. Nego enim, semper verbum Aliquando tempus hoc, quod huius mundi condicionem sequitur, significare. Aliud enim tempus est, quod cælestis naturæ conuersio definit, quod incepit esse cum ipsius mundi natura; aliud æternitatis, quæ nullo mundi circuitu definitur. Ad hanc autem æternitatem significandam necessario interdum nomine temporis vtimur; velut, cũ dicimus, tempus, aut æuum sempiternum. Cũ igitur aliquid dicimus fuisse aliquando antequam mundus fieret, non pugnantia dicimus. Nam, antequam mundus esset, æternitas erat. Illud vero Nunc, quam subtiliter, & argute in hanc festiuam fabulam inductum fuit! Nunc, inquit, est medium inter præteritum tempus, & futurum. Ergo, si tempus incepit, ab aliquo Nunc incepit. Sed Nunc esse non potest, nisi præteritum tempus antecedat: ergo, quodcumque temporis initium posueris, aliquod tẽpus elapsum fuisse constabit. Nego, omne Nunc esse præteriti temporis finem, & futuri principium. Nam ante primum Nũc nullum tempus exstitit, & post vltimum Nunc simili ratione nullum tempus erit. Itaque, definitionibus irrisis, non habebit vir eruditissimus, quo progrediatur. Sed mirum est, quo modo tantus vir einsmodi nugis in re tam seria oblectari voluerit. Sed multis experimentis intelligi potest, quam auersi sint a vero plerumque, qui nimis ingenio confidunt, quamuis sint disciplinis omnibus instructissimi. Proclus vero tribus potissimum argumentis mundum sempiternum esse confirmat. Primum sumit ex æternitate temporis, quod dissolutum est. Tempus enim æternum esse negamus. Alterum, ex animæ mundi natura sempiterna. At nos, mundum animatũ esse, non concedimus: & ille, mundum esse animantem, probare non potest. Præterea, Plato, cuius ille sententias tuetur, in Timæo animam mundi in tempore genitam fuisse docet. Postremo, quamuis & mundus animans esset, & anima illius sempiterna, non ob id efficeretur, mundum esse sempiternum. Animis siquidem nostris Platonici æternitatem tribuunt; sed non ex eo sequitur, corpora etiam nostra esse sempiterna. Sed hæc omnia argumenta Proclus videbat, quam leuia, & infirma essent: Illudque vnum propterea, quod firmamentum, vt apparet, caussæ continet, fortissime tuebatur. Si opifex, inquit, mundi aliquando nihil molitus fuit, & postea nouam molitionem suscepit, aut antea non intelligebat, esse meliorẽ omni cessatione mundi fabricationem, ant intelligebat: si non intelligebat, ergo ignorauit aliquando; si intelligebat, cur infinitis sæculis cessauit? Tum conqueritur de illorũ peccato, qui mundũ ex tempore inchoatum fuisse pręidicãt, quod fructu tantæ gloriæ Deum æterno tempore caruisse confirment. Quamdiu enim mundum non creauit, tamdiu aiunt eum conditoris gloria caruisse. Sed, vt illi, & reliquis, qui in eandem sententiam discedunt, respondeamus, libenter ab illis audierim, an existiment, Deum non vniuersæ naturæ tantum, sed singularum, atque etiam minimarum rerum esse conditorem, omniaq. numine illius gigni, ali, conseruari, statumq. suum tueri. Fatebuntur certe, si Platonem audire voluerint. Rursus interrogabo, fuerit ne melius aliquod animal, aut arborem aliquam singularem procreatam fuisse? An non fuerit? Non de Bucephalo quæro, sed de quouis equo: non de Platano, sub qua Socrates cum Phædro de pulchritndine disputauit, sed de quanis arbore. Sic igitur quæram. Fuit ne melius hanc oleam nasci? An non fuit? Si fuit melius nasci, cur a tempore sempiterno nata non fuit? Cur illius opifex tam immenso spatio eam procreare noluit? Ignorabat, melius esse hanc oleam gigni? Ergo ignoratio cadit in Deum. Non ignorabat? quæ fuit igitur illa tam diuturna cessatio? Si antea ignorabat, atque tandem resipuit, igitur immntatus est. Vtrumque est nimis absurdum; ergo & illud, vnde sequitur. Olea igitur hæc sempiterna est. Sempiterna certe, in-

te, in-

te, inquient. Nam a tempore ſempiterno fuit in ſemine. Quid narras? Semen ne eſt arbor ipſa, quæ eſt ex illo procreanda? Eſt quidem non actu, ſed potentia. Recte. Ergo opifex rerum a tempore ſempiterno huius arboris conditor, non actu, ſed potentia fuit. Secũdum igitur huius arboris rationem non fuit actu, ſed potentia tantum procreator. Per te igitur, quod ad hanc oleã attinet, imperfectus opifex aliquando fuit. Hoc dici nulla ratione poteſt: olea igitur hæc eſt ſempiterna. Hoc in loco ſcioli ridebunt. Quaſi ego non videam, ipſum argumentum eſſe ridiculum. Quid, inquient, attinet vnius oleæ procreationem cum vniuerſæ naturæ fabrica conferre? Inter rem vtramque multum intereſt, inter argumentandi rationem nihil omnino. Si enim argumẽtum aliquam vim habet, ex æquo in rebus maximis, atque minimis valebit. Si vero in minimis nullam vim habet, nec in maximis habebit. In diſſerendi namque ratione, non quod in rebus ipſis per ſe conſideratis pondus ſit, ſed quid ex rebus poſitis, & conſtitutis efficiatur, attendimus. Sed, inquis, ego Deum otioſum cogitare non poſſum. Recte facis. Numquam enim ab actione ſempiterno tempore ceſſauit. Quid agebat? inquis. Id certe, quod mundum multo maiore interuallo ſuperat, quam mundus ipſe oleæ, quam exempli gratia poſui, naturam, de quo ſtatim dicemus. Sed prius conſiderandum eſt, quo formula, qua Proclus mundum eſſe ſempiternum probare nitebatur, reciderit. Eodem namq. argumento probari poterit, non oleam tantum, ſed mentam, & rutam eſſe ſempiternam. Sic fiet, vt omnia in diis numerari poſſint, cum nihil poſſit eſſe ex omni parte ſempiternum, niſi ſolus Deus. Quod vero ad argumentum attinet de potentia, ex qua oſtendere nitebatur, ſi mundus factus ex certo tempore fuiſſet, Deũ, cum non actu, ſed potentia tantum mundi conditor fuiſſet, imperfectum fuiſſe, quam nugatorium ſit, non facile dixerim. Duplex eſt enim genus potentiæ: vnum materiæ, alterum cauſſæ efficientis. Potentia quidem materiæ imperfectionem deſignat. Significat enim, non quod eſt, ſed poteſt eſſe. Quemadmodum cera non eſt volucris imago, ſed poteſt eſſe, ſi fuerit artificis opera, qui ceram fingit, & format, adhibita. Vt igitur ex materiæ potentia materiæ imperfectio concludatur, ex artificis tamẽ potentia non imperfectio, ſed perfectio inſignis oſtenditur. Nullam enim perfectionem artifex ex opere a ſe artificio ſingulari perpolito conſequitur; immo perfectionem, quam habebat, exprimit, & artis inſitæ præcellentiam declarat. Ad hunc modum ſummus naturæ parens, & conditor, cum naturam finxit, nullum ex opere tam præclaro artificiũ aſſecutus fuit; ſed, quod ſemper ex omni æternitate habuerit, indicauit. Nomen igitur potentiæ in ſummo rerum opifice non imperfectionem, ſed immenſam vim, præcellentiſsimum numen, admirandam ſapientiam, & probitatem, in omni æternitate prædicandam ſignificat. His tamen argumentis inducti homines acutiſsimi, tanta demẽtia vexati ſunt, vt rebus corporeis æternitatem, &, quod eſt conſequens, Diuinitatem tribuerint. Quod quam falſum ſit, ratione percipitur. Quid enim poteſt eſſe mobile, quod non ſit natura caducum, & interiturum? Quod enim mobile eſt, non per ſe mouetur, ſed aliunde motum accipit. Ergo, cum id, quod motum affert, mobile corpus mouere deſierit, vis, & ratio mobilis interibit. Cum vero vita rei mobilis in perenni, & continuata motione conſiſtat, ceſſante illa motione, res mobilis exſtinguetur. Deinde, cuius partes corrumpuntur, & totum eſt corruptioni ſimiliter obnoxium. Sed mundi partes corrumpuntur; ergo & mundus eſt eiſdem legibus corruptionis alligatus. Præterea, omne concretum, & coagmentatum eſt diſſolubile; quod autem diſſolubile eſt, interiturum eſt. Ipſe namque interitus eſt naturæ diſſolutio. Omne vero corpus eſt coagmentatum; ergo diſſolubile, & interiturum. Sed mundus corpus eſt; ergo efficitur, cum eſſe natura diſſolubilem, & interiturum. Quod autem interiturum eſt, principium habuerit neceſſe eſt. Rectius igitur Plato. Alia namq. dixit eſſe, alia propemodum non eſſe; ſed oriri, labi continuo, & occidere. Mundum autem, cum ſit corporeus, illis rebus annumerat, quæ natura oriuntur, & occidunt. Neque enim fieri poteſt, vt totum diſsimilem naturam habeat ab ea, qua ex omnibus partibus ſuis conſtat. Duplex æternitatis genus poſuit. Vnum, quod principio, & fine careret; alterum, quod haberet principium, nullo tamen fine terminaretur. Alia enim ſic condita a principio fuiſſe, vt natura diffluerent; alia, vt perpetuo manerent, non natura ſua, ſed conditoris ipſius moderatione, & benignitate. Sed modum tranſgreſſi ſumus; cum in re, tam claris Dei teſtimoniis tam ſæpe probata, & conſtituta, rationibus etiam vti voluimus. Vrgent tamen aduerſarij, & nihil remittunt. Quid agebat, inquiunt, Deus immenſo tempore? In quibus rebus erat occupatus ante naturam conditam? Quod opus erat illius tam præclarum, & excellens, quod tanto interuallo mundi pulchritudinem ſuperaret? Dicam. Filium, ſui ſplendoris imaginem, infinita ſapientia, & probitate præditum, ſibiq. modis omnibus ſimilem, generabat, & genuit, quemadmodum etiam in perpetuum generabit. Vt enim ex ſole ſemper natiuus ſplendor exſiſtit; ita ex Deo, ſummo, atque ſempiterno, ſumma, atque ſempiterna claritas, & lumen exoritur. Quid ais, Philoſophe? Opinaris, illum, qui mundum nutu, & & imperio procreauit, qui rerum omnium ſator, & altor exſtitit, qui animantibus, & arboribus, & minimis etiam plantis fecunditatem dedit, infecundum infinitis ſæculis exſtitiſſe? Et illum, cuius numine, & voluntate, terræ, at-

que

que maria tam varium, & multiplicem fetum ediderũt, nihil ex se gignere potuisse? Quo modo enim in conditam naturam fecunditatem inducere potuisset, si fuisset natura infecũdus? Si generationis nomen exhorres, propter animantium in propaganda sobole perturbationem Deo prorsus indecoram, nimis hebes, & rudis es. Ita enim omnes omnium rerum actiones ad Deum reuocandæ sunt, vt omnis prius imbecillitas, atq. perturbatio secludatur. Itaq. in generatione Diuina neque motus vllus, neque consortium ad prolem suscipiendam intelligi sine summo scelere potest, cum in Deum perturbatio nulla cadat, nec is sit, qui consortio naturæ vllius indigeat, cum fecunditas illius omnipotens, immensa, & infinita sit. Cum autem hæc generatio natura constet, necessario consequens est, vt filius patri simillimus sit. Est igitur similiter omnipotens, & sapiens, & benignus, immensus, & infinitus. Aliter enim minime speciem patris exprimeret. Quid enim interuenire potuisset, quod eũ a perfecta similitudine patris abduceret? Non matris natura dissimilis, cum sine matre genitus sit; non materiæ vitium, cuius contagionem Dei maiestas non admittit; non casus aliquis aduersus, qui nullus esse poterat; non externa vis, quæ nondum exstiterat; &, si exstitisset, infinitæ Dei potentiæ minime nocuisset. Ergo, quemadmodum pater est natura omnipotens, atque sempiternus, ita filius est natura omnipotens, atq. sempiternus. Qui igitur filium minorem patre secundum naturam asserit, patrem immensa gloria spoliare conatur. Negat enim immensam illius vim, & fecunditatem; negat luminis sempiterni claritatem; negat infinitam sapientiam, atque probitatem; & tantum denique de gloria Diuina detrahit, quantum nullius mente, & ratione cogitari potest. Qui enim filij numẽ, & gloriam termino circumscribit, illum infinita gloria priuat: quod conuiciũ in patrem sine vlla dubitatione redundat. Qui igitur tam audax, & temerarius est, qui hoc asseueret, infinitum scelus in patrem, & filium suscipit. In patrem quidem, quia illum infinito numine, vi, potentia, fecunditate, gloria priuare contendit; in filium vero, quia, quantum potest, a patris summa, atque sempiterna similitudine, & idẽtitate perfectissima diuellit. Sed de hoc tãto, & tã immani scelere alio in loco dicemus. Nũc autẽ Græcos admoneamus, actionis Diuinæ duplex genus esse; aliud interius, aliud autem exterius. Interius autem est id, de quo nunc loquimur, quod natura conficitur. Exterius autem, quod Deus extra se libero cõsilio, & voluntate clementer exsequitur. Itaque, cum nihil ab omni parte sempiternum esse posit, nisi vnum illud principium, a quo naturæ omnes profluxerunt: aliter enim non vnũ principium, sed multa, atque dissimilia fuissent; nec vllus ordo in rebus, sed cõfusio viguisset; externum opus, cum non ex essentia Diuina nascatur, sempiternum esse non potest, maxime, si corporeum est, & iccirco natura dissolubile. Mentes quidem æternæ sunt, non quidem a natura Diuina (vt quidam suspicati sunt) haustæ, atque quasi decerptæ, sed ad Dei similitudinem factæ, & ita constitutæ, vt numquam interirent. Itaq. principium habuerunt, finem autem non sunt habituræ. At, quod ex Dei ipsius essentia gignitur, sempiternum sit, necesse est, & eidem patri, a quo natum est, numine, potentia, imperio, maiestate, infinitate simillimum. Tantum igitur rebus vniuersis a Deo conditis, siue corpore constent, siue a corpore secretæ, atque liberæ sint, dignitate filius antecellit, quantum ne cælestis quidem orationis vbertate explicari potest. Nam, quæ poterit esse numinis infiniti, cum operibus ab illo finitis comparatio? Non vacabat igitur Deus ante naturam conditam: non se languori, atq. desidiæ dedebat; non otium turpe actioni præclaræ anteferebat. Id enim agebat, quo nihil potentius, nihil admirabilius, nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil melius, nihil salutarius, ne ab ipso quidem patre excogitari potuisset. Ipsam namque mentem, & sapientiam, suæ virtutis imaginem, suæ lucis splendorem, ipsum filium, sæculorum omnium conditorem, omnium rerum futurarum formas in se perfectissime continentem, generabat; &, quãuis mundus nondum fieret, iam mundi perfectio in filij mente consistebat. Timæus apud Platonem dicit, Deum, cum a se mundum effectum cerneret, summopere lætatum fuisse. Quod quidem e sanctis litteris sumptum videtur. Sic enim scriptum est, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. Et his quidem verbis summi artificis gaudium designatur. Nihil enim quemuis artificem æque, atque operis a se perfecti species, atque pulchritudo, delectat. Consequens igitur est, vt summus artifex ex operibus suis absolutis gaudiũ summum percipiat. Et ideo scriptum est, Delectatus est Dominus operibus suis. Psal. 103 Hic est ille ludus, hæc illa voluptas, qua Sapientia (vt videmus apud Solomonem) se perfusam fuisse testificatur. Prouer. 8. Si igitur mundi opifex, rerumq. omnium parens, & conditor, magnum gaudium ex mundi conditi perfectione cepit; quantum gaudium, & quam plena voluptas illius a sempiterno tempore ex filij perfectione constiterit, quæ mens, quis Angelus, quæ potestas, atque principatus, quis ardor cælitum, quæ sapientia, quæ Diuinæ magnificentiæ sedes explicare dicendo poterunt? Gaudium enim immensum, & infinitũ, nulla vmquam cælestium mentium eloquentia cõsequetur. Aristoteles in libris, quos τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominat, cum beatam vitam in contemplatione poneret, Dei beatissimam vitam in sui ipsius contemplatione constituit, ex qua illum summo gaudio cumulari confirmat. Aliquid dixit vir doctissimus; quamuis non omnino, quid dicebat, intelligeret. Ex ea

nem-

nempe ſpeculatione nata eſt illa ſpecies ſempiterna, mens, & ſapientia patris, immenſæ, atque ſempiternæ voluptatis origo. Cum de Deo loquimur, obſtupeſcimus, eo quod neque nomen, nec orationem, qua ſanctiſsimum illius numen explanare liceat, habeamus. Similitudinibus tantum vtimur, a natura ſumptis. In omnibus ſiquidem naturis ille imaginem aliquam, aut certe veſtigium ſuæ perfectionis impreſsit. Congruum igitur eſt, vt ſimilitudines conferamus; & ita, quaſi quibuſdam adminiculis, ex ſpeculatione naturæ communis, ad conditorem naturæ ipſius adſpiremus. Vt autem ad Ariſtotelem reuertamur, quia beatiſsimum Dei ſtatũ in ſui ipſius attentiſsima conſideratione poſuit, animaduertendum eſt, an ex ea ſentẽtia poſsimus aliqua ex parte rationem originis ſempiternæ, qualis ſit, exiſtimare. Quare, vt commodius fieri poſsit, nos ipſos inſpiciamus. Cum quilibet homo ſeipſum conſiderat, ſummumq. ſtudium in ſui ipſius ſpeculatione ponit, partus quidam minime contemnendus exoritur. Partus autem eſt noſtri notitia, in qua priſca olim Philoſophia magnam ſapientiæ partẽ collocauit: ſi vere illius eſt præceptum illud, quod multi Apollini Delphico tribuebant, nempe, Cognoſce te ipſum. Ergo, ſi me ipſum cognoſco, & aliquid in me dignum laude reperio, conſequens eſt, vt me ipſum diligam. Omne enim, quod pulchrum, & laudabile eſt, amorem natura conciliat. In quolibet igitur homine in ſui ipſius conſideratione defixo, eſt mẽs, quæ totius animi ſtatum acriter, & attente conſiderat; eſt cognitio, quæ ex ipſa conſideratione ortum habet; eſt amor, qui ex cognitione excitatur. In nobis quidem hæc omnia accidentia ſunt, quibus animi commutantur, & variis modis afficiuntur. Eam enim notitiam capiunt, quam non habuerant; eo amore commouentur, cuius vim antea non ita clare ſenſerant; & ſæpenumero a conſtituta ſententia, & opinione deſiſtunt. Omnia vero, quæ in nobis inhærent, cum in Deum conferuntur, ita conferenda ſunt, vt prius omnis imbecillitatis opinio circumcidatur, vt nihil, quod Deo ſit indignum, animo cogitetur. Cum igitur ille maxime ſimplex, & vnus ſit, nullũq. accidẽs ad compoſitionẽ ſuæ perfectionis admittat; efficitur, vt, quod in nobis accidens eſt, in illo certa ratio permanens ſit, naturali vi, & ſtabilitate conſiſtens. Ergo, cum naturam ſuam, quod perpetuo facit, attente conſiderat, ipſam ſapientiam gignit, omnes vitæ, lucis, bonitatis, pulchritudinis, voluptatis, immortalitatis opes in ſe continentem; & rebus omnibus, cum illi viſum eſt, a ſe conditis, vt cuiuſque condicio flagitat, vt ſint, vt viuant, vt ſentiant, vt moueantur, vt intelligant, cauſſas afferentem; & vniuerſum mundum variiis opibus, & ornamentis large, atque munifice locupletantem. Hunc Diuinum partum, hanc admirandam, & immenſam Diuinæ virtutis ſpeciem, hoc clariſsimum patris ipſius ſpeculum, hunc fulgorem ſempiternum, ex ſempiterno ſplendore patris exortũ, nos Dei filium (vt ſanctæ litteræ facere admonent) appellamus. Ex hac autem Diuinæ mentis intelligentia, & ex immenſæ pulchritudinis animaduerſione, amor ſummus, atque ſempiterna voluptas elicitur, quæ patrem filio, & filium patri, caritate ſempiterna deuincit. Hoc artiſsimum amoris Diuini vinculum, hanc ſummam, & immenſam caritatis, atque voluptatis rationem Spiritum ſanctum Oracula Diuina nominant, temporibus Diuino cõſilio præfinitis Diuinos ſenſus animis inſpirantem, mentes radiis ſempiternæ lucis illuſtrantem, & inflammantem, hominesq. a terreſtrium rerum cupiditate ad cæleſtium, atque Diuinarum ſtudium traducentem. Cum autẽ in Deo nihil ſit admiſtum, nihil ex naturali forma, & qualitate coniunctum, nihil in eo poſsit eſſe prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus, nihil valentius, aut imbecillius; neceſſe profecto eſt, vt patri filius, Spiritus ſanctus vtriq. ſit par, & æqualis, & naturæ vi, & ratione, imperio, numine, poteſtate, in omni æternitate ſimillimus. Neque enim diuerſitas, aut inæqualitas, aut diſsimilitudo, in vna eademq. ſempiterna natura cogitari poteſt. Itaq. vnum Deum immortalem, incorporeum, infinitum, immutabilem, omnipotentem, natura maxime ſimplicem, perſonarum numero, & ratione diſcretum, colimus, & veneramur, & in huius ſummæ veritatis confeſſione, tamquam in arce munitiſsima, conſtanti fide conſiſtimus. Patrem originis auctoritate principem, filium inſita pietate patris iuſsis obſequentem, Spiritum ſanctum ab vtroque manantem credimus. Iſtam fidem profeſsi ſumus, cum primum, e tenebris emerſi, lucem adſpeximus: itaque citius nobis quiſpiam vitam eripiet, quam ab hac ſummæ veritatis cõfeſsione depellat. Sed, inquient fortaſſe aliqui, nos pugnantia dicere. Pugnantia quidem diceremus, ſi naturam vnam, & eandem eſſe multiplicem, ſecundum naturæ rationem diceremus. Sed non id dicimus. Sed in vna natura trium perſonarum diſtinctionem, vt nos Diuinum numen edocuit, conſtanter aſſerimus. Id, inquis, ratione conſequi non poſſum. Homo audax, & importune, crede, quod te recta ratio confiteri cogit; & id, quod ratio comprehendere nequit, omitte. Recta ratio ſanxit, vt Deo, qui fallere non poteſt, fidem habeas; &, cuius cauſſam perueſtigare non potes, minime perſcruteris. Nam, quid tu ratione conſequeris? Quas naturæ cauſſas penitus exploratas, & cognitas habes? Quam rerum ſcientiam ſatis explicatam fuiſti vmquam ſummo ſtudio conſecutus? Si magnos in philoſophia progreſſus habes, hoc vnum certe percepiſti, te nihil vmquam (vt Socrates aiebat) percepiſſe, omnemq. ſapientiam moderatione, & religione contineri. Moderatio namque facit, ne falſa

opi-

opinio sapientiæ, quæ summa dementia est, in animos latenter irrepat; Religiò autem, vt cæleste numen verearis, & id, quod Deus enuntiát, verum esse constituas. Ille igitur tantum sapiens esse poterit, qui seipsum abiecerit, & Deo in disciplinam tradiderit. Discipulus autem illius esse non poteris, nisi firmam fidem verbis illius adiunxeris. Discentem, inquit Aristoteles, credere oportet: quod rectissime dictum est. Multa namque sunt in artibus humana sollertia inuentis, quæ non statim a principio possunt eorum, qui discere incipiunt, cogitatione comprehendi. Qui igitur doctoribus sapientibus fidem non habet; spem in studio progrediendi prorsus abiicit. Quod si fides est hominibus, qui arte aliqua præcellunt, habenda; quo modo nō multo magis erit Deo, qui numquam fallit, aut fallere potest, adhibenda? Cur igitur te non abiicis? Cur non tuę mentis angustias recognoscis? Quo modo non ipsum numen, quod temere perscrutari niteris, extimescis? Nam, si Deo credere non vis, nisi rationem rei, quæ tibi credenda proponitur, explores, nihil vmquam illi credes. Est ne aliquid in vniuersa natura, quod sæpius tractes, & cuius familiaritate, & consuetudine artius implicatus sis, quam animus tuus? Non profecto. Age, iam videamus, an animi tui naturam cognitam habeas. Narra igitur, quæ sit illius species; qua vi corpus agitet, & moderetur; quæ sit illa corporis mortalis cum animo immortali coniunctio; quis sit in sensibus vigor; quæ vis horum, quæ sensibus excipiuntur; quæ impressio; quæ memoriæ capacitas; quæ rationis inuentio, sollertia, cogitatio, & ex rebus ante constitutis apta conclusio? Quid ergo est? Te ipsum non vides; & Dei præpotentis naturam, & maiestatem, qui inhabitat (vt Paulus ait) lucem inaccessibilem, videre contendis? Tu, qui ne solis quidem aduersi radios sustinere potes, illius splendoris immensi claritatem imbecilla mentis acie sustinebis? Nec interim diræ cæcitatis supplicium pertimesces? Vt enim, qui oculos in sole defigunt, oculorum adspectum amittunt; ita, qui e terminis assignatis egrediuntur, vt lucem immensam percipiant, mentis adspectu priuabuntur. Duplici namque ratione fieri potest, vt homines in tenebras incidāt. Vna est lucis ipsius odium, atque fuga; altera est nimis curiosa, supra quam est concessum, lucis inspiciendæ cupiditas. Si igitur tenebras metuis, & salutari luce compleri desideras, non caussas, & rationes, quas consequi non potes, inquiras; sed fidem tantum Diuinis testimoniis adiunge; & satis habe, quod certus esse possis, ea, quæ credis, esse Dei voce, & sententia confirmata. Si cupis interdum naturæ adminiculis erigi, vt facilius Dei notitiā capias, id quidem tibi per me licebit; ea tamen lege, vt intelligas, nullam esse in natura speciem, quæ possit perfecte pulchritudinem, & amplitudinem Diuinæ mentis imitari. Quamuis enim in rebus singulis obscuram Dei similitudinem, & vestigium intueri liceat; cum tamen illius numen omnibus rebus ab illo conditis par tibus infinitis antecellat, consequens est, vt in cælestibus etiam mentibus, quę multo propius ad Dei similitudinem accedunt, multo maior dissimilitudo, quam similitudo, immensæ illius claritatis appareat. Iccirco autē fit, vt, cum duplex ratio de rebus Diuinis differendi sit; vna, quæ rerum omnium formas, & perfectiones in Deo summe cōstituat; altera, quæ nihil eorum quæ sunt, in Deum cōuenire demonstret; multo certior habeatur ea ratio, quæ Deum ab omni naturæ similitudine, & communione secludit, quam illa, quæ in Deum omnia congerit. Nam, quæ vox, & oratio immensam, & inexplicabilem naturam ipsius Diuinitatis explicabit? Quæ mens illius infinitam sapientiam, & bonitatem cogitatione complectetur? Quæ igitur similitudo speciem illius, atque formam referet? Quamuis enim in Deo sint omnia, rursus tamen omnia non incommode a Deo seiunguntur. Nihil est enim, nec in cælo, nec in terra, nec inter homines, nec inter Angelos, neque sensibus obiectum, neque mente, & ratione perceptum, quod similitudinem illius omni ex parte referat; nullum nomen, nulla vox, & oratio, quæ numen, atque naturam illius explanet. Sic autem fit, vt, cum similitudinem illius in omnibus rebus exstare, & eminere videamus, multo tamen maiores dissimilitudines non in rebus tantum corporeis, nec in humanis tantum animis, sed in mentibus illis beatissimis, quæ luce illius clarissima perfruuntur, inspicere liceat. Verum, cum aliter nihil de Deo cogitare possimus, non incommode similitudines conferuntur, vt aliquam saltem notitiam paullo clariorem habere possimus. Hoc autem in loco venit in mentem mihi, non mediocriter admirari, qua tacti suspicione prisci homines, ternarium numerum tanta religione coluerint, vt illum in sacris omnibus adhiberent. Aristoteles eam rationem affert, quod perfectioné designet. Principium enim, & medium, & finem complectitur. Pythagorici ad tria numina mundi totius originem referebant. Platonici, Deum, & mentē ex Deo prognatam, & animam mundi in rerum omnium principatu locabant; & ideo numerum hunc sacrum habebant. Non defuere Poetæ, qui dicebant, Deum mundi opificem, Deum illius patrem, de nocte, hoc est autem, intimo mentis arcano consuluisse, qua ratione mundum faceret, atq. perpoliret. Quin etiam Poetæ, qui Mineruam e capite Iouis enatam asserebant, (vt quidam Philosophi interpretati sunt) ostendere conabantur, sapientiam ex Deo natam esse. Sed, vt ad ternarium numerum redeamus, multi a Pythagora, & Platone profecti, illum in singulis rebus inesse, variis rationibus explicabant. Nam, & vnde fluerent, & earum progressionem,

Margin notes: 1. Tim. 6. — Ternarius numerus.

sionem,& postremo conuersionem, qua in naturæ principium, vt in finem vltimum, referebantur, non imperite cogitabant. Deinde singulis naturis formam, & facultatem, & actionem tribuebant. His,& aliis rationibus,qnas persequi esset infinitum,hunc numerum; quasi numinis similitudinem retineret, amplexi sunt. Plato,in quadam epistola,quam ad Dionysium scribit, Trinitatis mysterium timide, atqne titubanter attingit. Sic enim ait: Obscure tibi significabo,ne, si forte tabula aduerso casu,vel mari,vel terra perierit, is,qui legerit, intelligat. Penes vniuersi Regem sunt omnia, & gratia illius cohærent,& permanent:& ille est caussa totins decoris,& honestatis, quæ in rebus insidet. Secundum vero circa secunda. Tertium circa tertia. Non secundum Regem, neque tertium nominat:timet enim tres Reges appellare; cum vnus tantum Rex, & Dominus rerum omnium sit. Deinde, quæ secunda, quæ tertia sint illa, quæ nomini secundo, aut tertio moderanda relinquit,non explicat. Præterea, nnlla prorsus reliquerat.Nam omnia penes summum Regem esse dixerat,cui rerum omnium caussam attribuerat. Aenigmate igitur vsus, triplicem vim, & rationem ordine triplici, in eadem Regni Maiestate distinxit. Fortasse enim, cum in Aegypto simul cum Eudoxo, sapientiæ comparandæ gratia, commoratus est, posteris Iudæorum, qui cum Ieremia in Aegyptum euersis Ierosolymis immigrarant, operam dedit, & ab illis hoc mysteriũ didicit. Illud interim velim animaduertant omnes,q ui nomina Christo dederunt,nẽpe,quantnm illius in nos beneficium exstiterit. Nam, cum homines olim ingenio præstantes in tanta rerum Diuinarum ignoratione versarentur; cum illud nescio quid, quod ex operibus naturæ colligebant,esset tam multis erroribus inquinatum; cum numquam id assecuti fuissent, vt dignam de numine Diuino sententiam haberent; summus ille Dominus, atqne parens optimus, vt mentes nostras erroribus infinitis liberaret, notitiaque Dininitatis instrueret, cælestem nobis disciplinam tradidit; &, quod multo maius est, quam optare quisquam auderet, huius disciplinæ doctorem non aliqnem Prophetam, nec Angelum, sed vnicũ filium, gloriæ suæ splendorem, & imaginem snæ claritatis, adhibuit,qui non obscure,& implicite, sed clare, atque dilucide,qnantum ad nostræ salutis rationem pertineret, nobis verissimæ sapientiæ lumen porrigeret. Quibus igitur carminibus summi doctoris nomen in cælum efferemus? Quibus laudibus tantæ benignitatis amplitudinem celebrabimus? Quid igitur nos impedire poterit, qno minus inanes hęreticorum argutias contemnamus? Cur non fallacias, & captiones, & commenta ridicula,ant potins lugenda, despicimus? Cur non aranearum telas, in qnibus imbecillæ mentes, tamquam muscæ, miserabiliter inhætescunt, constanti fide perrumpimus? Caussa quidem perditorum hominnm, qui contra huius sapientiæ lucem bellum comparanerunt, satis fuit olim sanctissimorum hominum argumentis euicta, Conciliorum decretis sæpenumero iugulata, odio populorum perculsa,& abiecta, indiciisq. Diuinis acerrime redarguta. Quis igitur illam ab inferis excitauit? Quis tam nefarium, & immane scelus instaurauit? Quis tam fidelis Satanæ minister exstitit, vt de integro perditæ caussæ defensionem susciperet? Ex litteris enim Stanislai Hosij, Cardinalis, viri sanctissimi, atque sapientissimi,non ita pridẽ accepi, regiones illas Sarmatiæ finitimas Ariana peste laborare. O tempus miserum, & calamitosum,multis lacrymis, & mæroris acerbitate lugendum. Non satis fuit ad reliquas miserias nostras insignis cladis accessione cumulandas pestis illa tæterrima,quæ ordinem vitæ sustulit, quæ licentiam,atque libidinem in mores incitauit, quæ vniuersæ Reip. statum perturbauir, quæ iniquitatem Diuinæ iustitiæ furenter affinxit, nisi ad pristina mala, hoc tam infandum scelus accederet? Hi,qui tantum facinus ausi sunt, vt Arium,& Ennomium,& reliqua monstra immania suscitarent, Christiani nominandi sunt? An potius Christiani nominis hostes sempiterui? Si Christiani sunt,Christi disciplinam audiant. Si Christiani non sunt, cnr Christianorum nomen, vt occultius nomini Christiano perniciem moliantur,vsurpant? Quæ est igitur Christi disciplina? Ioannem audiamus, aut potius ipsius Christi numen, in pectus Ioannis inclusum. In principio, inquit, (Ioan. 1.) erat verbum. Per verbum, patris mens, & sapientia declaratur. pro verbo enim Græco,nẽpe λόγος positum est, quo omnia designata, & cõstituta sunt. Verbnm igitur hoc erat in principio. Quod principium narras? Temporis? Deus, cuius sempiterna dignitas agitur, hoc tantum scelus auertat. Sic enim erat in principio temporis, & ante illud principium non erat, & tempus cum mundo simul incepit,ergo ante mundum conditum verbum patris nõ erat. Si non erat verbum, hoc est,mens,ratio, consilium, ergo rerum omnium conditor sine mente,& ratione mundum finxit. Temeritas igitur, & non sapientia mundum procreauit. Qno quid scelestius dici potest? Non id dicimus, inquiunt. Fatemur enim, verbum mnltis ante sæculis, quam mundus fieret,constituisse. Recte. Sed tamen in principio non temporis, vt fateamini: tempus enim cum mundo simul incepit. Ergo multis ante sæcnlis, quam mundus esset, verbum erat. Si igitur non fuit in principio temporis, fuit in principio æternitatis. Nullum enim durationis aliud spatium intelligi potest, nisi aut tempus, aut æternitas. Si verbum igitur fuit in principio æternitatis, semper fuit. Si enim aliqnod spatium antecessisset illud tempus, a quo incepit, principinm appellari nõ posset. Principium enim id solum

appel-

appellari debet, quod aliũde nõ fluxit. Itaque, cum duplex principium sit; aliud tẽporis, quod cum mũdo simul inchoatũ est, ante quod nulla natura corporis extitit; aliud æternitatis, quod principiũ nullũ habet; Moses, cũ de mũdi conditi ratione dissereret, principiũ temporis rebus temporis ipsius dimẽsione terminatis sapienter accommodauit; Ioannes vero, cum de natura Diuina sermonẽ institueret, principiũ Dei naturæ consentaneum Diuinitus adduxit. Hoc autem aliud esse non potest, præter æternitatem. Hoc igitur plane dicit: Verbum patris ab omni æternitate fuit. Sequitur deinde, Et verbum erat apud Deum. Apud Græcos est, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, hoc est, verbum rationem habebat ad ipsum Deum, nempe patrem. Nota namque illa, quæ ad Dei nomen adiungitur, certam personam designat, ad quam verbum sempiternum rationem, atque respectum habere dicit. Hic iam personarum distinctionem cernimus. Ratio enim, & comparatio fieri nõ potest, nisi inter res ratione distinctas. Ait deinde, Et Deus erat verbum. Hic rursus summam naturæ vnius simplicitatem adspicimus; & Dei verbum Dei nomen illustrare videmus. Hoc, inquit, erat in principio apud Deũ. Eandem sententiam repetit, & fortius hæreticorum amentiam cõuincat. Hoc idem, inquit, verbum, id est, filius, qui ad patrem respectum habet, a principio erat, hoc est, in omni æternitate viguit. Sequitur deinde, Omnia per ipsum facta sunt. Qui Deum fatetur esse mundi totius architectum, & Ioãni fidem habet, (quam habere necesse est, si Christianus est) & Ioannem audit, dicentem, Omnia per verbum facta fuisse, dubitare non potest, quin Verbum sit ipse summus Deus, cuius numine, mente, consilio, & probitate omnia, siue cælestia, siue terrestria, condita, & constituta sunt. Quod si verbo facta minime fuissent, sine consilio facta fuissent. Verbum enim, mẽs, & ratio patris est. Quod autem sine mente, & consilio fit, temere fit. Quod temere fit, bonum, & pulchrum esse nõ potest. Quo modo igitur dici potuisset, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona? Si vero bona sunt, verbo facta sunt. Est enim verbum hoc, ordinis, pulchritudinis, vtilitatis, atque totius honestatis efficiens. Si autem omnia sine vlla exceptione, quę facta sunt, per verbum facta sunt, & verbum ipsum (vt hæretici dicunt) factum fuisset, sequeretur, verbum seipsum effecisse. Quo quid dici potest amentius? Si enim verbum, antequam fieret, esse non poterat, quo modo se ipsum facere potuit? Pergit deinde Ioannes, & docet, ipsum verbum non modo naturam vniuersam condidisse, verum omnium vitam, & lucem ipsius numine contineri. Addit deinde, Et verbum caro factum est. Illud, inquit, ipsum verbum, quod semper ex omni æternitate fuit, quod verum Deum appello, quod sempiternam ad patrem Deum rationem habuit, quod semper fuit patri summo, eadem natura, numine, & maiestate coniunctum, quod omnia, siue quæ videntur oculis, siue quæ mente percipiuntur, effecit, quod est vita, lux, salus, & totius pulchritudinis, & bonitatis origo, salutis humanæ gratia verus homo factus est. Hæc quidẽ summus ille Theologus Ioannes de filio Dei testificatur. Videant igitur Ariani, cuius numen oppugnent. Nam contra Dei sempiternã mentem, & rationem, contra mundi totius architectum, contra vitæ, salutis, & dignitatis auctorem, contra summum Deum, qui, vt nos Diuinitatis participes efficeret, homo fieri voluit, bellum nefarium, & impium, omniq. scelere penitus imbutum moliuntur. Quantum igitur possunt, operam dant, vt nobis vitam, salutem, & decus eripiant, patremq. summum decore sempiterno immensi splendoris spolient. Ergo tam sceleratæ sententiæ princeps, & auctor homo non fuit, sed monstrum, atque prodigium, pestiferumq. antiqui serpentis instrumentum. Subiungit continuo Ioannes; Et habitauit in nobis: vidimusq. gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre. Vnigenitum appellat, quod nomen illi minime conueniret, si ex nihilo factus fuisset, vt hæretici dicebant. eadem enim condicione secundum suæ naturæ rationem fuisset, qua reliqua omnia, quæ ex nihilo condita sunt. Cum igitur Ioannes illum vnigenitum appellat, plane docet, illum esse ex patris summi natura, & essentia generatum; & ob id nullo modo reliquis Dei filiis, qui in illius sacra adoptiua venerunt, adnumerandum. Ioannes vero Baptista, quam sæpe Diuinitatem illius extulit. Qui de cælo, inquit, est, super omnes est: &, Quod vidit, & audiuit testatur. Ipse vero Dei filius quid in hanc sententiam dicit? Pater operatur, & ego operor. Quo dicto Iudæi acriter exarserunt. Intellexerunt enim, Christum, se Deum, & patri æqualem testificari. Quorum enim opera necessario coniuncta sunt, natura, atque potestas distingui non potest. Neque Ioannes dicit, illos Christi verba perperam intellexisse. Propterea, inquit, volebant eum occidere, eo quod nõ solum Sabbatum violabat, verum & Deum patrem appellabat, seq. Deo æqualem faciebat. Alibi vero inquit ipse Dominus, Operamini cibum, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Hoc est autem, Mirum vobis minime videatur, si filius hominis cibum, qui immortalitatem continet, pollicetur. Nam hic filius hominis, est etiam vere Dei filius. Paullo dixit obscurius: Hunc enim pater signauit Deus. Id autem est, in filio pater viuam, atque sempiternam imaginẽ sui numinis, & immensæ potestatis impressit: ita, vt nihil inter patrem, & filium, præter proprias personarum notas, interesse possit. Ait præterea, Non quod patrem viderit quisquam; sed is, qui est a patre, vidit cũ. Et, Non potest filius

Ioan. 3.

Ioan. 5.

Ioan. 6.

Ioan. 5.

lius quidquam, nisi viderit patrem facientem. Ioan. 5. Quę enim ille facit, eadẽ & filius similiter facit. Et, Maiora his demonstrabit opera, vt vos miremini. Sicut enim pater excitat mortuos, & viuificat; sic & filius, quos vult, viuificat. Tum illud, Ibidem. Venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei; &, qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitã in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Tum illud, quã clarum Theologiæ verissimæ testimonium continet. Ioan. 11. Ego, inquit, & pater vnum sumus. Ibidem. Alibi vero, Ego sum resurrectio, & vita. Ioan. 14. Et, Philippe, qui videt me, videt & patrem meum: non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Ioan. 20. Thomas vero, illum Deum, & Dominum confessus est. Fuit ne ab illo reprehensus, quod illi Dei nomen attribueret? Non certe. Non enim Dominus fidem, sed tarditatem in fide habenda vituperat. Quia vidisti, inquit, me, Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Quid ergo est? Si Christianus es, ipsum Christum audire recusabis? Ipse Dei filius, per quem omnia facta sunt, se verum Deum, atque sempiternum, & patri æqualem aperte testificatur; & tu interim numen illius contemnes? imperium detrectabis? fidemq. dictis illius abrogabis? neque diros exitus eorum, qui hanc sententiam primi dixerunt, exhorresces? Si beati sunt futuri, qui crediderint; certe miseri, infelices, & ærumnosi futuri sunt, qui fidem, qui veritatem, qui religionem labefactare conati fuerint. Docet ipse Dei filius, se nihil habere a patris natura, numine, functione seiunctũ; se vitam, se lucem prædicat; numenq. suum operibus indicat; seq. patri æqualem testificatur; omniaque patris consilia sibi a sempiterno tempore communicata demonstrat; & tamen erunt, qui se Christianos esse iactent; & tã claris, & illustribus ipsius Christi testimonijs infando scelere repugnent? Si enim, qui Christo vestem detraxerunt, vt Cruci nudum affigerent, scelestissimi habendi sunt; quibus verbis eorũ scelus explicabimus, qui non vestem laneam Christi corpori, sed Diuinitatem sempiternam illius numini detrahere conantur, vt interitum nomini illius afferant? Nos, inquiunt, Christum Deum esse confitemur; sed, sempiternum, atque patri æqualem, esse negamus. Quid ais? Deus est, & sempiternus non est? Ita sane inquiunt. Fuit enim tempus, quando non fuit. Præterea, e nihilo formatus est. Quo modo igitur fuit in principio apud patrem? Si enim tempus non exstabat, in principio tẽporis esse non poterat. Si aliquando non fuit, nec in æternitatis principio fuit. Quo modo igitur dici potuit, In principio erat verbũ? Vbi igitur illud Vnigeniti nomen, si communi rerum aliarum ratione fuit a Deo non ex Dei essentia, sed ex nihilo generatus? Præterea, vnde plures dij repente exorti sunt? Si enim Deus est, & aliquando non fuit; ergo, cum vnus tantum Deus esset, duo alij postea constiterunt?

Quo modo igitur verum illud est, Dominus Deus tuus, Deus vnus est? Itẽ illud, Ante me nõ est formatus Deus, & post me non erit? Si enim Deus ipse negat, Deum vllũ esse post se formandum; quæ tam proiecta fuit eorũ audacia, quæ Deum alium fingere caussa fuit? Si vero non cadit in hominis sani rationem, vt Deus sit, & sempiternus nõ sit; si filius Dei ex aliquo temporis initio formatus esset, Deus certe non esset. Ergo in Dei filio, Dei, & Vnigeniti nomen occidisset. Nec enim Deus esse potest, qui aliquando non fuit; nec Vnigenitus appellari, qui multos, atq. prope innumerabiles fratres habet, eadem omnino ratione generatos. At, cum illum sæpissime, in sanctis litteris, & Deum, & Vnigenitum Dei filium, nominari videamus; non ne verum est, eos, qui contra sentiunt, Spiritus sancti testimonio clarissimo impudentissime refragari? Deinde, si ita esset, vellem scire, quo modo argumentum illud dissoluerent, quo Peripatetici; mundum a tempore fuisse sempiterno, cõfirmant. Ego quidem iure argumentũ irridebam, quod illis, qui Dei filium ab infinito tempore genitum esse negant, facere non licet. Eodem argumento vti lubet. Quæro igitur, si filius Dei non ex omni æternitate generatus est, quid agebat Deus, antequã filius genitus esset? Quid moliebatur? Cur infinitis sæculis ab omni munere vacauit? Putauit ne melius esse, sibi similem filium generare? An non putauit? Si credidit, esse multo ad suam gloriam, & laudem præstantius, filium generare, cur sæculis infinitis tanta magnitudine decoris, & dignitatis orbari sustinuit? Si non credidit, cur ex certo tempore gignendi munus, & officium suscepit? Si vero id illi in mentem a principio non venit, & postea nouum consilium cepit, ergo antea aliquid ignorauit, & postea immutatus est. At, nec ignoratio, nec vlla mutatio cadit in Deum. Semper igitur Deus optime nouit, quanto esset præstantius filium immenso splendore, & claritate præditum ex se gignere, quam non gignere. Semper igitur genuit. Præterea, cum proprium bonitatis sit, se communicare, quænam inuidia potuit immensam illam probitatem impedire, quo minus filium gigneret, cum quo opes suas immensas, & infinitas perfectissime communicaret? neque vident interim homines perditissimi, & profligatissimi, cum Deum solitarium immenso tempore fuisse fingunt, illi simul & otium turpe, & inuidiam tætram impudenter affingere. Turpissimum namque est ei, qui potest aliquid præclarum agere, otium amplecti; & inuidiosum, nullam alicui partem felicitatis impertiri. Hanccine dementiam? Hunccine furorem? Hoc, quod in mediocribus etiam hominibus minime ferendum est, vt otium, officio, & inuidiam benignitati præponant, id homines de summa illa sapientia, atque infinita probitate suspicari? Ego quidem (vt paullo ante dixi) Philosophorum argumenta ridebam, eo quod demonstra-

bam, actionem illam, in qua Deus a sempiterno tempore occupatus erat, tam claram, & illustrẽ fuisse, vt neq. mundi innumerabiles essent cum illius amplitudine, & claritate comparandi. Isti vero, qui ne in vnigenito quidem Dei filio æternitatẽ cogitare possunt, dicant, quid actũ fuerit, antequam Dei filius exsisteret, vt patrem simul & flagitiosi languoris, & turpis inuidiæ crimine liberent. Si immenso tempore nihil agere voluit, otium officio pręferendum existimauit; si nihil ab omni æternitate protulit, cũ quo vim sui numinis infinitam communicaret, inuidiæ fuit affinis. Quorum vtrum magis a Deo alienum sit, diiudicare non possum. Sed, quantum inter Aristotelem, virum a Diuinis institutis alienum, & Arium, hominem Christianis disciplinis imbutum, & sacris mysteriis initiatum, interfuerit, operę pretium erit animaduertere. Aristoteles, quod nõ potuerit, propter excellentis ingenij præstantiam, Deum nihil agentem cogitare, rebus corporeis, & interitu ris æternitatẽ attribuit; Arius, contra, cum nihil immensum, atque sempiternũ, propter mentis stuporem, & ingenij tarditatẽ, animo cõplecti potuisset, vnico Dei filio, naturæ totius opifici, æternitatẽ pernegauit. Aristoteles, quamuis (vt suspicari licet) videret, absurdum esse, rebus corporeis, quæ sunt natura dissolubiles, æternitatem concedere, multo tamen id tolerabilius existimauit, quam otium Deo sempiternum, Diuiniq. muneris vacationem dare; contra vero vir scelestissimus vnicum Dei filium, qui sæcula, & æternitatem cõdidit, temporis spatio definiuit. O miserandam ingenij hebetis, & obtusi tarditatem. O detestabilem, & exsecrandam mentis impię cæcitatem. O dirum scelus, nullis piaculis eluendum. Vnicum Dei filium, immensæ claritatis imaginem, mundiq. totius architectũ, rebus ab illo conditis aggregari? & immensum gloriæ splendorem, ab illo sempiterno Diuini luminis exortum, hominis furiosi, & insani tenebris obscurari? & patrem simul geniti filij gloria, & filium patria dignitate spoliari? Quantum enim in illis est, id agunt, & moliuntur, vt Dei filium in turbam coniiciant, & gloriam illius obscurent, & patrem immensa gloria priuent. Indignum facinus asserit esse Proclus, Deum sæculis infinitis conditoris gloria claruisse; & ob id, vniuersam naturam ab omni æternitate conditam esse, dicit. At, quanto cuiuis homini Christiano videri debet indignius, arbitrari Deum sæculis infinitis tali filio caruisse? Nec enim mundus est mens, & ratio patris, non lux, non veritas, non vita, non splendor gloriæ, non sæculorum conditor, non parentis imago, non rerum omnium rector, atque moderator; & ideo non erat ea iactura, quam Proclus opinabatur. At, qui tali filio patrem immenso spatio spoliare nituntur, contra Dei ipsius immensam gloriam acerrime pugnãt. Si enim ex infinito tempore Deum filium sibi similem gignere non potuisse dicũt, Deum infinita vi, & potentia priuant; si non intellexisse, quam id se deceret, intelligentia; si noluisse; probitate. Ergo temporibus infinitis Deus per illos neque omnipotens, neque sapiens, neque bonus exstitit, atque (vt aliquid magis admirandum dicam) neque sempiternus. Si enim (vt Paulus in epistola, quam scribit ad Hebræos, ait) per filium sæcula facta sunt, tempore, quo filius non erat, æternitas esse non poterat. Nihil igitur erat sempiternum. Hoc igitur concludi ex eorum sententia potest, ipsam æternitatem æternitate caruisse, & præterea patrẽ, ex quo omnis paternitas (vt Paulus ait) in cælo, & in terra nominatur, qui per filium sæcula cõdidit, tempore sempiterno sempiternum minime fuisse. Hæc omnia absurda ex tam impia, & scelerata sententia colliguntur. En pietas; en religio; en gloriæ Diuinæ studiũ; en species sanctitatis, atque probitatis. Dum simulant homines scelestissimi, se Diuinæ gloriæ caussa laborare, molestissimeq. ferre, Dei Maiestatem, illi soli debitam, cum filio communicari; atque quasi distractione indigna comminui, Deũ infinitis sæculis desidem, & inertem faciunt, illumq. potentia, & probitate infinita spoliant. Potentia, quia negant filium sibi similem, infinitaq. virtute præditum gignere a sempiterno tempore potuisse; Probitate, quia statuunt, illum immenso tempore neminem, cum quo virtutis infinitæ lumen communicaret, habere voluisse. Quodcumque deinde principium temporis Dei filium turbulentissimi erroris opinione confixerint, ex tempore infinito Deum patris immensa gloria spoliabunt, & mente, luce, ratione, atque adeo æternitate priuabunt. Si igitur Arius, & qui illum secuti sunt, qui tantas turbas in vniuersa Christiana Rep. commouerunt, digni sempiternis cruciatibus existimantur; quo modo non multo magis illi, qui malis alienis erudiri potuerũt, & post tam multa sæcula scelus sepultum instaurarunt, sempiternis supplicijs dignissimi sunt? Paulus vero Christum Deum in omni æternitate prædicandum nominat. Ad Philippenses vero scribens, ait, illum patri æqualem esse. In epistola ad Colossenses, ait, plenitudinem Diuinitatis in eo corporaliter habitare, hoc est, vere. Corporis enim nomen apud Paulum sæpe veritatem significat, Vmbræ enim ex altera parte respondet. Similiter in epistola ad Hebræos, Christi Diuinitatem luculentissimis verbis exaggerat. Sed, quid opus est Pauli testimonio, cum ipsius filij Dei testimonia clarissima habeamus? Qui quidem non sibi solum, sed etiam Spiritui sancto, eiusdem Diuinitatis testimoniũ dat. Si diligitis, inquit, me, præcepta mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, spiritũ veritatis, quem mundus non potest accipere. Cum, Alium, dicit, personæ discrimen apponit; cũ Spiritũ veritatis nominat, naturæ vnius simplicitatẽ demonstrat. Veritas

Heb. 1.

Philip. 2.

Col. 2.

Corpus, significat Veritatem.

Ioan. 14.

enim

enim ipse Deus est, apud quem (vt Iacobus ait) non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio. Sed, quid est hoc, quod dicit, Ego rogabo patrem? Si patri æqualis est, quo modo, vt maiorem, orat? Filius, secundum humanæ naturæ rationem, quamuis sit illi data omnis potestas in cælo, & in terra, & ad dexteram patris sedeat, & voluntas Domini manu illius dirigatur, aduocatus tamen noster est apud patrem. Oratio autẽ, est, muneris alacritate summa perfecti, & absoluti repræsentatio, sanctissimi sanguinis oblatio, sacrificiiq. purissima sanctitate procurati religio, quæ omnia voces semper ad patrem mittunt, & nobis ab eo veniam poscunt, & spiritus sancti dona efflagitant. Quin etiam, vt Dei filius, ea ratione; qua iussa patris exsequitur, & fuit antiquæ legis lator, atque (vt Paulus ait) se medium inter Deum, & homines interposuit, vt homines in Dei studium incitaret, & Deum hominibus conciliaret. per illum enim pater (vt Paulus in epistola, quam scripsit ad Ephesios, ait) ab æterno tempore omnia sibi reconciliare constituit, non incommode pro nobis orare dicitur. Quamuis enim eadem sit illi cum patre potestas, idem imperium, & numen, eadem rerum omnium moderatio, omnia tamen ad patrem, tamquam ad principium, aptissime referuntur. Itaq. patrem orat, vt Spiritum sanctum mittat; qui nos in rebus aduersis consoletur: hoc enim Paracleti Græcum nomen designat. Ait rursus: Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed, quæcumque audiet, loquetur. Rationem totius veritatis exponit: Id enim tantum verum est, quod est ex illo veritatis, & iustitiæ fonte sempiterno deriuatum. Ergo, quidquid aliunde profluxerit, est vanitas, fraus, & mendacium. Ideo diabolus in veritate non stetisse dicitur, sed mendacij pater esse; quia primum omnium a patre summo desciuit; amoreq. suiipsius obcæcatus, sese a veritatis coniunctione disiunxit. Itaque verum est, Deum semper adhærere; illius monitis, & institutis vitã moderari; nec aliquid pulchrũ, & expetendum ducere, quod ab illius sententia, & præscriptione dissideat. Ergo, cum a me aliquid promo, quod a Deo non didici, cum me ipsum nimis amo, ingeniumq. meum, & non Diuinum spiritum consulo, a veritate diuellor. Ob eam caussam Dei filius eo argumento probat, quod verum illius iudicium sit, quod nihil omnino, nisi quod audierat a patre, loqueretur. Quæ audiuimus, inquit, loquimur; &, quæ vidimus, testamur: &, Quæcumque audiui a patre meo, nota feci vobis: &, Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me: &, A me ipso non loquor; & alia multa in hanc sententiam dicit, quæ non humilitatis, & abiectionis argumentum, sed veritatis firmum testimonium continent; neque filij gloriam imminuunt, sed, supra quam dici potest amplificant.

1.Cor.5.
Ephes.2.
Ioan. 14.

Gloria siquidem filij est, non posse neque natura, neque sententia, neque actione a patre disiungi; sed potius ad nomen illius, a quo genitus est, omnia studia, consilia, opera reuocare. Hanc eandem gloriã, & dignitatem sibi cum Spiritu sancto communem esse declarat, cum ait, Non a seipso loquetur, sed, quæcumque audiet, loquetur. In quo non modo rationem veritatis explicat, verum & spiritus ipsius Diuinitatem aperit. His enim verbis ostendit, Dei consilia ab æterno tempore cum illius spiritu communicata. Quod enim ab omni æternitate constat patri fuisse sine vlla recusatione coniunctum, parum ne liquet, ab illius natura disiungi non posse? Subiungit deinde: Et, quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ventura nuntiare non potest, nisi solus Deus. Sic enim legimus apud Isaiam: Ventura nuntiate nobis, & dicemus, quod dij estis vos. Quod si Prophetæ ventura nuntiarunt, id Diuini spiritus afflatu, & impulsu fecerunt. Vnde constat, futurarum rerum prædictionem Spiritus sancti numine contineri. Quod si solius Dei est, futura prænoscere; & constat, hanc prænotionem esse in sancti Spiritus numine constitutam; certe liquet, illum Deum verum esse, eadem maiestate cum patre, & filio præditum. Nemo cognouit, inquit Paulus, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Non secludit filium. In personis enim Diuinis hoc est perpetuo retinendum; vt, quidquid de vna dicitur, quod non propriam personæ rationem, & discrimen contineat, ad alias personas referatur. Veluti, cũ dicitur, Nemo nouit patrem, nisi filius; hæc ratio minime Spiritum sanctum a magnitudine huius cognitionis excludit. Omnia enim, quæ in Dei filium conferuntur, sancti Spiritus numini similiter assignantur. Multa, inquit Dei filius, habeo de vobis loqui, & iudicare. Sed, qui me misit, verax est, & ego, quę audiui ab eo, loquor in mundo. De Spiritu sancto dicit, Non a semetipso loquetur, sed, quæcumque audierit, loquetur, & annuntiabit vobis. De Christo dicitur, Vnigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. De Spiritu sancto similiter, Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei, qui in ipso est. De se dicit ipse Dominus, Ego veni in mundum, vt perhibeam testimoniũ veritati. De Spiritu sancto similiter, Cum venerit ille paracletus, docebit vos omnem veritatem. De se dixit, Hæc dixi vobis, antequam fiant, vt, cum facta fuerint, credatis. De Spiritu sancto similiter, Et, quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. De se dicit, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. De Spiritu sancto Paulus ait, Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Gemitus enim nostros elicit, cum nos precandi studio vehementer inflammat. De se dicit filius Dei, Ego a patre processi, & veni in mundum. De Spiritu sancto ait, Cum venerit paracletus, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Vt igitur filius a patre exoritur; ita

Ventura solus Deus nunciat.
Ioan. 8.
Ioan. 1.
Ioan. 18.
Ioan. 16.
Ibidem
Rom. 8.
Ioan. 16.
Ioan. 15.

Spiritus sanctus ab eodem principio, & fonte progreditur. Sed quæri potest, cur non dixerit, Qui a patre, & a meipso procedit? Dixit certe, si sententia rectis ponderibus examinetur. Omnia enim, præter originis sempiternæ rationem, qua pater filium genuit, quæ de patre dicuntur, ad filium similiter conferenda sunt. Omnia, inquit ille, mea, tua sunt; & tua, mea sūt. Et iccirco spiritus patris etiā filij spiritus appellatur; si spiritus filij est, a filio certe procedit; aliter enim spiritus illius non esset. Præterea, Mitti, & Procedere, in personis Diuinis reciproca sunt. A quo enim quæque persona procedit, ab ea mittitur; & a qua mittitur, ab ea procedit. Pater mitti nō dicitur; quia nō aliūde principium duxit. Filius a patre mitti dicitur; ab illo enim processit. Similiter filius a spiritu sancto, nisi secundum humanæ naturæ condicionem, mitti non dicitur. At spiritus a filio mitti dicitur. Ab illo igitur procedit. Cum venerit, inquit, ille paracletus, quem ego mittam vobis a patre spiritū veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Tum illud, Ille meam gloriam illustrabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Sed, vt, vnde deseximus, redeamus, constat certe, nō munera, & officia tantum esse filio cum spiritu sancto communia, verum & vtriusque naturam distingui non posse. Vterque enim a patre processit. Ergo, cum in Deo nihil sit maius, aut minus, aut diuersum, atque dissimile; efficitur, spiritum Diuinum eadem natura, numine, imperio, maiestate mundum vniuersum moderari. Is hominum mentes claritate Diuini splēdoris illustrat; is animos mortalium amore Diuinitatis inflāmat; is spiritui nostro cælestis nobilitatis, atque adeo Diuinæ agnationis clarissimum testimonium dat; is nobis magister, doctor, atque moderator est. Quo modo autem eadem omnino sint opera patris, & filij, & spiritus sancti, Paulus aperte demonstrat: Diuisiones, inquit, gratiarum sunt, idem autem spiritus: Diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, operatur omnia in omnibus. Sed clarius testimonium afferri in medium non potest eo, quod apud Matthæum, ipsius Domini iussu, continetur. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hic certe coniuncta cernimus, quæ disiungi minime possunt. Si enim nefas est, arbitrari, cum primus homo fuit a Deo e terra formatus, aliquem a Deo fuisse in societatem operis illius adscitum; quanto scelestius erit, opinari, in hac multo clariore forma, atque Diuinæ generationis ratione, qua ita geniti, & informati sumus, vt Diuinam speciem referamus, aliquem, præter Deum, ad naturæ nouæ, atq. plane cælestis, procreationem conuenisse? fieri non potest: fides id cōmentum repellit: recta ratio id nullo modo prorsus admittit. Vt igitur Dei solius numine, & benignitate in hanc nouā vitam ingressi sumus; ita solius Dei nomen, cuius virtute, atque potētia, lucē cælestem adspeximus; tunc audiuimus, vt illius perpetuo fiducia niteremur. Nomen igitur patris, & filij, & spiritus sancti, vnius Dei nomē est, trium personarum explicatione cōtentum. Vnus Deus, vna fides, vnum vitæ lauacrum est, vna confessio, qua Deum vnum tribus personis discretum illo natali die venerati sumus; & hac fide confirmati, apud Christum sacramēto diximus. Alius quidem est a patre filius, non aliud: alius spiritus ab vtroque, non aliud: vt semper intelligatur in personis distinctio, in natura summa simplicitas. Numquā vnam personā appellamus, quin reliquæ simul occurrant. Si patrem nominas, filium consequenter intelligis; atq. simul amoris vinculum, quo filius patri coniungitur. Si filium appellas, pater simul, & amoris sempiterni coniunctio in votis occurrit. Si spiritum vocas, simul originem, vnde spiritus emanat, mente recolis, & ipsius patris, atque filij indissolubilem, atq. sempiternam caritatis immensitatem. Deus, inquit Ioannes, caritas est; &, qui manet in caritate, in Deo manet. Hæc caritas æterna spiritus sanctus est. Vt enim sapiēs pater sapientem filium genuit, & ex vtroque spiritus sanctus sapientiæ magister emanauit; & tamē filius, singulari quadam ratione, eo, quod pater illum intelligendo genuerit, sapiētia patris appellatur; ita bonus pater, bonum filium genuit, & ex vtroque bonus spiritus exstitit; & tamen, ob id, quod spiritus ex voluntate patris exstiterit, singulari ratione bonitas, amor, & caritas appellatur. Tres sunt, inquit Ioannes, qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & spiritus; & hi tres vnum sunt. Pater testimonium dedit filio, cum dixit, Hic est filius meus dilectus. Filius testimonium dedit patri, cū nomen illius in terris ignotum explicuit; & cum insitum numen operibus admirandis indicauit. Spiritus sanctus testimonium similiter dedit, cum super Christum insedit, nec inde rursus auolauit. Opera deinde, quæ Christus faciebat, opera patris erant: Ipse namq. dicit, Pater in me manens, ipse facit opera. Opera etiam filij similiter erant. Opera, inquit, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Opera etiam sancti spiritus erant: Si ego, inquit, spiritu Dei eiicio dæmonia, peruenit in vos Regnum Dei. Pater post filij in cælū adscensum spiritum misit: filius similiter eundem spiritum legauit: spiritus, vt voluntati patris, atq. filij satisfaceret, discipulorum animos inflammauit. Et hi tres vnum sunt. Vnum videlicet numen, vna natura, vna maiestas, vna voluntas, vnum imperium, vna denique, & infinita potestatis, sapientiæ, probitatis, benignitatis amplitudo. Inquit præterea, Tres sunt, qui testimoniū dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres in vnū sunt. Spiritus enim testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Aqua vero puritatis, integritatis, innocētiæ, atq.

iusti-

Mitti, & Procedere, in personis Diuinis reciproca.

Matth. 28.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 5.

Ioan. 1.

Iustitię documentis similiter testimoniũ dedit. Cum enim in iis, qui salutaribus aquis abluti, & expiati sunt, & pignus spiritus acceperunt, animaduersa fuerit admirabilis vitæ conuersio, patum ne firmum testimonium illa tantæ virtutis, & religionis opera continebunt? Sanguis etiam testimonium mirificum tribuit. Ij enim, qui non furore, & alienatæ mentis insania, vt ij faciunt, qui, diuturna sceleris consuetudine perturbati, & vitæ ipsius impurissimæ odio ducti, se ad mortem offerunt; sed sana mente, firmoq. iudicio, animoq. acriter inflammato, mortem contemnunt, sanguinemq. suum libentissime pro Christi gloria, & iustitiæ sanctitate profundunt, clarissimum testimonium dicunt. Et hi tres in vnum sunt: in vnam enim rationẽ conueniunt. Idem namq. spiritus, qui Christi numen testimonio suo comprobat, est, qui animorum sordes eluit, qui animos corroborat, atq. confirmat, & cupiditate gloriæ immortalis inflammat, ita, vt mortem pro Christi gloria oppetitã omnibus vitæ cõmodis anteponant. Illa autem precatio, qua Christus patrem suppliciter orabat, cum mors illius instaret, vt discipuli illius vnũ fierent, & studio caritatis illã summam Diuinarum personarum in vna natura vnitatem, quoad liceret, imitarentur, quo alio pertinebat, quam vt spiritus sanctus adueniens eorum voluntates conglutinaret? Cum enim pugnæ, dissolutionis, interitus seminariũ in multiplici, & effrenata rerum terrestrium cupiditate consistat, efficitur, vt, qui huic cupiditati interitum attulerit, & animos cupiditate vnius summi boni vehementer incenderit, is discordiam tollat, & sempiternã pacem cõciliet. Quis autem hoc tantum beneficium afferre potest, nisi spiritus idem, totius pacis, & verissimæ iucunditatis effector? Is enim probat, vt gustu verissimæ voluptatis futiles, & inanes facillime cõtemnantur; sensu cælestiũ, diuitiæ terrenæ despiciantur; studio gloriæ Diuinæ, falsi honoris, & dignitatis ornamenta respuantur; & mentes, studio nominis Diuini vehemẽtissime concitentur. Ergo, cum seditionis materia tollatur, & idem omnes ardenter expetant, sintq. inter se moribus, & vita simillimi, & quilibet in altero sui imaginem mente perspiciat, & artissimo Spiritus sancti vinculo inter se deuincti sint, ex omnium animis vnus sensus, atque voluntas efficitur. At, quot nominibus sanctæ litteræ Spiritus sancti numen conantur exprimere! Spiritum sapientiæ, intelligentiæ, consilij, & fortitudinis, prudentiæ, religionis, veritatis, libertatis, adoptionis appellant: Fontem perennis aquæ, Diuinæ ardoris incendium, ordinis, conuenientiæ, pulchritudinis, voluptatis effectorem prædicant. Illius abscessu, neq. lux, neq. vita, neq. decus, neque iucunditas vlla reperitur. Omnia tenebris obruuntur, pestiferis morbis impediuntur, euertuntur; luctu, mærore, acerbitate conficiuntur. At illius præsenti numine nouus repente ornatus exoritur; omniaq. læta, & collustrata conspicimus. Fructus spiritus (inquit Paulus) est caritas, pax, & gaudium. Sublata namque libidine, quę in animi statu turbas efficit, & foras excurrit, vt tumultus excitet, nefariumq. bellum contra societatem generis humani moliatur, caritas, ad quam natura propensi sumus, opera Diuini spiritus ardens exsistit. Ex ea deinde pax, quæ superat omnem sensum, consequenter exoritur. Mens enim ita Deo coniungitur, vt in summa tranquillitate versetur. In illũ enim, qui ad hunc modũ in Dei tutela, atque præsidio latet, neque libidinis importunæ temeritas inuehitur; nec illius animũ vllæ pœnæ scelerum persequuntur; neque formidines graui cura sollicitant; neq. mundi totius fragor, metusq. ruinæ labefactat; nec inteuti vlli terrores, & cruciatus de statu conuellũt. Ex his tantis bonis gaudiũ illud nascitur, quod Ioannes Manna absconditum nominat; quod Petrus Lętitiam inexplicabilem appellat; quod Dauid Torrentem voluptatis esse dicit; quod postremo Christus Gaudium stabile, atque sempiternum fore prænuntiat. Hac spiritus Diuini iucunditate completus animus, exsultat, tantaq. lætitia gestit, vt imperitis interdum desipere videatur. Quam variæ fuerunt olim Philosophorum de summo bono sententiæ? Alij namq. dignitatem, alij doloris vacuitatem, alij voluptatem, alij naturæ principia ex animi sententia constituta, alij denique alias summi boni rationes excogitabant. At hæc omnia in Spiritus sancti munere, & benignitate consistunt. Is enim est verissimi decoris, & honestatis, & dignitatis architectus: is animos hominum iucunditate sua ab omni sensu doloris auertit: is naturam animi ad Dei similitudinem facti perfecte constituit: is mentes humanas tanta voluptate persuudit, quantum nulla vbertas orationis explicare dicendo poterit. Quis igitur sapiens? Quis felix? Quis bonis omnibus affluens? Si sapientia Diuinarum rerum notitia continetur, sapiens ille solus est, quem spiritus Diuinus erudit. Si sapientiæ fructus est in verissimis bonis collocandus, Spiritus sanctus est, qui animos Diuinis ornamentis afficit, diuitiis verissimis locupletat, firmo, & inuicto præsidio munit, & sempiterno gaudio cumulat. Sed esto, Spiritus sanctus sapientes efficit, eloquentes autem minime. Immo illius eloquẽtię compotes efficit, quam nullum excellẽs ingenium, nulla differendi facultas, nullum ardens studiũ poterit adipisci. Nõ enim ea est, quæ aures permulceat, & sensus quasi titillet, ad animum autem minime permanet, hominesq. nihilo meliores efficiat; sed ea, quæ magna quadam vi, & impetu comprimat impudentiam, frangat insolentiam, refrenet audaciam, & aduersarios conturbet, & de omni statu detorqueat. Ea iacẽtes erigit, languentes excitat, afflictos consolatur, humiles extollit, & studio gloriæ immortalis incendit. Non captat illa quidem hominũ plausus, sed hominũ saluti consulit; non consecta-

tur immodicas verborum venustates, sed mentes verissimæ sapientię luminibus illustrat; non elaborata concinnitate blanditur, sed sententiarum pondere, & grauitate pugnat; &, quidquid efficere vult, Diuinæ virtutis argumento confirmat. Illius impetus, cum spiritus Diuini viribus incitatur, sustineri nō potest. Cum vos (inquit Christus) tradiderint, nolite cogitare, qualiter, aut quid respondeatis. Dabitur enim vobis, in illa hora, quid loquamini. Non 01
enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Hoc igitur eloquentiæ genere Petrus Iudæorum senatum, & populi multitudinem conturbauit. Huius magnitudine Stephanus immanes hostes exterruit. Huius magnificentia Paulus, quamuis se imperitum sermone dicat, (non enim fortasse Isocratis, aut Aristotelis præcepta degustarat) mundum sub Christi imperium subiunxit, studioq. Diuinitatis inflammauit. Spiritus igitur sancti numine robur inuictum, sapientiæ lumē, pacis tranquillitas, lætitiæ magnitudo, beatæ vitæ constantia, status opibus Diuinis, & sempiternis circumfluens, atque postremo vis admirabilis eloquentiæ continetur. At, quis nobis hunc spiritum attulit? Cuius meritis, & virtute tantas opes sapientiæ consecuti sumus? Quis lumen hoc protulit, quo notitiam patris, & filij, & spiritus sancti caperemus? Quis denique perfecit, vt hac luce Diuini spiritus frueremur, animusq. noster diuitiis, & ornamentis Diuinis afflueret? Christus certe, Dei filius, pro nobis in Cruce, vt debita nostra dissolueret, immolatus. Quod sequente libro magis aperiemus. Vnde concluditur, necessario, verissimam sapientiam, Christi Crucifixi virtute, religione, sanctitate, numine, vi, potentia contineri.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE SAPIENTIA

LIBER QVARTVS.



Vanta ſit ſapientiæ claritas, & magnitudo, quam diſciplina Chriſti, in Crucẽ pro generis humani ſalute ſublati, omnibus, qui ſeſe ad illius ſtudium applicuerunt, impertiuit, ſatis explicatum arbitror. Si igitur Græci ſapientiã quærunt, Chriſtum audiant, illum admirentur, ad illius imitationem ſe conferant, & ſic tandẽ ad eam ſapientiam peruenient, quam nulli vnquam Philoſophia ſummis ingenijs, præſtante doctrina, ardente ſtudio conſequi potuerunt. Quod ſi nihilominus adhuc in ea opinione ſunt, vt Chriſtianam philoſophiam ſtultitiæ nomine condemnent, æqnum eſſe arbitror, vt pluribus, illis, ſi poſſumus, tantum errorem eripiamus. Quod vt commodius fieri poſsit, opus erit eorum argumẽta prius explicare. Sic enim fortaſſe dicebant. Quo modo poteſt in hominis ſapientis rationem cadere, vt credat, illum hominem ſummi Dei filium eſſe, quẽ viderit inopem, contemptum, abiectum, & afflictum, vulneribus præterea conciſum, contumelijs laceratum, inſigniq. dedecore, & ignominia deformatum? Primum enim, quid Dei filium impellere potuit, vt ita ſecum humanam naturam coniungeret, vt morti obnoxius fieret? Num, vt hominum vitæ proſpiceret? At contra naturam eſt, vt mors vitæ cauſſam afferat; & is, qui mortis atrocitatem a ſe minime propulſat, aliorum vitam conſtituat. Deinde, cum Dei maieſtas immenſa, & infinita ſit, hominis antem natura vix quidquam humilius, & fragilius cogitari poſsit, is homo, qui ſtatuit, Deum ita ſe abieciſſe, vt hominum gratia verus homo fieri vellet, multum de Diuina maieſtate detrahit, & ſibi plurimũ arrogat, & aſſumit. Quo quid vel ſceleſtius, vel inſolentius dici poteſt? Numen enim Diuinũ ad noſtras miſerias transferre, facinus impium eſt; humanam veto naturam in Diuina ſede locare, ſuperbum, nec vllo modo tolerandum. Deinde, quæro, Deus non potuiſſet alia ratione, quæ non eſſet dignitati illius indecora, genus humanum e ſempiterna miſeria liberare? Potuiſſet certe, ſi verum eſt, potentiam illius nullo termino circumſcribi. Non dico, qnam parum credibile ſit, ſic naturam Diuinam cum humana coniungi, vt vtraqne in vnam perſonam coaleſceret. Vt igitur id omittam, qui cõuenit arbitrari, Deũ maluiſſe hominibus cum dolore, & cruciatu, cnm dedecore, & ignominia, quam ſine vllo dolore, & ſine vlla dignitatis imminutione conſulere? An dedecus mediocre fuit, non dico in crucem tolli, non virgis concidi, non maledictis vexari, ſed humanis neceſsitatibus ſeruire, & morbis vitæ communis implicitum diſtineri? Si temeritas igitur in Deum non cadit, & ſumma temeritas eſt, malle quippiam cũ dolore, & ignominia, quam cum gaudio, & honeſtate moliri; veriſimile profecto non eſt, Deum, cũ vtrumuis illi liberum fuiſſet, dolorem acerbiſsimum iucunditati, extremum dedecus honeſtati, ſine cauſſa prætuliſſe. Præterea, quibus hominibus eo cruciatu, & indignitate conſultum eſſe voluit? Sapientibus ne? At hi pancisſimi ſunt; &, ſi qui ſunt, miſerijs opprimi non poſſunt. Si inſipientibus dixeris, indigniſsimum eſt, Deũ pro inſipientibus, qui ſunt cruciatn ſempiterno digniſsimi, tam acerbos dolores hanrire. Poſtremo, quod minus ſapiens conſilium cogitari potnit, cum ſupplicia ſceleribus coercendis inſtituta ſint, & homines præmijs ad honeſtatem alliciendi, & inuitandi, quam ijs, qui acre ſtudiũ ad honeſtatem contulerint, ſupplicia proponi? At vos illis, qui pietatem vnice coluerint, crucem exemplo Dei ipſius, quem colitis, ingenue defixiſtis; nec aliam eſſe ſalutis viam, præter eã, quæ crucis ſtudio continetur, aſſeritis. At, ſi ſenſus, ſi communem vitam, ſi rationem, ſi Philoſophorum decreta conſulimus, in crucem beatã vitam adſpirare nõ poſſe videbimus. Nam, etſi fuere quidam, qui contra diſputarent, ij, non argumentis tantum euicti, ſed omnium deriſione deluſi, iam pridẽ ſilnerunt. Natura enim, quam optimam vitæ magiſtram dncimus, hoc animis noſtris inſeuit, nullo modo fieri poſſe, vt, qui doloribus ſummis afficitur, florens, atque beatus ſit. At vos, contra naturam, in cruce vitam beatam ponitis. Summa igitur eloquentia vobis opus eſt, vt ſententiam, ſenſibus, opinionibus, rationi, Philoſophiæ, naturæ denique vniuerſæ contrariam, oratione confirmetis. Sed vos in hoc valde ridiculi eſtis. Cum enim incredibilia dicatis, nullum tamen acumẽ in diſſerendo, nulla dicendi lumina, nullas orationis opes adhibetis. Duplici igitur ratione ſnmmæ ſtultitiæ ſignificationem datis. Nam &, quod ſtultiſsimum eſt, fortiſsime defenditis; & ſine vllis eloquentiæ opibus ſtultitiæ defen-

Natura, optima vitæ magiſtra.

ſionem

ſionem ſuſcipitis. Quis igitur vos audiet? Quis ſequetur? Quis difficillimis decretis obtemperabit? Quis voluptates aſpernabitur, vt crucē ſubeat? Et his quidem argumētis, aut horum ſimilibus, Græcorum philoſophia Chriſti crucem oppugnare nititur. Huius igitur inanis ſapientiæ argumenta refellemus, & ſimul opes crucis explicabimus. Sed, antequam id faciamus, de Græcorum ſapientia pauca dicemus. Sapientia, (vt Stoici definiebant) eſt rerum diuinarum, & humanarum ſcientia. Huius ſtudiū Philoſophia nominatur. Eſt autem Philoſophię munus, quid verum, quid rectum, quid ſimplex ſit, inquirere, & inuentum mente, & ratione complecti, & ſapientiæ veriſsimæ decretis obtemperare. Nam, cum ad intelligendum, & agendum nati ſimus; vtrumque neceſſarium eſt, vt veritatem intelligamus, &, quod eſt nobis commodum, & ſalutare, omni ſtudio conſectemur. Itaque hoc eſt Philoſophiæ propoſitū, veritatem ſemper intueri, omniaq. officia vitę ad ſummum bonum dirigere. Veritas autem ſumma Deus eſt. Ille namque ſolus eſt iuſtitia conſtans, immutabilis, atque ſempiterna, iuris totius fons, & origo, rerum omnium parens, natura maxime ſimplex, virtute tamen immenſus, totius concretionis, & compoſitionis expers, ſemper idem, ſibiq. in omni æternitate ſimillimus. Qui verum igitur, & rectum contemplari deſiderat, Deum intueri deſiderat. Finis igitur Philoſophiæ eſt, Deum cernere. Præterea ſtudium ſapientiæ in humanæ etiam naturæ explicatione verſatur. At humana ex Diuinis nexa, & apta ſunt. Non poterit igitur quiſquam ſe exacte cognoſcere, niſi mentem in Deum prius intenderit. Prętere a, quo modo poterit quiſquam intelligere, quid ſit extremum bonorum omnium, maxime naturæ hominis accommodatum, niſi viderit mente, & ratione, ſe ex Diuina benignitate profluxiſſe; & proinde non eſſe ſummum bonum ad aliud, quam ad Deum, tamquam ad vitæ principium, referendum? Poſtremo, ille ſolus (vt Ariſtoteles ait) ſcire dicitur, qui res ex cauſsis agnoſcit. Cum igitur Deus ſit rerum omnium cauſſa, omnis ſapientia in notitia illius conſiſtit. Tres autem Philoſophiæ partes Peripatetici ſtatuerunt; vnam, quæ in naturæ perueſtigatione verſaretur; alteram, quæ de moribus, & vita diſputaret; tertiam, quæ diſſerendi artificium contineret; vt eo videlicet, quid verum, quid falſum, quid conſentiens, quid repugnans eſſet in oratione, iudicarent. At naturam ſpeculari non poteſt, niſi qui naturæ conditorem mente contemplatus fuerit: mores illi ſolum recte conſtituere licebit, qui omnia ſtudia vitæ ad Dei legem reuocauerit: verum intueri non eſt conceſſum, niſi ei, qui numquam oculos a veritate ſempiterna deiecerit. Quamcumq. igitur partem Philoſophiæ attingere volueris, ſemper erit neceſſe, vt Deus in oculis, & adſpectu ſit. Aliter enim in ea commode verſari non poteris. Vt autem ad tantum ſapientiæ gradum homines peruenirent, omnes Pphiloſophiæ partes, & artes etiam Mathematicas ſibi perdiſcēdas eſſe ſtatuebant, vt paullatim aſſueſcerent animum a ſocietate corporis auocare. Erat enim illis perſuaſum, qui multum reliquis ingenio antecellebant, nihil eſſe veri, nihil expreſsi, nihil ſolidi in rebus, quæ ſenſibus obiectæ ſunt. Omnia enim continenter labi, & fluere, nec vllo temporis momento conſiſtere; ſed incredibili celeritate ferri, & horis ſingulis, atque adeo momentis immutari. Vmbras igitur, & imagines, & quaſi quædam ſomnia, res corporeas exiſtimabant: proinde illis, qui verum cernere vellent, eſſe mentem a ſenſibus abducendam, & a corporis contagione ſeuocandam, vt liceret ea, quæ conſtantia, & æterna ſunt, nec vllā ſunt mutationem vllis ſæculis habitura, ipſius mentis oculis vſurpare. Vnde etiam colligitur, Sapientiæ munus, & officium eſſe, Deum cognoſcere, illiusq. ſanctiſsimum numen integra, pura, & caſta mente venerari, & omnes curas, & cogitationes ad gloriam illius dirigere. Artes vero reliquas ſapientiam minime continere; ſed eſſe gradus quoſdam, & adminicula, quibus erectæ mentes ad ſapientiam facilius adſpirarent. Ergo, etiam ſecundum Græcorum ſententiam, qui Deum nouerint, ſapientes appellari merito poſſunt; qui vero ſine Dei cognitione in alijs artibus verſantur, non ſapientes, ſed laborioſi, & infelices, vt ſunt omnes, qui, rerum magnarum cupiditate flagrantes, in illis comparandis omnem vitam ſine fructu conſumūt. Hæc cum ita ſint, conſequens eſt, vt videamus, num antiqui Philoſophi, qui tantum munus animo complexi ſunt, ſapientiam, hoc eſt, Dei notitiam conſecuti fuerint. Non proſrus. Immo plerique, in ipſo ſtatim philoſophandi principio, a ſapientiæ certiſsima ratione deſciuerunt. Primus enim eorum lapſus fuit, Dei numine relicto, alias rerum cauſſas ſpeculari. Itaque, dum, orbati Diuina luce, mentem in naturæ rationem intendere conati ſunt, vt, quæ fuerint initia rerum, quæ mundi totius origo, perſpicerēt, nihil tam abſurdum fingi poteſt, quod non effutierint. Quod autem de illis Socrates iudicium feciſſet, Xenophon luculenter exponit. Dicit enim, Socratem ſolitum fuiſſe Phyſicos (ſic enim, qui naturam rimari conabantur, appellati ſunt) vehementer admirari, qui, quaſi iam humana omnia explorata penitus habuiſſent, ita rerum Diuinarum rationes indagare, & perſcrutari volebant, & in rebus illis cognoſcendis, quæ erant ab humana cognitione remotiſsimæ, vitam fruſtra conterebant. Quam inanis autem eorum conatus eſſet, ex eo colligitur, quod ij, qui naturæ cognitionem ſibi inſolentius arrogabant, ita inter ſe diſsiderent, vt non multum a furentium temeritate, & inſania diſtarent. Sunt enim (dicebat) inſani, qui valde metuenda non timeant; ſunt rurſus alij, qui minime metuenda pertimeſcant. Multos non pudet

Philoſophiæ munus.

Sapientiæ munus.

Phyſici, qui naturam rimari conabantur.

det in publico pudenda facere. Alios rursus pudor tenet, ne in hominum conuentum venire audeant. Sunt, qui neque templum, neque aram; neque quidquam sacrum, aut religiosum honore dignum arbitrentur: alij, contra, quibusuis lapidibus, atque lignis honores Diuinos habent. Horum similes Philosophi sunt. Alij enim, omnia vnum esse, contendunt: alij vero, res multitudine infinitas esse, statuunt. Sunt, qui, omnia perpetuo moueri, dicunt: alij rursus, nullum esse in rebus motum, asserunt. Quidam, omnia oriri, & occidere, dicunt: alij contra, nihil ortum esse, aut interiturum, confirmant. Præterea, dicebat idem Socrates, nimis stultum esse, id summo studio, & cura perquirere, quod nullum fructum erat studiosis allaturum. Numquid (aiebat) quemadmodum ij, qui artibus humanis incumbunt, ideo illis operam dant, vt vel sibi, vel alijs aliquod artis ipsius opus efficiant; ita isti confidunt, se opera similia illis, quorum rationes peruestigare nitũtur, veluti ventos, vel aquas, vel temporum distinctiones, effecturos? His quidem, & alijs eiusmodi argumẽtis, Socrates (vt Xenophon auctor est) Philosophos irridebat. Quanta eorum varietas, & incõstantia fuerit, & in quanta inanitate versarentur, dici vix potest. Quidam aquæ, alij aeri, alij autem igni rerum originem tribuebant. Anaximander corpus aliud infinitum, ex quo omnia fierent, excogitauit. Democritus infinitum inane, & atomos innumerabiles, huc & illuc temere concursantes, & fortuita copulatione, & adhæsione omnia conficientes effinxit. Empedocles quattuor elementa, & litem, & amicitiam principia rerum omnium fuisse constituit. Omnes hi, & alij quam plurimi, quos caussa breuitatis omitto, eam siluam, atque materiam rerum, quam somniantes alucinabantur, ex qua omnia facta fuisse putabant, vt rerum omnium caussam, inducebant: opificis autem, qui eam materiam informaret, nomen, quasi nihil opus fuisset arte, consilio, & effectione, miro silentio præteribant. Merito igitur. Plato in libris de Legibus de illorum temeritate, & impietate conqueritur. Illorum namque opera religionem apud multos euersam dicit: sublata vero religione, neque leges, neque iudicia, neque mores constitui posse. Nam, vbi numinis metus animos minime continet, parum leges, & ciuilia constituta proficiunt. At, qui Deum mundi conditi gloria spoliat, Deum de mundo tollit. Hac autem opinione cõstituta, metuq. sanctißimi numinis sublato, nullum tãtum facinus erit, quod non paßim ab omnibus, vbi primum sceleris occultandi, aut iudicij eludendi spes oblata fuerit, in aliorum perniciem suscipiatur. Huic autem tam sceleratæ opinioni ingentem materiã Physicos præbuisse, Plato confirmat. Sic enim (vt ait) illi statuebant, omnia, quæ sunt, vel naturæ vi, vel casu, vel artificio facta fuisse. Et opera quidem vehementer illustria, naturæ, atque fortunæ, minima autem arti, & consilio tribuebant. Cælum namque, ignem, terras, & maria, sidera, & reliqua omnia, quæ cernimus in mundo, vi naturæ ratione carentis, & temerario cõcursu facta fuisse, dicebant. Cum enim ita casus tulisset, vt calida frigidis, arida liquidis, dura mollibus, grauia leuibus apte coniungerentur, tum cælum, & astra, & animantia, & has rerum omnium formas, quas videmus, exstitisse. Artem vero humanam naturæ vim imitari, & inanes quasdam rerum imagines, & formas efficere. Homines autem non artificio factos, sed ex se artificium peperisse. Ea igitur opera, quæ arte constarent, cum essent ab hominibus facta, longe inferiora esse illis, quæ natura nihil sentiente constiterant. Operibus autem hominum artificio constitutis religionem, & Deos annumerabant. Prudentium namque consilio factum esse, vt hominum cupiditates numinis metu frenarentur, vt cuncti mortales opinarentur, esse quandam vim Diuinam omnia continentem, & animaduertentem, & pro cuiusque vitæ ratione, vel præmium, vel supplicium, iudicio rectißimo constituentem. Re autem vera non ita esse, sed vim Diuinam aut non esse, aut ab ea res humanas minime curari, aut facillime muneribus a puniendo maleficio deduci. Hos in eo loco Plato redarguit, & tam impiã, & sceleratam opinionem plenißima grauitatis, & acuminis oratione conuellit. Horum disciplinis imbutus Diagoras, Deum esse negauit. Horum opinionibus infectus Protagoras, an aliquod esset numen Diuinum, impie dubitauit. Hos secuti multi sunt, quorum vita, quã parum illi credant Deum mundi principatum tenere, sceleribus infandis ostendit. Pythagoras Samius omnia rerum principia ad numeros reuocauit. In quo quidem propius iam ad Dei cognitionem accessit. Numerorum enim ratio sollertiæ firmißimum continet argumẽtum. Fieri enim nequit, vt in rebus, quæ casu fiunt, omnia ad numerum apte cadant. Qui igitur numeros in natura constituit, mentem, & consilium, non temeritatem in rerum dominatu collocat, omniaq. mundi opera singulari cõditoris artificio facta fuisse confirmat. Is igitur, & omnes illius discipuli religionem coluerunt, & Deum naturæ parentem venerati sunt. Multa tamen illius errata fuere, quæ disciplinæ pulchritudinem contaminarunt. Anaxagoras similium partium infinitatem, & mentem, concretione, & secretione res omnes, quæ natura constant, efficientem, induxit. In quo quidem magnam spem illis, qui sapientiæ studio flagrabant, attulit. Nam, si omnia mente facta fuisse constaret, casus erat omnino a mundi fabrica, & ratione repellendus. Reliquum igitur erat, vt homines studiosi in singulis rebus intuerentur Diuinæ mentis artificium; & intelligerent, nihil fieri in eo genere posse præstantius; & sic tandem admirabilem Dei sapientiã ex operibus illius agnoscerent. Conatus quidem

dem fuit egregius: exitus tamen infelix, & ærumnosus, omnium spem turpissime fefellit. Omnia siquidem ferme naturæ opera ad materiam, & partes illas simillimas reuocauit, & pauca admodum menti facienda,& procuranda reliquit. Nescio enim, qua temeritate sint impulsi homines,qui multum ingenio confidebant,vt,cum naturam se studiosissime sequi dicerent,& omnes naturæ partes hanc vnam vocem mitterent, esse quendam rerum omnium parentem, & dominum, qui omnia a principio immensa potentia creauisset, ordine singulari distinxisset, & opere mirabili perpolita coerceat,atque moderetur; hanc sapientiæ viã qua si nimis tritam, atque peruulgatam aspernati, rudem materiam, eamq. minime certa ratione constitutam, admodum furenter amplecterentur. Quod perinde erat,atque si quis in Praxitelis, aut Myronis signo non opificis artificium,sed æs,aut lapidem, ex quo signum factũ fuerat, spectandum existimaret; aut in Apellis tabula non pulchritudinem operis Apelli, sed coloribus, adscriberet. Nec etiam illud viderunt, nullum opus pulchrum esse posse, quod non artificio constaret. Ergo, cum nihil esse mundo pulchrius animaduerterent, summum certe conditoris artificium admirari debuissent. Quid, quod in mundi opifice non solum mentem,& rationem, qua materiam informauit,& tam varias, & multiplices ex illa formas effecit, adspicere, verum & potentiam, qua materiam ipsam condidit,intueri potuissent,si vidissent,non posse illius potentiam termino vllo circumscribi?Quod,tantum absuit,vt facerẽt, vt,cum pauci conditoris mentionem facerent, omnes sempiternam materiam fuisse fingerẽt. Sic factum est, vt, dum materiæ æternitatem, aeque adeo Diuinitatem darent, multi occasionem arriperent sceleris infandi,quo duo principia finxerunt, vnum bonorum, alterum vero malorum:quod maximum fuit errorum, & scelerum seminarium, & maximas clades in res humanas inuexit. Quid, quod multi, vt magis ostenderent,ad mundi fabricam non opus fuisse ratione, mundos innumerabiles oriri, & occidere singulis momentis, afferebant? Quid, quod alij, hunc eundem mundum sæpius oriri, & occidere,& rursus instaurari, atque renouari, & hanc vicissitudinem in omni temporum æternitate conseruari, statuebant? De natura autem Diuina,quanta erat inter illos, qui religione aliqua tenebantur, dissensio. Alij itaque, Deos innumerabiles, alij paucos admodum, & eos alij quidem otiosos,alij laboriosos,& certis muneribus districtos, affirmabant. Non pauci mundum animantem, & Deum fingebant: solem,& sidera in sede Diuina collocabant. Quid de vltimo,& extremo rerum omnium expetẽdarum sermonem faciam? Quanta erat inter illos disceptatio. Et ita, cum nullus illis certus finis esset, in quem respicerent, nulla certa eis officiorum ratio constabat. Quod si non mediocris sapientiæ fructus est egregia morum descriptio, animorumq. grauis,& sapiens moderatio, & placidissimæ pacis constitutio, quo modo non sunt illi stultissimi iudicandi, qui se flagitio, & turpitudine contaminarunt, & in omnium se flagitiorum colluuiem eiecerunt; & quorum animi secum intra se turbulentissime dissidebant? At constat, maximam eorum partem,qui ingenium venditabant,&, nomine sapientiæ elati,& inflati, reliquos homines præ se contemnebant,flagitijs infamem fuisse, turpitudinisq. suæ, vbicumque pedem ponerent, impressa vestigia reliquisse. Itaque, varijs animorum motibus conflictati, & libidine, & ambitione furentes, sæpe Resp. suas insita temeritate,& audacia peruerterunt. Solus Socrates illis priscis temporibus natus beneficio Diuino videtur, vt sophistarum insolentiam frangeret, modestiaq. sua multorum superbiam, qui sibi sapientiam arrogabant, oratione comprimeret. Is primus philosophiam a naturæ peruestigatione ad mores,& instituta vitæ traduxit; & summus, vt temporibus illis, virtutis magister exstitit. Qui tamẽ, cum se nihil scire dicit, multis in locis hæret,& dubitat; & rebus verissimis res commenticias admiscet; &, vt nihil aliud dicam, si vere eam illi Plato opinionem attribuit, Pythagoram secutus, varias,& infinitas animorum e corporibus in corpora migrationes perpetua oratione comprobanit. Qui ex illius doctrina profecti sunt, mirum est, quantũ inter omnes excelluerint;non tamen ita, vt sapientes appellari possint; Non enim dignam de Deo sententiam habuerunt;ingenitamq. materiam, sine vllius conditoris numine,& beneficio, ad mundi fabricam contulerunt; & virtutis pulchritudinem nonnullis maculis inquinarunt. Aristoteles, quamuis esset Platonis auditor,ab illo desciuit,& mundi principium negauit, & de animorum immortalitate adeo obscure disseruit, vt, quid sentiret, dubium valde reliquerit. Præterea, non explicite, an Deus, quemadmodum vniuersitati prospicit, rebus singulis prospiciat,definiuit. Quamquam, si liber ille, qui de Mundo nomine illius inscribitur,illius est,non obscure rerum singularũ prouidentiam sustulit. Sed,quorsum hæc tam multa de priscis hominibus, qui sapientiæ operam dabant,in medium attulimus? Vt melius considerari posset, Græcos,qui in Christiana disciplina sapientiam requirunt, in summa dementia versatos fuisse. Vt enim nihil aliud dicamus, cum sapientia sit in Dei cognitione posita, Græci vel Deum esse negabant,vel illum rerum humanarum curatione priuabant, vel illius potentiam,& numen in angustum contrahebant. His explicatis,consentaneum est, vt eorum argumentis respondeamus. Quid, inquiũt, Deum mouere potuit, vt homo fieri vellet? De qua re primũ dubitas? De potestate? An de probitate? An de conuenientia? Potestas quidẽ, vt de illa primum loquamur, est immensa, neque

potest

potest vllis finibus coerceri, ant viribus impediri. Ingenio minime consequi possum, inquis. Num, quemadmodum cælum factum fuerit, fuisti ne iam ingenio consecutus? Quæ potestas illa fuit, quæ astris splendorem, soli claritatem, lunæ vim, & efficientiam largita sit, mente, & ratione consequeris? Non certe. Et tamen ita disputas, quasi sit necesse, id, cuius vim ratione comprehendere nequis, non esse. Quasi vero tu in rebus etiam minimis vim Diuinæ prouidentiæ possis, quanta sit, animo perscrutari, & inspicere. Cælum, sidera, terras, maria, naturæ pulchritudinem, & concinnitatem, variam, & propemodum infinitam animantium multitudinem prætereamus; & de rebus minimis loquamur. Poteris ne vim, & sollertiam Diuinæ mentis in formicarum fabrica cõsiderare? Cernis ne in illis virium pro corporis ratione magnitudinem? Num earum conuictum, & quasi Reip. societatem? Num motum, & alacritatẽ, & ad depellendam famem admirabilem prouidentiam? Quod si nec in minimis rebus, quanta fuerit vis, & potẽtia summi rerum omnium conditoris, intueri potes, quo modo opus omnium maximum, & admirandum, ratione, & ingenio cõsequeris? Quod si ingenio tuo Diuinæ potentiæ magnitudinem metiri velis, concidat omne cælum; astra ruant; terra desideat; natura vniuersa funditus intereat, opus est. Neque enim vllo modo consequi ratione potes, quo modo hæc omnia a Deo constituta sint, eiusque numine cohæreant, & permaneant, naturæque suæ statum in omni rerum varietate conseruent. Non igitur vllam vim habet argumentum ab ingenij stultissimâ confidentia ductum. Si enim, ex eo, quod non aliquid intelligis, sequeretur illud, de quo dubitas, non esse; nihil omnino esset; quando constat, te nullius omnino rei, earum, quæ a Deo factæ sunt, rationem comprehendere posse. Et, quo minus quæque res intelligitur, eo magis cernitur, eam fuisse Dei consilio perfectam. Quid ergo de probitatis immensitate dubitas? An ea (vt de potentia dicebamus) finibus vllis arceri potest? An terminis vllis concluditur? An parum constat, neque potentiam a probitate superari, nec a potentia probitatem? Restat igitur, vt, quantum & potentiæ, & probitati conueniat, videamus. Id, inquis, Deo minime decorum est. Fuisset quidem parum decorum, si hoc opere fuisset maiestas illius imminuta, aut numen illius de statu conuulsum: at, cum nihil omnino sit, quod maiestatem, quod statum, & dignitatẽ summi, atque sempiterni numinis conuellere, aut imminuere, aut immutare possit, tantum abest, vt hoc tam Diuinum beneficium Dei gloriam obscurare potuerit, vt eam multo clarius illustraret. Tunc enim Dei gloriam illustrari dicimus, cum ex illius operibus probitas illius immensa perspicitur. At neque cæli, & terræ fabricatio, neque conditæ naturæ conseruatio, neque mundi totius imperium, & administratio, neque innumerabilia beneficia in genus humanum collata tantam significationem Diuinæ probitatis effecerunt, vt sint vlla ex parte cum hoc tam Diuino beneficio comparanda. Si igitur, quo beneficium amplius est, eo magis probitatem in oculis, & adspectu proponit; &, quo magis probitas exstat, & eminet, eo gloriæ lumen clarius splendet; quid esse magis perspicuum potest, quam eo opere, quod Deo indecorum dicis, gloriam Dei fuisse non apud homines modo, verum etiam apud cælestes, infinitis, si ita loqui fas est, accessionibus amplificatam? Potest ne fieri, vt, quod gloriam illustrat, indecorum sit; cum gloria a decore, & dignitate distingui non possit? Sed, inquis, si potestas Dei est infinita, quid illum impedire potuit, quo minus quauis alia ratione hominum vitæ consuleret? Nihil sane. Sed, cum Dei perfecta sint opera, minime illius sapientiæ, & probitati conueniebat, vt, opere clariore neglecto, opus minus clarum, & amplum susciperet. Cum dedecore tamen, inquis. Quid tandem dedecus appellas? Vidisti ne, Christi virtutem perculsam, & abiectam? constantiam de statu deturbatã? honestatis lumen exstinctum? aut vllam flagitij maculam tantis Diuinæ virtutis ornamẽtis inustam? An tu aliquod dedecus esse putas, nisi quod est cum flagitio, turpitudine, & impuritate coniunctum? Si recte Philosophiam colis, illa te docere poterit, nullum esse dedecus, præter turpitudinem; nullum decus, præter honestatem; supplicia virtuti dignitatem eripere nõ posse; illius autem decus, & robur inuictum illustrare posse. Quo enim vehementius virtus oppugnatur; eo clarius, quantum sit illius numen, ostenditur. Contemptus tamen, inquis, & abiectus, vulneribusq. deformatus, & in crucẽ sublatus fuit: multitudoq. illum mærentem adspexit: & tamen vos neque huius tantæ humilitatis pudet, neque tantæ imbecillitatis indiciũ taciturnitate comprimitis. Contemptus quidem ab hominibus scelestissimis, qui bellum cum Diuina lege continenter gerebant; non a patre, qui illum in amplissima Diuinitatis sede locauit. Quo autem magis illum homines impurissimi contemnebant, & plagis concidebãt, & omni crudelitate lacerabant, eo maiorem, & ampliorem illi sempiternæ gloriæ segetem suppeditabant. Nam improbitatis odium virtutem insignem facit. Et præterea virtus tum maxime enitescit, cum maxime in illam perditorum hominum furor incurrit. Cum igitur perspectum fuisset, neque probra, & conuicia, neque inflicta vulnera, neque intolerandos dolores, neque acerbissimi cruciatus atrocitatem potuisse virtutem illius infringere; non ne constat, Diuinam virtutem illius exstitisse? Immo, inquiunt, virtus illius fracta, & debilitata fuit. Lacrymis enim, atque luctu, se plane dolore victum esse, declarauit. O peruersum de virtutis ratione iudicium. Lacrymæ enim doloris iudicium continent, non victæ virtutis argumẽtum.

Virtus maior, fit, cum a perditis hominibus exagitatur.

tum. Dolor enim ex imbecillitate naturæ lacrymas elicit: virtus autem eo clarior est, quo dolor est acrior, & natura corporis imbecillior. Lacrymę igitur non afflictam virtutem, sed virtutis insignem victoriam demonstrant; quæ tanto illustrior est, quanto fuit hostis virtutis ipsius robore superatus vehementior. Non pudet igitur nos lacrymarum, quæ dolorem pro nobis susceptum declarant; quæ societatem humanæ condicionis indicant; quæ clementiam nostri liberatoris erga nos magis claram, & illustrem reddunt. Non enim ita magnum nobis beneficium attulisset, si pro nostra salute acerbos dolores minime pertulisset. Non enim is fuit, qui Stoicorum vel immanitatem, vel stuporem, vel indolentiam moribus, & disciplinā comprobaret; & sensus humanitatis nōre, sed orationis ostentatione extorquere contenderet; sed qui doceret, qua via, & ratione de sensibus victoria obtineri posset. Præterea, ideo lacrymatus est, vt lacrymas nostras abstergeret; quemadmodum & mori voluit, vt nos a morte sempiterna redimeret. Id, inquis, natura nō patitur, vt mors viuendi caussam afferat. Si de cōmuni vita loqueris, ne vita quidem hominum potest mortis impetum ab aliorum hominum vita repellere. Si de potentia Diuina disseris, parum, quantum sit illius numē, attendis. Deus est, qui vitam eripit, qui ereptam restituit, qui principes summos e solio detrudit, qui homines humi stratos in cælum extollit, qui voce tātum, & imperio ea, quæ non sunt, esse, vigere, sentire compellit. Vita, mors, salus, interitus, illius numine continetur. Itaque, vt pater optimus, vt princeps clementissimus, mortis suæ meritis, atque virtute, pro filijs, atque subditis admodum libēter oppetita, viam omnibus, qui illum sequerentur, ad immortalitatem muniuit. At, inquis, hominum caussa, quibus nihil est in vita fragilius, tantum facinus edidit? Verū. Et, quo est eorum natura fragilior, eo clementia illius præclarior est, quæ genus hominum e luto fictum, & in terram depressum, atque demersum, excitauit, & ad certissimam spem cuiusdam Diuinitatis erexit. Numquam ne tibi in mentem venit admirari, illum ipsum dominum cælum, terras, ignem, maria, & omnes denique naturas, quæ cæli ambitu continentur, hominum caussa condidisse? Non enim sibi, qui nullo domicilio, vt commodius habitaret, indigebat; non Angelis, qui mentes purissimæ sunt, neque vllam sedem corpoream, in qua locati sedeant, requirunt; sed hominibus tantum, quos solos ex omnibus animantibus imagine suæ mentis illustrauit, mundum clarissimis luminibus distinctum, & varijs opibus instructum, & ornatum fecit, & opere admirabili perpoliuit. Et tamen iisdem argumentis, si tunc, cum mundum ædificauit, in consilium fuisses adhibitus, vti potuisses. Hominum caussa, quibus nihil est fragilius, tantum, & tam præclarum opus effecit? Argumentum quidem magnam vim habet ad clementiam summi Domini celebrandam; non autem ad opus clementiæ ipsius labefactādum. Tanto enim beneficium mirabilius est, quanto illi, quibus affertur, minus illo digni sunt. Præterea noluit ille clementissimus Dominus, vt homines, quos ad sui imaginem finxit, & quibus terrarum imperium delegauit, ita se in terram abijcerent, vt non mentes ad ortus sui principium frequenter excitarent, Deumq. parentem agnoscerent. Qui enim ita se propter naturam mortalem contemnunt, vt nihil immortale, atque Diuinum moliantur, hi brutis animantibus annumerandi sunt. Insitæ namque dignitatis obliuiscuntur, nec intelligunt se esse ad imperiū natos. Quamuis enim corpore sint fragiles, & imbecilli; mente tamē, & ratione, qua nihil est in omni natura præclarius, immortales, atque Diuina quadam forma præditi sunt. At homines, contra naturæ præstātiam, immemores officij, immemores laudis, & honestatis, a Deo penitus auersi, sese libidini, & impuritati dediderunt. Itaque pater optimus rationem iniuit, quemadmodū homines, quos magnitudine Regiæ dignitatis, & amplissimæ dignitatis exornat, terras intueri desinerēt, & supera, atque cælestia cogitarēt, vt ita possent, ipsius patris summi beneficio, in statum, vnde conciderant, cum amplificata dignitate restitui. Ad quod efficiendum nullum remedium conuenientius adhiberi potuit eo, quod Dei filius adhibuit. Cum enim homo fieri voluit, vt nos secum fœdere sempiterno coniungeret, eum pœnas nostris sceleribus debitas ipse luit, vt Diuino iudicio satisfaceret, cum pro omnium salute sanguinem profudit, vt omnes sacris sanctissimis expiaret; immensæ potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, probitatis monumenta constituit, quibus nos amore tantæ benignitatis incenderet, & studium iustitiæ acriter incitaret. Itaque nec audaces sumus, cum, Deum hominem factum fuisse, confitemur: in eo enim opere illius immensam potentiam, & infinitam clementiam admiramur: neque superbi, & insolētes; non enim salutem nostram meritis nostris, sed magnitudini immensæ illius benignitatis adscribimus; & simul dignitatem nostram, quā scimus esse sanguine Diuino constitutam, multo acrius, & diligentius nobis tuendam esse iudicamus. At, inquis, crucis species horrorem incutit, & homines a studio pietatis abducit. Non vides igitur, (o Philosophe) quantum sit in Christo numen, atque potentia? Nam, contra naturam crucis, Christi numine factū est, vt crux non exterreat homines, sed eos ad se acriter, atque vehementer alliciat. Qui fieri enim potuisset, vt humanum genus, cum natura ad voluptatem propensum sit, & dolores extimescat, repente voluptates aspernaretur, atque dolores contemneret, nisi illud vis Diuina ad tam præclarum facinus impulisset? Cernis, innumerabilem multitudinem virorum, mulierum, virginum, & puerorum pæne infantium

ad

ad Crucis societatem inflammatis animis adspirare, dolores contēni, cruciamenta negligi, sanguinē profundi, summamq. gloriā in cruciatibus summis constitui; & dubitas, quin tā Diuina cōstātia a Diuina virtute profluxerit? Quid enim eos ad Christum allexisset, nisi lex Diuina mentibus oblata, Diuinæque sapientiæ decreta, Diuini Spiritus afflatu, & impulsu percepta, cognita, & constituta? Nnm voluptates, vitæq. lenocinia, & blandimenta? At fateris, illis pro vitæ delicijs supplicia constitui. Num eloquentiæ admirabilis vis, & amplitudo? At tu eorum magistris hoc quasi probrum obiectas, quod fuerint infantes, & artium humanarum prorsus imperiti. Quid ergo aliud esse potuit, præter vim Diuinam, quæ animos cælesti luce completos ardore pietatis inflammauit, vt in doloribus summis summum virtutis præmium in hac vita collocarent? Qua eloquentia Plato, Græciæ vir sapientissimus, fuerit, eius monumenta declarant. Magnus præterea virtutis magister exstitit, incredibiliq. semper studio elaborauit, vt homines ad virtutem cupiditate verissimæ laudis incenderet. Athenis, cū nihil proficeret, relictis, Aegyptum, Sirenem, Siciliam, Italiam, vt inueniret, cui virtutem traderet, peragrauit. Si virtutis opinio valuisset, nemo fuit illis tēporibus virtutis opinione præstantior. Si eloquentiæ viribus insitæ penitus opiniones euelli potuissent, nemo fuit Athenis, (quæ ciuitas eloquentiam aluit, ad summumq. perduxit) qui Platonem eloquentia superaret. Præterea, non labores ingentes, & cruciamēta proponebat, sed homines ad virtutis studium virtutis ipsius illecebris inuitabat. Sed, quid tādem effecit? Quæ vitia sustulit? Quas libidinis fibras amputauit? Quam Remp. cum valde cuperet, moribus, & institutis recte constituit? Nullam prorsus. At nostri homines, barbari, & inculti, atque totius doctrinæ politioris ignari, mundum immutarunt, & a vitæ flagitijs ad studium religionis, atque pietatis, & iustitię traduxerunt, & homines innumerabiles tanto virtutis robore munierunt, vt, præ verissimæ dignitatis studio, mortem, & cruciatum contēnerent. Vnde colligitur, id tantum opus Diuinæ virtutis, atque sapientiæ præsidio perfectū, & absolutum fuisse. Libenter autem a Græcis audierim, cum multi homines, olim sapientiæ studio flagrantes, in decretis suis vitam beatā ponerent, num illorum quispiam pro decretis suis vitam in summum discrimen induxerit? num mortem, vt constantiæ testimonio disciplinæ suæ fidem confirmaret, oppetendam existimarit? num, vt alijs salutarem disciplinā traderet, cum vitæ periculo pestiferas opiniones ex animis euellendas susceperit? Nō certe. Aut enim id, quod sectæ tuendæ gratia disputabāt, minime sentiebant; aut infirmum sensum decretis suis adhibebant; aut hominum salutem ad se pertinere minime putabant. Si decreta sua minime vera credebant, fallaces; si infirmum assensum illis adhibebant, opinatores; si salutem hominum negligebant, inhumani, & nullo modo sapientes erant appellandi. Non enim fieri potest, vt aliqua virtutis, & honestatis pars a veræ sapientię studio seiungatur. Vbi igitur vel pro veritate mendacium, vel pro cōstātia fluxa fides, vel pro studio salutis communis immanitas in vita dominatur, ibi nullus omnino locus sapientiæ veræ relinquitur. Cum vero contra videris, innumerabiles homines pro Christi fide, sanctitate, religione, vitam in tormentis libenter abijcere, non tandem intelliges, eos, qui sapientiæ nomen captabant, insipientes fuisse; & eos, qui minime sapientiæ nomen arrogabant, Diuinæ sapientiæ compotes exstitisse? Vt enim opinionis imbecillitas, & incōstantia est vanitatis, & falsæ sapientię comes, ita constantia est semper cum sapiētia vera coniuncta. Ergo, cum nulla maior vmquam, non dicam in vllis gentibus, sed in illis etiā viris, qui summa ingenia ad exquisitā disciplinā contulerunt, constantia in fide retinēda perspecta fuerit ea, quā Christiani in cruciatibus retinebant, dubium esse poterit, quin illi soli sapientiam consecuti fuerint? Quod minime mirum est. Cælum enim semper spectabant; numinis opem noctes & dies implorabant; virtutis Diuinæ magnitudinem sibi ad imitandum proponebant; Christi meritis innixi, supra sidera sublimes efferebantur; Diuinæ mentis agitatione, beatorum regionem peragrabant; Diuinæ mentis speciem, quoad licet, & fas est, in hac vita, mentis oculis vsurpabant; amore tantæ pulchritudinis incensi ferebantur; colloquio Diuino iucundissime fruebantur; eamq. a Deo doctrinam capiebant, quam nullum humanum ingenium fuit vmquam flagranti studio consecutum. Ergo, cum eorum fides non esset hominum auctoritate nixa, sed Diuini Spiritus testimonio confirmata, mirum videri non debet, tantum esse nationis Christianæ robur, vt eam nemo possit de statu conuellere. Habet enim hoc omnis homo, qui semel sese ad Christi studium ardenter applicat, vt, quamuis cernat, omnes homines diuersam ab illo sententiam sequi, & omnibus ob eam caussam mortalibus, vt homo demens, & communis sensus ignarus, ludibrio sit, & illum cuncti, vt furiosum, & insanum, fustibus insequantur, ipse tamen constans, erectus, & excelsus, in omni rerum discrimine, & malorum omnium tempestate, permaneat. Ipse namque sibi veræ sapientiæ conscius erit, & reliquos homines temeritatis, & amentiæ condemnabit. At hoc, inquis, summæ temeritatis est, cum ab omnibus dissentias, tibi vni sapientiam insolenter assumere. Esset quidem, si ingenium suum omnibus ingenijs anteferret. Quod tantum abest, vt faciat, vt naturam suam contemnat, atque pro nihilo putet. Cum vero non iudicium suum, sed Diuinū testimonium hominum vagis, & errantibus opinionibus anteponat, sapientis hominis of-

Platonis laudes.

ficium facit. At Deus est, qui in Christianorum animis insidet; qui eorum mentes illustrat; qui Christo testimonium dat. Qui credit (inquit
1.Ioan.5.
Ioannes) in filium Dei, testimonium habet in semetipso. Hoc autem satis experimur, cum, expiati ab omnibus flagitijs, inflammati rerum cælestium cupiditate, longius extra corpus excurrimus, vt cum Deo animo soluto, atque libero colloquamur. Tunc igitur Diuina responsa percipimus; specie Diuinæ pulchritudinis incendimur; miroq. desiderio illius, & ardenti cupiditate flagramus; & lacrymas cũ admirabili iucunditate profundimus; &, admiratione etiã interdũ defixi, vehemẽter obstupescimus. Hoc igitur qui sentit, & percipit, & cũ maximo fructu sæpius experitur, qui voces Diuinas intra pectus accipit, qui Diuini spiritus ductũ, & imperium sequitur, qui ad firmam spem immortalis gloriæ Diuinæ mentis viribus excitatur; quo modo potest, aut hominũ errante iudicio commoueri, aut corporis doloribus a mentis statu demigrare? Ergo, si nemo sapiens est, nisi quem Deus erudit; & ipsi, quoties nos ipsos a corporis consuetudine seuocamus, vt Deũ puro animo contẽplemur, perfecte sentimus, nos cælesti disciplina diuinitus admoneti; nonne satis constat, eos solos esse sapiẽtes, qui Christi Crucem subierunt, & sese in illius studium, qui Cruce configi pro nobis voluit, ardenti animo contulerunt? Neque enim sumus verbis eloquẽtia humana ad persuadendum concinnatis impulsi, sed Spiritus Diuini vocibus incitati. Quocirca mirandum non est, ab ijs, qui Christum sequuntur, sperni voluptates, contemni dolores, vitæ commoda pro nihilo duci, eorumq. animos cupiditate Diuinitatis inflammari. Dei enim monitis, & institutis, in vita diriguntur; ope Diuina muniuntur; ad Deum sensu voluptatis admirabilis alliciuntur; & iccirco minime vllis hominum viribus, aut insidijs possunt a Dei cõiunctione diuelli. Quis nos, inquit Pau-
Rom. 8.
lus, poterit separare a caritate Christi? Num ærumnę, aut angustia, aut afflictio, aut fames aut nuditas, aut periculum, aut gladius? Quemadmodum scriptum est, Propter te quotidie mor-
Psal. 43.
ti tradimur, & quasi oues cædi destinatæ ad mortẽ ducimur. Sed in his omnibus victoriam consequimur ope illius, qui dilexit nos. Certus enim sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliquid aliud poterit nos separare a caritate Dei, quæ est Christi Iesu Domini nostri virtute cõfirmata. Hęc quidẽ Paulus non verbis tantũ, sed multo etiã clarius factis ostendit: idem reliqui omnes, qui vestigijs illius institere, fecerunt; similiq. virtutis constantia, dolores, & supplicia pertulerunt; & vsque ad extremum vitæ spiritum inuicto animo pugnauerunt; vt eam coronam adipiscerentur, quæ est omnibus, qui pro fidei sanctitate dimicarunt, in cælo proposita. Quemadmodum Paulus ipse dicit: Bonum certamẽ cer- 2. Tim. 4.
taui: cursum consummaui: fidem seruaui: quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex: nõ solum autem mihi, sed omnibus, qui diligunt aduentũ eius. Audis verissimæ sapientiæ vocem, Diuinæ constantię testimoniũ, virtutis robur inuictum; & dubitas, quin animus tam Diuinis opibus instructus possit a se omnes impetus hostiles reprimere? Quis autem hanc viri Diuini virtutem exaggerauit? Quis illius statum tam firmo præsidio muniuit? Quis animum illius tãtis opibus instruxit, vt eum nullæ vmquam tempestates conuellerẽt? Christi Crux est illa, quæ animos excelsos, & inuictos efficit, & cupiditate immortalitatis incẽdit. Nõ igitur Crux, vt dicebatis, exterret; sed allicit, & inuitat, studiumq. pietatis inflammat. Cũ sublatus fuero, inquit Christus, a terra, omnia trahã ad me ipsum. Christus igitur actus in Crucem, hunc ardorem in animis incitauit, vt multi Crucẽ omnibus opibus, & emolumentis, & voluptatibus longe prætulerint. Et, quo minus huius tanti miraculi rationem perspicitis, eo clarius apparet, hoc amoris incendium esse Diuinis viribus excitatum. At illud argumentum, quod sequitur, leuissimum est. Deus aut propter sapientes, aut propter insipientes naturam humanam assumpsit, vt mori pro omnibus posset. Sapientes autem omni miseria vacabant; insipientes erant pœnis, non muneribus, afficiendi: nulla igitur erat caussa, cur homo fieri vellet. Si ad hunc modum argumentari licet, sic etiam rationem concludam. Aut Deus propter sapientes mundum ædificauit, aut propter insipientes. Sapientes nulli natura, atque studio sunt: licet quidã falso sapientię nomẽ vsurpent: insipientes, digni supplicio sunt: nulla igitur caussa fuit, cur Deus mũdum construeret. Qui sic argumentatur, non videt, eam esse Diuinæ probitatis amplitudinem, vt omnibus cõsultum esse velit. Sol enim iustis, & iniustis exoritur; & pluuia e cælo demissa super omnes effunditur. Præterea, vt ex sanctis litteris didicimus, omnia Dei opera sunt ad electorum gloriam reuocanda. Electi vero sapientes sunt. Non erant illi quidem sapientes: neque enim sapiẽtiæ semen est natura terris ingenitũ, sed Dei gratia, & benignitate e cælo demissum. Eam igitur illi consequuntur, qui cælestia, atque Diuina ardenti fide suscipiunt. Electorum igitur caussa, nempe qui sapientes erant futuri, Deus homo fieri voluit. Atque, vt videas, quã iusta caussa huius tanti muneris exstiterit, caussam illã mundi gignendi, quã Platonis Timæus assignat, mecum recognosce. Quæramus, inquit, caussam, quæ impulerit eum, qui hæc omnia machinatus est, vt originem rerũ, & molitionem nouam quæreret. Probitate videlicet præstabat: Probus autem inuidet nemini. Itaq. omnia sibi similia generauit. Hæc nimirum gignendi mundi caussa iustissima. Et

hæc

hæc quidem Plato diuinitus. Non est enim Dei potentia in dubium reuocanda: non illius consilium inconsiderate, & temere perquirēdum: non aliæ rationes peruestigandæ. Hac vna caussa contenti simus, quæ in Dei probitate consistit. At Dei probitas, cum sit immensa, non potest vllo modo mundi huius molitione definiri. Ergo, cum neque potentia, neque probitas vllis terminis includatur; neque dubium sit, quin is possit, quæcumque velit; & velit omnia ad similitudinem sui perducere; quo modo verum est de opere illo dubitare, quod erat maxime ab infinita probitate postulandum? In omni igitur quæstione, quæ de rebus Diuinis habetur, cum de infinita potestate, & probitate dubitare minime liceat, id solum considerandū est, quam id, de quo agimus, aptum, & consentaneū Diuinæ probitati sit. Neque enim muneris amplitudo homines perturbare debet; immo potius accepti muneris fidem confirmare. Principē enim maximū maxima largiri decet; Deum vero diuina beneficia cōferre. Nō enim sunt fines infinitæ bonitati constituendi. At homines, cum Deū ex natura sua fingant, & iccirco potentiā illius angustis sane finibus circumscribant, & probitatem ingenio suo metiantur, fit, vt de potentia Diuina sæpe dubitēt, fidemq. multis operibus Diuinis, propter admirandum immensæ probitatis exemplum, nequaquā adhibeant. Hinc omnes opiniones pestiferæ, quas hominum perditorum vita recepit, ortum habuere. Aut enim homines de potentia, aut de probitate Diuina dubitant. Quasi vero, quāta Dei potentia, atque probitas in mundi fabricatione constiterit, ingenio consequantur; aut non eo magis perspici possit opus Diuinū esse, quo maius, & magis admirandum exstiterit, lōgiusq. humani ingenij facultatem superauerit. Infinitæ namque probitatis est, immensum, & infinitum beneficium conferre; & se cum illis, quibus salutem dare vult, largitate infinita communicari. His igitur argumentis Græcorum magna ex parte dilutis, restat, vt videamus, quam conueniens, & aptum fuerit Diuinę probitati id, quod Christiana religio confitetur. In primis vero statuendum est, Deum aliter ea, quæ mente, & ratione carent; aliter ea, quæ sunt ratione prædita, lege deuinxisse. Ea enim, quæ minime arbitrij sui sunt, ita mouentur, vt numquam sibi impositam legem transiliant. Nec enim cælum motum, & conuersionem suam certis temporibus intermittit; neque sidera suo loco migrant; neque mare terras fluctibus obruit; neque tellus herbas, & fruges effundere desistit; neque aliquid denique aliud, quod arbitrio suo careat, secus quidquam gerit, quam est illi a principio Dei lege, & imperio constitutum. At illis formis, atque naturis, quæ rationis, & consilij participes sunt, ita leges dedit, vt eis, vtrum vellent, liberum relinqueret. Poterat enim Angelus, & potest quilibet homo, vel legi parere, vel legem transgredi; & ita vel præmia iustitiæ consequi, vel iniuriæ pœnis obligari. Secus enim nulla Diuini iudicij ratio constaret. Ea enim, quæ naturam necessario consequuntur, neque laude, neque vituperio digna sunt. Præterea, hoc est Dei bonitati propositum, vt nos sui similes efficiat. Hoc fieri non potest, nisi Diuinis virtutibus excolamur: virtus autem non est, quæ non sponte suscipitur. Itaque fit, vt, vbi voluntas libera non est, neque virtus exstare possit, neque vlla spes Diuini status assequendi relinquatur. Cum igitur homines non cogendi, & ad officium compellendi, sed modis omnibus inuitādi, & alliciendi fuerint; quæro, quæ ratio cōmodior ad voluntates alliciendas, & ad studium virtutis excitandum excogitari potuerit ea, quam clementissimus ille Dominus, & parens optimus, cum humanam naturam secum ita coniunxit, vt homo fieret, admirabili consilio consecutus est? Nulla prorsus. Quid est enim amore ad voluntates excitandas efficacius? Quid autem est ad excitandum amorem vehementius vera pulchritudine, in oculis, & adspectu proposita? Quæ autē alia veræ pulchritudinis ratio animo fingi potest, præter eam, quę Diuinæ benignitatis splēdore, & magnificentia continetur? Quid autem magis Diuinam benignitatem in animis hominū defigere potuit, quam illud admirandum probitatis exemplum, quo Dominus pro seruis, innocens pro maleficis, Deus pro impuris hominibus, mortem, & cruciatum expetiuit? An est aliquid virtute pulchrius, & amabilius? An aliqua virtus illustrior ea, qua Princeps sese pro suorum salute ad mortem offert? Nō profecto. Agraulos, Pandionis filia, quod se exitio, patriæ amore, deuouerit, honoribus Diuinis affecta fuit. Codrum similiter iidem Athenienses miris in cælum laudibus extulerunt. Decij apud Romanos tantæ admirationi fuere, vt eorum nomen immortalitati consecratum sit. Est enim hoc animis omnium hominum penitus insculptum, vt eos, qui vitam pro Reip. salute in summum discrimen inducunt, Diuinos existiment. Plato eos, qui pro patria fortiter dimicantes occumbunt, heroes haberi, eisq. honores prope Diuinos institui iubet. Aristoteles hanc vnam virtutem reliquis omniū virtutum laudibus anteponit. Hanc multi Philosophi laudibus plane Diuinis afficiunt: hanc homines eloquentissimi tantis ornamentis illustrandam existimarunt, vt omnem dicendi vim in ea celebranda, & exornanda consumerent. Vt autem hominum excellentium testimonia, integræq. naturæ iudicium relinquamus, ipsum rerum omniū Dominum legimus in sanctis litteris hac vna virtutis ratione sæpe placatum fuisse. Cum enim Hebræos delere statuisset, & Moses se medium interposuisset, vt pœnas populo debitas ipse pro omnibus, si ita opus esset, animo libente sustineret, ipse Deus sese a cæde continuit, & multitudini clementer

Vitam pro Rep. spernētes, Diuini habentur.

ignouit. Apud nonnullos Prophetas conqueritur, quod nullus in Hebræorum multitudine reperiri posset, qui promptus, atque paratus esset ad corpus suum pro omnium salute, cum Diuinum iudicium immineret, opponendum. Hæc igitur virtus non solum apud homines semper illustris, & ampla fuit; verum & Diuino testimonio sic comprobata, vt in ea demũ, quasi in quodam sacrificio magnificentissimo, atque gratissimo, singularis sanctitas, summaq. placandi numinis ratio constituta videatur. Si hæc igitur heroicæ virtutis officia summa sunt, si gloriosa, si prædicanda, si vehementer amabilia, si, cum a ciue conferuntur, admiranda, si, cum a ciuitatis principe suscipiuntur, Diuina; quid erit existimandum, cum summus rerum omnium conditor pro hominibus, quos in se ingratos, & sceleratos expertus fuerat, terras inuisere, humanam formam induere, seque ad sacrificium pro omnibus offerre constituit, vt Patris numen eis propitium redderet, illosque, iam morti sempiternæ destinatos, in vitam sempiternam reuocaret? Hæc immensa Dei benignitas animaduersa, non amoris incendium concitabit? Non animos ardore pietatis inflammabit? Non omnia vitæ discrimina libẽter adire compellet? Quid, quod Dei filius Crucis supplicio non modo immensæ caritatis officio perfunctus fuit, verum & singulare iustitiæ munus exsecutus est? Sic enim Deus clementiam tuetur, vt iustitiæ simul partes singulari ratione suscipiat: iustitiæ autem ratio flagitabat, vt iuris Diuini, hominum scelere violati, æquabilis compensatio fieret. Nulla autem vis erat in terris, quæ violati numinis iniuriam compensaret. At sine debita offensæ satisfactione, Diuini iuris ratio minime patiebatur, vt genus humanum, omni scelere contaminatum, quod maiestatẽ Diuinam offenderat, in gratiam a Deo reciperetur. Fuit igitur commodum, vt humana natura Diuinæ coniuncta adeo locuples fieret, vt abunde patri pro sceleribus humanis satisfaceret. Hoc igitur Christus a natura Diuina sumpsit, vt corpus illius sanctum, innocens, nulla omnino peccati contagione maculatum, vim infinitam possideret, qua posset debitum, quo eramus omnes obstricti, dissoluere. Quod non

Psal. 68. rapui, inquit ille, exsoluebam. At, inquis, iustum non est, vt innocens pro nocentibus pœnas luat. Quid? si quispiam sponte sua, cum cernit hominem addictum a creditore trahi, pro illo pecuniam soluit? Non est æquum, vt is, qui erat alieno ære vehementer obstrictus, aliena pecunia liberetur? Cum igitur Dei filius, qui solus nos redimere poterat, pro nobis sponte sua debitum soluit; non ne vides iure factum esse, vt nos illius sanguine in libertatem vindicaremur? At, indignum, inquis, est Dei clementia, & æquitate, innocentis supplicio delectari. Non supplicio delectatur, o Philosophe, sed virtute, beneficentia, & caritate, qua supplicium pro omnium salute contemnitur. Et interim hic summus iustitiæ Magister eadem opera Diuinæ caritatis, atque iustitiæ mirabile nobis exemplum proposuit. Caritatis quidem, cum sic statuit, vt filius pro omnibus mortem oppeteret, & supplicia acerbissima pateretur; iustitię vero, cum nos in gratiã recipere noluit, nisi prius idem filius debitum, quo eramus obstricti, dissolueret. Qui nobis filij vnici sanguinem largitus est, quid ad salutem necessariũ denegabit? Qui proprio filio, vt Paulus inquit, nõ Rom. 8.
pepercit, sed ab illo pœnas nostri sceleris expetiuit, quæ tandem supplicia nostris sceleribus, si fuerimus in tantum beneficium, & munus ingrati, constituet? Christus igitur, Crucis supplicio, simul & amorem probitatis excitauit; & metum iudicij seuerissimi animis nostris obiecit. Et, cum ad spem simul erigendi, & metu coercendi simus, rei vtriusque salutarem disciplinam sanxit. Quis enim non speret sibi adscensum in cælum datum iri, cum cernat, salutem, & dignitatem suam fuisse Christi Dei filij sanguine constitutam? Quis rursus non Diuini iudicij seueritatem pertimescat, cum eundem Dei filium pro alieno scelere tantis pœnis excruciatum adspiciat? Præterea ille Princeps optimus habendus est, qui leges, quas sanxit, operibus comprobat, moresq. suos in publico suis ad imitandum proponit. Omnes enim, Principum mores, & instituta sequuntur. Princeps autem nobis summus, atque sempiternus ipse Deus est. Veteris autem Philosophiæ præceptũ illud memoratur, quod est e sanctis litteris sumptum, Deum sequere. Itaque, vt etiam sapientia Græca tradit, Deus nobis summa vigilantia, & alacritate sequendus erat. Quo modo autem illum sequi, & imitari poteramus, cum a nobis videri non posset? Ex naturæ, inquis, operibus agnosci poterat. Recte mones.

Principum mores omnes sequuntur.

Sed illud etiam velim adijcias quo tandem modo illum imitari debeo. Iubes ne, vt ipse cælum aliud, atque terram aliam, & animantia, atque sidera faciam? Non, inquis: Sed virtutem imitare. Eam igitur virtutem, quam imitari percupio, propius intueri volo. Aliter enim, quæ virtutis ratio illi cordi sit, explicare non satis potero. Ne id igitur homines desiderarẽt, fuit immensæ Dei benignitati, & sapientiæ consentaneum, vt Deus sub humana forma se ad homines docendos daret; vt non solum oratione iustitiæ displinam traderet; verum sanctissima vita, & factis egregijs, quid Deo gratissimum esset, ostenderet. Erat Deus superbia grauiter offensus: humilitate igitur, & moderatione explicandum fuit, quantum Deo sapiens animi demissio, atque moderatio placeret. Vitæ sordes, & impuritates, effrenatæq. libidines iram numinis incitabant: congruũ igitur fuit, vt Dei filius exemplo suo castimoniam corporis, & mẽtis integritatem sanciret. Crudelitas, & immanitas cum Dei clementia bellum omni odio imbutũ gerebat: fuit igitur necessariũ, vt

is in

is in oculis hominum omnia studia vitæ ad beneficentiam conferret; vsque adeo, vt etiã pro hostibus oraret. Erat voluntas nostra a Dei voluntate penitus auersa. fuit igitur opus, vt, illius exemplo, qui dicebat, Non mea voluntas, sed tua fiat, videremus, omnes actiones, & cogitationes esse ad Dei voluntatẽ conferendas. Mentis effrenatæ rebellio, qua homines Dei imperium nefarie detrectabant, Deum ab hominibus tuendis, & conseruandis auertebat: ideo consentaneũ fuit, vt Christus obedientia sua numen Patris nobis iratum placaret; & illis, qui deinceps illius iussis obedirent, caussam salutis afferret. Et, quia summa obedientia non in delicijs, & vitæ iucunditate, quam sponte nostra suscipimus, sed in laboribus, atque doloribus, a quibus natura refugimus, aperte declaratur; commodum fuit, vt is, cuius obedientia nostræ rebellionis, & cõtumaciæ scelus erat expiandũ, fieret obediens vsque ad mortẽ, & non ad quoduis mortis genus, sed ad id, quo nullũ erat detestabilius, nempe ad Crucis suppliciũ. Cernis iam animo, quantas Diuinæ sapientiæ opes in se Crucis huius disciplina cõtineat: cernis cõpressam, & edomitam libidinẽ, & insolẽtiam; temeritatẽ, & audaciam profligatã; opes immensas benignitatis, iustitiæ, obedientiæ explicatas; homines in ardentissimũ studiũ ipsius incitatos; & tamẽ hæres, & dubitas, neque Crucis vim, atque cæleste numen amplecteris? Adde nunc patientiæ robur, quod reliquas virtutes præsidio Diuino confirmat. Frustra namque bellum contra vitiorum labes, & impuritates, suscipimus, si in medio certamine, aut oblata voluptate liquefacti, aut dolore victi, rectũ, & confirmatum sensum deponimus. Patientia igitur nobis opus est, quæ statum animi fulcit, & coronam stabilem, atque sempiternam consequitur. Non satis igitur fuit Christo, ludibria, conuicia, maledicta sustinere; nisi etiam, vt nos exemplo suo confirmaret, acerbissimos cruciatus admirabili quadam patientia toleraret. Vt enim Petrus ait, cum maledictis vexaretur, nemini maledicebat; cum tormentis afficeretur, nemini minas proponebat. Si igitur Deus sequendus erat; si Deum sequi minime licebat, nisi videretur; si videri non poterat, nisi homo fieret; vt homines non verbis tantum, sed exemplis in verissimæ virtutis studium incitaret; quid potuit ad hominum salutem vtilius, & prouidentius fieri, quam ipsum Dei filium intueri pro hominum salute confixum maledictis, concisum vulneribus, excruciatum doloribus, inuictaq. patientia hæc omnia perferentem, vt non modo pœnas pro nobis lueret, verum & nostros animos Diuinæ virtutis exemplo, & inuicta patientia confirmaret? Quid est igitur, quod Philosophum conturbare possit, si de potentia Diuina non ambigit, si Dei probitatem nullis finibus arceri confitetur? Si nullum beneficium fuit magis immensæ probitati consentaneum; quid relinquitur, quod hominum fidem impedire possit, quo minus salutẽ suam animo grato, atque memore cõplectatur? Neque enim Dei naturã dicimus dolore affectã, neque immutatã, neque maiestatem illius imminutam asserimus. Quidquid enim molitur, & efficit, sine mutatione efficit: non enim tactu, sed immensa virtute, opera sua conficit. In Christo quidem latebat, sed naturam vniuersam numine suo continebat; &, cum homo pateretur, illum nullus dolor attingebat; sed tantum sub hominis veri forma, & specie humani generis salutem cõstituebat. Admiraris, quod homo fieri vellet? Admirari desine. Infinitæ namque probitatis est, mentes sibi infinita ratione deuincire. Quod pro omnibus pati secundum hominis naturam voluerit? At id eiusdem immensæ probitatis est, commodorum suorum obliuisci, vt aliorum commodis, atque saluti prospiciat. Nihil reliqui est, quod homines conturbet, nisi muneris amplitudo. Quasi sit, quod magis immensæ probitati conueniens sit, vt iam diximus, quam immensum, & infinitum munus, & inexplicabile munus beneficium. Ne autem plura persequar, in Cruce pater ille summus sapiẽtiæ summæ disciplinam constituit. Hoc enim effari videtur: O miseri mortales, quos voluntatis vestræ studium mentis lumine priuat, & in miseriæ sempiternæ regionem præcipites exturbat, pestem nefariam fugite; & cladem, quæ vobis impendet, arcete: quod vt facere possitis, meam disciplinam auribus, & ratione percipite. Et, quia omnes insidiæ vestris animis ab immoderatione vestræ voluntatis, atque libidinis intenduntur, vt benignitate mea frui possitis, voluntatem vestrã, quæ vobis perniciẽ machinatur, summo studio cõprimite, & meæ voluntati, quæ vestram salutem tuetur, diligenter obtemperate. Quid autem est, quod a vobis expeto? Quod vobis tributum impero? Quod munus? Vt salui, & ornati sitis, efflagito? Vt numquam a volũtate mea discedatis: quam vt intueri possitis, eam vobis in summa proponam. Omnia, quæ naturæ operibus edocui, quæ lege sanxi, quæ per prophetas explicui, in Cruce, in quam filius meus dilectus, vt humanam salutem constitueret, agi sustinuit, perfecte consistunt. In ea enim Cruce, quæ mũdo salutem peperit, omnem verissimæ sapientiæ rationem, firma vitæ vestræ præsidia, summa dignitatis ornamenta fixi, locaui, constitui, & illius opera voluntatis meæ fructum patefeci. Si vultis igitur, quid velim, quid exigam, quid præscribam, in summa comprehendere; hoc tantum volo, vt in Christum Cruci pro vobis affixum respiciatis, & nullum clarius studium sapientiæ requiratis. Qui enim voluntatis suæ temeritatem compresserit; qui cupiditatibus suis crucem defixerit; qui, commodorum suorum oblitus, omnia studia vitæ in vtilitatem humanam contulerit; qui pro omnium salute vitam vel abiecerit, vel in discrimen

1. Pet. 2.

Christi ad mortales oratio.

men induxerit; qui labores, & dolores pro sanctitate iustitiæ susceptos patienter, & mansuete tolerauerit; qui denique sese totum ad filij mei carissimi imitationem contulerit, is voluntatem meam sequetur, & mihi gratus, & acceptus erit, & in filijs meis annumerabitur. Et hæc quidem Deum dicere cogitemus, & alia plura, quæ explicare non possumus. Quod si sapientia Dei notitiam continet, Christi crux nobis Dei notitiam multo clarius, quam vmquã tradita fuerat, explanauit. Dei namque probitatem, immensam sapientiam, iustitiam, vim infinitam sempiterni numinis exposuit: per eã enim ex ignominia decoris amplitudo, ex doloribus voluptatis sempiternæ iucunditas, ex morte vitæ Diuinæ admirabilis splendor eluxit.

Psal. 18.

Cæli quidem enarrant gloriam Dei: sed opera cælestia tantas vires non habuerunt, vt hominum mentes ab impietate ad pietatem conuerterent. Magnum fuit beneficium in lege Diuinitus promulgata generi humano concessum: sed lex non tantum habuit momenti, vt animos flagitijs, atque sceleribus obligatos e vitiorum vinculis expediret. At hoc maximũ omnium beneficium, cum amoris Diuini multo clarius argumentum contineret, tantas vires habuit, vt terras vniuersas immutaret. Verba enim deficiunt, ingenium obruitur, mens obstupescit, quoties intelligit, Dei filium pro hominibus, hostili odio ab illius religione dissidentibus, mortem, & cruciatum libentissime pertulisse. Itaque homines, qui Diuini Spiritus appulsu hanc tantam vim benignitatis animo considerabant, amore non sæuo, sed iucundissimo saucij, extra se rapiebantur; cupiditate gloriæ immortalis incensi ferebantur; ignis eos intus exurebat, & ad actiones præclaras acriter, atque vehementer incitabat; tantaq. erat amoris vis, vt nihil ardentius cuperet, quam vitam in tormentis abijcere. Quod certe fieri ab illis minime potuisset, nisi mentes eorum, lumine Diuinæ mentis illustratæ, id vidissent, cuius tam amabilis species esset, vt mori millies valde expetendum iudicarent, dum eum statũ assequerentur, in quo possent iucunditate illa sempiterna potiri. Videbant igitur animis, & iam sentiebant, & contemplabantur aliquid, in cuius fructu vita beata consistit: aliter enim numquam se in tam multos labores, & tanta vitæ pericula, tam ardẽtibus animis intulissent, Sed a Græcis philosophis interim quæram, nũ opinarentur, Deos inter se dissidere, alios alijs insidias moliri, & acerbissimis odijs decertare? Negabunt. Num adulterijs, & nefanda libidine contaminari? Id etiam nimis absurdum, & impium esse fatebuntur. Num Api, Aegyptiorum boui, quem illi Deum habebant sanctissimum, aut Anubi, aut Serpenti, aut Crocodilo, Diuinitatem tribuendam censuerint? Neque hoc quidem ferendum esse dicent, vt monstris sacra sollemnia fiant. Rursus interrogabo, quo modo, cum id recte sensissent, non omnem operam posuerint, vt suis ciuibus errorem adeo pestiferũ detraherent? Aut enim credebant, Deos esse flagitijs infames; aut parum interesse, qualis de mente Diuina opinio haberetur, iudicabant; aut verum profiteri, ne in multitudinis offensionem inciderent, non audebant. Si Deos esse credebant turpissimis vitijs inquinatos, erant scelestissimi; si parum, qualibus opinionibus esset instituta religio, ad vitam rectissimis institutis moderandam, referre, credebant, amentissimi; si vero ciues suos ab errore reuocare non audebãt, ignauissimi. Si igitur neque scelus, neque amentia, neque timiditas cum sapientia simul habitare potest; & eos constat, aut impios, aut amentes, aut valde timidos extitisse; colligitur certe, eos nullum sapientiæ gradum fuisse consecutos. Sapientiæ namque munus est, hominum vitæ consulere. Vita vero, cum homines de Deo male sentiunt, & illi vitia temere, & impudenter affingunt, constitui recte non potest. Qui enim Deum adulterum credit, continens esse non poterit; qui parricidam, pietatem violabit; qui ebrium, vino se libenter ingurgitabit; qui postremo belluam immanem, paullatim efferabitur. Hic tu, Philosophe, quam rem geris? Quo studio, & alacritate huic tanto malo resistis? Quo genere orationis homines furentes ab errore mentis abducis? Non audeo, inquis. Tibi veniam tribuo. Scio enim, non in te tãtum roboris inesse, vt tibi hoc onus imponi merito debeat. Illud tamen, quod æquum est, a te iure flagito, vt eorum virtutem admireris, qui id, quod tu, tam præclaris artibus instructus, tanta eloquentia præditus, tam multis patriæ meritis obligatus, numquam facere ausus fuisti, cum non essent artibus istis imbuti, aut vllis humanæ eloquentiæ opibus ornati, summa alacritate susceperunt; neque a præclarissimo conatu destiterunt, donec tam præclarum facinus ad exitum perducerent. Et, quo maior est metus ille, qui te a tam honesto munere deterruit, eo virtus eorum magis admiranda perspicitur, quos nullæ fraudes, & insidiæ, nulla tyrannorum feritas, & truculentia, nulli dolores, & cruciatus impedire potuerunt, quo minus feritates omnes impurissimæ religionis expellerent, Iouem de solio detrusum; Venerem honore deiectam; Liberum, Mercurium, Cererem, Aesculapium, & reliquos falsos Deos in exsilium pulsos; Apim, Anubim, Osirim, Astartem, & omnia denique numina commenticia perculsa, & profligata consideras; & dubitas, quin hoc tam pulchrum facinus virtute Diuina perfectum, & absolutum sit? At ea virtus Crucis doctrina continetur. Virtus autem Diuina a sapientia Diuina disiungi non potest. Diuina igitur sapientia in Cruce, quam tu stultitia condemnas, inesse perspicitur. Sapientiam (inquit Paulus) loquimur inter perfectos: sapientiam non huius mundi, neque principum huius mundi, qui funditus euertuntur. Alibi ve- 1. Cor. 2.

ro,

2.Cor.10. ro, Arma, inquit, militiæ nostræ nō humana, sed Diuina sunt, Diuino robore, atq. potētia firmata, ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem altitudinē, quæ extollitur aduersus cogitationem Dei. Tū illud etiā præclarisſime dictum: Vbi ſapiens? Vbi ſcriba? Vbi inquiſitor huius ſæculi? Non ne ſtultā fecit Deus ſapientiam huius mundi? Hæc quidē Paulus, qui quidē, animaduerte, quibus armis ſapiētiam mūdi funditus euerterit; quo animo tantum facinus aggreſſus ſit; quanta virtute confecerit; quanta felicitate veræ ſapientiæ diſciplinam tradiderit; & non clariora Diuinæ virtutis argumenta flagitabis. Sed nimirum illud eſt, Euangelium eſſe abſtruſum, atq. recōditum illis, quos hoſtis humani generis exæcauit. Nā, ſi hoc non eſſet, quid clarius eſſe poſſet? Si enim Dei potentia eſt infinita; ſi probitas immenſa; ſi bonitatis ſummæ proprium eſt, ſumma cū mentibus, quę aliter ſtabiliri nō poſſunt, coniunctio; ſi genus humanum erat e ſempiternis miſerijs eripiendū; ſi iniuria Diuinæ maieſtati facta excellenti virtutis infinitæ merito compenſanda; ſi amor erat excitandus; ſi metus incutiēdus; ſi documenta patientiæ, & virtutis admirādæ ſtatuenda; ſi hæc omnia fieri commode non poterant, niſi Dei filius ſub humana forma, atq. natura nos ad diſciplinā cæleſtem erudiret, ſanguineq. ſuo animos noſtros expiaret; quid euidentius Chriſtiana fide poteſt eſſe; maxime vero, cum omnia bona, quibus fruimur, fuiſſent olim a Deo promiſſa, atq. fœdere ſanctiſsimo confirmata? Vt ita ſit, inquiet aliquis, indignū erat, vt communis ſalutis auctor nullum fructum ex opere tam præclaro perciperet. Nullū, inquis? Immo id nomen, ſecundum humanæ naturæ rationem, mortis ipſius meritis, atque ſacrificij religione, & ſanctitate, conſecutus eſt, quo nullum clarius, illuſtrius, mirabilius, & ſalutarius concipi mente, atq. ratione poteſt. Nemo enim vmquā reliquis beneficus, & ſalutaris extitit, qui non eo ſtudio dignitati ſuæ valde conſuleret, quod in Chriſto maxime cerni potuit. Ius enim, atq. ſempiternum imperium adminiſtrat; cęlum, & terram poteſtate infinita cōplectitur: illum enim cælites admirātur; homines iuſti nu-

Philip.2. men illius venerantur; iudiciū illius inferi pertimeſcunt; omniumq. genua (vt Paulus ait) illi flectuntur. Ita namq. gloria ſempiterna circumfluit, vt illi cuncti boni ſupplicent, & illius iuſsis omnes exercitus cæleſtes obtēperent. Decebat

Hebr.2. (inquit Paulus) eū, per quem omnia, & propter quē omnia, cum multos filios gloria cumulare ſtatuiſſet, auctorē ſalutis eorū, cruciatibus perfectam nominis gloriam adipiſci. Ex hac Pauli ſententia intelligimus, Chriſtum morte illa clariſsima decus, & nomen, & gloriam, & imperiū, & regnū Diuinum, atque ſempiternum conſecutum, ad dexteram patris locatum, cælum regere, atq. moderari, & beatas mentes luminis ſui ſplendore, atq. numine colluſtrare. Ma-

1.Tim.3. gnum (inquit Paulus) eſt pietatis myſterium: Deus manifeſte apparuit in carne. Quis hoc autem optare auderet, vt ocullis pręcellentiſsimū illud numē in humana ſpecie latēs adſpiceret? Illius tamen potentia, atque ſapientia factum eſt, vt verus Deus, verus homo fieret; & ita naturam humanam ad perſonæ vnitatem aſſumeret, vt nihil eſſet omnino de maieſtate deminutum; ſed mundum etiam, in vtero ſanctiſsimæ Virginis incluſus, imperio coerceret. Sequitur deinde: Teſtimoniū iuſtitiæ cōſecutus eſt a ſpiritu. Dei enim ſpiritu dæmones eiiciebat; morbos corporum, & animorum depellebat; mortuos in vitam excitabat; & inſitum numen operibus admirandis indicabat. Ait deinde: Apparuit Angelis. Quid hoc eſt? Angeli, qui ſemper faciem patris intuentur, non ſimul & filium adſpiciunt? Adſpiciunt certe. Sed noua illa forma Diuinitus aſſumpta, nouā illis materiam admirationis, atq. ſapientiæ multiplicis præbuit; &, de integro Dei potentiā, atque ſapientiam admirati, illi debitam gloriā tribuerunt, & nouis laudibus, & cātibus numen illius celebrarunt. Nūquam ſuſpicati fortaſſe fuerant, fieri poſſe, vt numen infinitū ita ſecum naturā humanam ad remediū humani generis copularet, vt, vtraq. natura integra permanente, vna tantū perſona cōſiſteret. Apparuit igitur multo clarius Angelis Dei immenſa benignitas, qua quidē fuere nō uo quodam lumine colluſtrati, & ingenti gaudio cumulati. Ait deinde, Prædicatum eſt gentibus. Et hoc quantū extitit Diuinæ virtutis argumentum. Homines obſcuros, ignobiles, imperitos, tantum facinus ſuſcepiſſe, vt gentibus feris, immanibus, flagitioſis, a cultu veriſsimę pietatis abhorrētibus, diſciplinam traderent moribus, & inſtitutis aduerſariam, & libidinē, cui erant penitus addictæ, ſeueriſsime comprimentē, & ea docētem, quæ neq. ſenſibus, neq. ratione, ne que mente comprehendi, & percipi poterant. Quā feliciter vero illis id reciderit; quod ſequitur, plane demonſtrat. Creditus eſt mūdo. Quāuis Dei teſtimonia per ſe valde credibilia ſint; cū tamen mundus in tenebris, & caligine verſetur, & nihil credere velit, niſi id tantum, quod ſub ſenſus cadit; & præterea, propter mentis anguſtias, & ingenij tarditatem, & diuturnā flagitiorum, & ſcelerum conſuetudinem, nihil ad aures velit admittere, niſi illud tantū, quod voluptatem efficit; in maximi miraculi loco ponendum eſt, mūdum credere, Deum in humana forma latuiſſe, vt humanam libidinē, & cupiditatem, & inſolentiam profligaret? Adiungit poſtremo, Aſſumptus eſt in gloria. Qui fuit a militibus per ludum, & iocum, ſpinis, & ſentibus coronatus; qui fuit verberibus crudeliſsime cæſus; qui, præter dolores ſummos, infanda conuicia, & maledicta pertulit; qui deriſus, contumeliis affectus, omniūq. deſpicatiſsimus in cruce fuit; is euectus in cælū, de morte, de tenebris, de peccati tyrānide, de aduerſarij poteſtatibus clariſſimum triumphum duxit, &, coronā glorię ſempiternæ conſecutus, Regnū cæleſte legibus ſancti-

Ibidem. (beside "deinde: Teſtimoniū iuſtitiæ")

Ibidem (beside "dio cumulati. Ait deinde, Prædicatum")

Ibidem. (beside "rant. Quā feliciter")

ctißimis administrat. Illum cælites intuentur; illi seruiunt; illius laudes perpetuo canunt; neq. tamē minimam gloriæ illius partem cantibus, & oratione consequuntur. Illius benignitatem in terris experimur; neque tamen multitudinē donorum, & munerum enumerando percensemus. Numen illius hostes sempiterni vehementer exhorrent; neque vllo in loco a metu, & trepidatione conquiescunt. Itaq. virtute inuictus caritate beneficus, opibus Diuinis ornatus, cælū gaudio cumulat; & terras numinis sui gloria complet; inferas regiones exterret; suos beneficiis innumerabilibus auget; inimicos, qui in scelere contumaciam adhibēt, acri iudicio peruertit. Hæc omnia, cum ita perspicua sint, vt negari non possint, quis tā hebeti ingenio est, & tam angusta mente præditus, vt iis argumētis Christi numē exstare, & eminere nō videat? Nō Crucis vim, & efficientiam admiretur? Non, robore illius innixus, ad immortalitatem enitatur? Et tamen erit quisquam, qui non ideo credere velit, quia rationes Diuinæ virtutis explorare nō queat? An aliam rationem potiorem ea, quæ potentia, atq. probitate immēsa, & infinita continetur, exquirendam existimat? Venit ne tibi in mentē, admirari genus insecti, corpore quidem perpusillum, genere vitæ, & instituti ratione vehementer admirandum? Apes enim, rem acute considerantibus ingētem admirationē merito commouebunt. Quanta enim sollertia fauos efficiunt? Quam singulari artificio cellas distendunt? Quanta sedulitate mella colligunt? Quis commemorare poterit illam Reip. societatē? Illā publici muneris consensionē? Illam erga Reges suos fidē? Illam in repellendis fucis acrimoniam? Adde nunc ipsius operis, & industriæ fructum. Est ne aliquid in vita melle dulcius, atque ad multa mala depellenda salutarius? Quid, cū mellis dulcedinem percipis, credis, illius suauitatem insecto, paullo musca grandiori, deberi? Credo, inquies. Quare? Quia id oculis perspicis, & reliquis etiam sensibus vsurpas. Ergo, si apes, & aluearia apud nos minime fuissent, & tā suauis liquor esset ex vltimis orientis solis regionibus allatus, & id tibi, quod nūc oculis cernis, aliquis enuntiaret, fidē certe non haberes. Cur ita tandē? Quia vim, & caussā tā miræ suauitatis in tā pusillis animātibus inclusā perspicere nullo modo mēte, & cogitatione valeres; & sensibus id, quod esset a sensibus amotū, iudicare non posses. Ergo, si fidem sensibus tantum habendam censes, Philosophiam desere; quæ hoc secum deliberatum habet, vt sensus fallaces existimet, rationemq. tantum in vita sequatur. Ergo, quidquid a sensu fuerit remotum, quod ratio nō possit exacte percipere, pereat concidat, opus est, & ex omni natura penitus exterminetur. Quæro enim, num inclusam illam vim, quæ ex terris viriditatem elicit, quæ herbas fruges & arbores ex gremio ipsius telluris effundit, & flores, & fructus, atque semina gignit, oculis vmquam perspexisti? Num, cum animantium varietatem, multitudinem, sollertiam, vsum, & sobolis propagationem animaduertisses, vim, qua viuunt, & sentiunt, & varie commouentur, exploratam, & cognitam penitus habuisti? Num corporum simplicium, e quibus omnia, quæ cæli ambitu continentur, effecta sunt, perennem, & continuatam motionē, & vicissitudinem, qua vltro citroq. commeāt, & alia in aliorum naturam conuertuntur, cogitatione comprehendisti? Num nodum, quo omnia inter se constricta sunt, ita, vt, quamuis diuersa, & dissimilia natura sint, miro fœdere coniungantur, mente, & ratione complexus es? Quid cæli naturam tanto splendore collucentem, tam claris sideribus exornatam, tam singulari artificio perpolitam, oratione referam? Quid orbium cælestium cursus varios, atque dissimiles, rata tamen, & stabili proportione colligatos? Qui modi sunt illi, qui ex maximis interuallis, pro rata tamen portione distinctis, iucundissimos naturæ concentus efficiūt? Narra, si potes, quæ vis illa sit, quæ ima summis, media extremis eo vinculo deuinxit, vt omnia inter se pacem, & amicitiam inuiolato fœdere conseruarent. Hæc quidem adspicis oculis: vim tamen, modum, legem, & rationem, qua mouentur, neque sensibus vsurpas, neque ratione consequeris. Et tamen, cum ne minimarum quidem rerum caussam teneas, tam intoleranda superbia duceris, vt, quidquid non intelligis, in dubium voces; ita, vt ne Deo quidem, qui est veritas sempiterna, fidem adiungas? At hæc omnia, quæ nunc oratione perstrinximus, infima sunt, & extrema Diuini numinis opera, neque in aliquo numero habenda, si cū alijs operibus Diuinis conferantur. Neque philosophiæ quidem munus in his operibus considerandis insistit. Alia namque sibi multo ampliora proponit. Corporea siquidem sunt omnia, & natura dissolubilia, quę intuemur oculis: at sapientiæ studium incorporea, atque sempiterna requirit. Neque solum in animorum peruestigatione studium ponendū censet, sed multo etiam magis in illorum parente, & altore cōsiderando, summaq. sanctitate, & religione colendo mentem defigendam arbitratur. Sic igitur necesse est, vt animus, cælestes mentes prætergressus, in fontem bonorum omnium contēto cursu, & ardenti studio feratur; vt infinitam illam vim, numen, rationem, sapientiam, probitatem, quoad licet, adspiciat, admiretur, amet, affectetur, adipisci velit, & iucundissimo cupiditatis incendio flagret; & ita demum fiet, vt numquam illi beneficia tam admirandæ benignitatis intereant. Videbit enim, lumine Diuinæ mentis illustratus, neque Dei potentiam finibus vllis teneri; neque sapientiam hebescere; neque probitatem circumscribi; ita, vt nihil Diuinum numen impediat, quo minus opus perfectissimum, & absolutissimum insitæ benignitatis efficiat. Videbit deinde, nullum Diuinæ probitatis opus clarius esse potuisse eo, quo Dei filius

naturam humanam in tam alto gradu dignitatis locauit, vt eam secum inexplicabili ratione coniungeret, ita, vt Deus homo fieret, & homo Deus haberetur, & esset. Si tibi admirandum opus esse videtur, potentiam numinis sempiterni venerare; si nostræ saluti constituendæ consentanenm, sapientiam; si beneficentiæ amplitudinem cōsideras, probitatem. Itaque semper & immensam vim, & potentiam extimesces; & sapientiam admiraberis; probitatem amore ardētissimo complecteris; neque vllo modo muneris amplitudo te ipsum a fidei constantia dimonebit. Neq. cogitatio maiestatis tibi vllam dubitādi materiā, si alta mente fueris prędítus, exhibebit. Vt enim illa vis ignea, quæ superum locum tenet, infima quæq. non deserit, sed omnia fouet, alit, atque sustentat, vsque adeo, vt etiam se in aquarum gurgites, in terræ viscera, in arborum truncos, & in lapidum venas insinuet, vt vim vitalem, atq. salutarem rebus cunctis impertiat, ita tamen, vt eam nulla cōtagio naturæ inferioris inficiat; ita mens Diuina, per omnem naturam pertinens, omnia gignit, conseruat, & auget, & singulis rebus, pro cuiusq. naturæ ratione, benigne consulit, vt res mutæ consistant, arbores crescant, animantia moueātnr, homines intelligāt, &, qui benignitati illius minime diffidunt, ad similitudinem illius perducantur; ita tamen, vt ipse, mutationis totius expers, in omni æternitate permaneat. Et, perinde, atq. sol cum radiis omnia collustrat, non solum lucem in terras spargit, verum eas herbarum viriditate, arborum amœnitate, animantium partu, multiplici rerum fructu, atq. veris ornamēto, singulis annis repetito, lætificat; ita tamen, vt ipsius natura non immutetur, sed omnia commutet: sic Dei filius cum lucem suam latissime diffundit, neque cælestes tantum, sed etiam humanas mentes illustrat, excitat, inflammat, & animos quasi quodā aratro proscindit, in illisq. verbi Diuini semen spargit, vt multiplices fructus efferant, eosq. tandem secū omniū bonorum communione consociet; non ex ea cōiunctione aliquid de maiestatis immensitate, & dignitatis amplitudine deperdit, immo immēsæ maiestatis, quæ nullam mutationē subire potest, immensas opes conspiciendas exponit, vt homines ad eas fruēdas alliciat. Et, quo maior, admirabilior, & salutarior ea coniunctio fuerit, eo acrins mentes hominum ad sui amorem, & studium concitabit. Ita vero illas immutabit, vt ipse nūquam in vlla rerū molitione, aut beneficiis summa benignitate ab eo tributis immutetur. Rerum similitudines ita conferimus, non quod vlla similitudo e corporibus sumpta possit numen Diuinnm explicare, sed quod alias nō habeamus. Cum igitur Dei filius homo fieri voluit, vt homines ab interitu sempiterno vindicaret, non a dignitate sempiterna discessit, sed hominum naturam ad altissimnm gradum dignitatis enexit. Quo modo id factum fuerit, ne curiose inuestiges, ne magnitudine Diuinæ gloriæ, & sempiterni decoris cum tuæ salutis interitu, & sempiterna macula tui nominis obruaris. Satis habe, quod certus esse possis, esse verissimum, quod Christiana religio confitetur. Id enim est a Deo signis testificatum; orbis terrarum mirifica conuersione comprobatum; muneribus Diuinis, quæ potentiam, & cōuenientiam, & benignitatem nnminis cælestis indicant, aperte declaratum; ita, vt nihil reliqui fiat, quod homines in veræ pietatis studio incitatos a credendo retardet. Vt enim nihil aliud dicamus, qui terram, qui mare, qui fruges, qui animantia, qui sidera, qui cælum creauit, vt corpora nostra, quæ snnt terrestria, & interitura, tueretur, atque conseruaret; & hoc non alia ratione, quam magnitudine probitatis inductus effecit; quo modo non multo maiora, & ampliora probitatis infinitæ munera, animorū nostrorum gratia, qni sunt immortales, ad illiusq. naturā propius accedūt, in nos magnificentissime contulisset? Cum vero in rebus Diuinis, non alia caussa, nisi probitatis amplitudo, exquirenda sit; eaq. probitas ex donis, atque muneribus in genus humanum collatis facillime cognoscatur, quamuis iam multa Dei mnnera oratione persecuti simus, quæ Cruci virtutis admirandæ testimonium dant; sequenti tamen libro opes sapientiæ, Diuinæq. benignitatis munera, quæ in Cruce Christi latent, quoad fas fuerit, magis aperiemus.

HIERONYMI OSORII LVSITANI DE SAPIENTIA LIBER QVINCTVS.



Mnes quidem ſapientiæ opes in Chriſti diſciplina conſiſtere, ſatis explicatum arbitror. Illa namque errores ſuſtulit; mentes illuſtrauit; morbos,& vulnera ſanauit; adſpectum animis reſtituit; tenebrasq. diſcuſsit; atque perfecit, vt infinitam Dei probitatem, ſapientiam, & numen contemplari, & intueri poſſemus, admirabiliq. luce frueremur. Nondum tamen ſatis explicite,quos ſimus ex illa fructus conſecuti, oratione deſcripſimus. Vt autem hinc ordiamur, teſtimonio Diuino conſtat,veram ſapientiã in Diuinæ legis cultu, & ſalutari obedientia conſiſtere.Sic enim ſcriptum eſt,

Deut. 4.

Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes præcepta, hæc dicant, En populus ſapiens, & intelligens.Quaſi dicat, Colant alij Mathematicas diſciplinas, naturæ obſcuritatem ſummo ſtudio perueſtigent; cæli etiam, ſi volent, ſpatia immenſa definiant; &, quod eſt terræ penetralibus incluſum, eruere, & in apertum proferre conentur;oſtentent ſapientiam; venditent ingenium; reconditæ eruditionis nomine ſubnixi, ambulent; & ſe paſsim, quaſi Rerump. correctores, & emendatores, intrudant:at vos vnum genus ſapiētiæ retinete; in lege nempe Dei dies ac noctes elaborate; ea numquam ex animis veſtris elabatur. Reliqua enim ſtudia, neque ſalutem vobis, neque dignitatem afferent;neque e periculis eripient; neq. deniq. vllũ vobis fructum, & vtilitatem in rebus aduerſis importabunt: immo fieri poteſt, vt ea falſa ſapientiæ opinio plerumque vos in capitalem fraudem inducat, & in exitium ſempiternũ præcipites exturbet. Neque enim beatus eſt,qui diſciplinas hominũ ingeniis excogitatas ſtudio,& ratione complectitur; ſed qui in Diuinæ legis ſtudium noctes atque dies vehementer incumbit. Similiter ipſe Deus Ieſum Moſis ſucceſſorem alloquitur:

Ioſue. 1.

Non recedet volumen legis huius ab ore tuo; ſed meditaberis in eo diebus, atque noctibus. Quo modo autem? Num ſatis ad ſapientiam ſummam Dei legem firma memoria cõtinere? Minime, inquit. Finis enim legis eſt, officium, cum acri ſtudio,& ſumma religione ſuſceptum,

Ibidem.

Et ideo ſubiũgit, Vt cuſtodias,& facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo. Sed fructum tandem videamus. Tunc diriges viam tuam, & ſapienter te geres. Hoc igitur ait:Si cupis populum prudenter,& iuſte gubernare; ſi ab illo omnes impetus hoſtiles inuicta virtute reprimere; ſi victoriam ſemper cum ampliſsima dignitate inuicti nominis obtinere; ſi poſtremo omnes, qui imperio tuo cõtinentur,in quietis ſedibus collocare, & florentes,atque beatos efficere; hoc vnum munus in omni vita ſuſcipe, vt legem meam in mente defigas; non quidem, vt illius intelligentiam iactes, vt ea ratione te populus admiretur; ſed, vt omnia vitæ officia ad illius trutinam perpendas; & cuncta,quæ ſanxit, diligenter exſequaris; atque ita populum vniuerſum non tam metu pœnæ,quam exemplo pietatis inſtituas. Quod ſi feceris,non eſt, cur quidquam metuas.

Ibidem,

Eſto, inquit, fortis,& robuſtus, noliq. animo conſternari. Quoniam ego Dominus ſemper tibi adero in omnibus,ad quæcũque perrexeris. Hæc igitur oratio facile declarat, omnem ſapientiam legis Diuinæ ſtudio contineri. Sapientia namque eſt beatæ vitæ effectrix.

Sapiētia eſt beatæ vitæ effectrix.

Beata porro vita eſt bonorum omnium affluentia. Ea vero non poteſt aliunde,quam ex Deo, qui eſt fons bonorum omnium, in animos noſtros influere. Vt autem Deum propitium habeamus, opus eſt,vt iuſſis illius diligenter obtemperemus. Sed quæro, num omnibus, qui legi ſummo ſtudio operam dederint, erit hoc Diuino munere conceſſum, vt ita per legis iter recta gradiantur, vt in alterutram partem minime declinent? Non prorſus. Cupiditatis enim furor, & immanitas, quamdiu illius dominatu oppreſſi detinemur,nos,quodam modo inuitos, atque recuſantes, a legis ſtudio tranſuerſos abducit. Sic vero fit, vt lex, quæ fuit ad ſalutem data, nobis peſtem,& exitium inferat, ita, vt merito a Paulo noſtro adminiſtratio mortis appelletur.

2. Cor. 3.

Cum enim lex, exempli gratia, capite ſanciat, ſi quis alienæ vxori vitium inferat; & eadem lex opem minime largiatur, qua libidini repugnetur;quid aliud lex efficere poterit, quam vt ſontes multo grauiore pœna cruciet, quam ſi numquam lata fuiſſet? Quam graue namque adulterij crimen ſit,lex ab adulterio deterrens multo apertius, quam fuerat ante in mentibus naturæ lege deſcriptum, explicuit. Quo autem clarior notitia peccati eſt, eo eſt maiore cruciatu vindicandum. Quis autem vires dedit, quibus libido contineri, & coerceri poſſet? ille profecto,qui vires cupiditatis

tatis

tatis elisit; qui tyrannidem peccati deleuit; qui libidinis immanitatem profligauit. Tunc igitur demum libera mens facile poterit, quod lex Diuina describit, efficere, cum omnes istæ pestes, quæ continenter bellum cum Diuina lege suscipiunt, exstinctæ fuerint. Quis autem est, qui feritates istas ex animis, qui illum sequi student, expulit? Christus in Crucem sublatus interitum monstris omnibus attulit; & regnum cupiditatis importunum, & libidinis imperium deleuit. An hoc obscurum est? An non quotidie experiendo sentimus? An id non est omnibus, qui Christi Crucem amplectuntur, exploratum? Vt enim quisque maxime studio Crucis incenditur, ira facillime cupiditates omnes coercet, vt sanctionibus Diuinis obsequatur. Hoc quidem futurum Isaias prædixerat; vt, qui Christum incenso studio sequerentur, non solum ab illo cælestem disciplinam acciperent; verum & omnes actiones, & studia vitæ eadem disciplina conformarent. Similiter Ieremias fore dixit, vt lex Diuina nõ in tabulis lapideis, sed in cordibus humanis inscriberetur; vt omnes, qui apud Christum Sacramenta dicerent, sine recusatione vlla Diuinæ legi parerent. Quid Ezechielem, quid reliquos Prophetas enumerem? An parum perspicuum est, omnium hanc mentem, & sententiam fuisse, id, quod lex præstare non poterat, ab vno Christo esse postulandum, & exspectandum; nempe, vt, illius gratia confirmati, compressa, & edomita cupiditate, legem Diuinam inflammatis animis exciperemus; & nihil cerneretur in nobis, quod non esset ex legis ipsius præscripto constitutum? Quod enim fieri non poterat per legem, (vt Paulus ait) Dei filius a patre missus effecit, vt peccatum confligeret; libidinis imperium deleret; vt ita lex Diuina in illis sanctionibus, quæ ad solitæ iustitiæ rationem pertinent, posset ab omnibus, qui Christi spiritum sequerentur, obseruari. Illi igitur solum, qui, vt Christum sequantur, Crucem cupiditatibus suis defixerunt, vitam ad normam Diuinæ legis exacte dirigunt. Vnde colligitur, in illis tantum verissimæ sapientiæ lumen elucere. Sed, quia nobis hic sermo hoc in loco maxima ex parte cum Græcis institutus est, commodum videtur, eorum Græcorum testimoniis vti, qui fuerunt sapientiæ opinione clarissimi. Sed prius operæpretium est animaduertere, quid ipsa Græcorum Philosophia sanciat, atque præscribat; & quibus in rebus ij, qui multum reliquis ingenio, & doctrina antecellebant, quales fuerunt antiqui Academici, & Peripatetici, sapientiam sitam esse statuerunt. Quæ nam igitur est eorum verissimæ sapientiæ disciplina? Ea certe, qua cupiditas, & libido ratione comprimitur. Ratio enim in animo secundum naturam principatum obtinet. In ea autem est Diuina lex, a flagitio deterrens, & honestatem præscribens, incisa. Ergo, cum ratio statum animi pro iure, & imperio moderatur, omnia lege, modo, & ordine constituta sunt. Nullum dissidium in animo, nullus tumultus exoritur; nulla grauis cura mentem sollicitat; nulla vis immanior eam de statu detorquet. Est igitur tunc status illius rectissime constitutus. At vero, cum animum iræ truculentia rapit, & versat, &, quocumque ei lubet, impellit, tunc ratio, de statu reiecta, furori, & dementiæ seruit; neque, quod ipsa indicat, sed quod ira præscribit, sedulo machinatur. Quid, cum libido faces intentat? Quid, cum auaritia menti tenebras offundit? Quid, cum amor, odium, spes, metus, liuor, obtrectatio, & reliquæ vitæ pestes animum excedunt, atque conficiunt? Potest ne tunc aliquid tristius, & acerbius excogitari? Mens enim, sanitate, libertate, dignitate spoliata, & sub dominatu cupiditatis, & libidinis constituta, seruit dedecori, flagitio, atque turpitudini, & summo angoris cruciatu miserabiliter afficitur. Contra vero, cum ratio temeritatem coercet, & motus inanes comprimit, & omnes partes animi sibi dicto audientes esse compellit, tunc facile dignitatem tuetur, & pace tranquilla perfruitur. Si igitur, qui sibi recte consulit, sapiens est; ille vere sapiens est existimandus, cuius moderatione, & consilio pax in animo est firme constituta. Hoc autem Platonem, summum Philosophiæ Principem, mouit, vt in voluntatis, & rationis consensione, sapientiam collocaret. Cum enim ratio verum adspiciat, voluntas in bonum feratur; si voluntas rationem sequitur, tunc in vera bona respicit, nulliusque sensus corrupti iudicio a recta via deducitur. In hominibus igitur temperatis, & moribus, atque vita rectissime constitutis, sapientiæ studium viget; furor autem, & insania in flagitiosis, & incontinentibus regnum possidet. Si ita est, quemadmodum Plato, & reliqui ab illius disciplina profecti differunt, quis sapiens potest appellari, nisi, qui se totum Christo in disciplinam tradiderit? Quæ enim vlla continentia maior? Quæ temperantia mirabilior? Quæ morum grauitas, quæ vitæ constantia Diuinior vmquam vllis in gentibus perspecta, & cognita fuit? Sapientiæ namque fundamentum apud Christianos est in Dei metu positum. Illo autem muniti, labes animi repellunt; libidinem refrenant; voluptates noxias aspernantur; iram cohibent; odio repugnant; & cupiditatibus crucem statuunt; qua immanitatem exstinguant. Itaque in illis, qui se ardentibus animis in Christi studium contulere, non furor immanis, non effrenata libido, non infinita cupiditas, sed optima viuendi ratio dominatur; &, quod magis admirandum est, id sæpe non diuturna consuetudine fit, sed temporis momento solet interdum euenire, vt animus, nimis corpori deuinctus, Diuini spiritus impulsu commotus, ex intẽperante continens, ex auaro benignus, ex iracundo mansuetus, ex timido fortis, ex inconstante grauis repente fiat.

Isai. 40.

Ierem. 31.

Rom. 7.

Rationis vis.

Voluntatis & rationis consensio, sapientiam parit.

fiat. Tanta vero vitæ ſanctimonia gentibus alienis ingentem ſæpenumero admirationem commouebat, vſque adeo, vt ſummi decoris, & honeſtatis teſtimonium Chriſtianis inuite dare cogerentur. Hoc autem paſsim euenire cernimus, vt, quo quiſque magis ſe ad Chriſti ſtudium applicat, vt Crucem illius ardenrius amplexetur, eo mirabilius in illo caſtitatis, integritatis, temperantiæ, virtutis decus emineat. Itaque non omnes virtutem acute definiunt; non continentiæ partes eleganter diuidunt; nō de amplitudine dignitatis, & honeſtatis ornate, & copioſe differunt; ſed omnes eam artiſsime cōplectuntur: neque enim verbis, & oſtentatione, ſed ardenti ſtudio vitæ puritatem, & ſanctimoniam colunt; & virtutis amplitudinem in hominum luce conſtituunt, vt, homines illos intuentes, lumen Diuinum in illis elucere perſpiciant. Sic enim, inquit ſummus iuſtitiæ magiſter, luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & gloriam dent patri veſtro, qui in cælo eſt. Hoc Chriſti præceptum cum illius diſcipuli inflammato ſtudio ſequerentur, ea caſtitatis, & virtutis, & benignitatis exempla in terris ediderunt, vt poſſet in illis vitæ cæleſtis ſplendor animaduerti. Si igitur ſapientiæ firmiſsimum argumentum eſt, domitas habere libidines, ſtatumq. animi tutum, & incolumem ab omni perturbatione conſeruare; & conſtat, tam ex antiquis monumentis, quam ex quotidianæ vitæ exemplis, omnes, qui ſe ad Chriſti ſtudium conferunt, & oculos in Cruce defigunt, eum ſtatum aſſequi, quem neque ira, neque odium, neque inuidia, neque libido labefactet; quis negare poterit, in Chriſti diſciplina veriſsimæ ſapientiæ opes immortales, & totius dignitatis ornamenta conſiſtere? Idem Plato, (cum enim, totius antiquitatis incorrupto iudicio, Græciæ ſapientiſsimus habitus ſemper fuerit, ſæpius illius auctoritate contra Græcos vtendum cenſeo) in Phædone, omnem animi puritatem, qua vera ſapientia continetur, in mortis commentatione ponit. Docet enim eo in ſermone Socrates, nihil eſſe tam homini vera cernere cupienti contrarium, quam corpus ipſum, & ipſius motum, & ſpecies, quæ ex natura corporis oriuntur. Neque enim verum in natura corporis, quæ labitur continenter, & fluit, ſed in rebus, quæ ex omni concretione mortali ſecretæ ſunt, ſemperq. eodem ſtatu manent, ineſſe: nos vero, cum ſimus corporibus aſſueti, non poſſe verum cernere, propterea, quod corporeæ imagines animis frequenter occurrant, quæ mentem obtundunt, & a contemplatione ipſius veritatis auertunt. Itaque non licere nobis in hac vita ſapientiam perfecte conſequi; poſt mortem vero, corpore videlicet, quod nobis officiebat, exſtincto, licere. In hac autem vita illum maxime ſapientem fore, qui magis ad imitationem mortis accederet. Cum vero mortis officium ſit, animum a corpore diſiungere, docebat, ei, qui vellet ad ſapientiā peruenire, eſſe mentem, quo ad liceret, a corpore ſeiungendam; vt per ſe poſſet ſine vllo corporis impedimento ſempiterna contemplari. Tunc enim purum, & liberum animum poſſe munere ſuo perfungi. Tum addit: Non liquet igitur, huius puritatis efficiendæ rationē in eo poſitam eſſe, (vt ante diximus) vt mens ſeipſam a corporis contagione ſeiungat, & ſe colligat, atque recipiat, & ſola, quoad licuerit, & nunc, & in poſterum, e corpore, tāquam vinculis, expedita, omniq. perturbatione ſoluta, ſecum habitare condiſcat? Hanc deinde ſententiam Socrates eodem in loco multis verbis cōfirmat, in eoq. pugnat, vt doceat, in hac mortis aſsidua meditatione omnem vim, & rationem ſapientiæ parandæ conſiſtere. Neq. enim fieri poſſe, vt quiſquam ſapientiam adipiſcatur, niſi prius animum a corpore ſummo ſtudio diſiunxerit. Si ita eſt, quemadmodum Plato veriſsime ſub Socratis perſona diſputauit, ille maxime ad ſapientiam perueniet, qui maxime necem ad hunc modum corporis ſenſibus intulerit, vt nihil animum impediat, quo minus, a corpore longius abſtractus, vera perſpiciat. At hoc corporis, & animi diſsidium, quo tandem ſtudio verius, & firmius, quam Crucis diſciplina, conficitur? Hoc quidem mortis genus Philoſophi neceſſarium eſſe fatebātur; ſed, cum eſſent nimis corporis cupiditatibus alligati, e vinculis exlmi nequaquam poterant. Valentior enim cupiditatis immanitas eſt, quam vt poſsit ſine ope Diuina viribus humanis extingui. At Chriſtianæ ſapientiæ fundamentum in hac mortis aſsidua commentatione cōſiſtit. Ipſe namque ſapientiæ doctor hoc frequenter admonet, vt nos ipſos fugiamus; vt Crucem ſubeamus; vt videlicet interitum cupiditatibus afferamus. Aliter enim diſcipulos ſuos eſſe non poſſe confirmat. Neque is eſt, qui nos tantum de officio noſtro commonefaciat, & ope ſua deſtituat; immo, qui animū virtute corroboret, qua facile munus ſibi commiſſum alacriter exſequatur. Itaque omnes, qui Crucem, hoc eſt, ſtudium coercendæ libidinis, & impuritatis, ardentibus animis ferūt, ope Diuina ſubnixi, omnes cupiditates elidunt. Qui ſunt Chriſti, vt inquit Paulus, Cruci corpus ſuum cum corporis cupiditatibus affixerunt. Omnes igitur libidines, omnes contentiones, omnes impuritates in illis, qui Chriſtum imitantur, repente moriuntur; ita, vt nihil in eis prǽter Chriſti ſenſum viuere conſpiciatur. Minime neceſſe eſt, exempla nimis antiqua, & obſoleta requirere. In hac enim etiam mundi fæce, in his calamitoſis temporibus, quæ aſsidue lamentamur, videmus multa millia adoleſcentum, & virginum, vt ætatem robuſtiorem omittam, quæ ſic Crucem amplexata ſunt, vt omnes cupiditates eneruarent, necemq. ſenſibus priſtinis afferrent, vt ſolute, atque libere rerum Diuinarum con-

Matth. 5.

Cupiditatis valens immanitas

Col. 2.

contemplationi vacarent.Itaque multos nouimus, quibus minimum est cum corpore mortali commercium, omnisq. illorum mens in Christi imitatione defixa tantum cælestia meditatur.Quibus illud Pauli licet vsurpare,nempe, Viuo ego, sed non ego, viuit vero in me Christus. Neq. enim viuit in illis odium, non iracundia,non libido,non immanitas,non ambitio, non auaritia, non cupiditatis impotentia:sed amor Diuinus,hominũ caritas,immortalitatis studium. Si igitur sine commentatione mortis sapientia parari non potest, & hi soli mortem perpetuo meditantur, qui, vt Christum Cruci affixum sequerentur, Crucem cor poribus suis statuerunt,qua interitum pristinis cupiditatibus,& opinionibus, atque adeo sensibus ipsis afferrent; efficitur certe, solis Christianis licere sapientia verissima frui. Non erit autem alienum huic loco id etiam, quod Socrates apud Platonem in Theæteto in hanc eandem prope sententiã dicat, attexere.Nam, postquam eo in sermone multa de recto animi statu, qui libidinum nece,& interitu continetur, Socrates disseruisset, tunc Theodorus orationem eius excepit: sed eam sermonis par tem commodius erit ad verbum interpretari. Theodorus: Si omnes, o Socrates, tamquam me, in sententiam tuam traducere potuisses, pax certe firmior constitisset, & multo minus malorum versaretur in vita. Socrates: Fieri non potest, o Theodore, vt mala funditus intereant. Necesse namque est, vt bono malum semper aduersetur. Quod tamen malum sedem inter Deos habere non potest, sed mortalem tantum naturam, & hunc locum necessario circumcursat. Quo circa nos omnes contendere debemus, vt hinc summa celeritate fugiamus.Fuga autem non alia est,nisi con tentio, ut Dei similes efficiamur. Similitudo autem hæc iustitia, & pietate, & prudentia continetur. Verum enimuero, vir optime, non facile negotium est, persuadere multis, non ea gratia fugiendam esse improbitatem, & consectandam virtutem, quam multi perhibent, nempe ne improbi videamur, & vt probitatis opinionem aucupemur. Hæc enim sententia est fabella quædam anilis existimanda. Vera enim caussa uirtutis comprobandæ hæc est, Deus nullo modo iniquitatem rei vllius gratia suscipit, nempe qui sit ipse iustissimus. Itaque nemo similitudinem illius assequi poterit, nisi tantum ille, qui iustitiam studio summo coluerit. In hoc autem studio, naturæ præstantis indoles, & docilitas præclara cognoscitur; in illius vero negligentia animi minuti, & angusti, atque prorsus inutilis formido perspicitur. Iustitiæ enim cognitio, sapientia est, verissimæq. virtutis ornamenta complectitur. Illius autem ignoratio stultitia est, & improbitas euicta. Reliquæ autem ingeniorum docilitates ad certas artes,quæ sapientiæ opinionem receperunt, cum in honoribus publicis vim suam expromunt,seruiles; in mechanicis autem artificiis, sordidæ sunt existimandæ. At cum illo, qui infert iniuriam, aut qui facinus impium loquitur, aut conflat,mul to certe melius ageretur, si numquam per malitiam acris viri nomen obtinuisset.Hi namque eiusmodi sunt, vt contumelia glorientur. Delectat enim illos improbitatis,& malitiæ fama, nempe, quod non inertes existimentur,sed gnaui, & industri, quales futuri sunt illi, qui salutem in Rebusp. sibi parare possunt. Qui eo longius ab eo statu distant, quem se assecutos opinantur, quo magis se eum consecutos esse confidunt. Ad reliquam enim miseriam accedit turbulenti erroris insania. Verum enim iniquitatis supplicium ignorant. Non enim iniquitatis supplicium est in verberibus,aut nece constitutum; quæ supplicia interdum a iustis hominibus perferuntur; sed in eo malo, quod nemo improbus effugere potest. Theodorus: Quod non tãdem malum dicis?Socrates: Cum in rerum natura duo exempla sint, vnum est numen Diuinum, quod est natura beatissimũ, alterum a Deo alienissimum, quod est miserrimum;hi non vident,(nam propter stultitiam, extremamq. dementiam ignorant) cum aliquod opus iniustum, atque nefarium moliuntur, se similes illi reddi, quod est miseriæ summæ documentum; & illi dissimiles, quo beatę vitæ speciem continetur. Cuius flagitij pœnam sustinent, dum ita viuunt, vt similem vitam ei, ad cuius se similitudinem contulere,fu renter instituant. Quod si dixerimus, nisi acumen illud, quo subnixi ambulant, deseruerint, fore, vt neque mortui in purum locum recipiantur; neque a miseria, quæ improbitatem necessario consequitur,in hac vita deserantur, hæc propter acuminis confidentiam quasi hominum stultorum sententiam negligent,atque despicient.

Hæc fusius Socrates eo in loco persequitur, in quibus docet, si volumus vitæ beatæ compotes esse, a corpore semigrãdum, vt Dei similes simus: quæ similitudo non opinione iniustitiæ, sed verissimo studio iustitiæ continetur. Qui sunt igitur illi, qui a corpore ardentissimo studio semigrant?Qui se ad Dei similitudinem, & imitationem conferunt? Qui non laborant, vt hominum rumores aucupentur,sed vt Deo placeant? Qui deniq. non opinioni,sed veritati seruiendum arbitrantur? Illi certe,qui Christum incenso studio sequuntur? Illi enim sese a corpore abstraxerunt; fidemq. Christo dederunt, sibi nihil amplius cũ libidine, & impuritate futurum,neq. aliud sibi proponunt,quam vt caritate, & iustitia,Dei formã,& speciem referant; neque, vt inanem gloriam captent, sed vt ipsi Deo grati sint, in studium pietatis incumbunt. Ex eo igitur Socratis sermone didicimus, vnũ esse certissimũ sceleris admissi piaculũ, & certissimam puritatis rationem,quæ in vitiorũ fuga,& Dei similitudine consistit.Animi vero pu-

Comparatio à speculo.

ritatem lumen Diuinum natura consequitur. Vt enim speculum purum, & extersum, solis radiis oppositum, solis splendorem, & speciem recipit, vt lucem ex se late diffundat; ita mens, omni flagitio vacans, & in lucem Diuinam intuēs, ita collucet, vt intuentium oculos luminis sui splendore perstringat. At in hac luce, qua purę mentes illustrantur, Plato sapiētiam summam ponit in sexto de Rep. libro. Ibi enim Socrates primum beatam vitam in boni cognitione constituit. Ibi igitur, cum a sodalibus vrgeretur, vt, quid esset bonum, explicaret; ipseq. tergiuersaretur; seq. ignorationis excusatione defenderet; nemoq. illius satisfactionem acciperet; eo tandem deductus est, vt diceret, se non ipsius boni naturam, sed boni ipsius partum, sub aliqua similitudine explicaturum. Tunc sic Adimantum alloquitur: Num venit tibi in mentem considerare, quanto clarius Architectus sensuum illam vim, qua quis videt, aut videtur, quam omnes sensus alios, architectatus sit? Non admodum diligenter, inquit. At nunc attentius animaduerte. Num audituí, & voci, quæ auditur, aliquo alio genere opus est, vt auditus audiat, & vox auribus accipiatur, sine quo sensus audiendi non audiat, nec vox auribus vsurpetur? Nullo, inquit. Sic opinor, inquam: neque aliis quidem multis sensibus, ne omnes persequar, id necessarium est. Num potes alium aliquem referre, qui genere alio ad sentiendum indigeat? Non prorsus, inquit. Videndi vero facultas, & rei, quæ sub visum cadit, ratio, non ne vides, quod aliam vim plane requirit? Nam, videndi vi oculis insidente, & eo, qui videndi vim habet, conatum ad videndum acerrime comparante, & colore oculis applicato, si tertium aliud genus ad hoc ipsum natum haud interuenerit, neq. adspectus adspiciet, nec ipsi colores adspici vllo modo poterunt. Quodnam, inquit, genus illud est? Quod tu, inquam, lucem nominas. Sane vero, inquit. Non est igitur, inquam, neque in oculorum sensu, neque in rerum, quæ sub oculorum adspectum cadunt, facultate species contemnenda. Eius namque rei societate continetur, quæ multum dignitate sensuum aliorum adminiculis antecellit. Siquidē lucis ipsius vis est honore non prorsum indigna. Multum, inquit, abest, vt honore parum digna sit existimanda. Quem, inquam, in cælo Deum esse statuis, huic tanto muneri præfectum, qui lucę sua caussam afferat adspectui quidem clare videndi; & rebus, quæ adspectui subiectæ sunt, facultatem afferat, vt videantur? Eundem sane, inquit, quem tu, & reliqui omnes; Solem nempe dico esse, de quo interrogas. Num adspectus ad ipsum Deum rationem habet? Quo modo? inquit. Adspectus quidem ipse non est Sol. Ne oculus quidem ipse, in quo adspectus inhæret; sed omniū, quibus aliquid sentimus, instrumētum, ad Solis lucē accipiendam aptissimū. Sane quidem, inquit. Vis igitur illa, quā oculi adspectus habet, a Sole promitur; & quodam modo ab eo in illum influit. Verum, inquit. Neq. Sol rursus adspectus est, sed caussa adspectus, & vt ab ipso oculorum adspectu videatur. Sic se res habet, inquit. Hunc igitur, inquam, cense me boni partum appellasse, idq. bonum esse ab ipso bono generatum, vt rationem illius, atq. similitudinem retineret. Quod enim bonum ipsum in regione, quæ mente percipitur, efficit in mēte, & in rebus, quæ mente intelliguntur; idem Sol in loco, qui sub adspectum cadit, in oculorum adspectu, & rebus, quæ oculi videri possunt, efficit. Quo pacto tandem? inquit. Narra mihi. Oculos, inquam, nosti, cum vim suam intendūt in eas res, quæ non diurno splendore collucēt, sed sub obscura noctis luce continentur, hebescere, & propemodum in cæcitatem conuerti, quasi minime insit in illis clare cernendi facultas? Noui sane, inquit. Cum vero, inquam, Sol exoritur, clare cernunt, & in eisdem ipsis oculis videndi vis confestim inesse videtur. Sane vero, inquit. Hanc porro, inquam, similitudinem transfer ad animum. Cum enim animus intendit mētis aciem eo, in quo veritatis, & ipsius mentis lumen omnia collustrat, intelligit, & cognoscit ipsum; & mente præditus esse videtur. Cum rursus oculos auertit, vt res caligine circumfusas, quæ oriuntur, & intereunt, adspiciat, opinatur, & hebescit, & opiniones sursum atque deorsum varie versat, neque multum ab amente distat. Ex hac quidem Socrates similitudine Diuinitus adducta sapientiæ rationem persequitur, & alia deinde sub eadē similitudine mirabiliter edisserit, vt homines ad Dei notitiam erudiat. Sed, vt reliqua omnia sileamus, ex hac illius oratione percipimus, nullam esse aliam vim, & rationem ad sapientiam comparandam, præter eam, quæ Diuini numinis splendore continetur. Vt enim oculi, quamuis sint vigentes, & acuti, lumine Solis amoto, aut nihil, aut parum admodum vident; ita mens, Diuinæ lucis abscessu, tenebris impeditur, ne verum adspiciat; & vagis, & errantibus opinionibus huc & illuc temere circumfertur; &, quo magis confidēter in susceptum iter ingreditur, eo longius aberrat, & furentius ruit; & ille conatus inanis exitu tristiore cōcluditur. Si Plato igitur totam sapiētię rationem in Diuinæ mentis illustratione positam esse decernit, sine qua omnia studia sapientiæ inania censet; quid Græci de eorum Christianorum sapientia statuent, quorum mentes clarissimis Diuinæ lucis radiis illustrantur? Vt enim vitæ puritate, & integritate, inter omnes mortales excellunt; ita consequens est, vt Solis ipsius radios sui luminis claritate longe multumque superent; illorumq; sapientia omnes, qui sapientiæ student, noua; & insolita magnitudine tam clari splendoris exterreat. Ipsius namque Platonis testimonio constat, illos tantum esse sapientes, qui Deum, quem Entis nomine significat, pura, & casta mente assidue contem-

Oculi, absque Sole, non plane oculi.

tem-

templantur; illiusq. in se lumen recipiunt; &, ista Diuinitus illustrati, illius formam, & speciem referunt; quemadmodum noster Paulus ait: [2. Cor. 3.] Nos autem aperta facie, quasi quodam speculo, gloriam Domini, quam accepimus, in luce collocantes, in eandem formã conuertimur, &, in studio progressi, in dies magis illustramur, nẽpe, quos Diuinns spiritus instituit, & erudit. [Ephes. 5.] Idem Paulus alibi, Eratis, inquit, aliquando tenebræ, nũc autẽ lux in Domino. David autem: [Psal. 26.] Dominns illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Similiter Isaias: [Isaiæ 60.] Surge, & illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum. Quod autem lumen istud sit, explicat, dicens: [Ibidem.] Et gloria Domini super te orta est. Quia tenebræ operient terras, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus. Et non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, & splendor lunæ non illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam; & Deus tuus in gloriã tuam. Porro autem Sol iste, qui illuminat omnem hnminem venientem in hunc mundum, Dei filius est. Qui in illum respicinnt, non alucinantur; & non opinantur; sed quæ ad salutem necessaria sunt, clarissime vident; & ita vitæ cursum cum felicitate summa conficiunt. Hinc igitur illa fidei ardentis constantia; hinc illud animi robur inuictum; hinc clarissima mentis altitudo; hinc illa summa lætitia nascitur, qua iusti omnes mirabiliter efferuntur. [Psal. 96.] Lux, inquit vir Diuinus, orta est iusto, & rectis corde lætitia. [Psal. 35.] Alibi vero, inquit, iustos torrente voluptatis inebriari. Petrus vero, Credẽtes, inquit, exsultatis lætitia, quæ non potest explicari. [1. Pet. 1.] Et ipse Dominus, Gaudium hoc sempiternum fore, prænũtiat. Et, vt alias omnes caussas summæ lætitiæ prætermittam, ea, quæ sapiẽtiæ verissimæ fructn continetur, tanta est, vt nullũ locum acerbitati relinquat. Vt enim veritatis desperatio animos afflictat, ita veritatis summæ cognitio mentes ingenti gaudio cumulat. Neq. enim fieri potest, vt, qui Diuina luce potiũtur, qui Dei consuetudine perfruuntur, qui disciplina illius erudiuntur, qui donis, & muneribus illius afficiuntur, nõ in summa, atq. perpetua voluptate versentur. Hanc autem mentis lucem mentes oppletæ tenebris intueri nõ possunt. At, qui, e tenebris emersi, eã conspiciunt, tanto gaudio efferuntur, vt vix interdum præ lætitia mentis compotes esse qneant. Exponã hoc in loco sermnnem a me cum iuuene Hebræo habitum, qui ex Africa venerat, vt Christianus fieret, huic materiæ non parum accommodatum. Est autem ille ita in Deũ, propter huius lucis beneficium, gratus, vt vix quiquam ardentius esse pnssit. Is vero, cum mihi rationẽ, qua ille, & quidam illius cognati ad Christum conuersi fuissent, exponeret; tum egn: Libenter equidem a Iudæis quæsierim, num arbitrẽtur, Deum instos, præter illa præmia, quæ sunt illis a sempiterno tempore cõstituta, multis etiam in hac vita muneribus, & ornamentis afficere. Fatebuntur. Interrogarem deinde, esset ne vllum maius, & euidentius amoris indicium eo, quod consiliorum communione cnutinetur. Negabunt. At constat ex litteris sanctis, Deum sic iustos diligere, vt cum illis sapientiæ suæ arcana communicet. Sic enim scriptum est: Num celare potero, Abraham, quæ gesturus sum? [Genes. 18.] In quo Deus ostendit, se quodam modo amicitiæ sanctitatem violaturum, si aliquid a viro sanctissimo secretum habuerit. At alius vir Diuiuus negat Deum aliquid moliri, a quo seruos suos Prophetas non consilij sui participes efficiat. David vero dicit, [Psal. 50.] consilia Dei occulta, atque recondita, sibi numine illius explanata fuisse. Et, ne posset dici, hoc beneficium non iustis omnibus, sed certis tantum, esse aliqua ratione concessum, idem David alibi dicit, [Psal. 70.] secretum Domini cnm omnibus metuentibus eum communicari. Ex quibus locis aperte colligitur, tantam esse iustorum dignitatem, vt, quasi in Dei cousilium adhibiti, multa percipiant, quæ sunt ab hnmana cognitione remotissima. Hoc, inquit, perspicuum est. Rursus, inquam, interrogarem, non eos, qui vsuris, & fraudibus, & mendaciis victum quæritant, qui rem variis calumniis augendam suscipiunt, qui neminem eximium habent, quem nnn circumueniant; sed eos, qui in precibus assidui sunt, qui templa frequentant, qui in legis cærimoniis diligentissimi sunt, & vetustissimis institutis obsequuntur; ecquam lncem Diuinã adspexerint? ecquod consilium a Deo intima mente percẽperint? ecquid cælesti lnmine perfusi viderint, quod mens humana ingenio suo complecti non possit? Tum ille, Arridens, de me, inquit, solum quærito, qui tibi verum ea de re facillime testificari possum. Nemo enim inter Iudæos exstitit, qui esset in procuranda religione diligentior, & moribus, & vita continentior, & in legis ipsius studio vigilantior. Iam vero, cum existimarem me in ea re Deo satisfacere, tam acerbo, & immaui odio Christianos persequebar, vt existimarem, quoties in eos intuebar, oculos meos insigni sceleris contagione maculari. Nihil denique vmquam prætermisi, quod ad cultum religionis, in qua enntritus fueram, pertineret. Itaque meis omnibus eram insigne, vt illorum opinio ferebat, iustitiæ, probitatis, & religionis exemplum. Sed, quid hoc tam immodico legis studio, & tam acri, & diuturna contentione consecutus sum? Nihil prorsus. Idem semper erã: idem sentiebam: nulla vmquam mihi lux ob oculos affulsit: nullum fuit vmquam mihi solatium in rebus aduersis allatum: nullum in angoribus alleuamentum. Animus vero semper exsilis, semper aridus, atq. ieiunus, in eadem molestia, atque fastidio permanebat. Nihil postremo cognitione cõprehendere vmquam potui, quod nou cuiuis in mentẽ venire potuisset: cõtra vero, multa sum valde furenter opinatus, quæ in

nullius hominis sani rationẽ cadere potuisset. At, postquam, Diuini spiritus appulsu, me ad Christi nomẽ adiunxi, Christe sanctissime, quis mihi splendor illuxit. Quæ vidi. Quæ percepi. Quæ mente, & ratione complexus sum. Qua lætitia, & voluptate perfusus. Ita mihi Deũ meæ salutis auctorem propitium velim, vt interdum dubitem, an fidem rebus Diuinis habeam. Nã, si fides (vt multi definiunt) est, credere, quod neque sensibus, neq. ratione percipitur, equidem omnia, quæ Christianorum disciplina credenda proponit, me cernere puto. Itaq. in Eucharistiæ Sacramento me Christum Dominum meum, cuius sanguine sum à sempiterna peste redemptus, cernere, & audire puto. Tum illud etiam adiecit: Quid est magis contra naturæ sensum, quam mortem contemnere? At sic sum commutatus, vt nihil cupiam ardentius, quam vitam pro nomine, & gloria Christi profundere. Illum igitur, quem oderam, amo; cuius nomen ex hominum memoria euelli cupiebam, ita diligo, vt mihi vita minime cara sit, nisi eã in illius cultu, & veneratione consumpsero. Et hæc quidem iuuenis ille. Ex quibus intelligi potest, qua luce perfundi, & gaudio cumulari soleant illi, qui vere Christo nomina daut. Id autem clarius in illis animaduertitur, qui ex perfidiæ tenebris in fidei lucem vindicantur, quia, quod nouum, & insolitum est, maiorem admirationem efficit, quam id, quod est diuturna consuetudine comprobatum. Id quidem nostri experiendo sentiunt. Nam, cum multi religiosi viri, illi vero præcipue, qui nomen a Iesu societate ducunt, qui in vltimis Orientis Solis regionibus Christi nomen prædicandum suscepe runt, ad Christum multos mortales adiungant, hominum alacritatem, pietatem, voluptatem, & lacrymas admirantur; eamque vitæ conuersionem sempiterna memoria, & celebritate dignam merito iudicant; ob eamq. Deo vota sanctissima memori, atq. grata mẽte persoluũt. De hac tam admirabili luce quid Prophetæ cecinerunt? Quid viri Diuini prædixerunt? Quid mentes puræ, & castæ sentiunt? Quid sensibus intimis experiuntur? Sed, cum multa lux hæc, quæ fuerant antea multis inuolucris obtecta, nobis inspicienda proponat, tum nihil est clarius, elegantius, & magnificentius ipsa pulchritudine, qua mirabiles amores excitat, & animos facibus ardentissimis inflammat. De quo quidem amore Socrates apud Platonem in Cõuiuio, cum multa sibi a Diotima, muliere sapientissima, (vt asserebat) dicta meminisset, tũ sic ab ea sententiam absolutam fuisse confirmauit. Sic enim eam locutam fuisse dicit: Aduerte diligenter; & nunc vel maxime, quid dicam, memoriæ trade. Qui. n. sic fuerit ad amores institutus, vt via, & ratione, quę vere pulchra sũt, exacte consideret, ad finem tandem disciplinæ amatoriæ perueniet; vt pulchritudinem ipsam admirabili specie claram repente conspiciat. Hoc est autem illud pulchrum, cuius gratia labores omnes in vita suscipiuntur. Primum quidem æternum est. Neq. enim ortum vmquam fuit, neq. occidet; nec augeri, nec imminui vmquam potuerit. Deinde, nõ est aliqua illius pars pulchritudine insignis, alia vero deformis. Tũ, nec tempore immutari solet, vt aliquando pulchrum sit, aliquando minime. Ne illud quidem ei potest accidere, vt, ad aliquid collatum, pulchrũ sit; ad aliud vero, deforme. Ne locis quidẽ mutationem subierit, vt alibi pulchrũ, alibi turpe videatur; ita, vt aliis amore, aliis odio dignũ existimetur. Deinde, non est fas opinari, illud pulchritudinis esse particeps, vt cum faciẽ, aut manum, aut partem corporis vllam, aut orationem, aut scientiam pulchram dicimus. Neque eam habet naturã, vt in re aliqua, instar qualitatis, inhæreat, velut in animante, vel in terra, vel in cælo, vel in re qualibet alia; sed ipsum per se insita natura, & ratione cõsistit, simplex, sibiq. simile, atque sempiternũ. Et reliqua omnia, quæ pulchra sunt, hoc pulchrum quodam modo participant. Et, cum ea vel gignantur, vel intereant, huic pulchro nihil potest accedere, nihil rursus decedere, cum nihil sit illo valentius, a quo patiatur. Et hæc quidem, & alia multa in hanc sententiam Plato Socratem, vel Diotimam disputare facit, quibus docet, hominis summum bonum, verissimumq. sapientiæ fructum in ipsius summæ, simplicis, atque sempiternę pulchritudinis cognitione constitutum esse, ita, vt, qui illã inspexerit, amauerit, cõsectari perpetuo voluerit, & omnia, quæ videntur pulchra, & amabilia, gratia illius contẽplerit, sapiens, atq. beatus sit; neq. sit illi quidquam præterea requirendum. Quid igitur amplius dicendum? Plato, quem omnis Græcia merito semper admirata fuit, summum sapientiæ frũctum, totamq. beatæ vitæ rationem in amore Diuino, quo mentes hominum flagrare possunt, si in Diuina pulchritudine defixę fuerint, collocauit. Quæro igitur a sapientissimis Grecis, quis amor erga Deum exstitit vmquam in terris ardentior eo, qui Christianas mẽtes exurit? Quod caritatis incendium acrius, & vehementius? Quod studium summa, atq. præclara facinora pro Dei nomine moliendi magis inflãmatũ? Quemadmodũ enim Pauli testimonio, quod iam in medium attulimus, clare videtur, homines Christianæ pietatis gloria præstãtes, neq. minæ, neq. terrores, neq. dolores, neque supplicia, neq. mortis immanitas, nec hostis sempiterni truculentia, nec omnia deniq. horribilia, & pertimescenda, labefactare, iufringere, & a Christi coniunctione diuellere potuerunt. Gladios spernebant; in ignes irruebant; cruciatus appetebant; in tormentis vitam abiicere cupiebant. Quod mirum videri nõ debet. Si enim amor, leuissima specie pulchritudinis excitatus, tantas interdum vires habet, vt corpus animo spoliet; perficit enim, vt animus, amore incensus, in re, quam habet caram, totus insideat; quid de illis animis est existimandum, qui

qui e corpore frequenter euolabant, vt illam summam ſpeciem, & claritatem pulchritudinis intuerentur? Et, ſi veri amoris (vt Philoſophi perhibent) ſtudium in honeſtate conſumitur; non enim adduci poterit is, qui amat, vt in conſpectu illius formæ, quam diligit, vllum in ſe dedecus admittat; quid illi facient, qui oculos a ſempiterna pulchritudine, quam mirabiliter amabant, numquam in vlla malorum omnium tempeſtate deiiciebant? Fieri certe non poterat, vt, qui perpetuo in honeſtatis ſempiternæ ſplendorem reſpiciebant, & ad ſempiternum decus adſpirabant, aliquid committerent, quo Diuinam mentem offenderent. Illud igitur ardens, & incitatum decoris, & dignitatis ſtudium ſatis indicabat, quantus in illis ardor amoris exſiſteret. Quod ſi labores immenſi facillime tolerati clariſsima etiam amoris argumenta continent; illos certe, qui otium pati nō poterant, qui labores otio, tempeſtates tranquillitati, pericula ſecuritati præferebant, dummodo Chriſti gloriæ ſeruirent, amore ſummo incenſos fuiſſe, conſtabit. Quid hic lacrymas, quid gemitus, quid ſuſpiria, quid ardentiſsimum cæli deſideriū commemorem? Quid colloquia illa iucundiſsima, quibus illi, qui Chriſti ſtudio incenſi ſunt, perflui ſolent, oratione perſequar? Quid illud, quod, ſiue otioſi ſint, ſiue labore aſsidue confliꝭtentur, ſiue domi ſe contineant, ſine foris negotia gerāt, ſiue pax ſit publice conſtituta, ſiue bellum impendeat, perpetuo de Deo cogitant; vſque adeo, vt ne ſomnus quidem, quo omnes curæ, & cogitationes ſopitæ conquieſcunt, eos a rerum Diuinarum conſideratione abſtrahere poſsit? Viſa nāque eis in ſomnis obiiciuntur, minime ab illis curis, quas vigilantes animo verſabant, aliena; ita, vt poſsint dicere, quod eſt apud Salomonē, Dormio quidem ego, ſed animus meus vigilat.

Cant. 4.

Itaque, cum vitæ principium, & fontem, cū ſempiternæ lucis originem, cum immenſam probitatem, ſempiternæq. iuſtitiæ rationem, cum ordinem, modum, & conuenientiam, ipſumq. decus, bonorumque omnium complexionem in Deo conſiderant, quo ſtudio flagrant! quanta ipſius ſummi boni cupiditate rapiuntur! quo impetu animi concitantur? Quid dicam, cum mente recogitant omnia, quæ de Deo ſentiunt, eſſe minuta, & anguſta, ſi cū Dei ipſius infinita claritate, & perfectione conferantur? Eam enim ne angeli quidem mente, & cogitatione complecti poſſunt. Quamuis enim mentes beatiſsimæ Diuino ſplendore colluceant, Deumq. clare videant, & quodammodo in naturam Diuinam conuerſæ ſint, non tamen totam Dei ipſius perfectionem comprehendere poſsunt. Dei nāque lumen immenſum, & infinitum eſt; earum vero intelligentia certis finibus circumſcribitur; ita, vt non ſit id, quod vident, & intelligunt, cum eo, quod non intelligunt, vlla ratione comparandum. Ergo, cum Diuini uiri in Deo non modo rerum omnium cauſsas, & ſpecies, & mundi ipſius ſempiterni, cuius hic, quem cernimus, imaginem gerit, rationem conſiderāt; &, præter lucem, vitam, claritatem, & bonitatē, etiam in Diuinitatis infinitatem mentem iniiciunt, magnitudine ſplendoris ipſius, quem ſuſtinere nequeunt, obruuntur, &, attoniti, ſenſibus oppreſsis, obſtupeſcunt; &, mente tādem, atque ratione compoſita, ſilent; ita tamen, ut tunc uehementius id, quod non intelligunt, admirentur; quod non adſpiciunt, ament; quod intelligentia comprehendere nequeunt, caritatis amplitudine complectantur. Tunc autem, cum nihil intelligunt, ſummum genus ſapientiæ conſequuntur. Intelligunt enim perfectiſſime, decus illud infinitum, quantum ſit, intelligi perfecte non poſſe. Qui cum iis excubant, atque pernoctant curis, fieri non poteſt, ut non amore, deſiderio, & cupiditate flagrantiſsima concitentur. At hæc eſt eorum aſsidua cogitatio, qui ſe Chriſto penitus dediderunt. Eam namq. Paulus ait non in terris, ſed in cælo uerſari. Ita fit, ut Dei familiaritate, & conſuetudine fruantur; & ebrietate ſempiterna, de qua etiam (ut Plato ait) antiquiſsimi Poetæ præclara dixerunt, exhilarati, iucundiſsime uiuant. Si igitur (ut Plato teſtificatur) in amore Diuinæ pulchritudinis, ſummæ, atq. ueriſsimæ ſapientiæ ratio continetur; & ſoli Chriſtiani, cum in cælo mēte, & ratione uerſentur, poſſunt Diuinę mentis ſpeciem quodā modo etiam in hac uita manentes intueri, & illius amore uehementius inflammari; certe licet, eos ſolos ſapientiæ compotes eſſe. Repete, quæſo, memoria, illam, quam elegantiſsime finxit, ſpeluncam; illa uincula, quibus homines ita conſtrictos eſſe facit, ut oculos in lucem reflectere nequeant; illas umbras inanes, quæ diſcurrere, & loqui uidentur; illa deniq. rerum ſimulacra, quibus homines illi, ferro uincti, ſoliditatem imperite tribuunt. Non potuit magis ante oculos communem inſipiētium hominum uitam ponere. Nam in terram depreſsi, & corporibus adſtricti, & uitiorū innumerabilium uinculis alligati, non queunt eo mentem conuertere, ut lucem adſpiciant, & ueras rerum formas intueantur. Neq. enim ueritas eſt in rebus corporeis, ſed in Diuinis, atq. ſempiternis conſtituta. Itaque huius uitæ commoda nihil ſolidi, & expreſsi cōtinent, ſed inanem bonorum imaginem gerunt. Homines uero, his rerum umbris aſſuefacti, imaginibusq. deluſi, bona inania conſectantur, &, falſa uoluptatis dulcedine liquefacti, ita detinentur, ut infeſti ſint omnibus, qui eos e uinculis illis eximere, & in ſuperas horas educere contendunt, ut uerum ſolem, atq. ueram lucem, & ueros homines, atq. uera bona cōſpiciant; hoc eſt, cæleſtia, atq. Diuina contemplentur, & mentis aciem in ſempiternis bonis defixā habeant. Quæro igitur a Græcis, an ullam hominum nationem viderint vmquam, quæ fortius vincula iſta ruperit, quā Chriſtianam? Quæ acriore ſtudio in lucem Diuinam reſpexerit? Quæ res hu-

manas animo maiore contempserit? Quæ ardentiore impetu in cælum mente penetrauerit? Quæ attentius ipsum Dei beatissimum numen, aut cum maiore fructu, contemplata sit? Nonne constat, hoc solis Christianis esse concessum, quoties fidem languentem excitant, & opem numinis suppliciter implorant, vt, laxati vinculis, a bonorum vmbris auersi, & ad vera bona conuersi, mente in cælum euolent, opesq. summas, atque sempiternas inspiciant, & Diuino colloquio cum admirabili iucunditate perfruantur? Vnde certe colligitur, omnem verissimæ sapientiæ disciplinam in Christi Cruce, quæ Iudæis offensionem attulit, Græcis materiam contemptionis dedit, esse collocanda. Illa namque flagitiorum vires exstinxit; temeritatem, & insolentiam compressit; cupiditates, & libidines nefarias elisit; humanasq. mentes e tyrannide mortifera liberauit; vt libere, atque solute possent cælestia contueri, & ardentissimo studio, & amore Diuinitatis inflammari. Præclaram optionem detulit Helias numinis falsi sacerdotibus. Sic enim Israelitas alloquitur: Dentur nobis duo boues; & illi eligant sibi bouem vnum, &, in frusta cædentes, ponant super ligna, & ignem non supponant; & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, & ignem non supponam; & inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei; & Deus, qui audierit per ignem, ipse sit Deus. Hæc quidem possumus illis, qui a Christi sacris abhorrent, simili ratione proponere. Preces assiduas fundant Iudæi; crebrisq. motibus in genua capita demittant. Mahumetani, eadem verba totum diem repetentes, corpora fœdissima agitatione concutiant; qui numina falsa colũt, carnes suas cultris incidant; numquam tamen eorum animos ardor Diuini amoris aduret. Soli Christiani sunt, qui per ignem audiuntur. Dum enim pura mente Deum orant, & in precibus assidui sunt, amore Diuini numinis incenduntur. Qui quidem amor tam acer est, tantasq. vires habet, vt homines sæpenumero mente quodam modo, atque ratione spoliet. Quo modo, inquies? Si igitur mentis expertes fuerint, sani esse non poterunt. Si fuerint insani, quo tandem modo sapientes erunt? Immo tum demum erunt sapientissimi, cum hoc insaniæ genere vehementer oppressi fuerint. Non enim furor omnis est detestabilis, & exsecrandus; immo genus est quoddam furoris, votis omnibus expetendum. Platonem audiamus, qui in Phædro furorem ita distinxit, vt vnum morbis humanis, alterum motibus Diuinis adscriberet. Eum vero furorem, quẽ Diuinum, hoc est, Diuino pulsu cõcitatum appellat, trifariam diuisit: vnũ enim vatibus, alium sacerdotibus, tertium amantibus attribuit. Neq. enim censet fieri posse, vt quisquã aliquod horũ trium munerũ commode, & feliciter exsequatur, nisi mẽs, a corpore longius abstracta, spiritu Diuino concitetur,

Furor trifariam diuiditur.

ita, vt communis sensus in illa maxime vigeat. At omnis motus, quem non ratio, aut sensus cõmunis impellit, furor appellari solet. Hunc tamen furorẽ, quem spiritus Diuinus efficit, Plato longe sensibus humanis anteponit. Et merito quidem. Summus enim sapientiæ gradus est, humano iudicio spoliari, Diuinoq. sensu compleri. Nam, cum humanæ prudentiæ iudicium angustis sane terminis definitum sit, sibiq. multum insolenter assumat; (quæ enim iudicat, sine rerum maiorum comparatione iudicat) & ita, omnia, quæ videt, & audit, imbecillitate sua metiatur; non potest vllo modo cælestia, atq. Diuina contueri. Nihil enim videt, nisi id tantum, quod est corporeum, dissolubile, & interiturũ. Quocirca necesse est illi, qui sapiẽtia potiri studet, vt, quoad fieri poterit, animum ipsum a sensibus, a corpore, atq. adeo a se ipso disiungat. Se ipsum namq. deserit animus, cum iudicium suũ contẽnit; seq. a studiis, quibus capiebatur, abducit, vt ipsam veritatẽ intueri possit. Veritas enim illa solũ existimanda est, ad quam mẽtes Diuinus spiritus erudit. Hanc igitur vehementem animi cõmotionem, qua mens terrã, & opes terrestres, & corpus, atq. (quod est longe mirabilius) seipsam relinquit, & abiicit, vt in cælum euehatur, ab ipsoq. Deo verũ percipiat, appellent sane, quo velint nomine, dummodo intelligatur, in ea demum sapientiæ summã consistere. Itaque, si lubet hunc motum, eo quod sit quædam vehemens, & acris contra communẽ sensum, & rationem animi concitatio, furorem nominare, minime repugnabo, dummodo constet, neminem vmquam fore perfecte sapientẽ, nisi eum, quem hęc tam salutaris insania, atque sapientissimus, & beatissimus furor oppresserit. Qui etiam a nobis sæpe Mors appellari solet. Vt enim nos Christi disciplinam ad summũ perductam furorem nominare non pudet; propterea quod hoc nomine disiunctio illa, qua mens rationẽ humanã deserit, intelligitur; ita, Mortis nomen nõ horrescimus, ob eã caussam, quod eo nomine dissidium illud, quo animus a corpore seuocatur, explicatum volumus. At hoc furore sapientia, & hac morte vita verissima continetur. Quid enim sapientius, quam sensus humanos, quam argumenta rationis, quam coniecturas, & opiniones incertas, a quibus tam sæpe delusi sumus, abiicere, vt, mente, atque sensu Diuino, in quo nullus error versari potest, commoti, & incitati, verũ, atq. sempiternũ bonũ intueri queamus? Quid salutarius, quam corpus infirmum, & caducum, necessariisq. mortis legibus adstrictũ, deserere, vt ipsi, vitæ sempiternæ amore ardentissimo, copulemur? Ex hoc autẽ rectissime concludi ratione potest, animum neq. perfecte sapere, neq. vita frui, quãdiu non fuerit abstractus a corpore, vt a Deo disciplinã hauriat, & speciem illius admiretur, illiq. amoris fœdere sempiterno coniungatur. Hoc hominũ vulgus cum non intelligat, & aliquando videat, homines Christo deditos, huma-

Veritas, quæ existimanda.

humanos sensus aspernari, commoda vitæ contemnere, voluptates noxias fugere, mentemq. a consuetudine corporis, & a communi hominum iudicio seuocare; stultos, & insanos esse iudicat, atque pro mortuis habēdos, eo quod nolint huius vitæ communis iucunditate potiri. Verum interim illi summis opibus sapiētiæ Diuinæ circumfluunt; & vita beata iucundissime fruuntur. Si enim nemo beatus esse potest, nisi sapiens sit; si sapientia parari nequit, nisi nos Deus, qui solus natura sapiens est, erudiendos susceperit; si Deo in disciplinam tradi non possumus, nisi nos a corporibus abstraxerimus; parum ne liquet, in hoc vel furore, vel interitu disciplinam verissimæ sapientiæ totam consistere?

Exod. 33.

Sic enim Deus Mosi dicebat, se non posse ab eo videri, qui in hac vita maneret. Itaque sapiētiam summam tum demum assequi poterimus, cum ab hac vita discesserimus. Vnde colligitur, id, quod Socrates aiebat, esse verissimum, eos in hac vita proxime ad sapientiam accedere, quibus minimum est in ea cum corpore mortali commercium. Summa vero Christianæ disciplinæ in hoc studio consistit, (vt Paulus ait) vt corpori Crucem, sicut sæpe iam dictum est, defigamus, qua necem corporis cupiditatibus inferamus; & ita Christi mortem imitemur, vt, quemadmodum ille seipsum ab inferis excitauit, vt vita Diuina immensa cum gloria frueretur; ita & nos, illius vestigijs ingressi, humanis sensibus exstinctis, in vitam Diuinam ingrediamur; vt, quod reliquum vitæ fuerit, in sanctis operibus consumamus, omniaq. vitæ studia Deo consecremus.

Crux, studium coercendi corporis apud Paulum.

Ipseq. Paulus, hoc vnum se moliri, & perpetuo meditari, dicit, in idq. omnes animi neruos intendere, vt Cruce, (sic enim studium coercendi corporis appellare solet) quā perpetuo gestabat, necem corporis cupiditatibus inferendo, Christi morti conformaretur, vt ita tandem posset vitæ illius Diuinæ similitudini conformari. Neque stultitiæ quidem, aut furoris nomen vir Diuinus extimescit. Nos, inquit, stulti propter Christum. &, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Id autē, quod homines humanis artibus eruditi, vt rude, & impolitum, despiciunt, est, quod verissimæ sapientiæ disciplina continet, ad quam nullo modo possunt Græci, & sapientes humanis viribus adspirare. Id autem, quam Diuinitus sit ab illo dictum, explicari vix potest.

2. Cor. 5.

Siue mēte, inquit, excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, caritas Dei vrget nos. O Diuinam hominis Diuini sententiam; qua paucis verbis omnem Christianæ sapientiæ perfectionem complexus est. Si enim volunt homines magni ad Deum propius accedere, vt illum clarius, vt in hoc vita licet, adspiciant, opus est, vt e corpore excedāt; Diuinoq. illo furore, de quo diximus, acrius incitentur, vt Diuinæ sapientiæ fructus amplissimos consequantur. Cum rursus homines alloquūtur, qui nondum sunt ad tantam disciplinam dociles, est mens recipienda, & sermo ad prudentiam communem, quæ non est legi Diuinæ contraria, sapienter accommodandus. Aliter enim ea, quæ dicta fuerint, homines imperfecti minime percipient.

1. Cor. 2.

Loquimur (inquit Paulus) sapiētiam inter perfectos. Sunt igitur imperfecti, quasi quibusdam elementis ad sapientiam paullatim adducendi. Hanc autem moderationem (qua mens excedit e corpore, &, vt apparet, furore corripitur, vt Deum alloquatur, & aliquādo rursus se colligit, & sobrie sermonem instituere videtur, vt possit intelligi) caritas Christiana gubernat. Ea namque docet, quo tempore sit corpus ab animo deserendum, vt Diuinū numen hominibus placari possit; quo rursus tēpore sit ab illo excessu reuocandus animus, vt homines erudiantur. Si igitur (vt ad Platonem reuertamur) sapientia consistit in animi puritate, in vitę sanctitate, in vitiorum fuga, in iustitiæ cultu, in Dei similitudine, in Diuinæ lucis splendore, in amore, quo mentes, in Diuinam pulchritudinem frequenter intuentes, incenduntur, & in furore denique, quo corpus ipsum a mente deseritur, vt ipsa mens, e corporis tenebris, tamquam vinculis, emissa, in cælum feratur; & constat, nullam aliam disciplinam, præter Christianam, hæc omnia in animis, qui se Christo penitus dederunt, effecisse; quid magis perspicuum esse potest, quam summam, perfectam, atque plane Diuinam sapientiam Christiana disciplina, atque ratione contineri? Soli enim, quos Christi nomen ad se allicit, & secū fœdere coniungit, puri, sancti, continentes, & iusti, Deique similes sunt; soli Diuino splendore collucent; soli amore veræ pulchritudinis inflāmantur; soli extra se sæpenumero rapiuntur, vt Deum multo puriore mente, & maiore cum voluptate contemplentur. Excogitarunt quidem Philosophi animi pacem, & tranquillitatem, & statum bonis veris circumfluentem, quem nullæ malorum tempestates agitare, & de mente deijcere possent. In hoc autem statu summum sapientiæ fructum collocabant. Sed, quis illum tandem cōsequi potuit? Quotus enim quisque fuit eorum, quem nō vel exagitaret libido, vel vexaret inuidia, vel sollicitaret ambitio, vel odium, aut ira de statu detorqueret? Verbis enim magnifice de tranquillissima pace disserere, concessum est omnibus, qui magnam eloquētiæ laudem consecuti sunt. At ea felicitate, & tranquillitate frui illis tantum licet, qui omnes has pestes animi cruce confixerunt, & quorum animi humana omnia pro nihilo putant, nempe qui ad cupiditatem Diuinitatis exarserint. Eam igitur Christiani tantum habent, qui nominis dignitatem studio mirabili vitæ consequuntur. Illi igitur soli sapientes sunt: soli namque fructu sapientiæ potiuntur. Sed ad illum fructum veniamus, quo nihil præclarius, & felicius, & admirabilius, & magnificentius existimari potest. Quis ille tandem est, inquies? Vnū cum Deo fieri. Sapientiæ namque studium est, Deum semper intueri, & illius speciem, & pulchritudi-

chritudinem vehementer admirari. Ex aſsidua vero Dei conſideratione amor ſummus exoritur. Amorem autem imitatio conſequitur. Libenter enim nos ad eorum mores effingimus, quos miro amore diligimus. Ex ea vero imitatione mira quædam ſimilitudo Diuinæ virtutis, & claritatis effloreſcit. Ex ea ſimilitudine animorum coniunctio naſcitur, illudq. ſanctiſſimæ amicitiæ fœdus, quod tantas vires habet, vt non liceat amico habere quidquam, ab amici vſu, & vtilitate ſeiunctum. Vt enim vitæ diſſimilitudo alienat animos; ita ſimilitudo conglutinat. Quod eo eſt in Deo vehementius, quo fides illius eſt in omni rerum varietate conſtantior, & potentia maior, & ſtudium, quo ſibi homines adiungit, admirabilius. Qui adhæret (inquit Paulus) Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo. (Eph. 6.) At Dauid non diuitias expetit; nō honores ambit; non voluptates exquirit; non ea, quæ homines præclara, & expetenda iudicant, in aliquo numero ponit. Vnum tantum illius votum eſt, quo mirifice flagrat, quo bona omnia continentur, Mihi, inquit, adhærere Deo, bonū eſt. (Psal. 30.) Quid aliud hoc eſt, quam Diuinitatem appetere? Si enim, qui Deo adhæret, vnus ſpiritus cum Deo eſt, &, qui vno ſpiritu continentur, idem ſint quodammodo neceſſe eſt; certe, qui Deo adhæret, illiq. ſemper eſt inflammato ſtudio coniunctus, Deus quodammodo nominari rectiſsime poteſt. O immenſam Diuinæ benignitatis amplitudinem. O virtutis infinitæ beneficentiam, in omni æternitate cælitum prædicatione celebrandam. O ſapientiam admirandam, & obſtupendam, quam nulla vmquam ſæculis infinitis obſcurabit obliuio. Iam cælum aſtris diſtinctū, & ornatum minime miror. Iam terræ fertilitatem, atque diuitias contemno. Iam maris immenſitatem, & aeris vim vitalem, & ſalutarem minimi facio. Solis ſplendorem, lunæ conſtantiſsimam varietatem, ſiderum ſpeciem, & pulchritudinem, & totius naturæ concinnitatem, & reliqua opera, ex quibus opificis ſummi potentiam, ſollertiam, & probitatem colligebamus, non adeo præclara puto. Vt enim ſtellæ, in ſplendorem ſolis incurrentes, claritatem luminis amittunt, ita multa Diuina opera, quamuis ſint clara, & illuſtria, cū ad alia multo illuſtriora conferuntur, propemodū euaneſcunt. Quid autem clarius, & illuſtrius eſſe poteſt, quam, hominem e terra concretum, natura fragilem, flagitijs inquinatum, pœnis ſempiternis obnoxiū, iacentem excitari, flagitijs liberari, ornamentis Diuinis illuſtrari, in cæleſtem hereditatem vocari, atque (vt vno verbo dicam) Deum fieri? Hoc tantum, & tam Diuinum officium, & munus non plane liquet obſcuritatem omnibus naturæ muneribus, Dei ipſius manu perfectis, & abſolutis, attuliſſe? Hic iam cerni facile poterit, Diuinam ſapientiam non ſine cauſſa tā præclarum opus hominum gratia fuiſſe molitam. Quod enim humanam ſpeciem, & formā induerit, quod ſe ad homines docendos dederit, quod ſub humana natura labores immenſos exceperit, quod ſe hoſtiam ſalutarem pro ſalute generis humani deuouerit, quod ludibria, dolores, cruciatus acerbiſsimos, conſtantia Diuina pertulerit; hæc omnia in eum finem ab illo ſuſcepta ſunt, vt immēſæ probitatis munere multos Diuinæ naturæ conſortes efficeret. Hanc enim dignitatem attulit hominibus, qui illum ſequerentur, vt filij Dei vocarentur, & eſſent, hereditatemq. cæleſtis patrimonij cernerent, nullis ſæculis interituram. Hanc autem numinis dignitatem tuemur, cum Spiritus Diuini monitis incitamur. (Rom. 8.) Qui ſpiritu Dei (inquit Paulus) aguntur, hi filij Dei ſunt. Si filij, (inquit idem Paulus) & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Immenſa igitur, & infinita probitas, quamuis in mundi molitione ſe magnificis operibus indicaſſet, nō tamen id adeo cumulate præſtitit, vt perfecto, quod latebat, inſigne fieret. Aliam igitur alterius mundi machinam non priori ſimilem, ſed multo clariorem ſuſcepit, vt multo magnificentius ſuæ benignitatis opes explicaret. Et ita factum eſt, vt multos filios ornamentis clariſsimis affectos in vnici filij ſocietatem conuocaret. Cariſsimi, inquit Ioannes, nunc filij Dei ſumus; ſed nondum apparuit, quid erimus. Cum autē apparuerit, ſimiles ei erimus. Videbimus enim eum, ſicuti eſt. Hæc eſt illa veriſsima ſapientia, & præſentis vtilitatis fructu iucundiſſima, & ſpe cuiuſdam Diuinitatis ampliſsima; cuius compotes, eum ſtatum aſſequuntur, quē nec bellorum omnium furor turbare, nec fraudes, & inſidiæ patti decoris poſſeſsione depellere, neque terror vllus ab hominibus obiectus infringere poteſt. Quin etiam, cum cælum tonuerit, & flumina denſa contorſerit, terraq. motibus horrendis conquaſſata deſederit, vniuerſaq. natura incendio cōflagrauerit, illi, qui ſe totos ad ſtudium Chriſti contulerunt, & illius crucem inflāmatis animis amplexati ſunt, erecti, & excelſi conſiſtent; & alta mente laboris ſui præmium cum ſumma iucunditate percipient: ita demum fiet, vt, cum omnes, qui, calliditate ſubnixi, concurſabant, & in amplificatione terreſtrium bonorum beatam vitam ſtatuebant, piorumq. hominum fidem ſummam eſſe ſtultitiam arbitrabantur, fracti metu, ſtrati ruinis, & exanimati, conciderint; illi, qui veriſsimæ ſapientiæ operam dederant, cum ſpe firmiſsima immortalitatis, & incredibili voluptate Diuinam conſtantiam retinebunt. Sunt enim (vt Petrus ait) filij Dei, non ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, nempe verbo Dei (1. Pet. 1.) permanentis in æternum ſingulari conſilio generati. Si enim cælum non poteſt vllo terræmotu de ſtatu ſuo conuelli, multo certe minus poterit Diuinum genus vlla terræ, aut cæli cōuerſione, aut naturæ totius interitu de ſtatu ſuo demigrare. Cælum namque, & terra, & omnia, quæ cæli ambitu coercentur, interibunt: at verbi Diuini ſemen tunc multo clarius, cum

reliqua

reliqua omnia funditus euerſa corruerint, opibus ſempiternis effluet, & ſummo gaudio triũphabit. A Deo enim non poteſt, neque totius orbis conflagratione, diuelli. Quid enim interueniet, quo vel Diuinæ caritatis incendium fluctibus vllis exſtinguatur; aut Diuinæ iuſtitię puritas vllis ardoribus abſumatur? Ita namque Deus fluctibus inſipientes obruit, vt ſapientes e medijs fluctibus eripiat; ita impios flammis exurit, vt pios in ipſis flammis quaſi infuſo rore lætificet. Non parum ſapienter inquit ille, qui dicit, Sapiens, qui ſibi prodeſſe nequit, nequidquam ſapit. Neque enim ſapiens appellari poteſt, qui nullum ex ſapientia, quam inaniter oſtentat, fructum colligit; ſed ſtultus, & amẽs, falſaque opinione ſapientiæ furenter inflatus.

Euripides, in Medea; vel Ennius ex Euripide Cic. in Ep. Fam.

Qui igitur in rebus valde metuendis, in certiſſimo appropinquaotis mortis argumento, in orbis terrarom exitio, in communi rernm omniũ vaſtitate, ſibi ipſi opitulari nequit, & intelligit tandem, cum acerbiſſimo animi cruciatu, ſe ſioe vllo fructu vitam omnem in ſtudio falſæ ſapientiæ contriuiſſe, parum ne liquet fuiſſe dementiſſimum? Nam, cum duplex genus ſtultitiæ ſit; vnum, quod minime ſibi ſapientiam arrogat; alterum, qnod in ſumma temeritate nimis confidenter ſapientiæ nomen vſurpat; quis oon videt, quanto ſit deteſtabilior ea ſtultitia, quæ eſt cum ſuperbia, & leuitate coniuncta, qnam ea, quæ non ita furenter extollitur? Vnde conſtat, omnes, qui Chriſti fidem ignorant, qui Crucem odio perſequuntur, qui ſibi nimiũ præfidunt, qui terram nimis intuentur, qni ad cælum minime totis animi viribus enituntur, qoamuis ſiot omnibus artium, quæ ſummis ingenij excogitatæ ſunt, diſciplinis inſtructiſſimi, eſſe furioſos, & inſanos, ſummæq. temeritatis, & amentiæ pœnis agitari. Non enim poterunt vllis artibus peſtem ſempiternam a ſeipſis auertere. Vera autem ſapientia huius Crucis, quam veneramur, amore, & ſtudio continetur. Caritatis enim Chriſtianæ tanta vis eſt, vt ea neqne viribus inuictis labefactari poſsit.

Stultitiæ genus duplex.

Quid enim eſt in terris morte valentius? At caritas vim ipſius mortis obterit, & obtnndit, illiusq. tela virtute repellit. Quid antiqui ſerpẽtis tyrannide, & immanitate robuſtius? At caritas omnes infeſtiſſimi dæmonis opes exſcindit, & inferiorum manium copias in fugam cõuertit. Illius virtus, & efficientia tam admirabilis eſt, vt interdum cum morte, & cum erebo, non incommoda ratione conferatur. Fortis (inquit Solomon) eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio. Quo tandem modo? Vt enim mors animum diſiungit a corpore, ita purus amor mentem, & voluntatem a ſocietate corporis auellit, vt eam cum Diuina mẽte, atque probitate conglutinet. Et, perinde atque ſempiterni ſupplicij metus a flagitijs auocat, ſimiliter, atque adeo mnlto vehementius æmulatio, qua offenſionem nobis cariſſimi numinis extimeſcimus, ab omni turpitudine deterret. Fieri enim nequit, vt, qui mentis aciem habet in ſempiterna pulchritudine defixam, vlla ſe impuritatis labe inquinari patiatur. Immo cruciatus omnes libentiſſime perferet potius, quã in Dei conſpectu quidquam de ſignet, quod ſit cum aliquo dedecore, & fœditate coniũctum. Nam, ſi amor impurus, & flagitioſus valde ſollicitus eſt, ne quid parum decore faciat; &, cum in turpitudinem feratur, turpitudinis tamen opinionem reformidat; quid facient, qui ſummam, & immenſam pulchritudinem, nullis ſordibus inquinatam, ſed Diuinis, atque ſempiternis ornamentis ſplendentem, omoibusq. rebus pulchris cauſſam pulchritudinis afferentem, puris animis intuentur? Qui Diuinis flammis incenſi ſunt, non offenſiooem Diuinam extimeſcent; omnesq. animi neruos intẽdent, ne quidquam agant, aut moliantur, quod non ad ſempiternum decus, & honeſtatem referatur? Non ſapienter intelligent, qnam ſtultum ſit, Dei gratiam, in qua omnes opes, facultates, omnes ſummæ voluptates, omniaq. Diuini decoris, & dignitatis ornamenta conſiſtunt, per ſummum flagitium, & dedecus effundere? Erit igitur hic Diuinus amor ſemper ſollicitus, & in metu verſabitur, & ſumma ſedulitate prouidebit, ne, quod eſt beneficio Diuino partum, humano flagitio peruertatur. Ita tamen timebit, ne vmquam Dei auxilio diffidat, ſed, illo ſemper inoixus, audeat ſibi omnia ſumma, atque ſempiterna bona polliceri. Sollicitudo igitur oon erit in cruciatu numeranda, ſed potius cautio ſalutaris appellanda. Metus ſimiliter ille oon animum triſtibus curis afficiet, immo ſtatum illius firmiſsimo præſidio circumuallabit. Quo enim magis metuet, eo mnnitior erit, & confidentins ad cælum adſpirabit. Cum vero caritas oculos oumquam a cælo deijciat; cum ſemper in ſpeciem illam præcellentiſſimam aciem mentis intendat; cum nihil aliod velit, aut cupiat, quam immenſa illa pnlchritudioe frui; cũ indies magis ſtudio Diuini decoris, & ſempiternæ dignitatis inflammetur; cum ſe totã, Dioino præſidio fulta, ad ſpeciem Diuinæ pulchritudinis effiogat; cum ſit Deo, quem ardenter amat, artiſſimo vinculo deuincta; cũ illius ſplẽdore, & claritate quotidie magis, ſi vim ſuam non remiſerit, illuſtretur; parum ne perſpicuũ eſt, omnem veriſſimæ ſapientiæ vim caritate hac ſumma, & ardentiſſima contineri? Hanc autem tam excellentem caritatem, & tam admirabilem ardoris vim, tantum amoris iocendium quis excitauit? Certe (vt multis iam demonſtrauimus) Chriſti ſanguis pro nobis in Cruce profuſus. Is enim mentes noſtras expiauit; animos tyrannide liberauit; & vires confirmauit; & cupiditatem a terris abſtractam ad conſpectum Diuinæ probitatis excitauit; vt pure cerneremus illam ſummam pulchritudinẽ, quæ ſola eſt iuconda, amabilis, & prædicanda, omnibusq. bonis, quæ cogitatione complecti poſſumus, looge præferenda. Sed, vt aliquem

modum


modum orationi ſtatuamus, eſt animaduertendum, quam amentes Iudæi, quam imperiti Græci fuerint, cum in Chriſti diſciplina vel Diuinæ virtutis ſignum, vel ſapientiæ euidens argumentum requirerent; cum neque virtutis Diuinæ ſigna maiora dari, neque ſapientiæ Diuinæ clariora argumenta proponi potuiſſent. Signa petunt Iudæi, cum ea ſigna ſint Diuinitus oſtenſa, quæ nullum omnino locum perfidiæ, aut dubitationi relinquant. Quæ fuerant enim oraculis promiſſa, ſignis expreſſa, figuris adumbrata, ita, quemadmodum prædicta fuerant, euenere. Quin etiam tempus ipſum præſtitutũ aduenit; & eo ipſo tempore Dei filius exortus eſt in terris; numenq. ſuum ſignis, atque portẽtis, & admirandis operibus indicauit; & multis ſalutem, libertatem, & dignitatem, & ornamenta peccatis amiſſa multis muneribus amplificata reſtituit. Vmbræ legis euanuerunt; imagines exterminatæ ſunt; ſolidi, & expreſſi fructus extitere; clariſsimus Diuinæ virtutis ſplendor eluxit; peccati vires fractæ, & debilitatæ iacẽt; Regnum mortis exciſum eſt; monſtra feritatis, & immanitatis euerſa ſunt; cæleſtis iuſtitiæ ratio conſtituta; & aditus in cælum pijs hominibus patefactus; vita, lux, ſalus, honeſtatis ſempiternæ decus, inſolitæ benignitatis amplitudo, numinis præſentiam declarauit. Sol, & aſtra, mare, tellus, omnia, quæ ſuper ſubterq. ſunt, quantum eſſet in Chriſto numen, quanta vis, atque potentia, aperte teſtificata ſunt. Seueriſſimum illud iudicium, quo ciuitas ampliſsima, & opulentiſsima corruit, templum flammis vltricibus exuſtum, antiquitatis illius ruina ſempiterna, quam infenſum ſit Dei numen omnibus, qui Chriſti imperium detrectauerunt, nomenq. illius delere voluerunt, clare demõſtrat. Gentes vltimæ (vt a Diuinis viris prædictum fuerat) lumine Diuinæ mentis illuſtratæ, incredibile gaudium percepere; & animis vehementer inflammatis ſeſe ad iuſtitiæ ſtudium contulere: contra, Iudæi, quod etiam olim præmõſtratum fuerat, qui ſeſe in tantum beneficium ingratos præſtitere, rerum omnium interitu, exilio, vaſtitate, omnium mortalium odio damnati, cæcitate, ſtupiditate, amentia vexati, furiarum ſtimulis exagitati, vagantur, & diras perfidiæ pœnas exſoluunt. Orant, & non audiũtur; opem Dei implorant, & a Deo deſeruntur; &, quo magis ſe perculſos, & ſtratos oſtendunt, eo acrius Dei iudicio peruertuntur. Crux interim, e qua Iudæi offenſionem cum inſigni temeritate ſumpſerunt, quod præ ſe imbecillitatis ſpeciem ferret, quanta ſit in ſe vis, multis rebus admirandis oſtendit. Ea namque iacentes excitat, cæcis lumen, ægris ſanitatem, mortuis vitam, vinctis libertatem reddit. Contra vero, falſa ſpecie religionis inflatos mentis lumine priuat, & in miſeriæ ſempiternæ regionem exturbat. Eſt igitur iucunda bonis, multitudini ſalutaris, ſempiternis autem hoſtibus horribilis, & pertimeſcenda. Ea denique, quæ olim propter metum, & horrorem, quem miſeris hominibus incutiebat, erat extremæ ignominiæ, atque dedecoris inſtrumentum, nunc in bello præſidium, in mœrore ſolatium, in pace firmamentum præbet, & præterea decus, & honeſtatem, & gloriam immortalem conſtituit. Tantum igitur abeſt, vt in ea inſit aliquod imbecillitatis argumentum, vt potius vim Diuinam, robur inuictum, opes ingentes, victoriæ inſignis inſtrumẽtum, clariſsimi triumphi memoriam ſempiternam contineat. Si Iudæi igitur ſigna petunt, odium, inuidiam, contumaciam a ſe repellant; tenebras fugiant; & in hoc vnum ſignum Diuinæ virtutis, omnium maximum, aciem mentis intendant; & ſignum non amplius vllum poſtulabunt. Signum quidem erit illis vitæ, ſalutis, atque dignitatis, ſi fidem Deo adhibere, & a prauitate ad pietatem conuerti voluerint: ſignum vero ruinæ, peſtis, & exitij, ſi in inueterata improbitate permanſerint. Græci ſapientiam ſpeculantur, & in illius ſtudio omnem vitam ſine vllo fructu, & emolumento conſumunt; nos vero illis ſapientiæ clariſsimas opes explicatas, & euolutas oſtendimus. Chriſti namque diſciplina Dei immenſam probitatem, & ſapientiã, infinitamq. potentiam hominibus, non verbis, inani ornatu, & elegantia concinnatis, ſed Spiritus Diuini demonſtrationibus explicatis, explanat. Docet enim, quam fuerit immenſæ benignitati conſentaneum, humano generi conſulere; iuſtitiæ, munus par, & æquale offenſæ, quam primi parentes intulerant, exigere; probitati, hominibus, quod pro tanto crimine poſſent offerre, piaculum dare; potentiæ, atque ſapientiæ, quemadmodum clemẽtiæ ſimul, atque iuſtitiæ ſatisfieri poſſet, rationem inire; humanumq. genus admirabili documento infinitæ bonitatis incendere; & ad ſtudium pietatis acriter incitare. Hæc igitur doctrina aperuit hominibus, quantum eſſet in Deo humanæ ſalutis ſtudium, quanta caritas, & benificentia, quam admirabile conſilium, quam immenſa vis, numen, atque potentia. Perfecit enim, vt videremus, quemadmodum infinitum naturæ Diuinæ numen ſine vlla ſui ipſius immutatione, aut maieſtatis imminutione naturam humanam ſecũ inexplicabili ratione copularet: & ita ſe mens illa ſempiterna cum humana forma communicaret, vt ex vtraque natura integra, & in ſtatu ſuo ſine vlla confuſione permanente, vna perſona conſiſteret; ita, vt, qui pro noſtris ſceleribus mortem, & acerbiſsimum cruciatum pati voluit, eodem ipſo tempore, quo torquebatur, cælum, & terram amplitudine ſuæ maieſtatis impleret; vniuerſamq. naturam imperio ſempiterno conſtringeret. Illud enim docuit, quo pacto pater a ſempiterno tempore filium ſibi ſimilem, qui erat tempore a ſempiterno cõſilio præfinito ſalutem terris allaturus, genuit; eumq. amore immenſo, atque ſempiterno ſibi deuinxit; vt ita vnum & idem maxime natura ſimplex, virtute tamen omnipotens, numen eſſet

in tri-

in tribus personis constitutum. Quanta postremo, & quam salutaris vis insit in hac disciplina, multis modis ostenditur. Ea namq. morbos animi pellit; cupiditatis fibras exscindit; turbulentos morbos comprimit; rationem tyrannide liberat, & in amissam dignitatem restituit; pacem, & tranquillitatem efficit; studiumq. Diuinæ virtutis incendit. Eadem lumen præfert animis, quo rerum inanes species, & vmbras, quibus erant assueti, contemnant; & vera, supera, cælestia, & sempiterna, atque Diuina suspiciant; & aciem mentis in pulchritudinem immensam intendant; amoreq. illius acriter inflāmentur; vsque adeo, vt extra se sæpenumero rapiantur, & in cælum euolent, vt verissimæ sapientiæ disciplinam ab ipso Deo percipiant. Ea sic homines ipsi summo Domino coniungit, vt non modo eos Dei ipsius amicos, filios, heredes efficiat; verum & ita secū deuinciat, vt ex Deo, & homine vnum fiat, hoc est, vna propemodum mens, vnus sensus, vna voluntas, vna sententiarum consensio, vna rerum communio, & indissolubilis in omni temporis æternitate conspiratio. Ea postremo (vt vno verbo omnia concludamus) homines Deos facit. Sic enim Dei filios Diuinis muneribus, & ornamentis illustratos, ipsiq. patri (quantum licet, & fas est) vitæ splendore, & claritate simillimos appellare licet. Quid hac igitur vel imbecillitate fortius, vel stultitia sapientius? Iudæi passim labuntur, & concidunt. Græci in tenebris ruunt. At, qui sese Christo dediderunt, inuicto præsidio muniti, luce Diuina perfusi, neque vinci, neque tenebris obrui, & impediri, quamdiu in statu permāserint, vllo modo possunt. Itaque, quamuis Euāgelium nullis sit argutijs implicatum, nulla disserendi ratione vallatum, nullis dicendi luminibus illustratum, per se tamen splendet; admirabilemq. lucem longe lateq. diffundit; cum iterim illi, qui sapientiæ nomine insolenter efferūtur, in tætra caligine, bonorumq. omniū ignoratione, versentur; ita, vt, quo magis ad vitam beatam adspirant, eo furentius, atque turbulētius sese in pestē sempiternam inijciant. Quem enim fructum isti sapientes assecuti sunt? Si enim sapientia est veritatis cognitio, vnde tam multiplices errores in eorum disciplinis exorti sunt? Si Philosophia cupiditati, & reliquis animi pestibus se interitum allaturam esse confirmat, cur animi Philosophorum tam nefarijs cupiditatibus agitantur? Si animis quietem, & otium pollicetur, cur nemo in ipsius philosophiæ gremio conquiescit? Si Græci sapientes sibi vitam beatam proponunt, cur vix vllus vmquam, qua in re vita beata consisteret, explicare potuit? Si deniq. sapientes, si liberi, si pulchri, si opulenti, si reges, si bonis omnibus affluentes, si postremo felices, atque beati sunt, cur libidini seruiunt? Cur insigni turpitudine deformantur? Cur indomita cupiditate rapiuntur? Cur sunt flagitijs infinitis obnoxij? Cur omnibus verissimæ virtutis ornamentis carent? Cur animi cruciatu, & angore sæpissime conflictātur? Comprehendam, inquit Deus, sapientes in astutia eorum. Illis enim ipsis conatibus, quibus sapientes salutem assequi contendunt, in pestem, & exitium sempiternum feruntur; eisdemq. illis plagis, quas in aliorum perniciem callide tenent, Diuino iudicio capiuntur. Sic tandem fit, vt homines, qui sibi peracuti videntur, cum bonorum simplicitatem irrideant, sibi ipsis interitum moliantur; & boni, simplicitate firmati, saluti suæ recte prospiciant. Similiter, cum isti sapientes, ex operibus naturæ, Deum naturæ parentem agnoscere possent, a Deo desciuerunt, & in summam stultitiam, & cæcitatē conuersi sunt. Contra vero, multi, qui artium rudes erant, minimeque mentem in naturæ peruestigatione defixerant, sapientiæ compotes exstiterunt. Nam, quia in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Stultitiam appellat Paulus disciplinam dicendi, ornamentis nudatam, humanæ Philosophiæ præsidio destitutam, nulla acuminis ostentatione subnixam, nullis sophistarum fucis, & medicamentis infectam; sed rectam, & simplicem, lumine Diuini spiritus animis puris traditam, humanisq. mentibus Christi meritis incisam, quæ summa sapientia nominanda est; quamuis ea Græcis, qui perituri sunt, stultitia summa videatur, vt Paulus ait: Verbum, inquit, Crucis pereuntibus stultitia est. Quemadmodum igitur vera iustitia, legis, & Prophetarum testimonio confirmata, quā, qui legi, atque Prophetis operam dabant, a se scelere infando repulerunt, sine vllo legis antiquæ præsidio, gentibus fuit per Christi fidem, & religionem concessa; ita vera sapientia, quæ in naturæ operibus eluxerat, quam ij, qui naturam speculabantur, aspernati sunt, illis, qui numquā in naturæ speculatione fuerant occupati, tradita fuit. Quid igitur Græcorū sapientia dementius? Quid rursus hac stultitia (vt Græci nominant) aut sapiētius, aut magnificentius, aut salutarius excogitari potest? Diuinitus est igitur a nostro Paulo dictū: Nos, inquit, prædicamus Christum, & hūc Crucifixum, Iudæis scandalū, (grauem namq. offensionem illis intulit) Græcis stultitiam, speciē namque stultitiæ insignis obtulit: At illis, qui a Deo in lucem vocati sunt, siue illi Iudæi, siue Græci sint, Dei potentiam, atque sapientiā tradimus, & explicamus. Quis negare potest, hanc sententiam explicatā a Paulo fuisse diuinitus? Nec enim quidquam fieri potest aut Christi imbecillitate potentius, aut humilitate magnificētius, aut morte salutarius, aut stultitia prouidentius, aut inopia bonis omnibus affluentius. Restat igitur, vt ij, qui, firmis viribus, inuictoq. præsidio confirmari, sapientiæq. muneribus instrui, & ornari percupiunt, ad studium sese Crucis adiungant, Christiq. ipsius Cruci affixi numen implorent, ab illoq. solo sapientiam postulent, & exspectent, vt sic tā-

dem

dem in ſuperas illas ſedes adſcendant, Diuinaque luce æuo ſempiterno perfruantur. Te igitur, ſumme Domine, vita, lux, veritas, immenſi, atque ſempiterni ſplendoris imago, mens, & ſapientia patris, rerum omnium cõditor, rector, atque moderator, qui ſine vllo principio ab ipſo fonte totius perennitatis exortus, eidemque immenſa, & infinita caritate deuinctus, ſæcula condidiſti, & cælum, ignem, terram, maria, ſidera, & animantia cuncta, & omnia denique, quæ complexu cæli coercentur, & quæ ſupra cælum ſtatum naturæ ſuæ tuentur, feciſti, & informaſti, qui hominem ad naturæ Diuinæ ſimilitudinem manibus tuis factum in animantium omnium principatu collocaſti, eundemq. hominẽ collapſum, & ruinis mirabiliter oppreſſum minime neglexiſti, immo vt illum erigeres, & in terris opes immenſas infinitæ potentiæ, iuſtitiæ, probitatis oſtenderes, naturam humanam tecum inuiolabili fœdere colligaſti, & ſub vera hominis forma, & ſpecie homines tætris tenebris, & miſeranda caligine demerſos in lucem vindicaſti, cæleſtibusq. diſciplinis inſtruxiſti, eorumq. animis ſtimulos admouiſti, quibus eos in ſtudium immortalitatis incitares, qui te hoſtiam ſanctiſsimam, vt cunctas eorum labes elueres, illisq. patris numen infenſum placares, obtuliſti; & pro omnium ſalute mortem, pro dignitate contumelias, pro voluptate ſempiterna dolores, & cruciatus acerbiſsimos pertuliſti; qui regionis infernæ clauſtra reuelliſti; hoſtes immanes peruertiſti; menteſq. pias luce mirabili colluſtratas ingenti gaudio cumulaſti; qui deuicta morte, & ſpoliatis hoſtibus, cum ingenti gloria reuixiſti; &, in cælum victor euectus, ad patris dexteram collocatus, imperij ſempiterni munus ſuſcepiſti; Spiritumque ſanctum ad eorum animos, qui in te omnem ſpem ſalutis, & dignitatis poſitam habebant, miſiſti, vt eos opibus Diuinis afficeret, & cupiditate Diuinitatis inflammaret; te, Chriſte ſanctiſsime, qui, cum verus Dei filius ſis, hominis veri nomen non horruiſti, oro, precor, & obteſtor, per immenſam illam probitatem, quæ tuum numen impulit, vt tam admirabile, atque Diuinum beneficium in homines ingratos, atque ſceleratos conferret, per vulnera, per conuicia, per dolores, per ſanguinem tanta largitate profuſum, vt nos omni crimine liberes; ſplendore tui luminis illuſtres; amore tuæ claritatis inflammes; tecum arctiſsime coniungas; vt ſic tandem ſapientes ſimus; & id, quod natura ardentiſsime cupimus, non naturæ beneficio, ſed gratiæ tuæ munere conſequamur; atque tandem (benignitas namque tua facit, vt tantum munus poſtulare minime dubitemus) vt nos, tamquam filios, atque fratres, hoc enim nomine eos, qui te ſequerentur, ornatos eſſe voluiſti, Diuinitatis participes, gloriæque tuæ conſortes efficias.



HIERONYMI OSORII LVSITANI

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS

LIBER PRIMVS.



E virtutis amplitudine multa quidē olim a viris doctissimis acute, elegāter, & copiose, disputata sunt, cum in laudē illius omnes vires ingenij, & summas opes eloquentiæ, contulissent. Attamen, cum eam pro dignitate laudare cuperent, nullo modo id consequi potuerunt. Est enim virtus, mentis, & rationis perfectio, legis sempiternæ conformatio, Diuinæ claritatis effigies, pulchritudinis absolutæ concinnitas, immortalis gloriæ via, omnia summa bona complexu suo coercens, & continens. Nec enim est tantus splendor in astris, neque tantum decus in vniuersa natura consequitur, vt sit vllo modo cum virtutis dignitate, & elegantia, conferendum: nec vtilitates, quæ ex mundi totius concordia capiuntur, sunt vlla ex parte cum virtutis eximio fructu comparandæ. Nam reliqua omnia ad corporis victum, & cultum, conferuntur; & sunt breuis æui spatio definita; at virtutis ornamenta in animum congeruntur, neque possunt mortis, omnia demolientis, immanitate consumi. Vnde colligitur, frustra multos homines, excellenti ingenio præditos, animi conatū ad opes virtutis illustrandas comparauisse, cum constet, virtutes omnes non hominum studio solum, & industria, sed simul Diuino munere, & beneficio, contineri. Diuina vero munera orationis humanæ viribus explicari non possunt. Quo modo autem fieri poterat, vt virtutem ornarent, cuius vim penitus ignorabant? Aut, qua tandem ratione licebat illis, vim, & rationē, virtutis intueri, qui oculos in fontem virtutis minime conijciebant? Non igitur nobis veram virtutem, sed virtutis imaginem, tradidere. Quemadmodum enim homines, cum, vi naturæ persuasi, omnia vi Diuina gubernari statuerent, ipsius tamen Dei sanctissimum numen ignorarēt, Deos sibi in terra furenter adsciuerunt; eoq. dementiæ progressi sunt, vt Diuinitatem simulacris attribuerent; sic, cum, admonitu naturæ, cognouissent, nihil in vita fieri posse virtute præstātius, illiusq. vim minime complecti cogitatione potuissent, imaginē virtutis amplexati sunt. Et, similiter, atque opifices artificio suo e quauis materia Deos efficiebant, ita etiā Philosophi virtutum simulacra fingebāt, eaq. varijs coloribus illustrabant. Veræ namque virtutis non aliud principium potest assignari, præter illum summum bonorum omnium fontem, vnde omnes laudes amplissimæ dignitatis, & honestatis, emanant. Qui igitur virtutis rationem nō in Diuina clementia, sed in sua tantum industria, collocant, non solum vani, atque fraudulenti, sunt; sed in Deum scelerati. Diuinam namque gloriam ad se transferre conantur. Quo facinore quid excogitari potest immanius? Tu, cum fruges, cum vitæ commoditates, cum opes terræ visceribus, cum corporis sanitatem Dei beneficentia, contineri fatearis; vnā

virtutem, quæ cunctis his rebus partibus infinitis antecellit, tibi ipse, viribusq. tuis adscribas? Quid enim est, gigantũ more bellum Deo inferre conari, si hoc nõ est? Cum Diuina namque mente bellum gerit, qui se Deo lõge anteponit. Porro autem se Deo anteponit, qui se virtutis auctorem profitetur. Dei namque summum beneficium ad se reuocat, sanctissimiq. numinis maximum decus impie, & insolenter, assumit. Quis igitur nobis virtutẽ tradere potest? Is certe, qui Deum semper intuetur; qui pura mente numen illius veneratur; qui principium, & caussam, totius honestatis, & dignitatis, agnoscit; qui cælestibus disciplinis imbutus, non in virtutis imagine describenda vehementer elaborat, sed in verissima virtute demonstranda vitam omnem, cum admirabili sapientiæ fructu, consumit. Inter illos vero summos sapientiæ verissimæ principes, qui hoc amplissimũ munus susceperunt, vnus Paulus exstitit, qui virtutis vim, splẽdorem, & pulchritudinem, & efficiẽtiam, non ab hominibus, sed a Deo, percepit; qui disciplinam cælestem, a spiritu Diuino sibi traditam, hausit; qui, in cælum euectus, arcana Diuinæ sapientiæ didicit, verissimæq. dignitatis elegãtiam vidit, percepit, & artissime complexus est; nempe, in cuius mente vnicus Dei filius sedẽ sibi collocauit, ita, vt nihil aliud sit animus Pauli iudicandus, quam Christi sacratiũ atque fanum, sanctissima religione dedicatum, vnde verissima responsa petenda sunt. Nec enim, cum is sententium suam summis dicendi viribus explicabat, Paulus ipse loquebatur, sed spiritus Christi, Pauli mẽte inclusus. Is igitur, cum in omnibus epistolis suis, tum vel maxime in epistola, quã ad Romanos scribit, sapientissime docet, quæ sit virtutis fons, & origo, quam Iustitiæ nomine luculẽtissimis verbis exornat. Nec enim, cum Iustitiam appellat, vnam præcipue virtutem intelligit, sed virtutis vniuersæ complexionem, Diuinã formam admirabili pulchritudine referentem. Hãc autem epistolã (propterea quod iustitiæ decus, in quo omnis virtutis elegantia consistit, sapientissime declarat, & omnem Christianæ philosophiæ rationẽ complectitur) explicandam suscepi, vt multis, Diuini hominis sententiam, ad cælũ viam egregie munientem, pro viribus explanarẽ. Non sum nescius, fore multos, qui me audaciæ, & temeritatis, insimulent, quod sanctarum litterarũ commentationem sim auspicatus ab ea Pauli epistola, quã multi viri, eruditione præstantissimi, vix intellexerunt. Alij rursus me stulte arrogantem forrasse existimabũt, quod aliquid lucis afferre coner operi, iam multis doctissimorum hominũ commentarijs luculenter explicato. Quibus vt breuiter respondeam, alterutri mihi rationem dabunt, qua me contra aliorum vituperationem præmuniam. Nam, si epistola hæc iam satis explicata est, nemo me temeritatis, & arrogantiæ, poterit insimulare, quod in re difficillima versari minime pertimescam: si non dum satis in locis quibusdam explicata est; non sine caussa videbor, omnes conatus animi ad explicationem illius comparauisse. Non deerunt etiã fortasse, qui me multum, & ineptum, arbitrentur, eo quod quattuor libros in hac vna epistola explananda consumpserim. Sed hi, cum secum statuerint, omnẽ Christianæ pietatis rationem, verissimæq. sapientiæ disciplinã, hac epistola contineri, nõ mihi vitio vertent, si malui, dum sentẽtias nimis abditas, & obscuras, explanare conor, paullo longior existimari, quam, dum venor laudem breuitatis, obscurior. Sed minime necesse arbitror, in repellendis obtrectatoribus meis, si qui forsitan exstiterint, operam multã ponere. Boni enim, cũ intellexerint, quali animo hoc opus aggressus sim, mihi molesti non erunt; improbis autem ipse quam molestissimus esse cupio. Quid, si quibusdam in locis, ad Pauli Diuinam mentem percipiendam, adiumentum non mediocre bonis attulero? & eadem simul opera perditos impiorum hominum conatus repressero? num operam male consumpsisse putandus sum? Non, opinor. Nec enim facile dixerim, an sit mihi iucundius, iuuare studia bonorum, an coercere petulantiam improborum. Indignissime namque patior, tanto furore, & audacia, quosdam homines perditissimos flagrare cœpisse, vt scriptis hominis sanctissimi, ad scelestissimum facinus adstruendum, nimis furenter abuterentur. Quanta vero dementia

eos

eos exagitet, ij facillime percipient, qui nobiscum Diuinas Pauli sententias recognoscent. Hoc autem admonere minime alienum puto omnes, qui in hos libros inciderint, vnum & idem argumentum esse, in omnibus epistolis Pauli, in hac tamen luculentius expositum. Hoc enim illi semper propositum fuit, vt demonstraret, nec in humano ingenio, nec in humanis ritibus, nec in vlla humanæ alacritatis industria, nec in legis quidem Diuinæ tabulis inscriptæ studio, veræ iustitiæ viam, & rationem, sed in Diuina tantum clementia, constitutam esse, quæ quidem est fide comparanda. Vt enim nihil est ea confidentia, qua nobis ingenium, & vires, assumimus, in vita funestius; ita nihil ea fide, qua omnia vitæ præsidia in Deo collocamus, poterit esse salutarius. Cum Fidem appello, non eam intelligo, quam Lutherus, vir omnium scelestissimus, effinxit, vt omnem Dei metum tolleret, studium virtutis exstingueret, & Dei religionem violaret. Ea namque, vt in nostris de Iustitia libris diximus, non est appellanda fides, sed temeritas immanis, & confidentia præceps, & flagitionum seminarium, & infandi sceleris officina. Fides vero, quam viri Diuini, atque Christus ipse tradit, summam modestiam, & moderationem, continet, & est officiorum omnium magistra, & acre pietatis studium, summumq. sapientiæ fundamentum, gremio suo complectitur; vt Paulus ipse satis luculenter ostendit. Qui quidem, vt demonstrat, omnem vitam esse ea fide moderandam, quæ non humanis opibus, sed Diuinis, innititur, ponit ante oculos flagitia, & scelera, omnium mortalium, qui sine fide vixerunt; quamuis multi eorum essent acerrimo ingenio præditi, & industriam suam in artes maximas contulissent. Ostendit igitur, quam fragiles sint opes naturæ, quam parum iuuet ingenij vis, & acumen, quam inutile sit omnium disciplinarum studium ad honestatẽ comparandam, si opem Diuinam remoueas, ex eo, quod illi etiam, quorum magnus animus, & ingenium summũ, exstitit ad opes animi contuendas, quia sine fide se se ad virtutis studium conferebant, non modo virtutis expertes exstiterint, verum etiam flagitijs omnibus inusti fuerint. Similiter autem docet Hebræos, qui se se, sine huius fidei sanctissimæ præsidio, ad studium legis Diuinæ conferebant, nullum ex eo studio fuisse iustitiæ fructũ consecutos; immo tantis se flagitijs contaminasse, vt gentes, etiam a sanctissimis placitis alienas, scelerum immanitate superarent. Itaque demonstrat, neque rationem, neque disciplinam, neque priscæ legis instituta, potuisse genus humanum ab insigni turpitudine, & exitio sempiterno, reuocare. Quocirca omnem spem honestatis, atque salutis, esse in summi illius Domini benignitate, & gratia, reponendam, qui, vnici filij meritis, & sanctitate, placatus, humanum genus sibi fide coniungit, & animos eorum, qui flagitia detestãtur, & se alacres ad tantum beneficium accipiendum exhibent, iustitiæ Diuinis ornamentis exornat, & ad spem firmissimam immortalitatis rapit; & hac fiducia erectos inuicto præsidio communit. In ipsius autem iustitiæ opibus explicandis oratio illius mirabiliter exsultat. In tota oratione multa Diuinitus admiscet, quæ sunt attentissima consideratione dignissima. Disserit enim de duplici generis humani stirpe; vna, qua, secundum terreni seminis propagationem, generati; altera, qua, secundum fidem, fœtu Diuino procreati sumus: de duplici homine, vno exteriore, impura terrestriũ rerum cupiditate flagrante; altero interiore, insito studio cælestia spectãte, & Diuina, atque sempiterna, moliente; de lege membrorum, qua ad flagitia propensi sumus, & turbulẽtis motibus in varias partes agitamur; de lege mentis, qua ad studium pietatis allicimur, & studio Diuinitatis incendimur. His rebus adde voluntatis humanæ libertatem, Diuinæ benignitatis immensitatem, inexplicabile, atque sempiternum, Diuinæ mentis iudicium, perfidæ gentis interitum, illius, quam fides erexit, amplitudinem, aliaq. multa, ad animi cognitionem pulcherrima, & ad vitam rectè constituendã valde necessaria; quæ suis locis exponenda sunt. Ipsum igitur Paulum audiamus. Qui, si puram mentem, & acrem attentionem, ad ipsius doctrinam contulerimus, nos certe Diuinæ sapientiæ opibus locupletabit. Sic autem incipit:

CAP. I.



Aulus seruus Iesu Christi. Paulus, duplex nomē habuit. Nā Saulus appellatus est Hebræo nomine, Romano autē Paulus. Fuit enim hoc olim in more positum, cum Romani rerum potiebantur, vt, qui ex alijs gentibus in Romanam ciuitatem veniebant, præter nomen sibi a suis inditum, aliud vsurparēt, quod esset ipsis Romanis familiare, & vsitatum, atque ex aliqua nobili familia sumptum. Ad hunc modum, P. Terentius, natione Afer, (sic enim traditur) postquam ciuis factus est, Terentij nomine cœpit appellari. Sic Theophanes, in Gaditania natus, cuius patrocinium Cicero suscepit, Cornelius Balbus appellatus est, cum primum fuit in ciuitatem illam receptus. Archias item poeta, postquam fuit donatus ciuitate, Liciniorum nomē secutus est. Et, ne pluribus exemplis rem valde notam confirmemus, Tribunus ille, qui Paulum Hierosolymis comprehendi iussit, non modo Lysias, Græco nomine, quod natura Græcus esset, appellatus est, sed etiam, quod ciuis Romanus esset, Claudij nomen obtinuit. Nemo denique ciuis Romanus effectus vnquā fuit, qui non nomen aliquod Romanum sequeretur, quo deinceps appellari vellet. Paulum vero ciuem Romanum fuisse, non ambigimus, cum id ipsius testimonio, quod ex Actis Apostolorum constat, perspectum, & cognitum, habeamus. Quo modo autem vel ille, vel parentes illius in ciuitatem venerint, non est curiose inuestigandum. Facile enim erat, Principis alicuius beneficio, ius illius ciuitatis consequi; eo præsertim tempore, quo omnibus prope nationibus ciuitas illa patebat, adeo, vt nihil esset magis peruulgatum, quam ex omnibus nationibus ciues Romanos fieri. Mihi vero cum constet, Paulum ciuem Romanum fuisse, quo modo ciuis extiterit, non laboro. More igitur illorum hominum, qui erant in ciuitatem illam recepti, duplex nomen habuit, alterum suæ gentis, alterum ciuitatis. Quam diu autem fuit nimium suæ genti deditus, eo nomine maluit appellari, quod erat ab Hebræo fonte deductum. Postquam vero, Iudæorum perfidia offensus, ad alias gentes erudiendas se contulit, id nomen libētius vsurpauit, quod gentibus erat, propter Romani imperij consuetudinem, magis familiare, & vsitatum.

Hæc de Pauli nomine pluribus fortasse, quam necesse fuit. Sed, quando viri grauissimi, atque sanctissimi, hanc nominis huius quæstionem dignam esse statuerunt, in qua laborarent, nō indignum esse statui, explicare, quid de nominis huius ratione sentirem. Sed ad maiora veniamus. Seruum se appellat. Serui nomen non est hic positum ad significandam humilitatem, & abiectionem, sed eximiæ dignitatis amplitudinem. Cum enim de maximis, & altissimis, rebus sermonē instituat, par est, vt honoris sui titulis propriam auctoritatem constituat. Illum igitur titulum primo loco ponit, quo est maxime gloriandum. Soli enim, qui Christo seruiunt, cum libidinis, & impuritatis, dominatum a ceruicibus suis depulerint, Regijsq. opibus, & diuitijs, affluant, liberi sunt, soli Principes, soli Reges, existimandi. Iesus, est vocabulum Hebræum, ipsamq. salutem sonat. Omnis autem salus in Dei præsenti numine consistit. Solus enim Deus est, vt ille inquit apud Isaiam, qui salutem dare potest. Inanis est enim hominum gratia, inanes opes, fallax, & inane, præsidiū. Vana, inquit Dauid, est salus hominis; & a Domino est salus; & nolite confidere in principibus, & filijs hominum, in quibus non est salus. Cum igitur constet, salutem nullo modo esse, nisi tantum in Deo, collocandam; efficitur, vt hoc sanctissimum, & augustissimum, Iesu nomen, cum salutem significet, nullo modo in naturam humanam conueniat, nisi quatenus est cum Diuina, inexplicabili ratione, copulata. Vocabis, inquit Angelus, nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum. Ergo, si, ideo quia erat salutem allaturus populo suo, Dei iussu vocatus est Iesus; salutem vero nemo potest afferre, nisi Deus; satis liquet, hoc nomine vim Diuinam contineri. Merito igitur hoc Diuinum Iesu nomen, fideli mente conceptum, animam curis leuat; singulari lætitia complet; excelsum, & inuictum, facit; idem improbis horrorem incutit; hostiles impetus frangit; omnes Satanæ machinas disturbat. Est igitur iucundum afflictis; salutare miseris; gloriosum bonis; horribile, atque pertimescendum, sceleratis. Quod autem ad Christi nomen attinet, satis constat, esse Græcum. Valet autem idem, quod apud Hebræos משיח apud Latinos Vnctus. Hoc autem nomine appellabantur olim Hebræi Reges, atque Sacerdotes, eo quod vngerentur vnguento quodam, ex certis odoribus confecto, prout lex ipsa Diuina sanciebat. Designabat autem vnguentum illud, Regiæ cuiusdam, & sacrosanctæ, virtutis nitorem, atque mirificam odoris suauitatem, quæ ex Spiritus sancti donis, atque muneribus, afflatur. Hoc autem qui perfusi sunt, facillime possunt Regia munera sustinere, Deumq. plenissimo pietatis cultu venerari. Hoc autem vnguento fuit Iesus, secundum humanam naturam, copiosissime perfusus, vsque adeo, vt ex illo ad omnes, qui eum sequuntur, suauitas illius mirifice redundaret. Quemadmodum inquit Ioannes, Et de plenitudine eius omnes nos accepimus. Daniel autem ait, Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vt autem illa prisca legis vn-

ctio,

ctio, nihil ad animi cultum, & splendorem, conferebat, sed eum tantum adumbrabat; ita neque illi veri, & perfecti, Christi erant existimandi, qui vnguento illo erant obliti, nisi fuissent simul spiritus Diuini gratia deliburi. Cum autem Iesus sit omnium, quorum animi Diuina virtute splendent, princeps, atque moderator, illisq. sancti Spiritus odoribus excellenter affluat; ad illum ptæcipue nominis huius maiestas, & amplitudo, pertinet. Is igitur solus est Regũ Rex ille sũmus, atque sempiternus, cui omnia subiecta sunt, & cuius imperium nullis est, aut regionum terminis inclusum, aut spatiis temporum definitum. Is solus est Pontifex ille inter omnes maximus, cuius sanctitate fuit Dei numen placatũ, humaniq. generis scelus expiatũ. Illi igitur maxime conuenit Christi nomen. Hinc iam facile cerni potest, quanta sit Pauli dignitas, cum se profitetur esse seruum Iesu Christi, hoc est filij Dei, quem pater omnium rerum dominũ, totiusq. sanctitatis auctorem, constituit. Id tamen Paulo non est satis. Explicat igitur, quam amplum munus sibi in Diuina familia fuerit assignatum.

Vocatus Apostolus.

Apostoli nomen Græcum est; hominemq. obeundi alicuius magni muneris gratia missum, legatumque, sonat. Hoc igitur maxime in Paulum, & reliquos Christi discipulos, conueniebat, quibus munus, & officium, reconciliationis, vt ipse Paulus ait, commissum est. Nomine, inquit, Christi legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Vocati vero nomen est satis frequens apud Paulum. Hoc enim sæpe vritur, vt ostendat, id tantum esse iustum, & rectum, & debitũ, munus, & officium, quod est alicui, Diuina vocatione, & imperio, delegatũ. Alibi itaque dicit par nõ esse, vt sibi quisquã honorem assumat, sed qui vocatus est a Deo, tamquam Aaron. Si igitur Dei vocatio, & imperiũ, antecedit, omne officium est legitime, atque sapienter, vsurpatũ. Secus aũt non honor ille appellandus est, sed ambitio, temeritas, & impudentia, Diuini iudicij seueritate refutanda. Quantum autem sibi negotium in hac gloriosa legatione datũ sit, explicat, adiungens:

Segregatus in Euangelium Dei.

Se Diuino consilio electum esse dicit, non qui tristia, dira, luctuosa, sed læta, iucunda, salutaria, nuntiaret. Euãgelium enim vox Græca est, & bonum, felicem, faustumque, nũtium designat. Quocirca in Christi disciplinam aptissime quadrat. Quid enim tam iucundum, quam, cæcis lumen, ægris sanitas, vinctis libertas, egentibus opes, exsulibus patria, despectis honores? Omnia autem hæc Christi disciplina proponit. Lucem enim cæcis ostendit; mentes ægras sanat; vinctos è vinculis emittit; animos, inopia, & egestate, confectos, opibus Diuinis explet; a cælestis patriæ finibus extorres in patriam amissam restituit; honore spoliatos veris ornamentis illustrat; atque (vt vno verbo dicam) a peccato liberat, & cum Deo in gratia ponit: Euangelium autem Dei nominat, vt intelligamus, illud nõ fluxas, & interituras, opes, sed immortales, atque Diuinas, quales sunt exspectandæ a Dei magnificentia, polliceri.

Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.

Euangelij dignitatem ex illius etiam antiquitate demonstrat. Erat enim hominibus, rerum Diuinarum ignaris, propter speciem nouitatis, spretum, & inuisum. Deinde veritatem illius Diuino testimonio confirmat, quod fuit Euangelio datum a mundi primordio. Docet igitur, Euangelium esse rem antiquissimam, atque verissimam, multis olim mysteriis adumbratam, atque clarissimis signis explicatã, non ab hominibus, sed a Deo, non per quosuis, sed per homines, Diuino spiritu afflatos, nec humana diligentia, sed Diuino iussu, ad memoriam sempiternam, sacris monumentis, testatam, atque consignatam. Quod autem sit illud Diuinum beneficium, quod Euangelium enuntiat, aperit, dicens:

De filio suo.

Quod enim maius exstare poterat Diuinæ in nos caritatis argumentum, quam, filium Dei vnicum esse nobis ab illo cõcessum, atque ad necem pro nostra salute traditum?

Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.

Cum filium Dei nominasset, vtrãque illius naturam oratione cõplectitur. Quod igitur ad humanã naturã attinet, illum esse ait Dauidis stirpe procreatũ. Dauidis autẽ filius appellatus fuit, non modo, quia ab illo originem ducebat; sed etiã, quia fœdus illud de Christo nasciturо, olim cum Abrahamo percussum, fuit cum Dauide instauratum, atque renouatum. Deinde, quia Regnum Dauidis erat ad illum hereditario iure peruenturum. Suscitabo, inquit illi Deus, semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius in perpetuum. Quod autem sit hoc Dauidis Regnum, quod erat a Christo, Dauidis filio, gubernandum, intelliget plane, qui mente perspexerit, quæ sit illa Hierosolyma cælestis, in qua Regnum Christi fundatum est; qui sit ille mons Sion, in quo templum Christus exstruxit; qui denique veri Iudæi, quos olim Dauid rexit, nunc autem Christus multo rectius gubernat, atque moderatur.

Hactenus a Paulo de humana Christi nobilitate dictum est. Nunc ad Diuinum veniamus.

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis.

Hoc vt planius fiat, intelligendum est, verbo Græco, nempe ὁρισθέντος, quo Paulus hoc in loco vtitur, pro quo verti potest definiti, & interpres vertit qui prædestinatus est, signari descriptionem, qua aliquid explicatur, atque in conspectu proponitur. Deinde, vbi nos habemus, in virtute, esse apud Græcos, ἐν δυνάμει, vt per illud Virtutis verbum, vim intelligas, atque potentiam. Postremo, Christi numen, atque potentiam, fuisse opera sancti Spiritus, qui quidem est spiritus ipsius Christi, quem hic, iuxta Hebrææ linguæ consuetudinem, Spiritum sanctitatis appellat, explicatam, atque demonstratam. Ait igitur, Secundum spiritus ipsius Christi descriptionem, qui lumē prætulit, quo possent homines Christi numen intueri, cognitum fuisse a fidelibus, Christum esse verum Dei filium, immensa potestate præditum. Sed, quo tandem signo maxime Diuina Christi virtus, atque potentia, cognita fuit?

Ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

Cur autem, omnibus alijs signis omissis, huius tantum meminit? Quia hoc vnum est omnium maxime admirādum, in quod, tamquam in finem, reliqua omnia conferuntur. Quid enim mirabilius, quam, mortem latissime dominantem, omnesq. res humanas populantem, & euertentem, inuicta virtute reprimere, prædamq. ex illius faucibus extorquere? Nemo enim poterit intrare in domum fortis: & vasa illius diripere; nisi prius fortem alligauerit, & tunc vasa illius diripiet. Non poterat igitur Christus mortem spoliare, nisi prius eam prosterneret, & alligaret. Qui autem mortem sternit, ipsa vita sit, necesse est. Ex suscitatione igitur mortuorum concludi poterat, Christum, per quem excitabantur, esse veram rerum omnium vitā, summumq. Deum, cuius numine omnia viuunt, statumq. suum conseruant. Præterea, nemo potest mortem euertere, nisi prius peccatum, vnde mors exorta est; & cuius viribus innititur, exstinguat, & deleat. Peccatum autem delere non potest, nisi solus Deus, qui delet (vt est apud Isaiam) tamquam nubē iniquitates nostras, & quasi nebulam peccata nostra. Qui mortē igitur euertit, se plane Deum ostendit. Qui autem mortuos in vitam reuocat, mortem euertit, atque viribus spoliat. Qui ergo mortuos exsuscitat, numen suum satis aperte demonstrat. Postremo, mortis euersio est quasi vltima manus, extremaq. (vt ita dicam) linea operis Diuini. Omnia siquidem, quæ Christus in vita gessit, quæ in Cruce pertulit, quæ moriens aboleuit, quæ, seipsum suscitans, instaurauit, eo pertinent, vt morti finis afferatur; &, qui sese illi dediderint, immortali vita fruātur. Quod quidem iam magna ex parte perfectum est; siquidem, a peccati tenebris emersi, Christi numine reniximus, atque iustitiæ lucem respeximus. Tunc autem omni ex parte perfectum erit, cum, a mortuis excitati, immortalitatis splendore collucebimus; Diuinæq. gloriæ cultu vestiemur; cum exitum tandem habebit illud oraculum, quod Paulus, ad Corinthios scribens, commemorat; nempe, Absorpta est mors in victoria; vbi est, mors, victoria tua? vbi est, mors, stimulus tuus? Tūc enim mors, quæ iam magna ex parte est perculsa, & abiecta, erit euersa funditus, & exstincta. Cum igitur ipsius mortis exstinctio sit perfectum, & absolutū, Diuinæ virtutis opus, ad quod reliqua omnia diriguntur, certe, qui mortem edomuit, atque compressit, se verū Dei filium esse declarauit, cuius numine erat ipsa mors penitus exstinguenda. Nec enim precibus, vt Elias, & Elisæus, nec aliena virtute, vt Apostoli, sed insita vi, numine, imperio, potestate, mortuis vitam reddebat, atque sepultos, quasi dormientes, excitabat. Adolescens, inquit, tibi dico, surge; &, Puella, tibi dico, surge; &, Lazare veni foras. Hoc autem illius numen tunc maxime declaratum fuit, cū seipsum a sepulcro excitauit, & ex surrectione sua aditum nobis ad immortalitatem patefecit. Iccirco, cum ab eo Iudæi signum importune flagitarent, per quod certi esse possent, illum esse Christum, non aliud eis proposuit. Signū, inquit, non dabitur eis, nisi signum Ionæ prophetæ. Et, Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. Cum igitur hoc signum, & iustitiā, designauerit, quod est omnium munerum Diuinorum amplissimum, & immortalitatis futuræ fidem fecerit, in qua est summum bonorum omnium collocādum, cum maxime ipsum iustitiæ auctorem, & gloriæ immortalis architectum, ostenderit, merito illius potissimum facit mētionem Paulus.

Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.

Per Gratiam hic intellige Diuinum illud Spiritus sancti munus, quo instructus a Christo Paulus, Apostoli functus est munere. Ab illo enim hausit Diuinarum rerum intelligentiam; ab illo mirabilem disserēdi facultatem, & reliqua omnia Diuina virtutis ornamenta, consecutus est, quibus pro dignitate posset Euangelium explicare, atque fidem, & pietatem, in omnium animis inserere. Fidem, circuitione quadam, obedientiam fidei nominat. Est enim apud illum εἰς ὑπακοὴν πίστεως. Vt doceat, illius vim, & rationem, esse in obedientia constitutam. Quam late pateat munus suum, aperte demonstrat, cum ait, se ad

omnes

omnes gentes erudiẽdas missum a Deo fuisse.

In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.

Se illis iure adstrictum asserit, cum ait, etiã id sibi oneris impositum fuisse, vt Romanos instrueret ad Dei cognitionem; atque simul eorũ animos excitat ad cogitationem eorũ bonorum, quæ a Deo acceperant. Ex impijs enim, & sceleratis, puri, atque sancti, effecti fuerant. Quod tamen Diuina gratia beneficium esse testificatur; nec vllo modo meritis hominum, sed Dei ipsius vocationi, tribuendum. Ideo inquit, Vocati Iesu Christi.

Omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sãctis, Gratia vobis, & pax a Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Cum eos a Deo dilectos, atque sanctos, appellat, cum eis bona Diuina precatur, eorum sibi animos valde conciliat. Gratia autem est hic beneficẽtiæ Diuinæ fructus gratuito concessus, qui maxime in iustitiæ munere, atque beneficio, perspicitur. Iustitiam vero firma pax animorum, atque tranquillitas summa, consequitur. Vtrumque autem a Deo, filij virtute, & administratione, percipimus. Habemus Pauli salutationem explicatã, quæ continet præcipuas exordij partes. Nam & auctoritatem suam, sine arrogãtiæ suspicione, confirmauit; munerisq. sui præstantiam, & vtilitatem, explicauit; & animos Romanorum, rerum magnitudine vehementer erexit; eosq. & titulis amplissimis, & votis sanctissimis, sibi valde deuinxit; omniq. tandem ratione aditum sibi ad caussam comparauit. Nunc epistolæ principium videamus.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.

Hac oratione & Deum castissime colit, & se in Romanorum animos insinuat. Cultus enim castissimus, atque Deo acceptissimus, est, grata, & assidua, benignitatis Diuinæ cõmemoratio. Sacrificium, inquit, laudis honorabit me. Cum Deum suum appellat, veram animi pietatem, & religionem, profitetur. Id enim nobis est Deus, ad cuius nos studium applicamus: cuius ope, & auxilio, nitimur: Quod omnibus rebus anteponimus. Vnde fit, vt alijs pecunia sit Deus; alijs autem venter, & ingluuies; tum alijs amor nefarius, & insanus; alij postremo numina alia sibi pro libidine confingant, quæ summo studio venerentur. Sancti porro vnum Deum norunt; illum nempe, summum rerum omnium parẽtem, & dominum, omnia, quæ super subterq. sunt, æterno imperio continentem; illum solum & colunt, & metuunt; illum omni pietate, & amore, prosequuntur; in illius clementia omnia præsidia vitæ constituunt. Merito igitur illum Deum suum appellat. Per Iesum Christum, inquit, quia Christus est verus, & eximius sacerdos. Actio vero gratiarum est sacrificiũ Deo gratissimum. Sacrificium autem ad aras statui, nisi per sacerdotem, minime licet. Quoties igitur hostia laudis Deum venerari volumus, toties ad Iesum Christum accedere debemus vt per illum, aditum ad patrem habeamus. Per ipsum, inquit alibi Paulus, offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum, confitentium nomen eius. Hac itaque gratiarum actione, videmus debitũ Deo cultum fuisse a Paulo tributum. Hac eadem Romanos sibi conciliat. Amorem enim suum in eos egregie declarat, cum, tanto studio, pro illorum fide, & pietate, Deo gratias agit, atque quasi nuncupata vota persoluit; deinde laudibus amplissimis eos ad se allicit; cũ ait, eorum fidem in omnibus terris prædicari. In quo, licet vsitata loquendi forma eorum gloriam exaggeret, ea tamen ostenditur iam Ecclesiæ Romanæ nomen, & gloriam, veræ fidei magnitudine partam, per quam plurimas regiones admirabili celeritate peruasisse. Vt autem magis amorem suum aperiat, ait:

Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euãgelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos.

Assignat caussam, quare tanto studio pro eorum fide gratias egisset; eamq. dicit fuisse, mirum caritatis ardorem, quo erat in illos incẽsus. Caritatem vero illam explicat, cum ait, se illorum memoriam numquam in votis, & precibus, intermittere. Hoc igitur plane dicit: Non est mirum, si tanto gaudio exsulto, Deoq. victimas laudis offero, cum audio vos tãtos in fide progressus habere. Sic enim vos amo, vt numquam vestri possim in meis precibus obliuisci. Et hoc a Deo obnixe contendo, vt mihi tandem aliquando vos conuenien di facultatem largiatur, vt optatissimo vestro conspectu frui possim. Et, quia mirum videri poterat, esse aliquem tãto amore in eos, quos nũquam vidisset, inflammatum, Deum testem suæ voluntatis inuocat, quem ait a se, non pecudum victimis, aut legis antiquæ cærimonijs, sed spiritu, atque veritate, coli; omneq. suum studium in Euangelij administratione consumi. Obiter enim tangit, quod in hac epistola præcipue disputandum suscipit; nempe, Deum non esse antiquæ legis operibus, sed fide, colendum. In quo autem Diuinæ voluntatis meminit, docet, se nihil in vita, absque Dei voluntate, ipsiusq. numinis instinctu,

ctu, moliri; cum in id iter, quod suscipere cupiebat,& erat omnibus expeditū, se nō prius ingressuum dicit, quam sit ei Diuina voluntate,& imperio, concessum.

Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis.

Non, inquit, studio florentissimæ vrbis cognoscendæ, nec alicuius proprij emolumenti comparandi, sed vt in vos omnia summi amoris officia conferam, animosq. vestros Diuinis bonis afficiam, Romam proficisci cupio. Hoc tamen, modestiæ gratia, eleganter attenuat, amoremq. suum magis exprimit, dum ostendit, tantopere studere Romanis fidelibus, vt, dum illos posset aliqua Diuini boni accessione iuuare, nullum laborem, aut periculum, recuset. Sed, quia oratio hæc videbatur aliquid eis detrahere, qui se fortasse iam omnia consecutos existimabant, mitissima interpretatione omnem offensionem, quæ poterat inde nasci, depellit.

Ad confirmandos vos.

Non, inquit, vt aliquod cæleste munus, quod nondum habetis, opera mea consequamini; sed, vt vos in eorum, quæ habetis, possessione confirmem. Cum tamen adhuc subesse videretur in oratione diffidentiæ alicuius significatio, (qui enim eos confirmare cupiebat, quasi eorum constantię diffidebat,) id etiam interpretatione mollit.

Id est, simul cōsolari in vobis, per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.

Hic potuisset aliquis fortasse occurrere: Si tanto desiderio nostri flagrabas, o Paule, cur non confestim omnem ad nos visendos celeritatem suscepisti? Huic obiectioni respondet, dicens:

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.

Quo modo fuerit prohibitus, explicat in huius epistolæ fine; vbi narrat, sibi per euangelij negotium minime licuisse ab illis regionibus semigrare, in quibus primum Euangelij disciplinam, mores, & instituta, conferebat. Cur autem Romam ire coperet, iterum exponit:

Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in ceteris gentibus.

Eorum salutem in fructibus suis numerat: quod est magnum patrij amoris argumentū. In quo vero ait, Sicut in ceteris gentibus, benignitatem suam declarat; cum ita eos omnibus summis beneficijs ornare cupit, vt ab illis gratiam præcipuam inire non studeat. Exprimit igitur oratio mores animi sanctissimos, & summæ cuiusdam liberalitatis excellentiam: cuius officium est, ita alijs consulere, vt proprium emolumentum, & fructum, minime requirat. Ita igitur hac oratione Romanos nexu soluit, vt multo fortius adstringat. Nihil est enim, quod magis animos deuinciat quam veræ probitatis commendatio. Vt autem clarius aperiat, se nullum studij sui in illos præmium ab ipsis flagitare, se debitorem omnium hominum profitetur.

Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus, debitor sum.

Cum Græcos barbaris, eruditos indoctis adiungit, ostendit plane, nullum esse apud Deum, generis, aut artis, aut fortunæ, discrimen. Nec enim hominum naturam, sed fidē, respicit. Debitorem autem se appellat, quia non tantum sibi, sed ad communem Ecclesiæ vtilitatem, acceperat illa Diuinæ sapientiæ munera. Vt igitur conserui, qui familiæ præficiuntur a dominis, cum ab eis omnia, quæ sunt ad victum necessaria, conseruis distribuenda recipiunt, conseruorum debitores appellari possunt; ita & Paulus, cum tam multas opes ad communem Ecclesiæ totius vtilitatem accepisset, totius Ecclesiæ debitor erat existimandos. Quam promptus autem sit ad id, quod debet, sine vlla cunctatione, persoluendum, exponit:

Ita, quod in me, promptum est, & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubesco Euangelium.

Docet, esse sibi Euangelij nomine maxime gloriandum. Vtitur autem figura loquendi satis vsitata; veluti, cum significare volumus, aliquem elatum gaudio fuisse, dicimus, eum in mæstitia non fuisse. Ita Paulus, vt significaret, se omnem dignitatem in Euangelio collocare, dicit, se Euangelij minime pudere. Non est autem vsus eo genere sine caussa. Obiter enim tangit eos, quos impius quidam pudor ab Euangelio auertebat, quod, prima specie humilitatis, quoddam dedecus, & ignominiā, afferre videretur. Non intelligunt enim homines perditi, atque profligati, omnem decoris, & dignitatis, excellentiam, esse in Euāgelio constitutam: quod Paulus egregie demonstrat. Sic enim ait:

Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco.

Iam totius disputationis fundamenta iacit; & simul Euangelij gloriam explicat. Docet enim, quod est ei perpetua oratione confirmandum; non esse quidquam in disciplina Christi abiectum, humile, caducum, & imbecillum, ob quod merito nos illius suppudeat; verum omnia ampla, excelsa, & immortalia. Id enim continet, quo nihil possit excogitari, vel ad fructum melius, vel ad dignitatem magni-

magnificentius; vel ad æternitatem securus. Explicat enim nobis non humanam potentiam, sed Dininam; non ad hominum pestem, sed ad salutem; eamq. non vni tantum genti, sed omnibus, afferendam; salutemq. illam sempiternam non opibus humanis, sed fide, pacifcitur; vt nemo, qui velit illius compos effici, sit excludendus, modo fidem babeat, siue ille Iudæus sit, siue a Iudæorum natura, atque sacris, alienus. Quod autem in primo loco ponit Iudæos, deinde Græcos, (sic enim appellat omnes nationes a Iudæorum moribus dissidentes) id non ad hominum dignitatem, sed ad temporis antiquitatem, referendum est. Primi siquidem fuere Indæi Diuinis institutis eruditi, atque ad salutem vocati. Hunc autem temporis principatum Iudæis attribuit, vt se illis prudenter insinuet; illotumq. sensibus quodam modo, sine caussæ iactura, satisfaciat. Non poterant enim pati, esse sibi reliquas nationes exæquatas. Hanc tamen eorum insolentiam comprimit Paulus egregie, docens, neque genus, nec opes, neque disciplinam, neque sacra, neque merita vlla humana, quidquam momenti apud Deũ habere, ad gratiam illius acquirendam; sed firmam fidem opibus Diuinis innixam. Hoc igitur ponit in principio, in quo totius epistolæ disputatio versatur, nempe, Euãgelium continere, hoc est tradere, & explicare, vim Diuinam satis efficacem, ad æternam salutẽ omnibus hominibus, modo velint Deo fidem viuam adiungere, tribuendam. Itaque docet, neque opibus humanis, nec sapientia, neque viribns, sed Dei cognitione, esse nobis gloriandum: siquidem ea cognitio nobis id attulit, qnod neque terrarum imperium regibus, neque victoriæ imperatoribus, nec artes maximæ sapientibus, afferre potuerunt. Quo modo autem Euangelium vim Diuinam ad salutem contineat, exponit:

Iusti tia enim Dei in eo reuelatur, ex fide in fidem: sicut scriptum est, Iustus ex fide viuit.

Iustitia Dei, est vera iustitia, hoc est, absoluta mentis integritas, omnium virtutum complexio, statusq. animi Diuina lege fundatus, & stabilitus, Dei pulchritudinem, & speciem, referens. Appellatur autem Dei iustitia, quod Dei munus, atque beneficium, sit, totumq. in illius gratia, atqne benignitate, consistat. Interdum etiam appellatur Iustitia fidei, qnod fide, non meritis hominum antegressis, comparetur; ita, vt non nobis, sed Deo tota, tribuenda sit. Vera autem Iustitia salutem omnem continet. Iuris enim Diuini, atque sempiterni, constantissima ratio postulat, vt acerbissimum supplicium de hominum scelere, & improbitate, sumatur; & ab obstinata, & penitus obfirmata, iniustitiæ prauitate pœnæ sempiternæ expetantur. Nemo igitur sempiternum exitium vitare poterit, nisi iustus, & iccirco Deo similis, &, propter hanc similitudinem, illi amicus exstiterit. Hanc autem Dei iustitiam, atque similitudinem, nemo potest vllo modo viribus suis adipisci. Tota enim Dei iustitia, misericordia Dei, atque benignitate, continetur. Consequens igitur est, vt omne salutis præsidium in Deo ponamus, &, hac fide firmati, bonitatem illius imploremus. Accurret enim confestim, animosq. nostros repente sanabit, muneribusq. suis afficiet. Vt enim superbos, & insolentes, sibiq. ipsis temere præfidentes, aspernatur; ita sibi diffidentes, & ad opem Diuinam confugientes, amplectitur. Sic igitur fit, vt fides, veluti initium, ac radix, iustificationis, Dei gratiam conciliet, atque immortali iustitiæ cultu vestiatur. Quo igitur fides viua, & formata, fuerit illustrior, eo clariora ex Deo ornamenta consequetur. Vita igitur hominis, salus, atque dignitas, ipsiusq. dignitatis amplificatio, hac fide cõtinetur. Id autem Euangeliũ tradit. Hoc enim docet, hoc admonet, hoc testificatur, hoc hominum mentibus infigit, nullo modo esse iustitiam a nobis ipsis sumendam, sed a Dei gratia postulandã: hanc vnam esse ad salutem munitam viam, quæ in veræ iustitiæ opibus tota consistit; veram autem iustitiam non esse sine gratiæ Diuinæ beneficio; ad eam vero gratiam acquirendam opus esse fide. Quo modo autem iustitia sit impetranda fide, probat auctoritate Abacuch. Illius enim testimonium plane citat, cũ ait, Sicut scriptum est. Illud vero, quod ait: Ex fide in fidem, Hebræa loquendi consuetudine Fidei ipsius incrementum significat, qnod ipsius iustitiæ incrementum consequitur. Cum igitur vita non possit absque iustitia consistere; iustitia vero sine fide obtineri non possit; ad eam vero fidem Euangelium instruat; sequitur necessario, vt Euangelij disciplina salutaris sit, & dignitatis, & immortalitatis, efficiens. Hoc autem magis confirmat id, quod sequitur; nempe, imminere dirum supplicium omnibus, qui fide vacui fuerint, atque ita muneribus iustitiæ destituti.

Reuelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam, hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.

Ira Dei, Diuini iudicij seueritatẽ designat. Dicitur autem reuelari, & explicari, quia principio non apparet, sed abdita est, vt se tota opportuno tempore profundat. Impijs autem nihil hostile suspicantibus apparet repente cæleste numen; eosq. debitis pœnis excruciat. Quam iuste autem Deus illis iratus sit, ostendit Paulus, dum eis impietatis, & iniustitiæ, scelus obijcit. Summum iniustitiæ scelus totum est in impietate in Deum positum. Nam, si iustitia, est constans animi iudicium,

ins

ius suum rei vnicuique tribuēs, præcipua certe pars illius sanctitas, atque religio, est, qua Deo honores debitos tribuimus. Qui igitur religionem polluit, atque pietatem in Deum violat, summo iniustitiæ scelere se ipsū adstringit. Est præterea infidelitas, summus error, furor immanis, extrema demētia, qualis est eorum, qui sponte sua in maximarum rerum ignoratione versantur. De industria namque pro veritate mendacium amplectuntur. Iuste igitur summus ille iudex æternis supplicijs mactabit infideles, eo quod voluntate sua fidem alligauerint, & impietatem libere vagari permiserint, & in omnibus vitæ rationibus mendacium veritati prætulerint. Sed fortasse dices, eos in culpa nō fuisse. Nec enim habebant aliquem vitæ magistrum, qui eos ad pietatem erudiret. Hanc defensionem præcidit omnino Paulus, cum docet, eos naturæ operibus satis ad Dei cognitionem instrui potuisse.

Quia, quod notum est Dei, manifestū est in illis. Deus enim illis manifestauit.

Quanta sit Diuinæ mentis vis, atque natura, ne ab Angelis quidem comprehendi potest. Patrem vero filium ab æterno genuisse, Spiritumq. sanctum ex vtroque manātem, & vtrique per omnia æqualem, esse, illis tantum notum esse potest, quos Dei filius erudiuit. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & quem filius instituendum susceperit. Hanc igitur Dei notitiam homines adipisci non poterant: at potuissent illam assequi, ad quam erant naturæ operibus instituti. Si enim artifices, quos numquam vidimus, ex eorum operibus agnoscimus, illorumq. ingenium, & solertiam, admiramur; multo certe clarius, & euidentius, ex hac tam præclara descriptione, quam in fabrica, & ornatu, mundi conspicimus, summi illius opificis vim, & sapientiam, intueri possumus.

Inuisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas: ita, vt sint inexcusabiles.

Cupis vim Diuinam cernere? Suspice cælum, astris longe lateq. collucentibus distinctum, & ornatum; definitos cælestium orbium motus, & æquabiles in omni tempore conuersiones, vniuersæq. naturæ constantiam; pulchritudinem, & vtilitatem, considera; iam eā clare perspicies. Quis enim ex mundi stabilitate Dei potentiam, ex ordine, & pulchritudine, sapientiam, ex fructibus, & vtilitate, bonitatem non percipit? Est igitur impijs, & sceleratis, omnis interclusa defensio.

Quia, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.

Duo sunt fidei munera; vnum, accepta beneficia recordari; alterum, Dei promissis cōfidere. Qui beneficiorum memoriam conseruant, Deo gratias agūt. Qui vero in illo spem totius salutis ponunt, illi debitam gloriam tribuunt. Qui rite igitur vtrumque munus exsequuntur, vere fidem colunt. Contra vero, qui neque memoriam Diuinorum beneficiorum retinebant, neque spem in illo collocabant, omnem erant perfidiæ immanitatem complexi. Labis autem, & ruinæ, principium animaduerte.

Sed euanuerūt in cogitationibus suis.

Effrenata quædam mens, atque temeritas, superbia, & insolentia, & præceps ingenij confidentia, est, quæ fidem exstinxit; atque mortalibus pestem, & exitium, comparauit. Nam, dum homines, se nimis amantes, ingenij sui acumen admirantur, dum inuentis suis inaniter efferuntur, dum se reliquis omnibus anteponunt, dum nullius opem, nullius consilium, requirunt; fit, vt, eo sui amore excæcati, paullatim a fide deficiant, atque Deo subdi recusent. Fide igitur amissa, a luce Diuina deferuntur; & infinitis erroribus imbuuntur. Ingenium nāque, quod erat fide frenandum, cum sit natura sua vehemens, & concitatum, vbi primum in tenebris ruit, & huc & illuc temere vagatur, & volitat, relictaq. veritatis via, se ipsum in omnes partes incitat, atque furibundo impetu infinitam, & interminatam, inanitatem peragrat, nec vllo in loco insistit; necessario fit, vt, erroribus innumerabilibus completum, atque somnijs infinitis delusum, sese in miseriam sempiternam inijciat. Nullis enim finibus contineri, nullo metu coerceri, potest, quin curiose, atque sine fructu, ea inquirat, quæ sunt ab humana cognitione remotissima; eaq. etiam, quæ perspicit, in dubium sæpe reuocet. Verbum Græcum, pro quo posuit interpres, Euanuerunt, est ἐματαιώθησαν. Est autem deductum a μάτην, quod est frustra. Significat igitur, eos, qui ingenio, & argumentis, nitebantur, frustra studium suum in veri peruestigatione consumpsisse. Quo enim magis ingenium exacuebant, maioreq. impetu sese ad naturę studium conferebant, eo lōgius a veritate aberrabant.

Et obscuratum est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Necesse profecto erat, eos, qui Diuinam lucem a se repulerant, densissimis tenebris, & caligine, circunfundi. In summam igitur amētiam tandem inciderunt. Ea autem est, cum ij, qui sunt veritatis totius ignari, sibi tamen maximarum rerum scientiam assumunt; eaq. opinio-

opinione tumidi,ſe ipſos, vniuerſamq. Rempublicam, cum ſe illis committit, euertunt funditus. Quo autem hominum furor, atque dementia,progreſſa ſit, eſt conſideratione dignißimum.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.

Qnanta amentia vexet improbos, quæ pœnæ impios perſequantur,quæ peſtis eos exagitet, ſatis nefanda illa ſuperſtitio declarauit, qua homines,ad gloriã nati, ita ſe ipſos abiecerunt,vt a mutis ſignis pacem,& veniam,poſtularent; &,qni a fide,ſummo Deo debita,nefarie deſciuerunt, immanium etiam beſtiarũ ſimulacris ſupplicarent. Eſt autem mira quædam aliquorum ſcelerum iuter ſe complicatio: alia ſi quidem ex alijs orta, atque colligata,ſunt. Quod quidem ea,quæ ſequitur,oratio valde confirmat.

Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum,in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.

Miſerum, & acerbum,ſupplicium eſt, relinqui a Deo cupiditatibus diſtrahendum. Nulla maior peſtis eſt, nullum fnneſtius exitium, nulla calamitas magis metuẽda. Nullæ enim ſunt capitaliores inſidiæ ijs,quæ a nobis ipſis, contra noſtræ mentis ſtatum, aſsidue ſtruuntur. Nos enim nobis peſtem afferimus; nobis exitium machinamur; ipſi nos inſito furore, & amentia, in ſempiternum cruciatum abripimus. Quamdiu vero ſub Dei tutela ſumus, facile,præſidio illins, cupiditatis immanitati reſiſtimus. At, vbi, perfidia noſtra, quotidie magis ab illo diſiungimur,quotidie magis,illius ope,nudamur, & inſitæ cupiditati inquinãdi,vexandi,atqne diripiendi,relinquimur. Tradi enim cupiditati a Deo, nihil eſt aliud, quam,Dei ipſius ope deſtitui. Iuſtiſsime autẽ Diuino præſidio ſpoliati ſunt, qui fidem minime coluerunt;honoremq. Deo debitum ad ſimulacra etiam bellnarum tranſtulerunt. Sic igitur effectum eſt, vt homines,natura, dignitatis appetentes, & honoris cupiditate flagrantes,ſe ipſi extremo dedecore, & ignominia,deformarent.

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius, quam creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.

Eſt hic mira ſceleris amplificatio. Cum.n. in tanto ſcelere ponit eſſe aliquid Deo antelatum,mirũ, quantum eorum facinus exſecrandum exiſtimet, qui non Solem, & ſidera tantum,non homines impuros,atque maleficos, non feras immanes, ſed mutas etiam bellnarum imagines,pro dijs coluerunt. In quo vero Deũ aſſerit laudibus Diuinis,in omni temporis æternitate, celebrandum, auget adhuc magis eorum immanitatem, qui Domini illius gloriam oppugnant,qui ſolus eſt laudandus, atque prædicandus, & infinitis ſæculis, omnium beatarum mentium vocibus, extollendus;& interim oſtẽdit,quam irriti ſint eorum conatus,qui ſempiterui Domini gloriam infringere conantur.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.

Repetit eandem ſententiam, cum maiore fœditatis exaggeratione; vt magis ponat ante oculos amentiam, & dedecus, & reliqua mala,quæ ex infidelitate naſcuntur. Hic tamẽ annotandum eſt,eos etiam, qui nondum ſunt adepti iuſtitiam, neque fidem ſeruant, auxilio Diuino contineri, ne ſe ſtatim proijciant, atque in omni flagitio impuriſsime voluntentur. Numquam enim Diuinus ſpiritus,quamdiu reſipiſcendi facultatem habemus, noſtræ ſalutis ſtudiũ intermittit. Modo enim vocat ad officiũ,modo deterret a turpitudine;nunc allicit,nunc comminatur; aliquãdo percutit, rurſus medicinã facit;omnibusmodis impios ad ſtudiũ pietatis inuitat; vſque adeo,vt omne ſcelus ponendũ ſit in ea perfidia,qua homines impij Dei voces aſpernantur,& oblatã illius opem repudiant. Nemo.n.eſt tam profligatus,atque perditus, & ab omni pietate relictus,quem non ſæpe ſpiritus Diuinus, animũ interne pulſans,exterreat,atque ad ſalutẽ vocet. Sunt tamen quidam impietatis gradus,& eſt quædam in ſcelerata viuendi ratione progreſsio. Nemo.n.ſtatim ad ſummam impudentiam peruenit. Principio igitur, dum leuiora flagitia quiſque ſuſcipit, hæret, dubitat, metuit,ſeq. interdum reuocat, & aliquam officij mediocritatẽ tuetur. Qui vero diutius in flagitio perſenerat, Dei voces, a flagitio reuocantes,magis atque magis contemnit; & ita in dies magis ab illo deſeritur;& ſic fit,vt quotidie magis nequitiæ vinculis adſtringatur. Quod ex Pharaone,& ex alijs,qui ſimili clade corruerunt, intelligi poteſt. Neque enim in principio prorſus a Deo deſtituti ſunt; ſed,cũ illius benignitatem a ſe repuliſſent,atque,amplificata cõtumacia,in dies obduruiſſent, fuerunt tandem,ope illius,ſpoliati,atque in ſempiternam miſeriam præcipites eiecti. Hæc autem diximus, vt melius poſsit intelligi, quomodo Dens iniuſtos homines ignominiæ tradat. Non enim eos omniuo deſerebat,quos in aliqua officij regione cõtinebat. Cũ vero multi, ad audendũ omnia proiecti, in dies magis obfirmentur in ſcelere,quotidie etiam magis deſeruntur, atqne ignominiæ maculis deformandi relinquũtur. Quam grauis autem hæc

pœna

pœna ſit,explicari non poteſt. Nam,cum homines,naturæ admonitu,tanta decoris cupiditate teneantur, vt multi dedecus omnibus peſtibus peius oderint; quid fieri poteſt miſerius,& calamitoſius,quam, ipſos ſibi dedecus ſempiternum inurere? Quanto autem ſeſe de decore contaminarint,explicat:

Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vſum,in eum vſum, qui eſt cõtra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis inuicem,maſculi in maſculos turpitudinem operantes,& mercedem,quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.

Itaque, ſcelerum pœnis agitati, ſcelera rurſus alia conceperunt,quibus ſe impuriſsima libidine macularent. Ea ſi quidem libidine inſaniebant,quæ ne belluas quidem attingit,ita, vt belluas ipſas feritate, & immanitate,ſuperarent.

Et, ſicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.

Commoratur hoc in loco Paulus; eandéq. ſententiam ſæpe repetit;&, tamquam in magno cauſſæ firmamento,ſapienter inſiſtit, vt doceat,omnia mala,in quæ fuit humanum genus deductum, ab illo impietatis ſcelere nata fuiſſe. Sic autem eundem locum vrget, vt miſeriæ ipſius incrementum luculenter explanet. Principio, dixit, homines eſſe traditos ſuis deſideriis. Et, quia deſideria noſtra nobis dedecus afferunt, eadem paullo poſt Affectus ignominiæ appellauit. Cum autem turpitudinis, & ignominiæ, conſuetudo efficiat in animis ſtuporem,& immanitatẽ, omneq. mentis iudicium corrumpat; vltimo loco ponit malum omnium maximum, hoc eſt dementiam,qua fuerunt oppreſsi. Vt autem Diuini iudicij rationem explicet, exponit, quo modo pœnam, ſingulis peccatis debitã, merito ſubierint. Nam,qui Deo etiã credere noluerunt,ad ſimulacrorum pedes prouoluti ſunt. Qui Deo gloriam detraxerunt,ſempiternis ignominiæ maculis deformati ſunt. Qui Dei notitiam a ſe repulerunt, naturæq. voces contempſerunt,ingeniiq. opibus elati, eam cognitionem, quam ex Diuinis operibus capiebãt,quaſi facilem, & peruulgatam, minimi fecerunt,&,inanitatis ſtudio,a veriſſima ſapientiæ via,& ratione, deflexerunt; recto iudicio mentis orbati ſunt.

Vt faciant ea,quæ non conueniunt.

Hoc eſt, vt proderent officium. Eſt enim hoc in loco apud Græcos, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. Eſt autem καθῆκον, vt Cicero interpretatur,officium. Omnes autem ad officium nati ſumus,hoc eſt, ad animi decus, & honeſtatẽ, ad vitæ conſtantiam,& grauitatem, ad iuſtitiæ ſplendorem, omnemq. virtutis excellentiam. Omnes igitur, qui contra officium faciunt,cum natura pugnaut, ſtatumq. animi corrumpunt, & dignitatem, quam tueri cupiunt, errore furibundo mentis euertunt. Quam ſint autem omnes, qui fidem in Deum non retinent, ob officio abhorrentes,eleganti collectione perſequitur.

Repletos omni iniquitate,malitia,fornicatione,auaritia,nequitia.

Sunt hæc omnia connectenda cum ea particula orationis, quam expoſuit ſuperius; nempe, Tradidit eos in reprobum ſenſum. Tum addit:

Plenos inuidia,homicidio, contentione,dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes,inſipientes, incompoſitos,ſine affectione, abſque fœdere,ſine miſericordia. Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, nõ intellexerunt,quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

Graue quidem eſt, ſcelus ſuſcipere; multo tamen grauius eſt, ſe reliquis ſceleris auctorem præbere. Fit enim plerumque,vt,qui ſcelus ſuſcipit, magna perturbatione concitatus,a mente deficiat. Qui autem aliorum ſcelus approbat, non repentina animi perturbatione,ſed inueterata malitia, id approbat. Quo autem iudicium liberius eſt, eo crimen eſt deteſtabilius. Hinc tamen oritur quæſtio ſubobſcura. Demonſtrauit enim Paulus, eripi lucem impiis, offundi tenebras ingratis, qui Deo gloriam non dant, & ad Dei contemptũ ingenij viribus abutuntur. Dixit,eos eſſe mẽtis errore conturbatos, vt faciant ea,quæ ſtatum animi conuellunt, atque dignitatem cõtaminant. Quo modo rurſus nunc eos Diuini iuris intelligentes facit? Sed intelligendum eſt, ignorantiam eſſe multiplicem. Alia enim eſt ſimplex veritatis inſcientia, alia opinio veritati contraria. Permultum enim intereſt,inter eum,qui neſcit omnino,quantus Sol ſit,& eum, qui bipedalem tantum eſſe putat. Deinde,alia eſt earum rerum,quas vtrũ ſcientia comprehendamus, necne, nihil refert ad beatæ vitæ rationem; alia vero earum,quas non ſine pernicie ſalutis ignoramus. Neſcire enim,vtrum ſint antipodes,nullum affert rebus humanis incommodum;non internoſcere autem peſtifera a ſalutaribus, certiſsimũ eſt ruinæ periculum. Alia poſtremo ignorantia eſt,cui cauſſam ipſi non dedimus; alia, in quam culpa noſtra deducti ſumus. Qui enim

id

id ignorat, quod discere aliunde non potuit, ipse sibi ignorantiæ caussam non attulit. At, qui vel discere neglexit, vel, aliquo vitio, earũ rerum intelligentiã amisit, quas antea cognitas habebat, ipse sibi sensum eripuit, velut is, qui se vino ingurgitauit. Cum autem tam varia, tamq. multiplex, ignorãtia sit, intelligendum est, nullum esse in ea malum, quod non in impiorum amentia collectum sit. Primũ enim non modo veritatem non vident, sed etiã opinionibus peruersissimis, cum veritate valde pugnantibus, imbuti sunt. Deinde, in erroribus non minimi momẽti versantur, sed in ijs, qui vitam omnem euertunt. Postremo, non rerum obscuritate, nec doctorum pænuria, sed suo ipsorum flagitio, & scelere, viam salutis ignorãt, sibiq. ipsi dementiæ caussam afferũt. Qui quidem eo sunt ebrijs turpiores, quod illi tantum in principio, vinũ moderate sumendo, prouidere poterant, ne a potestate mẽtis exirent; at, post flagitiũ ebrietatis admissum, mentis compotes esse nõ possunt; ita, vt ebrietas tantum in quibusdam ebrijs plectenda videatur, & non ea flagitia, quæ post ebrietatẽ commisere. At impij non solum in principio sese sanctitate mentis spoliant; sed in omni vita consulto lucem ipsam fugiunt; ita, vt nihil malle videantur, quam sempiternis tenebris sepeliri. Ergo, cum nullum malũ sit funestius amentia; quibus tandem verbis eorum furor explicari potest, qui hoc tantum malum in se sua sponte suscipiunt? Numquam.n. sic mens vitijs opprimitur, vt omnis in illa officij sensus exstinguatur. Est enim illud Diuinum ius, honesta præscribens, & a flagitijs auocans, sic animis impressum, vt numquã possit penitus oblitterari. Quãta vero sit huius innati iuris vis, omnibus horis experiri licet. Si enim sceleris consilium ineas, ipsa lex insita in mente reclamitat; si facinus aggrediare, horrorem tibi incutit; si meditatum, & cogitatũ, scelus perficias, acerbas de te pœnas expetit. Nam vsque adeo animum agitat, & insectatur, vt respirare non sinat. Quamuis igitur sint aliqui, quos scelera sua delectẽt, & qui (vt ait Salomon) lætentur, cum malefecerint, & exsultent in rebus pessimis; illi tamen ipsi maleficiorum pœnis assiduis cruciantur; nullumq. diem ab angore, & sollicitudine, vacuum habent. Est enim eorum voluptas, cum eximia anxietate, & incredibili animi consternatione, coniuncta. Vt enim, qui furentes a poetis inducuntur, aliquando quidem, elati lætitia, clamores ingentes eduut; aliquando rursus nimis dolenter ingemiscunt; (nunc enim sibi videntur aduersarios ferociter insequi; nunc, eximio motu consternati, omnes vmbras fugiunt, atque pestem a se flebilibus modis deprecantur, sic impios cernere licet, modo quidem in breui, atque repentina, voluptate bacchari, non multum vero post tristissimis curis exedi, atque ad omnem auræ strepitum contremiscere. Numquam certe scelestos homines tam acerbe scelerum conscientia vexaret, nisi hæsisset eorum animis, omne scelus esse morte vindicandũ. Ea igitur vident, quæ Dei lege sancta sunt; voluntaria tamen animi cæcitate laborant. Cupiditate enim obcæcati, e vitijs emergere nolunt; Dei opem non requirunt; monitoribus infesti sunt; ipsam iuris Diuini notionem, quam mentibus inscriptã habent, obruere cupiunt. Hi sunt, qui (vt est apud Isaiam) dicunt videntibus, Nolite videre; qui oculos suos claudunt, ne in se Diuinam lucem, quam acerbo odio persequuntur, admittant. Vt igitur eo redeamus, vnde sumus digressi, vtrumque sapiẽter a Paulo positum est. Quamuis enim impij sint amentissimi, non possunt tamen esse Diuini iuris ignari. Iure igitur in eos vir Diuinus inuehitur. Et, cum omnes accuset, tum eos præcipue, qui, cũ tam multis criminibus euicti sint, tamẽ alios in iudicium vocant, atque capite condẽnant.

C A P. II.



Ropter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quę iudicas.

Vt autem, cum inanem rerum peruestigationem damnauit, præcipue philosophos insectatus est; sic hoc in loco, in Rerumpublicarũ rectores, atque principes præcipue, tela dirigir. Vt enim fidem conserat, necesse est, vt primum confidentiam exstirpet, omnesq. superbiæ fibras euellat. Illorum igitur spiritus vehementius comprimit, qui insolentius se iactant, & inanius efferuntur, quales sunt, qui ingenium venditant, aut Remp. administrant. Quorum alteri sibi sapientiam arrogant, cum sint stultissimi; alteri iustitiam sibi assumunt, cum sint iniustissimi. Qui enim alios iniustitiæ condemnant, se innocentes esse profitentur; qui alios accusant, sese omni crimine vacare confirmant. Cum igitur sint vel eisdem omnino, vel alijs non minoribus, sceleribus alligati, susceptum scelus insigni impudentia cumulant. Merito igitur Paulus eos appellat Inexcusabiles. Non enim ignorabant, (vt ante dictum est) eos, qui scelera nefaria committunt, dignos esse morte. Præterea, in eo ipso iudicio, quod de alijs faciunt, multo clarius eam ipsam iuris Diuini scientiam animis insitam declarant, atque in aliorum damnatione, qui merito damnati sunt, omnem sibi omnino defensionem præcludunt. Sed, cur dicit, O omnis homo,

mo,qui indicas? Neminem enim excipit,qui recte poſsit iudicium exercere. An,quia hæc oratio referenda eſt ad eos, qui fide carebãt, quorum ſuperbiã de ſtatu deijcere conatur? Iam.n.demonſtrauit, in illa flagitiorum omnium collectione,quantis eſſent flagitijs infames,quantis ſceleribus inquinati, quanto ſtupore mentis oppreſsi,omnes illi, qui Deo gloriam non dederunt, neque Maieſtatem illius debita fide coluerunt. Vnde ſequitur,neminẽ ex illis,abſque ſummo impudentiæ ſcelere,potuiſſe vitam aliorum inſectari.

Scimus autem,quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt.

Humanum iudicium multis modis corrũpi poteſt. Primum.n.homines indicãt de rebus, quæ ſenſibus obiectæ ſunt. Nec enim intimos animi receſſus introſpiciunt.Cum igitur ſenſibus infinitæ intendantur inſidiæ; nec poſsit mens humana perſpicere, quod eſt ſimulationum inuolncris tectum, & ab illius adſpectu remotũ;fit,vt in iudicando errẽt,atque miſerrime labantur.Preterea,verſatur in humanis iudicijs amor,odium,cupiditas,iracũdia,gratia, metus, voluptas, offenſio, & multiplices morbi,quibus animos iudicũ inflecti,concitari,incendi, reſtingui, peruerti, corrũpi,& varijs denique modis obſcurari, & a conſtantia detorqueri,ſentimus. Non igitur fit humanũ iudicium ſecundum veritatem. Ne igitur homines potentes exiſtiment,eſſe ſibi datam impunitam ſcelerum omnium licentiam, exterret eos Paulus,rectiſsimi,atque veriſsimi,iudicij mentione. Ille namque Iudex ſanctiſsimus,cum intimos hominũ ſenſus exacte proſpiciat,cum illius potentia ſit immẽſa, atque conſtautia ſempiterna, cum non poſsit cõtra inris ſempiterni rationem, aut gratia cuiuſquam,aut offenſione,cõmoueri;non eſt,quod ſibi quiſquam poſsit ex illo Dei iudicio ſcelerum impunitatem polliceri. Vos, inquit ille, ſecundum carnem iudicatis; ego non iudico quemquam. Id eſt,non ſequor in iudicio ſenſus hominum,qui perſæpe mentiuntur, ſed Diuinam mentem, quæ ſalli numquam poteſt. Sic etiam Iſaias de iudicio illius,inquit, Non ſecundum viſionem oculorũ iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet; ſed iudicabit cum iuſtitia pauperes, & arguet cum æquitate pro manſuetis terræ. Quam ſit autem hoc iudicium metuendum iniuſtis,explicat id, quod ſequitur:

Exiſtimas autem hoc,o homo, qui iudicas eos,qui talia agunt,& facis ea,quia tu effugies iudicium Dei?

Eſto,inquit: hominum ſententias effugiſti; in tenebris,& caligine, latuiſti; humana iudicia,aut potẽtia perfregiſti, aut fraudibus eluſiſti,aut pecunia redemiſti;num confidis, miſer homo, te poſſe, eiſdem rationibus, in Dei ipſius iudicio dominari? Sed,cum Diuinæ vindictæ dilatio faciat homines licentius in ſcelere verſari,(ſuſpicantur enim,Deum res humanas minime curare;propterea quod,non, vbi primum quiſque peccat,ſcelus vlciſcitur) aſsignat Paulus rationem, quare Deus non ſtatim ſceleri ſuppliciũ irroget; & clementiæ Diuinæ commemoratione, qua homines ad contemptum numinis abutuutur, eos multo acrius premit.

An diuitias bonitatis eius, &, patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Secundum autẽ duritiam tuam, & impænitens cor,theſaurizas tibi iram in diem iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei?

Si,inquit,fore confidis,vt ſupplicium, ſceleri tuo debitum, minime ſubeas,quod videas, multos audaces, in ſcelere impune volitare, nec ab eis ſumptum aliquod ſupplicium eſſe cernis;non eſt,cur ea te fallat opinio.Deus.n. te clementer exſpectat, flagitia tua diu tolerat,& te ad pænitendum inuitat,tibiq. reſipiſcendi ſpatium concedit. Tu vero, ſecundum animi tui immanem, & importunam, contumaciam,facis, vt ea clementiæ magnitudo ferat tibi tandem magnam calamitatis acceſſionem.Contemptu enim clementiæ Diuinæ, ſeueritatem Diuinam in te concitas; & ,quo magis Dei iudicium differtur,eo maiorem tibi peſtem machinaris. Longanimitas Dei eſt apud Paulum illa magnitudo animi,quæ cernitur in diuturna offenſionis perpeſsione, cũ ſcilicet non præcipiti mente cõcitatur ad iniuriam perſequendam; ſed vindictam differt, vt hominum conſilio,& rationi, locum relinquat, benignitatemq. ſuam temporis anguſtijs non excludat. Hoc autem verbo explicat illam Dei clemẽtiam,& lenitatem, quam Moſes celebrat,appellans illum ארך אפים, hoc eſt, vt verbum verbo reddam, longus eris, id eſt tardus, ad inferendum ſupplicium. Hoc magis apparet in verbo Græco μακροθυμία, quod eſt e duobus vocabulis, longitudinem, & iracundiam, deſignantibus, compoſitum. Duritias aũt, eſt animus in ſcelere obſtinatus qui nullã in ſe recipit Diuini ſpiritus impreſſionem;non recipit autem,quia nõ vult. Ideo, inquit,ſecundum duritiem tuã,vt doceat,animi cuiusque pertinaciam non ab aliquo Dei præiudicio, ſed a libera vniuſcuiusque volũtate,profectã. Aptiſsime autem diuitijs clementiæ diuitias ſeueritatis opponit,vt demõſtret quanta æquitate ſit in hominum ſcelera vindican-

dicandnm. Iustum enimest,vt, qni benignitatem repudiant, in feueritatem infensi numinis incurrant. Dicit antem,eos sibi iræ Diuinæ thesauros recondere, vt ostendat, Deũ nõ mortem hominum appetere, vt ioquit apud Ezechielem, sed vitam, & immortalitatem: certare tamen hominum scelus,& improbitatem,cum Dinina clementia; & ita fieri,vt sibi quisque exitium comparet.Iudicij Diuini diẽ Iræ diem appellat,quod sit tũc omnis clementia penitus excludẽda. Dies iræ,iuquit Sophonias, dies ille, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum,& caliginis, dies tubæ,& clãgoris. Cum autem diem renelationis appellat,pauorem iucutit, qui, probitatis simulatione,se tutos fore confidunt. Demonstrat.n. fore, vt nihil posit inuolucris obtendi, nihil tegi, nibil occultari; sed esse tandem necesse, vt omoia pateant, atque dilucescant, & cum immortali perditorum hominum dedecore, & turpitudine, omnia illorum flagitia in omnium conspectu proponantur.Sanctissimi vero iudicij æquitatem describit,adiungens:

Qui reddet vnicuique secundũ opera eius.

Noo dicit,eos,qnos volet,tantum qnia volet, ab vniuersa hominum multitudine secernet,quos beatos efficiat;reliquos autem sempiterno supplicio mactabit. Non dum videlicet bnius disciplinæ,quæ bac tempestate percrebuit, officina fuerat instituta, quæ homines æterna necessitate deuinciret, Deumq. omni laude æquitatis spoliaret. Cum igitur nondum eo tempore tantum in terris acumẽ exstitisset, Paulus, Christi ipsius sententiam secutus, verissimam oobis Diuini iudicij rationem exponit, quæ tota in hoc posita est,vt operibus bonis præmia,malis supplicia, constituat.

Iis quidem, qui secundum patientiam boni opetis, gloriam, & honotem, & incorruptionem quærunt, vitam ætetnam: ijs autem,qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, ctedunt autem iniquitati, ira, & indignatio.

Bonnm opns est,quod cum vera,& laudabili, fide suscipitur; Patientiæ vero meminit, qnia valde necessaria est, ad bonorum operũ fuoctionem, propter innumerabiles contentiones, quæ sunt in pietatis studio subeundæ. Est enim cum libidine,& cnpiditate,cum laboribus, atque periculis, cum perditis hominibus, cum sempiternis hostibus, assidne dimicandum. His autẽ studijs fidei,gloria,honor, & immortalitas,comparatur. Vera namque gloria oon in repentino multitudinis amantissimæ plausu, sed io Dei sempiterno iudicio, consistit. Verus honor oon est in populi suffragio,atque titulis inanissimis, positus; sed in Diuinis mnneribus, & ornamentis, Regniq. sempiterni claris insignibus. Immortalitas autem, oon vanissimis hominum monumentis,vetustate tandem consumendis, sed sempiternæ vitæ munere, & beneficio, continetur. Nominibus autem splendidis excitat Romanos ad fidei studium,cum eos dicit,qui fidem seqnuntur, verum decus, & imperinm, & immortaliratem,consectari; hisq. studijs clarissimis sempiternam vitã propositam esse confirmat. Contra vero, qui a fide deficiunt,omnes esse dicit pœnis Diuinis obnoxios. Quo modo perfidiam describat,est animaduertendum.Qui sunt,inquit,ex cõtentione.Vt enim fides cernitur in pia mẽtis assensione,ita perfidia in animo contentioso,atque veritati cõtumaclter obsistente,perspicitnr. Qui tamen veritati repugnant, mendacio facillime credunt,vt idem Paulus, ad Thess. scribens, ait, fore, vt, qni veritatem non receperunt, mendacio capiantur;&,qui Christi imperium repudiant,Antichristo seruiãt. Iustissimo enim Dei iudicio fit, vt, qui lucem fugit,in caligine deseratur, atque cæcitate, & amentia, damnetur.

Tribulatio,& angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum,& Gtæci:glotia autem,& honor, & pax omni homini operanti bonum, Iudæo primum,& Græco.

Iudicij Diuini æquitatem confirmat, cum rursus ostendit, neque genus, neque legis ritum,neque disciplinam, neque fortunam, neque quidquam aliud eiusmodi, esse in iudiciũ venturum, sed tantum exquirendam fidem, morcs,& actiones, ita, vt, quicumque contra fidem fecerint,& contra officium, siue illi Iudæi sint, siue Græci, sint pœnas omnino daturi:contra vero,quicumque cum fide,& pietate,vixerint, quocumque ex hominum genere sint, aut quacnmque ex parte terrarum, ad immortalem gloriam peruenturi.Interim vero,miro quodam artificio, contra Iudæos accusationem comparat. Liberius enim alias gentes, quarum se doctorem esse profitetur, accusat,quasi conscias amoris,quo eas amplectebatur. Iudæos autem, vt tectius, ita vehementius,inseqnitur. Nam, cum omne certameo a Paulo sit,cum superbia, & confideotia, constitutum,(nihil est enim,quod tam cum fide pugnet,qnam stulta mentis elatio; nibil autem insolentius Iudæorum confidentia) conatur, omnibns modis eam euertere, vt sic tandem possit eos ad fidei studium facilius incitare. Quod quidem iam magna ex parte fecit. Cum enim in gentes esset inuectus, & io eorum sceleribus explicandis Iudæis quodammodo satisfaceret,egregie sibi viam, ad Iudæorum insectationem, muniebat. Verbo enim gentes solum, re autem non modo gentes,verum etiam Indæos, concidebat. Ea

enim crimina recenſuit, quibus etiam Iudæi erant obligati. Iam vero, cum eorum impudentiam compreſsit, qui, cum ſcelerum omnium conſcientia conuicti ſint, tamen alios accuſant, &, quaſi nihil a ſe fuiſſet vmquam neſarie commiſſum, ita ſeuere in alios animaduertunt; in Iudæos certe telum contorquebat. Cum enim eſſent impuriſsimi, reliquarum gentium congreſſum, ne ſe earum contagio macularent, valde ſugiebant; easq. vt omni ſcelere, & impietate, condemnatas, exſecrabantur. Nunc igitur iam clarius in Iudæos irruit, ita tamen, vt titulos illuſtres admiſceat, & Iudaici nominis commendatione viam ſibi præmuniat. Atque primum illam ſententiam ponit, quæ eſt Deo valde decora, & illius æquitati conſentanea.

Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt; &, quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

Nullum eſt, apud illum ſanctiſsimum Iudicem, conditionis, aut naturæ, diſcrimen; nulla ſanctitatis aſsimulatæ commendatio; nulla generis gratia; nihil denique eorũ, quæ homines in iudicando ſequuntur, poteſt illius iudicium flectere. Deus, inquit alibi, hominũ perſonam non reſpicit. Perſonæ ſunt, quibus veræ hominum facies teguntur, vt in fabulis fieri videmus. Inde fit, vt in ſanctis litteris omne id, quod incluſum aliquod vitium, ſplendoris humani ſpecie, contegit, Perſona poſsit appellari. Nobilitas igitur, diuitiæ, potentia, & hominũ gratia, & ſimiles opes, quibus tenebras iudicijs humanis offundi ſæpe contingit, Perſonæ ſunt. Sic etiã apud Iudæos circumciſio, dierum obſeruatio, a certis quibuſdam cibis abſtinentia, ac reliqua priſcæ legis inſtituta, ad religionis vmbram pertinentia, erant in perſonis numerãda. Ea namque, quaſi quædam vela, ſuis flagitijs, & impuritatibus, obtendebant; &, ficta religionis ſpecie, ſanctitatem ementiebantur. Cum autẽ Deus non facies hominum, ſed animos, intueatur, atque reſpiciat; conſequens eſt, vt, qui legem, in qua nutritus fuit, ſcelere ſuo trãſgreditur, animumq. ſcelere pollutum gerit, eadem ipſa lege condemnetur. Non enim iuuat legis diſciplinam percipere, niſi lege vitam inſtituas; vt continuo adiungit:

Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur.

De vera iuſtitia loquitur, quæ, non errante hominum opinione, ſed veriſsimo Dei iudicio, continetur; eamq. in præclaris factis ſitã, docet. Vt igitur Iudæus, qui legem frãgit, nullum fructum ex legis diſciplina percipit; ita alienigena, qui vitam lege gubernabat, ampliſsimum iuſtitiæ fructum capiebat. Quo modo, inquies, legi poſſet obtemperare, qui legẽ non acceperat? In mentis, inquit, natura habebat vim ipſius legis inciſam.

Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Admiranda eſt vis illius legis, quam naturalem, quam Diuinam, quam ſempiternam, appellamus. Naturalem, quod ſit innata nobis, & in natura mentis, & rationis, inſculpta; Diuinam, quod ſit ex diuina mente hauſta, illiusq. numine animis noſtris inſcripta; Sempiternam, quia, cum reliquæ leges varias mutationes ſubeant, hæc nullis vmquam ſæculis interibit; hæc ad pietatem, & religionem, incitat; hæc ad honeſtatem, hæc ad hominum caritatem, inſtituit; hæc ab impietate, flagitio, & iniuria, deterret; hæc poſtremo omnẽ vim Diuinæ legis, quæ Hebræis olim data fuit, natura ſua complectitur; ita, vt nihil aliud fuerit lex illa ſcripta, quam naturæ, diuturnitate peccandi corruptæ, inſtauratio quædam, atque renouatio. Vt igitur Hebræi, nõ legem audiendo, ſed, quæ lege ſancita fuerant, gerendo, veram iuſtitiam obtinebant; ſic reliquæ gentes, non acute cernendo, quod eſſet officium in vita colendum; ſed, id, quod ratio ſanciebat, faciendo, ad iuſtitiam perueniebant. Cum enim recta ratio ſit ipſa lex Diuina, vt dictũ eſt, profecto, qui rectæ rationi parebat; Diuinæ legi parebat. Iuſtus itaque apud Deũ erat exiſtimandus. Si quidem nihil aliud eſt iuſtitia, quam ſtatus animi, omni ex parte lege Diuina conſtitutus. Ergo, qui rationem rectam ſequebatur, erat veræ iuſtitiæ particeps. Sed quærendum eſt, num quiuis, natura tantũ informatus, potuiſſet rationi ſemper obtẽperare? Minime vero. Vt.n. Iudæi nullo modo potuiſſent, abſque Diuina gratia, vt Paulus in hac epiſtola demõſtrat, legem ſeruare; ita neque gentes, abſque Dei ſingulari præſidio, rationem perpetuo ſequi poterãt. Vtriſque igitur erat opus fide, vt ea Dei gratiam cõciliarent; qua firmati, poſſent libidinis immanitati repugnare, & pietatem colere. Quid igitur venit in mentem Paulo, dicere, gentes, natura inſtructas, vim ipſius legis poſſe factis exprimere? Quia lege ſcripta non indigebant, qui recta ratione vitam gubernabant. Itaque nõ Dei opem, ſed ſcriptam legem, excludit. Neque fidem, ſed legis ſtudiũ, infirmat. Eo namque argumenta omnia dirigit, vt probet, legẽ ſcriptam ad iuſtitiam minime neceſſariã eſſe. Opus autem legis, hoc in loco, legis mentem, & rationem, appellat; cuius vis quanta ſit, explicat magis id, quod ſequitur:

Teſti-

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum, per Iesum Christum.

Legis huius vis, & ratio, cernitur, dum vel maleficij conscientia vexat animum; vel innocentiæ recordatio eundem subleuat; vel postremo, dum scrupulus insidet animo, eumq. sollicitat, verentem scilicet, ne in se quippiã vituperio dignum admiserit. Tũc igitur, quasi iudicio constituto, alternis hinc, & inde cogitationibus, partim accusantibus, partim etiam defendentibus, omnis officij disceptatio ad iuris illius insiti examen reuocatur. Hoc autem multo clarius apparebit, cũ Deus de hominum vita iudicabit, cũ videlicet omnium hominum mens, & ratio, cum Diuina mente consenserit. Nemo enim tũc erit adeo perditus, quem sua conscientia non conuincat, & qui nõ se supplicio sempiterno dignissimum arbitretur. Secundum Euangelium meum, idem est, quod, secũdum meam doctrinam. Hoc est, inquit, quod trado, quod doceo; quod futurum denuntio; nempe, vt Deus orbem terrarum per Christum iudicet. Tũc igitur, quæ modo sunt crassissimis tenebris occultata, patebunt; neque quemquam pietatis simulatio, sed veritas ipsa, iuuabit. Sed operæpretium est, animaduertere, quo modo Iudæorum simulationẽ refutet, quo modo flagitia, sub specie religionis latentia, in oculis omniũ constituat; quam alte securim in Iudæos deijciat; quantumq. eis vulnus imponat.

Si autem tu Iudæus cognominaris.

Mira in accusando libertas, singulari artificio communita. non enim dicit, Iudæus es, sed, Iudæi nomen vsurpas. Qui enim vere Iudæi sint, paullo inferius explicabit.

Et requiescis in lege, & gloriaris in Deo.

Inanem legis confidentiam, qua sibi omnia temere pollicebantur, accusat; & ostendit, quam temere Dei nomine gloriabantur, cum Maiestatẽ illius fœdissimis factis offenderint.

Et nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem.

Non intelligebant miseri, ex ea notitia, qua non modo, quid Deus a nobis exigeret, verum etiam, quid in illius cultu vehementer excelleret, cognoscebant, grauius eis supplicium imminere. Quo enim magis erant intelligentia Diuinæ voluntatis instructi, eo grauioribus pœnis erant, propter illius negligentiam, cruciandi.

Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege.

Titulis eos videtur ornare magnificis, cũ eorum elationem exagitet. Id tamen assequitur, vt cum minore offensione in eos impetum faciat.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces.

Iam in eos, insignis laudis specie delenitos, acriter incurrit. Magna tu quidem, inquit, profiteris, & te quasi solem ostentas, vt doctrinæ lucem porrigas. Neque nego te satis magnis ad pietatem opibus instructũ fuisse. Sed, quo sunt illa clariora, quæ accepisti, eo, si fidẽ fefelleris, eris impudẽtior, atque sceleratior. Quid enim impudentius, quam, vita, & moribus, ab ea disciplina, quam profiteris, tam valde dissentire? quid sceleratius, quam, summi illius domini Maiestatem, qui te tantis beneficijs ornauit, legis ipsius contemptu, violare? Sed huius tanti sceleris immanitatem nemo poterit elegantius, quam Paulus in præsentia facit, explicare.

Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per præuaricationẽ legis Deum inhonoras. Nomẽ enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.

Hoc, quod scriptum asserit, apud Isaiam, & Ezechielem, & alios Diuinos viros, cernimus quo modo Dei nomẽ Iudæorum perfidia fuerit gentium conuicijs expositum. Quod quidẽ duplici ratione contingebat. Primum quidẽ, eorum scelus, qui Dei lege instituti sunt, illiusq. sacris initiati, quodã modo Dei ipsius laudem obterit, & quasi maculam nomini illius adspergit. Talem enim opinionem gentes exteræ de mente, atque lege Diuina, concipiunt, quales sunt ij mores, quibus imbutos esse vident eos, qui ea lege deuincti sunt. Vt enim præclaræ eorum actiones Dei gloriam illustrant; sic flagitia eam quodam modo labefactant. Deinde, cum Deus eos deserit, quos in fidem receperat; euenit, vt gentes opinentur, id non iusta Dei seueritate, sed fidei potius inconstantia, aut virium imbecillitate, accidisse. Iccirco, cum sancti homines iram Dei a populo suo deprecantur, eo argumẽto maxime pugnant, & a Deo contendunt, ne pa-

tiatur nomen suum gentium conuicio maculari. Sic Moses, Ne, quæso, dicāt Aegyptij, Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, atque deleret de terra. Alibi inquit, fore, vt dicant, non poterat Deus introducere populū suum in terram, quam iureiurando promiserat, & iccirco interfecit eos in solitudine. Sic item Iosue, Quid facies, inquit, nomini tuo magno? Similiter in Psalmis scriptū est: Propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum, & ne forte dicant in gentibus, Vbi est Deus eorum? Atque, ne plura persequar, multi locis colligitur, obscurari ad hominum opinionem Dei gloriam, cum ij, qui se Dei cultores esse profitentur, ab illius ope deseruntur. Recte igitur dictum est, per eos nomen Dei vituperari. Ea autem de caussa, cum Deus apud Prophetas se salutem allaturum populo suo promittit, ostendit, se in eo opere gloriæ suæ consulturum. Quale est, quod Deus inquit apud Isaiam; Propter nomen meum longe faciam furorem meum; propter laudem meam continebo me, ne te interimam; &, propter me, faciam, ne conuicijs obijciar; gloriamq. meam alteri non dabo. Constat igitur, tunc Dei nomen ab impijs vituperari, cum ij, qui Dei lege gloriantur, ab eo, propter improbitatis contumaciam, negliguntur, hostibusq. vexandi, atque diripiendi, relinquuntur. Ex quo cernitur, quantum sit eorum scelus, qui huic infando conuicio caussam afferunt.

Circumcisio quidem prodest, si legem obserues; si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.

Insistit, & vrget, nec eos consistere vllo in loco patitur. &, quia circumcisionis religione tumebant, eam disputatione sua conuellet. Docet enim, nullum fructum afferre circumcisionem, sed id, quod circumcisio designabat. Designabat autem fidem. est enim fides, dum viget, animi circumcisio, qua cupiditatis impuritas resecatur, omnisq. petulantia comprimitur, vt sic tandem animus se promptū, & alacrem, ad Dei cultum exhibeat. Quemadmodum ait Moses, Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum, toto corde tuo, & tota anima tua, vt possis viuere. Hęc est igitur circumcisio, quæ vitam contiuet, non vlla carnis incisiō. Circumcisio enim nihil est, sed Diuinæ legis obseruatio. Quo modo igitur dicit, Circumcisio quidem prodest, si legem obserues? Cum Iudæis loquitur, a quibus erat olim circumcisio retinenda. Circumcisio vero fidem, atque iustitiam, designabat; & fœderis Diuini rationem in memoriam reuocabat; & Abraham posteritatem patriæ virtutis, atque pietatis, admouebat. Illius igitur admonitu potuissent facilius homines ad studium virtutis inuitari. Vt enim nos, & Crucis signo, & sanctissimis Ecclesiæ cærimonijs, admoniti, de Christo acrius, & attentius, cogitamus; ita, vt merito possimus affirmare, nos non mediocre emolumentum ex illis percipere: sic etiam Iudæi, quamdiu status ille manebat, circumcisione tamquam signo, atque monumento, iuuari potuissent. Hoc igitur Paulus dicit, circumcisionem quidem tibi vtilem fuisse dicerem, si tu illius admonitu legē obseruares. Cum vero te vsque eo indocilem ad legis disciplinam præbuisti, vt neque circumcisione admonitus te ad legis studium vere contuleris, tantum abest, vt ea te subleuari possit, vt vehementius opprimat, atque sceleris, & impudentiæ, conuincat. Vita enim cum mysterio circumcisionis pugnat. Illa patriæ tibi virtutis memoriam repræsentat; tu a patre sanctissimo turpissime degeneras. Illa significat obedientiam; tu Dei legem conculcas. Illa puritatem animi designat; tu geris animum flagitiorum omnium sordibus inquinatum. Assimulatæ igitur circumcisionis ostentatione subnixus, incedis, cum, re vera, præputij deformitate, te ipsum contamines. Contra vero, qui fidem rite colit, quamuis in circumcisus corpore sit, pro circumciso est habendus.

Si igitur præputium iustitias legis custodiat, non ne præputium illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram, & circumcisionem, præuaricator legis es?

Præputium, pro gentium vniuersitate ponitur; sicut & Circumcisio pro Iudæis. Docet igitur hominem incircumcisum, vigenti fide sanatum, & stabilitum, sententiam ferre contra perfidum Iudæum. Is, inquit, te damnabit, pietateq. sua tuam impietatem refutabit. Ille siquidem, cum nullum haberet scriptæ legis adminiculum, id tamen, in quo summa legis consistit, nempe, fidem, & officium, egregie præstitit. Tu, contra, qui tam multa præsidia scriptæ legis habuisti, vim ipsius legis aspernaris, Diuinumq. illius sensum repudias. Litteram, scriptum legis appellat; cui dum Iudæi pertinaciter adhærescunt, sensum ipsius legis euertunt.

Non enim qui in manifesto, Iudæus est; neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: sed qui in abscōdito, Iudæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Illustris sane contentio. Comparat enim corporis circumcisionem pelliculam resecantem cum animi circumcisione vim cupiditatis exscindente; legis scriptum cum Diuina le

gis

gis ſententia; iuſtitiæ vmbras, & imagines, cum ipſius iuſtitiæ ſplendore; inanem populi rumorem, fronte, & ſupercilio, & religionis oſtentatione, collectum, cum laude ſempiterna, apud Deum ardenti veræ pietatis ſtudio comparata; vt tandem videamus, illum, qui in aperto, hoc eſt in corpore, geſtat Iudaicæ religionis inſignia, non vere Iudæum eſse, ſed vanis rerum ſimulacris oblectari. Si enim vere Iudæus eſt, qui vere circumciſus eſt, qui vitam in Diuina laudatione conſumit, qui veris etiam laudibus abundat; (eſt enim Iudæi nomen, ſecundum Hebræos, a laude deductũ) is demum Iudæus erit, qui fidem ſeruat, qui Deum caſtiſsime veneratur, qui laudem apud Deum inuenit. Hæc autem omnia non ſimulatione religionis, quæ cernitur in habitu corporis, ſed vera animi ſanctitate, continẽtur.

CAP. III.

QVid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circũciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.

Cum omne Iudæi, atque Græci, diſcrimen omnino ſuſtuliſſet, veritus, ne ſententia, tam contra communem omnium Iudæorum opinionẽ prolata, animos eorum alienaret, dat operam, vt eorum offenſionem leniat. Oſtendit igitur, multis in rebus fuiſſe Iudæos, reliquis hominum nationibus antelatos. Et, quãuis alia quam plurima beneficia commemorare potuiſſet, quæ fuerunt Hebræis collata, illis tamen omiſsis, vnum tantum refert omnium maximum, nempe, quod fuerint legis inſtituta, & oracula Diuina, eorum cuſtodiæ commiſſa. In quo tamen, animaduertendum eſt, Paulum in hoc in loco nihilo plus Iudæis tribuere, quam ante tribuebat. Nec enim dicit, Iudæi vnice fidem coluere, virtutem egregie præſtitere, omni officio præclariſsime functi ſunt. Neque denique Iudæorum in Deũ pietatem, ſed Dei in Iudæos beneficium, commemorat. Quo autem Dei in illos beneficiũ fuit illuſtrius, eo ſcelus eorum eſt deteſtabilius, qui ſe in Deum ingratos nefarie, & impie, præſtiterunt. Non igitur hic eos reliquis hominibus anteponit, ſed grauius accuſat, quamuis aliqua ex parte ornare videatur. Sed, cum obiter attigiſſet Paulus locum hominum perditorum calũniis expoſitum, qui Deum iniquitatis accuſabant, eo quod Iudæos, quos legis cuſtodiæ præfecerat, ſibiq. religione deuinxerat, atque ad ſpem immortalitatis excitarat, ita deſeruiſſet, vt nihil poſſet illis fingi calamitoſius; commodum fuit, vt omnem anſam calumniæ præcideret, illamq. impietatis immanitatem refutaret. Quod nunc tamen breuiſsime conficit, ne filum orationis interrumpat; alibi autem, vt ſuo loco videbimus, in hac eadem epiſtola, de hac ipſa quæſtione copioſe diſputabit. Sed, vt locus hic poſsit intelligi, opus eſt, vt impiorum orationem referamus. Sic enim dicebant: Deus hanc nationem a reliquis ſegregauit, multisq. muneribus ornauit, ſingulariq. præſidio confirmauit; ſeq. ad eam tuendam, & cõſeruandam, pactione obligauit; multisq. in locis, ad firmiorem ſpem illis faciendam, fidem ſuam adſtrinxit. At nunc videmus, hanc eandem gentem expulſam, & eiectam, non modo dignitate, ſed etiam libertate, ſpoliatam, errore etiam mentis affectam, & infinitis calamitatibus oppreſſam, & attritam. Hæccine fides? hæc promiſsi conſtantia? hic Diuinæ legis fructus? Quod ſi fuit eorũ ſcelere offenſus; cur multis ignouit, qui in eadem cauſsa fuere? Cur ita quibuſdam pepercit, vt reliquos omnes aditu clementiæ penitus intercluderet? Hæc erat multorum oratio, quam Paulus hoc in loco refutat. Docet enim, nullo modo ex Iudæorum ruina concludi poſſe, Deum minime in fide conſtitiſse. Qui enim olim promiſit, ijs, qui fidem ſeruarent, non ijs, qui eam ſcelere infando violarent, promiſit. Qui igitur perfidia ſua conciderunt, non poſsunt Deum vanitatis inſimulare.

Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? Abſit.

Fides Dei, eſt ſempiterna veritas, & in ſeruandis promiſsis immutabilis, atque fixa, cõſtantia. Nec enim, vt ait Balam, eſt Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Miro quodam artificio Paulus ad hunc locum hanc ſententiam attexit. Nam ſpecie quidem hoc argumento confirmare videtur, quod dixerat, nempe, Iudæos reliquis nationibus antecellere. Quaſi dicat; neque ex aliquorum ruina ſequitur, Iudæorum dignitatem, quod ad hoc beneficium attinet, imminutam fuiſse. Sed non hoc agit Paulus, ſed id potius molitur, & efficit, vt Dei fidem defendat, & Iudæos perfidiæ conuincat. Animaduerte autem, quam ſapienter ponat id, quod erat ab impiis obiectum. Ita enim ponit, vt ſimul euertat. Nec enim dicit, Quid, ſi Iudæi funditus euerſi ſunt? ſed, Quid, ſi non crediderunt? Ita igitur eorum ruinam commemorat, vt ruinæ cauſsam ſimul aſsignet. Vt, cum viderimus ruinæ cauſſam fuiſse infidelitatem eorum, qui concidere, nõ cauſsam illius ruinæ Deo, ſed ipſis, aſsignemus. Deinde, non dicit, Quid, ſi maxima eorum pars nõ credidit? ſed, Quid, ſi quidam nõ crediderũt? Vt videlicet orationis aſperitatem molliret, atque offenſionem aliqua ex parte ſubleuaret,

ret, Num, inquit, quod est hominum perfidiæ tribuendum, id ad Deum reuocabis, vt illius fidem criminere? Auertat Deus homines a tam immani sceleris atrocitate.

Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.

Non potest, inquit, Dei fides vmquam labare. Non igitur Dei perfidia, sed hominum infidelitate, fit, vt homines promissa beneficia minime consequantur. Illud vero, quod ait, omnem hominem esse mendacem, quod est ex Dauide sumptum, sine exceptione intelligendum est. Nihil est enim hominum natura mobilius, nihil imbecillius, nihil fraudulentius, quamdiu non est Spiritus sancti numine, & præsidio, confirmata. Postquam vero homines Dei spiritum sequuntur, illius constantiam sequuntur. Illa igitur veritas, atque fides, non humanæ naturæ, sed gratiæ Diuinæ, tribuenda est. Cum igitur Dauid asserit, omnem hominem esse mendacem, omnem hominem intelligit Diuina gratia nudatum. Quod autem sequitur, nempe, Vt iustificeris in sermonibus tuis, quod est etiam ab eodem auctore desumptum, est explicandum diligentius. Sic enim precationem suam instituit Dauid: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meã. Deinde, cum alia in eandem sententiam diceret; seq. sceleris recordatione perculsum, & stratum, esse confirmaret; eaq. de caussa fidentius ab illo veniam imploraret, qui numquam supplicum preces aspernatus est; tum addidit, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris. Hoc est, vt, cum mihi veniam tribueris, comprimas impiorum hominum maledicentiam, qui te inclementem esse dicunt, cum aliquem iudicio tuo persequeris. Nam, cum perspectum fuerit, te mihi, homini impuro, & impia cæde crueutato, cum primũ meum scelus agnoui, & tuam clementiam implorarui, confestim veniam concessisse; intelligent plane, benignitatem tuam patere omnibus, qui ad te cum fide vigente accesserint; atque ita colligent, eum, cui tua clementia præclusa fuerit, sua perfidia fuisse aditu tuæ benignitatis exclusum. Certe enim, si Saul, vel quiuis alius eorum, qui tuo præsidio nudati sunt, fecisset, quod ego feci, vt susceptum a se crimen lamentaretur, clementiaq. tua fretus, supplices ad te preces adhiberet, veniam impetrasset. Misericordia igitur tua seueritatem tuam omni crudelitatis crimine liberat. Quoties enim peccanti veniam impertis, toties væsaniam eorum, qui te crudelitatis accusant, aperte conuincis. Apparet enim, in eorum casu, qui a te conseruati non sunt, non tibi clementiam, sed illis fidem, ad clementiæ fructum accipiendum, defuisse. Fac igitur, vt in mea salute fidem tuam liberes: omnibus enim, qui ad te fide conuersi fuerint, veniam, atque gratiam, polliceris; atque ita gloriæ tuæ prospicies. Hæc est Danidis in eo loco mens, & sententia, quæ quidem valde cũ Pauli sententia congruit. Duplici namque ratione solent homines Dei iudicium criminari, cum de sceleribus hominum supplicium sumit; vel quod nimis acerbe crimina vindicet; vel quod dissolute grauissimis criminibus ignoscat. Verbi gratia: Cum Hebræi aureæ vitulæ immolauissent, quidam grauissimas pœnas exsoluerunt, quidam vero Dei benignitate conseruati sunt. O iniquitatem, inquiunt, minime ferendam. Nam, si scelus tantum non erat, vt esset extremo supplicio vindicandum; cur illos miseros extremo supplicio consumpsit? Si autem erat morte vindicandum; cur homines, eodem crimine alligatos, e debitis pœnis exemit? Sic igitur (vt ad Apostolorum tempora veniamus,) Deo crimini dabant, quod, suæ fidei oblitus, Iudæos tam multis pœnis vexaret, atque dira clade consumeret, præsertim cum multos ex illis, qui in eodem scelere versati fuissent, incolumes ab omni calamitate cõseruasset. Ex Dei igitur in impios seueritate ansam arripiebant, ad Dei etiam clementiam impie vituperandam. Contra, Paulus, ex Dei clemẽtia multis tributa, sumit argumentum ad Dei seueritatem omni crudelitatis impia suspicione liberandam. Dicit itaque, Si nostra iniquitas Dei iustitiam commendat; apparet ex eo, quod nobis ignouerit, quam iuste eos persequatur, quos iudicio suo peruertit. Quo modo igitur audet quisquam eum iniquum dicere; cum infert iram, hoc est, cum scelus vlciscitur? Si enim esset iniquus, quo modo is orbẽ terrarum iurisdictione contineret? Quod si iniquum existimes, quod veritas illius in meo mendacio abundauerit, id est, quod neque mẽdacio meo impeditus fuerit, quo minus promissa cõficeret; si igitur hoc illi crimini das, quod me etiam non euerterit; male profecto censes. Cum enim veritas illius in meo mendacio abundauit; omni repente crimine liberatus sum. Cum igitur crimina mea deleta sint; cur ego pœnas easdem luerem, quæ repetuntur ab ijs, qui sua contumacia noluerunt hac tam insigni Dei benignitate potiri? Non igitur contra fidem facit, nec cum ijs, qui in infidelitate perseuerant, exitium affert, neque cum ijs, qui ad fidem redeunt, ignoscit. Docet igitur, iustissimo iudicio fieri, vt, qui perfidia sua clementiam repellunt, seueritatem experiantur; nec esse, cur Deus eandem seueritatem in illis adhibeat, quos omni scelere soluit. Fide enim viua iustitiam adepti sunt; atque ita a communi iniustorum calamitate, non absque singulari consilio, conseruati. Vtrumque igitur Paulus hoc in loco breui

ter

ter ostendit, quod fuit mihi, propter orationis obscuritatem, necessario pluribus explicandum. Inquit igitur:

Si autem iniquitas nostra, iustitiam Dei, commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? secundum hominem dico. Absit. Alioquin quo modo iudicabit Deus hunc mundũ?

Est hæc Pauli sententia nexa ex eo loco Dauidis, nẽpe, Vt iustificeris in sermonibus tuis. Si, inquit, Dei fides, atque misericordia, in mea iniquitate illustris exstitit, (cum enim mihi clementer ignouit, quam prompta, & parata, esset omnibus illius benignitas, aperte demonstrauit; atque docuit, quam iuste iratus sit omnibus, qui benignitatem illius repudiant, illiusq. imperio contumaciter obsistunt) cum igitur, hac tam insigni clementiæ significatione, iustitiæ suæ sanctitatem egregie confirmet; tamen erit quisquam tam audax, & impius, vt, cum is infert iram, hoc est, cum nocentes homioes meritis pœois insequitur, eum iniquitatis accuset? Scclestũ quidem, & immane, facinus est, talia suspicari. Facile enim Dei clementia, impiis tributa, seueritatem, quam suscipit, in sceleribus hominũ vindicandis, ab omni conuicio tuetur. Quod enim ij etiam seruati non sunt, eornm perfidiæ tribuendum est, qua Dei spiritui, eos ab exitio reuocanti, opesq. suas illis clementer offerenti, restiterunt. Potuissent enim Diuinam clementiam amplecti, atque salutem adipisci. Deus enim fidem suam magnificentissime præstitit; illi vero perfidia sua oblatam sibi lucem repulerunt, atque sponte sua tenebris immersi sunt. Homines igitur, qui mendacio pertinaciter ad extremum adhæserunt, non Deum, qnem impie contempserunt, accusa. Neque enim illud dici potest, Deum, absque vlla ratiooe, quibusdam salutem, aliis autem perniciem, intulisse. Nam, si id fecisset, iniquũ se p̃stitisset. Si esset iniquus, quo modo orbem terrarũ iudicare posset? In eo vero, quod inserit, nempe, Secundũ hoĩem d co, declarat hoĩm impiorom temeritatem, & amẽtiam, quorum animos hæ tam nefariæ cogitationes peruagantur. Hoc igitur argumento, ex Dei clemeotia coocluditur, illum in improbis acerrime puniendis vti summa iustitia, & æquitate. Quo modo igitur, non omnes nocentes eodem numero habet? Cur non omnes, qui in eodẽ scelere versati sunt, non eodem iudicio persequitur? Quia quidã ex illis fidem tandem habuerunt; eaq. fide incensi, veniam adepti sunt. Cum igitur iam nõ impuri, atque scelerati, sed casti, & integri, siot; æquum oon est, eos, tamquam impios, scelere condemnari.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor?

Abundat veritas Dei in hominum mendacio; eum neque eorum pristina infidelitate offensus impeditur, quo minus eis veniam impertiat, vbi primum ad fidem redeũt. Merito enim potuisset eorum salutem negligere, qui semel a fide desciscunt. Cum vero non eos negligit, sed eorũ adhuc salutẽ procurat, eosq. vocare nõ desinit, & omnibus modis ad se pellicere studet, atque tandẽ ab exitio retrahit; satis apparet, quãta sit illius fides. Quo enim mea infidelitas maior fuit, eo fides illius clarius elucet, qui, vt mihi promissa perficeret, infidelitatem meam tandem exstinxit. Quod quidem in gloriam illius maxime redundat. Nam ex eo clemẽtiæ suæ opes ingentes explicat; &, iudicij sui seueritatẽ esse summa æquitate constitutam, probat. Nec enim aliud est, abundare Dei veritatem in hominum mendacio, quam, fidem illius io humana perfidia delenda illustrem fieri. Cur autem non omnium perfidiam delet? Quia neminem cogit, quamuis omnes inuitet. Sunt autem multi, qui in eo perseoerant, vt perpetuo malint in tenebris flagitiorum versari, quam Dei lucem in omnes partes clementissime diffusam in se recipere. Vt igitur omnia breui complectar, uullo modo suspicandum est, Dei fidem posse mutari. Si quæris, cur Iudæos, quibus salutem promisit, vexet incommodis, pœnis excruciet, atque clade consumat; respondeo, eorum perfidia, atque summo scelere, pertinaciaque, fieri, vt expertes sint eorum bonorum, quæ ijs tantum, qui fidem seruarent, pacta sunt. Si rursus quæris, cur me, cum in eodem scelere aliquando fuerim, non eadem pœna persequatur; dico, me fide veniam impetrasse, atque clementia illius omni scelere solutum esse. Quare minime foret Diuinæ iustitiæ consentaneum, vt is me, quem iustitiæ ornamentis affecit, tamquam iniostum iudicet, atque condemnet.

Et non, sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iusta est.

Non se, inquit hoc in loco, iactet improbitas; non proijciatur aodacia; non ex eo, quod dicimus, Dei veritatem in meo mendacio clarius illustrari, nefandi erroris occasionem arripiat, atque oos calumnietur, quasi asseramus, esse mendacium retinendum, vt ex eo Dei fides elucescat. Non hoc, inquam, dicimus. Peccatum enim nullam vim habere potest, ad Dei gloriam illustrandam. Immo, cum illa perpetuo pugnat, illam obscurare, inquinare, peruertere, conatur, ad illius interitum omnem conatum comparat.

Et

Et ea de caussa, in nostris peccatis Dei gloriam insignem fieri, dicimus; quod, ne peccatis quidem, cum quibus sempiternas inimicitias gerit, offensus, suæ fidei, atque benignitatis, immemor fit. Qui igitur nos, vt auctores sceleratæ sententiæ, criminantur, debitas tandem pœnas luent. Hæc fuit quasi quædam leuis excursio, qua Paulus hominum in summam Dei æquitatem calumniam confutaret. Nunc iam ad id, quod instabat, reuertitur:

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Caussati enim sumus, Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse.

Quamuis in eo excellerent Iudæi, quod essent clarioribus instructi disciplinis, non tamen ita, vt in pietatis studio se excellentius gererent. In quo tandem aduertendum est, Paulum de ijs tantum loqui, qui, lege subnixi, Dei gratiam minime requirebant. Se ipsum autē reliquis Iudæis annumerauit, vt lenior esset oratio, atque, vt inuidiam a se remoueat nō ipse Iudæorum scelera insectatur, sed Scripturam quasi loquentem inducit. Varia enim testimonia, partim ex Psalmis, partim ex Solomone, & item ex Isaia, colligit; eaque ita connexit, vt in vnam sententiam includat.

Sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam.

De omnibus hominibus sine exceptione vlla loquitur, quamdiu studijs humanis inuitūtur, neque dum sunt Deo fide coniuncti, in illiusq. amicitiam recepti.

Non est intelligens, non est requirens Deum; omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonū, non est vsque ad vnum.

Neque solum inutiles dicit, sed, quam sint perniciosi, atque pestilentes, exponit.

Sepulcrum patens est guttur eorum.

Guttur, pro Oratione ponitur. Dicit igitur, eorum sermonem esse funestum, atque mortiferum, tætrumq. odorem exhalantem, & inclusam in præcordijs pestem aperiētem.

Linguis suis dolose agebant. venenū aspidum sub laqueis eorum. quorum os maledictione, & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Magnum certe, & impudens, facinus erat, in dolis, & fraudibus, in orationis veneno mortifero, in omni denique genere maledicentiæ, atque dirarum omnium exsecratione, constitutum. Sed fortasse lingua tantum hominibus nocebant, manus autem ab omni maleficio continebant, neque sese ciuium sanguine vllo modo cruentabant. Quin etiam, inquit, vltro, atque libenter, sese ad cædem offerebāt, neque quidquam auidius sanguine sitiebant; ita, vt, qui ad rectum officium gerendum vsque adeo pigri erant, vt se loco commouere non possent, ad cædem faciendam, atque pestiferum aliquod facinus obeundum, essent vehementes, acres, & incitati. Quo circa mirandū non est, eos, exitus ærumnosos, & infelices, habere, & in medio cursu frangi, multisq. tandē plagis attritos euanescere. Omnes enim conatus humani sunt irriti, contentiones inanes, studia fallacissima, ita, vt, cum pacē quærunt, acerbum, & intestinum, bellum eos conficiat; cum salutem exquirunt, in pestem ruāt; cum opes expetūt, ab omnibus rebus inopes, & nudi, sint; atque postremo sempiterna miseria conflictentur, & præcipiti ruina conterantur. Recte igitur quadrat in eos id, quod sequitur:

Contritio, & infelicitas, in vijs eorum: & viam pacis non cognouerunt.

Caussam vero, cur his tantis malis vexati sunt, exponit. Sequitur enim:

Non est timor Dei ante oculos eorum.

Vt enim timor Dei pacem conciliat; (omnes enim timores inanes pellit, animiq. motus componit, atque summam tranquillitatē inducit) ita, cum metus numinis est, turbatur animus, oriuntur tempestates, exsistunt formidines, tanti motus excitantur, vt status animi funditus euertatur. Sed dixissent Iudæi, Quid nobis cum illis prophetarum testimonijs, quæ a te collecta sunt? Nec enim illi nostrum, sed gentium, scelus redarguunt. Minime, inquit, hæc dici possunt. Non enim tunc gentibus, sed Iudæis tantum, scribebant.

Scimus autem, quoniam, quæcumque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.

Legis nomine, quamuis interdum quinque tantum Legis volumina, a Mose conscripta, intelligantur, sæpe tamen omnis Scriptura, quæ Lege, Psalmis, atque Prophetis, continetur, hoc nomine appellatur. Vnde, cum Dominus locum citaret ex Psalmis, ait, Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Sic item Paulus testimonia, ex Psalmis, & Solomone, & Isaia, sumpta, ad legem reuocat. Omnia siquidem Prophetarum scripta, ad legis explicationem, atque perfectionem, referuntur. Cum ergo lex cum ijs tantum loquatur, qui ea lege tenentur; certe constat, omnia illa ad scelus Iudæorum, qui lege deuincti erāt,

esse

esse referenda. Premit igitur Iudæos,& vrget angustius, cum, Scripturæ testimonio, cuius sanctitati refragari nullo pacto licebat, eos impios,& sceleratos,& omnibus nefandis sceleribus inquinatos, fuisse conuincit. Os autẽ ponitur pro audacia,& impudẽtia; qualis est eorum, qui sibi iustitiam arrogant, cum sint omni diritate tæterrimi. Vt, inquit, omnis insolentia comprimatur; & intelligat tandem vniuersum genus hominum, se esse scelerum omnium conscientia conuictum, atque Diuinæ seueritati nimis obnoxium; & ita tandem nihil in merito suo ponat, sed omnem spem in Dei clementia collocãdam existimet. Quid enim est, quo homo posit confidere? Num natura? ingenium? disciplina? At vidimus, quam parum natura genus humanum iuuerit; quantum etiam ingenij, atque doctrinæ, opinio illi nocuerit; quo modo sui confidentia lumen mentis amiserit; seq. tæterrimis flagitijs, omniumq. scelerum immanium turpitudine, cõtaminarit. Num lex? num sacrorum religio? num adumbratæ sanctitatis institutio? Ne id quidem. Satis enim perspectum est, ipsius Scripturæ, quæ fallere numquam potest, testimonio, omnes fuisse, non modo in officio negligentes, verum etiam linguæ maledicentia pestilentes, maximis sceleribus affines, multumq. in sanguine,& cæde, versatos. Rectissime igitur concludit, non lege iustitiam contineri.

Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.

Quæ sint Opera legis, apud Paulum, tam ex hoc loco, quam ex epistola ad Galatas,& ex alijs etiam epistolis, clare perspicitur. Nõ enim numerat in operibus legis temperantiam, non honestatem, non benignitatem, nõ aliquod denique veræ virtutis officium; sed carnis circumcisionem,& dierum obseruationem,& ciborum distinctionem,& corporis inquinati lustrationem,& reliquas cærimonias,& priscæ religionis instituta, quæ sine vigente fide perfici poterant. De ijs enim erat omnis controuersia constituta, cum multi, quamuis essent Christo dediti, ab illis tamen auelli non possent; quod existimarent, ad expiandos animos esse valde necessaria. Quæstio igitur erat, vtrum fuisset in eis aliqua vis ad animi puritatem. Galatæ quidem,& alij quamplurimi, fraude Iudæorum circumuẽti, ita ea retinebant, quasi per ea forent omnes animi sordes eluendæ. Paulus, contra, disputabat, tantum de Christi gratia detrahi, quantum esset legis operibus attributum. Christo enim diffidebat, qui cærimonijs illis, atque piaculis, opus esse statuebat ad animum expiandum. Quocirca, maxima voce testificatur, Christum nihil illis profuturum, qui circumcidebantur; omniaq. legis opera, non modo semper inutilia fuisse, sed post Euangeliũ constitutum perniciẽ importare cœpisse, eo quod essent cum diffidentiæ scelere coniuncta. Ex tota igitur illa disputatione satis liquet, ea legis opera ab illo nominari, quæ adumbratam religionis speciem, in corpore tantum exsistentem,& ad animum minime permanãtem, referuntur. In quo quidem facit idem, quod Moses, quod Samuel, quod Dauid, quod Isaias, quod Prophetæ denique omnes. Vna siquidem est omnium vox,& sententia; nõ carnis fiducia nitendum, non multitudine victimarum Diuinum numen esse placandum, non legis piaculis iram illius auertendam, sed fide,& fidei comitibus, nempe, pio metu, caritate, benignitate,& reliquis virtutibus, quibus Deo placere possumus,& gratiam illius facillime retinere. Nec enim sacrificia, sed fidem,& obedientiam,& benignitatem, requirit. Misericordiam, inquit, volo,& non sacrificium. Hoc igitur, quod Prophetæ omnes faciunt, quod etiam in Euangelio Christus vnice contendit, vt non in legis cærimonijs,& religionis illius institutis, sed in Dei benignitate, omnia ponamus, nec adumbrato pietatis officio, sed fide,& benignitate, nobis illũ conciliemus; in eo etiam Paulus elaborat, cum Iudæos ab operibus legis auellere,& ad opera fidei traducere, conatur. Hæc autem opera legis esse apud Paulum, quæ in legis ritu, atque cærimoniarum sanctitate,& in superstitiosa sollicitudine,& mentis angore, erant constituta, clare perspiciet, qui vim huius conclusionis diligenter animaduerterit. Si enim hic per Opera legis, officia pietatis,& honestatis, intelligas, prudentiam,& acumen, Paulo detrahis. Quid enim fuisset ineptius, quam, ex scelere Iudæorum colligere, virtutis officia esse prorsus inutilia? Si enim Paulus ita disputauisset, Non nego, Iudæos legi Diuinæ paruisse, virtutem egregie coluisse, officijs omnibus præclare functos fuisse; deinde, docuisset, insignem illam obedientiam, atque præclarum pietatis studium, nullum illis fructum, ad iustitiæ claritatem, attulisse; fuisset apte cõclusum, neminem, virtutum maxima rum officijs, posse ad iustitiam peruenire. Sed numquam id dixit Paulus; immo ait, Iudæos fuisse impios, atque nefarios; Dei numen contempsisse; ius,& fas, omne deleuisse; Diuinam legem conculcasse; in omnia denique scelera prorupisse. Quid igitur minus cohærens, aut quid magis stultum, quam, ex hac Iudæorum improbitate, colligere, præclaras actiones, legis studio perfectas, nullum pondus, ad obtinendam iustitiam, habere? Hanc igitur stultitiam qui Paulo tribuunt, stultissimi merito existimandi sunt. Nec enim, quantum sit in Paulo acumen, quanta in disserendo sollertia, quanta sententiarum connexio, quanta rationum momenta, considerant. Mira est enim in illo vis orationis,& sententiarum contextus.

tus. Sic enim vltima primis, media vtrisque, respondent; & ad vnum finem omnia conferũtur, vt nihil possit, vel argurius, vel aptius, excogitari. Summa igitur amentia est, tam Diuinæ sapientiæ aliquod vitiosum, & absurdum, argumentandi genius affingere. Præterea, quid tam cum Paulo pugnaret, quam, statuere, legis ipsius verissimum cultum, qui in studio virtutis, & pietatis, consistit, esse inutilem? Non statuit, esse iustos apud Deum, non qui legem audiunt, sed qui legi obediunt? Non dixit, præmia esse cuique, secundum operis rationẽ, tribuenda? Non in eo neruos oẽs intendit, vt nos ad officia caritatis inflãmet? Non passim docet, sanctis operibus esse viam in cælum muniendam? Non igitur vllo modo sunt hic per Legis opera officia caritatis intelligenda; cum id & prudentiæ Pauli, & constantiæ, vehementer aduersetur; sed ea tantum, quæ in adumbrata sanctitate consistebant, a quibus omnes abstrahere contendit. Attende igitur, quam sapienter, & apte, concludat. Vt enim ex flagitiis gentium colligit, nihil illis rationem, nihil ingenij acumen, opitulatum fuisse; ita ex Iudæorum flagitiis concludit, nullum Iudæis fructum, vel circumcisionem, vel sacra legis, attulisse. Quasi dicat, Si circumcisio, si sacrificia, si reliqua legis piacula, iustos, & sanctos, efficerent, omnes profecto circumcisi, atque sacris illis initiati, sancti fuissent. Sancti porro minime sunt. Nec enim est quisque ex illis, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. & omnes declinauerunt; & simul inutiles facti sunt. Non igitur circumcisio, neque sacra illa, sanctos efficiunt. Ex operibus igitur legis, nempe solum ex illis legis sacris, atque cærimoniis, nemo vmquam iustitiam consequetur. Non erit autem instituto alienum animaduertere, cur non caritatem, & pietatem, & veræ virtutis officia, numeret in legis operibus; cum ea nõ modo lege sancita sint, verumetiam in illis, legis vis, atque summa, consistat. Sed considerandum est, esse rationi consentaneum, vt res quæque nomen sumat, vel ex eo, vnde inchoata est, atque principium duxit, vel ex eo, per quod effectum suum plane consequitur. Si igitur ad principium respicias, pietatis, & caritatis, studium non primum in scripta lege naturæ extitit. Antequam enim esset lex vlla scripta, iam hoc erat animis insculptum, & quasi Dei ipsius manu mentibus inscriptum, Deum esse summe colendum, humaniq. generis societatem sancte conseruandam. Sin autem ad absolutum virtutis opus respicias, nullo modo id, neque naturæ, neque legis, opus appellandum est, sed fidei, aut (vt rectius dicam) gratiæ Diuinæ, quam viua fide consequimur. Neque enim vi naturæ, aut legis instituto, firme possumus vel rectam rationem sequi, vel legi obtemperare, sed singulari spiritus Diuini subsidio, quod fidem inuicto robore fulcit, atque cõfirmat. Non igitur opus illud ad legem, sed ad fidem viuam, reuocandum est. Quæ sunt igitur opera legis? Illa solum, quæ lex præstare poterat, absque fidei viuæ, atque ingentis, auxilio. Hæc autem duobus præcipue muneribus cõtinentur. Vnum est, peccati vim mortiferam clarius indicare. Alterum, expandi peccati ritum inducere. Sed, quem tandem fructum rebus humanis attulit clarior peccati cognitio? Nullum prorsus; immo (vt statim videbimus) ipsius peccati vim vehementer amplificauit. Quid igitur? Num institutis piaculis potuit insitũ peccatum aboleri? Nullo modo. Nec enim fieri poterat, vt sanguis quadrupedum, vel cinis vitulæ adspersus, crimina deleret, quãuis verum piaculum adumbraret. Si igitur lex fide seclusa hæc duo tantũ munera pstare potest, eaq. nullo modo iustitiã efficiunt; sequitur, vt opera legis nullo modo pariant iustitiã. Sed intelligendum est, opus etiam, quodcumque illud sit, quod non libenter, & sponte, susceptũ est, sed tantum metu legis expressum, Legis opus appellari posse. Ex illo namque legis munere, quod peccati grauitatem indicat, metus ingens exsistit, qui, quamuis cupiditatem minime sanet, effectum tamen interdum ipsius cupiditatis coercet. Illo igitur breui tempore, quo aliquis, sub dominatu cupiditatis positus, metu aliquo perterritus, se continet a flagitio, non fidei vigentis perfecto munere fungitur, sed opus tantum ipsius legis exsequitur. Est præterea alia ratio, quare hæc legis officia, Operum potissimum nomẽ obtineant. Opera enim mercedẽ efflagitant; fides gratiã respicit. Sic fit, vt operibus eiusmodi sit adiuncta insolens, & inanis, confidentia; fidei vero, sapiens, & prudens, humilitas. Vnde fit, vt, qui laudabili fide nudati sunt, operibus inanissimis insolescant; qui autem fidem rite colunt, cum omnia præclarissima virtutum maximarum officia persecuti fuerint, se se inutiles seruos existimant; nec in se, sed in Dei gratiam, semper intuentur. Omne igitur opus, vera fide vacuum, suiq. ipsius confidentia subnixum, ad id genus reuocandum est, quod ad iustitiam minime conducit. Vt autem hoc Paulus significet, aliquando Operis nomine, absque Legis adiũctione, vtitur; vt intelligamus, hanc etiam Operis confidentiã posse in illos cadere, qui legẽ scriptã non acceperãt, neque tamẽ ex operibus eiusmodi aliquem iustitiæ fructum posse percipere; immo contra se numen Diuinũ ea temeritate, & elatione, grauius incitare. Sed ad Pauli sententiam redeamus. Discussit Iudæorum præsidia; fregit insolentiam; deiecit confidentiam; omnes superbiæ fibras amputauit; cum legis ritum, atque disciplinam, cuius nomine sibi maxime placebant, nullam opem illis afferre potuisse cõfirmauit. Sed rationem, quã adducit, videamus:

Per

Per legem enim cognitio peccati.

Salutem nobis certe lex attulisset, si, quemadmodum peccati vim, atque perniciem, indicauit, ita illud depellere potuisset. Cum autem nullo modo ægrum animum sanare posset, morbum indicando, non opem tulit, sed tantum conscientiam angore, & sollicitudine, vexauit. Vt enim peccatum crimini dari posśit, necesse est, vt fit voluntate susceptum. Non est autem voluntate susceptum, quod a nesciente committitur. Quo igitur est clarior peccati notitia, eo peccatum est magis voluntarium, atque ita multo grauius, multoq. funestius. Lex autem, peccati notitiam propemodum amissam redintegrauit. Ergo peccatum post legem fuit longe pestilentius. Non igitur lex salutem dedit, sed grauius exitium denuntiauit.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata a lege, & prophetis.

Minime quidem, sine lege illa sempiterna, omnem ordinis, & moderationis, in se vim, & rationem, continente. Si quidem nihil est aliud iustitia, quā integer status animi, Diuina lege confirmatus. Sed scriptum legis infirmas, atque cærimonias, non legis vim, fidelium præcordijs incisam. Lex enim, tabulis tantum inscripta, neque dum ab animo fide comprehensa, nihil aliud potest animis inuehere, quam sollicitudinem, & cruciatum. Ita enim criminibus minas proponit, vt vires nullas ad effugienda crimina largiatur. Si igitur lex non sanat animos, si fides sine lege sanat; efficitur certe, non legis scriptis, & sacris, sed fide, nitendum. Quod etiam lex ipsa testificatur. Lex enim, atque prophetæ omnes, testantur, iustitiam esse Dei munus, atque beneficium, fide, non lege, comparandum.

Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.

Nullum est discrimen, nulla distinctio. Nullis enim angustijs Dei immensa benignitas circumscribi potest. Omnibus igitur, qui ad illum cum fide adierint, opus iustitiæ suæ communicabit; nec ab eis aliam victimam, quam fidei obedientiam, requiret. Itaque eadem benignitate in omnes Iudæos, & super omnes gentes, quæ cum fide supplices ad illum adeunt, munera suæ caritatis effundit. Cur, inquit, in omnes, nempe Iudæos? Quia omnis legis institutio in Iudæorum præcipue salutem ferri, cursu naturæ, videbatur. Cur, inquit, super omnes gentes? Vt ostendat Diuini muneris affluentiam. Vt enim fluuius, magnis auctus imbribus, ita super ripas effunditur, vt non ripas tantum alluat, sed agros operiat; sic illud gratiæ Diuinæ flumen, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, quamuis semper fluxerit, vsque eo tamen post aduentum Christi fuit amplificatum, vt non in omnes tantum fideles Iudæos influeret, sed, super omnes nationes effusum, omnes credentes mirifice fecundaret.

Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei

Vbi nos habemus, Egent gloria Dei, apud Græcos est, ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, hoc est, ad veram gloriam, quæ Diuino tantum munere, & beneficio, continetur, minime peruenere. Quemadmodum enim vera iustitia, Dei iustitia appellatur, quod a Deo tantum donari posśit; ita vera gloria, Dei gloria dicitur, quod tota in Dei benignitate consistat. Vt autem ex adumbrata iustitia adumbrata etiam gloria nascitur; ita ex vera iustitia veræ gloriæ dignitas efflorescit. Poterit quidem aliquis, ingenij, aut naturæ, præstantia tumidus, virtutem ementiri, & ita apud furiosam multitudinem inanem plausum captare; poterit etiam Iudæus apud homines amentes, & sceleratos, simulata religionis specie, laudem inanem inuenire; veris autem, atque sempiternis laudibus affluere nemo vmquam poterit, nisi fuerit a Deo sanatus, atque Diuinis iustitiæ ornamentis, vnde omnis laus emanat, excultus. Cum igitur omnes & sanitatem appetant, & gloriæ mira cupiditate teneantur, sintq. mortiferis morbis oppresśi, omnibusq. flagitiorum maculis inquinati; consequens, est, vt inopiam suam recognoscant, atque, a se discedentes, ad opem Diuinam, qua omnes indigent, inflammata fide confugiant.

Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Non sacris legis, non institutis, non meritis vllis nostris, hoc Diuinum, & immortale, beneficium assecuti sumus, sed gratia tantum, & benignitate, summa illius Domini, atque parentis optimi, qui nos Christi sanguine redemit, & dominatu peccati oppressos, & tætris tenebris inclusos, in libertatem, & sempiternam lucem, restituit, illius meritis, virtute, & religione, placatus, qui pro nostra salute sanguinem in Cruce profudit.

Quem proposuit Deus propitiatorem

per fidem in sanguine ipsius.

Respicit ad antiquum illud propitiatorium, quod Arcam Diuini fœderis contegebat. Græci appellant ἱλαστήριον, vt par verbum Hebræo reddant. Vox enim Hebræa est כַּפֹּרֶת, a verbo כִּפֵּר, quod est Propitium efficere, deductum. Signabat autem Christum, in quo Deus stabilem, atque sempiternam, sedem, & domicilium, sibi constituit; in quo arcana suæ sapientiæ nobis explicaret; & cuius sanctitate se nobis propitium exhiberet. Sanguine igitur illius placatus; & caritatis, atque pietatis, magnitudine deleniens, omnes offensas oblitterauit, nosq. sibi fœdere sempiterno coniunxit.

Ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore.

Ideo, non statim, vbi quisque delinquit, supplicium irrogat, sed crimina diu tolerat, resipiscendiq. spatium concedit, vt sint, quibus ignoscat, & opes iustitiæ conferat, & ornamentis Diuinis afficiat.

Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

Quid est, quod ait, Vt sit ipse iustus? Num iniustus habendus esset, si nos iustos non efficeret? Num debet aliquid nobis Deus, vt, si nos iustitia non donauerit, sit in iudicium vocandus? Minime profecto. Animaduertendum tamen est, eum in venia tribuenda non clementiæ tantum, sed etiam iustitiæ, munere perfungi. Si confiteamur, inquit Ioannes, peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt ignoscat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Quod vt rectius posit intelligi, considerandum est, iustitiam positam esse in debito officio, atque naturæ cuique maxime consentaneo. Nullum autem officium est Diuinæ naturæ magis consentaneum, quam benignitatis, atque clementiæ. Clementia vero nulla maior est, ea, quæ vindicat e miserijs omnium maximis. Maior autem miseria nulla potest esse iniustitia, & improbitate. Vnde colligitur, nihil esse magis Deo consentaneum, quam, peccantibus ignoscere, eosq. e tyrannide effrenatæ cupiditatis eripere. Quamuis igitur nihil nobis debeat, hoc tamen suæ immensæ bonitati debet, vt eos, qui fidem illi habent, illiusq. misericordiam implorant, repente iustos efficiat. Deinde, veritas, atque fides, iustitiam omnem continet. Sed Deus, omnibus, ad se vera fide conuersis, iustitiæ donum promisit; ergo, cum veniam tribuit ijs, qui ad se supplices, & cum fide, accedunt, debitum munus exsequitur; ita, vt iustitiæ munere fungatur. Præterea, cuiusque summa vis, atque natura, in rebus alijs commutandis, & ad suam similitudinem transferendis, maxime cernitur; vt ignis ardor, cum sibi coniuncta calefacit, & inflammat. In quo igitur magis poterit summa iustitia Dei cognosci, quam in ipsius iustitiæ effectione? Cum enim ad se adeuntes totos immutat, atque ad Diuinæ vitæ similitudinem conuertit; cum crimina omnia delet, atque mentibus humanis præclaram iustitiæ formam ingenerat; suæq. pulchritudinis imaginem insculpit; tum vel maxime bonitatem, atque iustitiam, suam omnibus conspiciendam proponit. Sapienter igitur Paulus, vt doceat, nostram iustitiam ex iustitia illius manare, & hoc, fide, Christi meritis innixa; dicit, Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Nec enim par est, vt quisquam ad iustitiam, absque fide, perueniat. Est enim contra Diuini officij, Diuinæq. iustitiæ, rationem, vt Deus superbos, & ingratos, flagitijsq. suis pertinaciter adhærentes, & consulto Diuinum auxilium repellentes, in gratiam suam recipiat.

Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

Lex operum, est scripta lex; quæ quidem, antequam fides eam in animo imprimat, hoc tantum præstat, vt ijs operibus incumbamus, quæ mentem ægram minime sanant, sed tumidam, & inflatam, reddunt. Iam autem admonuimus, hac in disputatione, Opus appellari id, quod est fide vacuum, suiq. ipsius confidentia turgidum, ita, vt non in gratiam, sed in mercedem, respiciat. Contra, fides, quamuis omnem ætatem in sanctis actionibus consumat, tota semper e Diuina gratia colligata est, neque sibi quidquam, sed omnia Dei clementiæ, & bonitati, tribuit. Cum igitur gratiam præcipue respiciat; opera vero mercedem efflagitent; &, cum fides suppliciter, atque demisse, Dei misericordiam imploret; opus superbe, & insolenter, laborem, & industriam, ostentet; fit, vt omne præclarum officium, cum pietate, & humilitate, susceptum, ad fidem referatur; adumbratæ vero religionis cultus, aut officium aliquod, vi legis expressum, atque fidei coniunctione destitutum, hic a nostro Paulo Opus appelletur: quod huius orationis contextus facile declarat. Idem enim significat, per Legem operum, quod antea per Legis opera denotabat. Excluditur autem omnis gloriandi materia, cum aliquod nouum lumen interuenit, quod inanitatem earum rerum

rerum ostendit, quarum copia extollebamur. Paulus igitur, superbia iam magna ex parte compressa, vehementius agit, vt eam omnino exstinguat, & deleat. Iam ne sentis, inquit, homo, nullum te fructum ex ingenij sollertia, ex rationis præstantia, ex naturæ præsidijs, accepisse? Cernis enim flagitia, & dedecora, quæ impurissime suscepisti; cernis amentiam, qua præceps in exitium irruisti; vides, neque naturæ opibus, neque artium disciplinis, potuisse te ab imminenti exitio reuocari. Omnis igitur illa gloria, qua te tumidum inferebas, interuentu noui cuiusdam splendoris, euanuit. Quid igitur illud fuit, quod gloriam illam tuam exclusit, & inanitatem, in qua ver sabaris, aperte demonstrauit? Lex diuina, inquies? Recte. Sed, quæ tandem lex illa fuit? Eane, quæ, tabulis tantum exarata, non animũ morbis liberauit, sed pœnæ metu cruciauit, & hominibus pondus graue durissimæ religionis imposuit? Num ea, cuius vis cernitur in operibus tantum fide nudatis, atque ad animi sanitatem nullam opem conferentibus? Minime. Iam enim perspectum est, non legis ritum morbos animi depulisse. Quæ nam igitur tandem illa lex est, quæ, Diuino splendore, rebus alijs, quibus stultissime confidebas, obscuritatem attulit? Lex fidei. Hæc enim, cum sit intimis animi sensibus infixa, mentem illustrat, animum sanat, virtutes ingenerat, studium incendit, totumq. hominem commutat, & ad Dei similitudinem traducit. Si igitur fide vitam institueris; facillime cupiditatem frenabis, & opera Diuina perficies. Hoc igitur statuendum constanter est, absque vllis legis operibus fide iustitiam contineri.

An Iudæorum Deus tantum? non ne & gentium? immo & gentium.

Magna quædam vis in hoc argumento posita est ad redarguendum Iudæorum stultitiam, qui quasi fines Deo circumscribebant, eumq. reliquorum hominum procuratione spoliabant. Nam, si in lege iustitia consistebat, cum neque circumcisio, neque dierum festorum celebritas, neque legis piacula, possent vllo modo a reliquis gentibus obseruari; sequebatur, omnes gentes esse fructu Diuinæ clementiæ priuandas, & in sempiterna miseria relinquendas. Ergo Deus res omnium hominum, vnis Iudæis dumtaxat exceptis, neglexisset. Non igitur illorum Deus habendus esset. Aliud igitur numen erat illis venerandum, aliud præsidium implorandum, alij Dei inuocandi. Gloria igitur conditoris ad alios transferenda esset, si ijs, quos benignitate sua condidit, minime consultum esse voluisset. Quod si absurdum nimis, & impium, est, hoc animo reputare; certe liquet, Deum omnibus hominibus salutem ostendere. Non igitur lege, quæ ne a Iudæis quidem coli rite potuit, sed fide, quam possunt omnes homines habere, homines secum coniunxit.

Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Deus quidem non vnus esset, nec semper idem, neque sibi similis, si non vnam, & æquabilem, rationem in omnium salute procuranda conseruaret. At, si in legis operibus salus sita fuisset, nullo pacto omnibus ex æquo consuleret, sed Iudæis tantum prospiceret, reliquis autem omnibus viam salutis interclude ret, quod neque esset Maiestati illius decorum, neque æquitati consentaneum. Quid enim minus decebat Dei Maiestatem, quam, adumbrata religionis sanctitate tantopere delectari? Quid æquitati illius indignius, quam, Iudæis tantum viam ad immortalitatem aperire, reliquos omnes, quos eadem opera finxit, & informauit, sempiterni exitij necessitate constringere? Quod si absque scelere infando dici non potest; constituendum est, Deum omnes ad salutem vocare, omnibus opem suam polliceri, qui sese cum fi.e ad studium illius applicuerint. Is enim iustitiam quidem Iudæo conferet, non quidem ex circumcisionis ratione, sed ex fide, ad cuius memoriam consecrandam fuit olim circumcisio instituta. Ex fide vero, inquit, quia ex fide Abraham orta est circumcisio, vt illius fidei signum, atque monumentum, conseruaret. At, qui præputium gerit, per fidem, quę vera est circumcisio, iustitiam a Dei clementia consequitur.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.

Hic Paulus illatis vulneribus medicinam adhibet, & Iudæorum animos, hac disputatio ne fortassis offensos, oratione recuperat. Pauli enim disputatione, effectum videbatur, nullum esse pondus in lege, nec ad iustitiam, nec ad salutem, nec ad animi dignitatem. Hoc autem erat, quod Iudæi, studio legis dediti, ferre non poterant, legem, in qua omnia ponebant, vt apparebat, funditus euerti. Vt igitur eis aliquo modo satisfaciat; docet, hoc in loco legem fide non labefactari, sed confirmari potius, atque constitui. Lex enim finem suum assequi non potest, nisi per fidem. Finis enim legis, est iustitia; ea autem obtineri non potest, nisi per fidem. Ita, relinquitur, legem stabiliri non posse, nisi per fidem. Deinde, is vere legem colit, qui legis auctoritatem sequitur, illiusq. testimonium comprobat; lex autem ipsa testificatur, non legis operibus, sed integra fide, iustitiam parari. Is igitur, qui non legis operibus, sed fide, ad iustitiam adspirat, vere legem colit. Contra vero, is legem euertit,

tit, qui, ſtulta confidentia legis inflatus, fidei ſtudium negligit, ſplendoriq; fidei inane ſtudium legis anteponit. Non igitur ſolum natura, verum etiam lex ipſa Diuina, ſi fidem ab illa remoueas, non inutilis tantum eſt, ſed etiam peſtilens, atque mortifera. Contra vero, fides, abſque diſciplina legis, finem legis ipſius conſequitur, atque iuſtitiæ laude circumfluit.



HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS

LIBER SECVNDVS.



Mnibus, qui laudem alicuius eximiæ virtutis admirantur, summopere cauendum est, ne, falsa virtutis imagine decepti, dũ ad egregium decus enituntur, aut magnam aliquam vtilitatem quærunt, cum dedecore, & ignominia, insignem calamitatem accipiant. Nihil est enim magis virtuti contrarium, quam fallax virtutis assimulatio. Vt enim omnia bona ex stirpe virtutis exsistunt; ita omnes maximæ clades, quibus vita communis opprimitur, ex inani quadam specie virtutis oriũtur. Sed, cum omnia peccata, quæ sese in virtutis faciem vertunt, sint valde fugienda; tum nihil est magis detestabile, & exsecrãdum, quam falsa opinio sapientiæ. nec enim solum mentem eripit, sed animum infinitis morbis excruciat. Quod si nullum aliud malum afferret hominibus, præter ignominiam, satis magnum supplicium esset in ea constituendum. Sumus enim, natura, ita decoris, & laudis, appetentes, vt vix sit quidquam, quod grauius animis nostris vulnus infligat, quam esse cunctis ludibrio, insigniq. turpitudine notari. Quid autem magis ridiculum, & ignominiosum, existimari potest, quã, in summa stultitia venditare ingenium, ostentare prudentiam, &, opinione sapientiæ, tumidnm insolenter efferri. Sed non hoc tantum efficit hæc temeritas, atque dementia, quæ in sapientiæ nomen inuadit, vt maculam dedecoris sempiterni hominibus gloriæ sempiternæ cupidis inurat; verum etiam stirpem, atque semen, malorum omnium continet; omnesq. vitæ rationes leuitate, & elatione, conturbat. Nihil quidem est optabilius sapientia. In illa enim bene, beateq. viuendi ratio tota consistit. Cum vero illa frui non datur, secundo loco optandum est, ne sapientes nobis ipsi videamur. Vt enim, qui medicinæ ignarus est, non tamen se medicum esse profitetur, vt ægrotum nõ sanet, nullo modo tamen interimit; ita, qui sapientiam sibi non arrogat, vt nõ magnam vtilitatem rebus humanis afferat, non tamen multum calamitatis importabit. At, qui sibi sapientiam furenter assumit, & amentiam suam hac turbulentissimi erroris accessione cumulatam, vel ad familiæ suæ procurationem, vel, quod est multo perniciosius, ad Reip. administrationem confert; non sibi tantum, sed suis, atque adeo vniuersæ Reip. pestem, & exitium, machinatur; & omnia, quocumque ruit, impetu cæco, atque furibundo, peruertit. Accedit deinde, ad maiorem huius summæ dementiæ, & confidentissimæ temeritatis, exsecrationem, quod reliqua vita, quæ natura humana concipit, vt plurimũ sanabilia sunt. Nec enim est eorum salus desperanda, qui morbi sui vim, & periculum, in quo versantur, agnoscunt. At, qui adeo insaniunt, vt minime sentiant, se periculosis admodum morbis oppressos esse, omnem medicinam aspernantur, & respuunt, ipsosq. medicos pessime oderunt, nullumq. remedrum adhibere volũt, quo sanitatem amissam recuperent. Ad hunc autem modum, qui suo iudicio sapiẽs est, cum sit amentissimus, existimatq. se rationem, & disciplinam, officiorũ omnium tenere, esseq. ad reliquos mortales imperio, & moderatione, continendos instructissimum, consilia, & monita, cuncta repudiat; mores, & instituta, ciuilia despicit; leges, atque iudicia, perrumpere conatur; eoq. tandem progreditur, vt non modo legitimum ciuitatis imperium, verũ etiã Dei iussa, contemnat, & sanctitatem religionis irrideat, & eos, quos esse religioni

deditos animaduertit, homines ſtultos, & animi imbecilli, atque anilis, arbitretur. Ergo, cum non ſolum hominibus infeſtus ſit, ſed Dei numen in ſe concitet; nullo modo fieri poteſt, vt a morbo, quo eſt penitus afflictus, emergat. Sic igitur tãdem eueniet, vt, Diuina, & humana, ope deſtitutus, ita turbetur, atque ruat, vt, quocumque incubuerit, horrẽdas ſuorum ſtrages efficiat. Fons autem, a quo malum hoc tã funeſtum ad hominum perniciem profluit, eſt amor ille penitus inſitus in animis, atque ſenſibus noſtris, quo nos ipſos amamus. Hic, cum paullatim adoleſcit, & neque lege, neque diſciplina, conſtringitur, animum tandem omni iudicio ſpoliat, vſque eo, dum ſummum rerum omnium dominatorem, a quo bona cuncta proueniunt, contemnat, atque deſpiciat. Hinc fit, vt alius claritate generis inſoleſcat; alius opibus, & potentia, efferatur; alius honoribus, & imperio, adeo ſe tumidum inferat, vt nemo ferre poſſit illius faſtidium; alius denique alijs vel naturæ, vel fortunæ, muneribus ita ſibi placeat, quaſi nihil eorum, quibus, cum intoleranda ſuperbia, gloriatur, a Deo accepiſſet, ſed ipſe, abſque vllo Dei beneficio, ſibi omnia parauiſſet. Ita enim, ſubnixus opinione tam peſtiferi erroris, incedit, vt Dei penitus obliuiſcatur; omnemq. religionem pro nihilo habendam exiſtimet. Nõ hic tamen inſiſtit humani furoris immanitas. Nec enim vllis terminis coerceri poteſt effrenatæ mentis audacia. Aliudq. tandem facinus multo ſceleſtius efficit. Fuere namque permulti, ita nomine virtutis elati, atque ſi ipſi potuiſſent per ſe virtutem conſequi, & ad ingenium, atque vires ſuas, honeſtatis veriſſimæ rationem reuocare. Quo quid fingi poteſt ſceleſtius? Vt enim multo grauiore crimine ſe alligat is, qui aurum Regium, atque omnem gazam, diripit, eo, qui paleam, atque fenum, e ſtabulis Regijs auertit; ita multo ſceleratior eſt, qui ſibi virtutem, atque dignitatem, attribuit, eo, qui terrenis opibus inſoleſcit. Quo enim Diuinũ munus clarius, atque magnificentius, eſt, eo, qui gloriam illius ad ſe reuocare nititur, ſcelere ſeſe multo grauiore contaminat. Sed, quo malum hoc deteſtabilius eſt, eo magis eſt Paulus noſter admirandus, quando tanta virtute in hanc arcem, tam valido Satanæ præſidio munitam, inuadit, vt omnia illius propugnacula diſturbet, atque diſijciat. Omnis igitur rationis copias, & argumentorum omnium machinas, eo comparat, vt frangat inſolentiam, vt coerceat temeritatem, vt amoris illius amentiſſimi cæcitatem, quo homines ſibi mirifice placent, omnino depellat, & omnes huius tam deteſtabilis arrogantiæ fibras euellat, ſuperbiæq. tandem Regnum prorſus exſcindat. Cum autem duo ſint ſuperbiæ humanæ præſidia; vnum, ingenij acumen, quo homo ſollertiſſime, quid expetendum, quid ve fugiendum, ſit, ſe percipere poſſe confidit; alterũ, acris animi vis, qua id, quod mens præclarum eſſe ſtatuit, ſe facillime perfecturum eſſe decernit; vtrumque Paulus conuellit, atque labefactat. Primũ enim, docet, quantis tenebris obſcuratum ſit eorum ingenium, qui Deo gloriam non tribuunt, opeq. illius ea de cauſſa deſeruntur; ita, vt, quo illud eſt acrius, & acutius, eo fœdius labatur, & concidat. Deinde, oſtendit, quanta ſit imbecillitas naturæ, eo potiſſimum argumento, quod illi etiã, qui non modo ratione, ſed etiam Diuinis inſtitutis, eruditi, viderunt, nihil eſſe iuſtitia præſtantius, cum omnia vitæ ſtudia in diſciplinam iuſtitiæ contuliſſent, nullum ex eo ſtudio iuſtitiæ fructum conſecuti ſunt, eo quod, non Diuina gratia freti, ſed opibus, & inſtitutis humanis, innixi, ad iuſtitiæ decus adſpirabant. Sic autem eueniebat, vt, cum maxime virtuti operam darent, tum maxime, libidinis impetu, a præclaro conatu depulſi, teterrimis ſeſe flagitijs inquinarent. Sic igitur tandem cogit omnes mortales de ſcelere, & amentia ſua, confiteri, vt nihil omnino ſibi tribuant, ſed omnia poſtulent, & exſpectent ab illo bonorum omnium auctore, qui numquam preces eorum, qui ad eum cum fide ſupplices adeunt, aſpernatur. Quis enim, in tanta rerum caligine, quid optimum factu ſit, explicare poteſt, niſi is, quem clariſſimum Diuinæ mentis lumen accendit; & de rebus Diuinis, atque ſempiternis, erudit? Quis libidinis immanitati, & hoſtibus ſempi-

ternis,

ternis, repugnabit, nisi is, quem præpotens ille Deus, Diuina quadam virtute sæpit, & inuicto robore confirmat? Ille igitur tantum vere sapiens, & egregie fortis, est, qui totus ex Deo pendet; non is, qui in se ipso ponit omnia, nec a Dei clementia, sed a suo ipsius ingenio, & industria, tam vitæ præsidia, quam virtutis ornamenta, flagitanda putat. Fundamẽtum igitur sapientiæ, est in fide Christi cõstitutum. Vt enim confidentia superbiam gignit, ex superbia vero exsistit amentia; ita fides parit, & procreat humilitatem; humilitas autem ad summum sapientiæ gradum perducit. Vt enim Deus superbis infensus est, ita modestos, & humiles, luce sua complet, & gratia, atque benignitate, complectitur. Hoc vt noster Paulus magis in animis infigat, in eo insistit, vt a Iudæis confidentiam legis euellat, vt, eorum tandem insolentia, qua sibi cælum deberi putabant, acerrime conuicta, humiles reddat, & ad Euangelij disciplinã dociles. Et, quia circumcisione maxime tumebant, ostendit, quam parum fuerit in circumcisione ponderis ad salutem, vt statim videbimus. Ait igitur:

CAP. IIII.



Vid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

Plurimum quidem Iudæi, Abrahami nomine gloriabantur; & valde merito. Fuit enim vir ille magnus, & excelsus, Diuineq. virtutis specimen, atque singulare iustitiæ, & pietatis, exemplum. Nec enim illum vel patriæ caritas, vel domesticorum consuetudo, vel coniunctio sanguinis, vel vllus denique sensus humanitatis, potuit a pietatis studio retardare. Quinetiam, vt pietati satisfaceret, Deoq. alacriter obediret, patriam, parentes, cognatos, amicos, & omnia denique, quæ sunt in vita cara, atque periucũda, neglexit. Intellexit enim vir sapientissimus, Deum nobis vere patrem esse; patriam vere cælum; patrimonium autem illic esse constituendum, quo non potest vlla calamitas penetrare, nec vlla hostium vis adire; easq. nobis opes parandas esse, quas non potest senium, aut vetustas vlla, consumere. E cælo igitur omnia iura propinquitatis, agnationis, hereditatis, sibi petenda constituit. Sic igitur omnia humana contempsit, vt etiam seipsum abiiceret; rationisq. opibus diffideret; cælestiaq. tantũ spectaret; seq. totum Deo regendum, atque tuendum, committeret. Neque enim quidquam molitus est, quin prius in Dei mentem, consilium, voluntatem, respiceret; omnemq. vitæ rationem Spiritus sancti numine gubernaret. In hac igitur fide, tam admirabili studio, & contentione, progressus est, vt summã Dei coniunctionem, & amicitiam, retineret; Diuinisq. ornamentis, atque præsidiis, in omni genere redundaret. Sed, quo maior erat illius dignitas, eo maiore quadam religione Iudæi circumcisionem conseruandam esse censebant, quod esset Abrahamo tradita ad monumentum fœderis, ad iudicium Diuini amoris, ad testimonium sanctitatis. Itaque, fœdus sacrosanctum violari, iniuriamq. sanctissimo viro fieri putabant, si omitteretur circumcisio. Contra, Paulus, Abrahami ipsius exemplo, & auctoritate, confirmat, nullum omnino pondus esse in circumcisione ponendum. Non potuit igitur magis in arcem caussæ ipsius inuadere. Cum enim in circumcisione esset totius religionis antiquæ initium, atque fundamentum; cum ea continere videretur sanctissimum quoddam iustitiæ fœdus; eaque sola piorum hominum cœtum, (vt eorum opinio ferebat) ab impura, & impia, multitudine segregaret; & cum Diuino viro ab ipso Deo sanctissime pacta fuisset; sequebatur, vt, euersa circumcisione, essent omnia legis opera conuellenda. Concusso enim, atque dissipato, legis ipsius fundamento, quod multo ante legem iactum fuerat, necesse profecto erat, totam legis ipsius fabricam conuelli, atque disturbari. Probat igitur, Abrahamum nullum omnino fructum ex circumcisione percepisse. Quo in loco considerandum est, Carnis nomen hic poni pro operibus, hoc est, pro humanis studiis in corporeo cultu positis, & ex fide minime profectis, eaq. ratione nullo modo mentis impuræ maculas abstergentibus. Ea vero sunt opera, quæ sunt cum temeritate, confidentia, & elatione, coniuncta. In huius igitur disputationis serie, caro, legis opera, & lex operum, & operum etiam interdum nomen, ad idem genus reuocanda sunt: quod orationis continuatio facile confirmat. Sed argumentum videamus. Si iustitia, inquit, Abrahami, carne, & operibus, hoc est, humanis studiis, & actionibus, ex fide minime profectis, parta est, non veram gloriam assecutus est, sed inanem, & adumbratam. Sed hoc nefas est asserere, Diuinum hominem vera gloria caruisse: non igitur illius iustitia carni, & carnis operibus, tribuenda est. Cum autem in iis operibus primum locum teneat circumcisio, restat, vt nullo modo sit

cir-

circumcisioni iustitia illius asignanda. Vt enim vera iustitia illa tantum est, quæ apud Deum est;(verum enim rerum iudicium in illius tantum mente consistit) ita & gloria vera ea est, quæ iudicio illius continetur. Cum vero is, non in corporis speciem, quæ sæpe numero mentitur, multisq. stimulatæ religionis inuolucris infinita flagitia contegit, sed in mētem, respiciat; consequens est, vt nemo posit apud illum, inani corporis religione, sed pura, & solida, mentis integritate, gloriā adipisci. Inde fit, vt, qui circumcisione corporis insolescit, laudem inanem posit interdū apud insipientes, & impios, aucupari. At, qui mentem circumcisam gerit, is est verus Iudæus, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo, est. Horum autem fuit princeps Abrahamus. Nullo igitur modo est decus illius, atque gloriæ, & dignitatis, amplitudo, ad carnem reuocanda. Aliter enim non esset ea, gloria, sed, gloriæ inanis, & insolens, ostētatio. Quod autem non operibus illis, in corporea religione sitis, iustitiam fuerit assecutus, confirmat ipsius Scripturæ testimonio:

Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Non dicit, Circumcisus est Abraham, sed, Credidit Abraham; vt intelligas, non circum cisione corporis, sed animi circumcisione, quæ in fide consistit, obtineri iustitiam. Deinde, ne quisquam meritis humanis conferri iustitiam putet, eo quod hominum fides antecedat, dicit, Et reputatum est illi ad iustitiā. Vt videas, ne fidei quidem incensæ, & incitatæ, iustitiam deberi, eamq. tamen, quasi iustitia dignam, a Deo clementissime reputari. Non est igitur illud iustitiæ donum ad æstimationem fidei, sed ad Dei gratiam, referendum.

Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

Vt Opus est illud corporis officium, sui ipsius confidentia subnixum, (nec enim habet aliquid dignius, a quo posit nomen mutuari, quemadmodum facit officium cum fide susceptum, quod a Fide nomen sumit,) vt igitur per Opus intelligit Paulus inanem illam, & temerariam, humanæ industriæ confidentiā, in corporis ostentatione constitutā; ita Operari hoc in loco nihil est aliud, nisi, operibus illis confidere. Premit igitur hunc locum Paulus egregie, vt clarius ostēdat, Abrahamum, non operibus, sed fide, gloriam sibi peperisse. Qui enim operatur, hoc est, qui vel industria, vel cultu corporis, insolescit, omnem spem Diuinæ gratiæ sibi præcidit. Non enim gratiam implorat, sed pretium operis exigit. Pretium igitur persoluetur, non secundum Diuinæ clementiæ magnitudinem, sed secundum operis ipsius æstimationem. Cum igitur opus illud, aut perexiguum, aut (vt rectius dicam) nullum apud Deum pondus habeat; aut perexiguum, aut nullum omnium præmium consequetur. Vnde sequitur, vt ei, qui circumcisione corporis insolescit, sit præmium par, & æquale, pelliculæ excisæ, tribuendum. Quod etiam de reliquis operibus, si fidem secludas, intelligendum est. Omnis enim, qui sibi præfidit, vt, vanissimis cogitationibus inflatus, cum Deo iure contēdit, atque eum, quasi debitorem, appellat, omnē sibi aditum ad illius clementiam intercludit. Cum igitur constet, omnia bona, clementia Diuina contineri; & qui operum opinione tumet, clementiam a se remoueat; profecto bonorum omnium erit expers, qui sibi confidit.

Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.

Is, inquit, qui nihil in se, nihil in humanis operibus, nihil in hominum meritis, nihil denique vel in natura, vel in lege, ponit, qui omnem spem salutis suæ habet in illius benignitate locatam, qui solus crimina delet, atque ex impiis, & sceleratis, sanctos efficit; is erit Diuinæ gratiæ particeps. Fides enim illa perinde accipietur a Deo, atque si esset merito suo iustitiæ præmio remuneranda.

Sicut & Dauid dicit beatitudinē hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.

Quid hic facit Dauidis testimonium ad Pauli sententiam? Paulus enim de iustitia disserit, Dauid autem beatitudinis rationem ostendit. Nimirum, quia is solum beatus est, qui iustus est. Et iccirco Dauid in eo loco totam beatitudinis rationem in iustitia ponit. Quo modo autem illud iustitiæ munus in nobis exsistat, videamus. Beatum appellat, quē? Illum ne, qui nullum vmquam in se crimen admisit? At nemo vmquam fuit, qui non se criminibus alligaret. Illum igitur, qui conceptū animo scelus, institutis a lege sacris, expiauit? At sceleris in Deum nulla legis expiatiō est. Quis igitur ille beatus? Is, inquit, cui Deus veniam impertit, cui crimina condonat, cuius scelera exstinguit, cuius maculas abstergit, cuius mentem sanat. Omnem igitur veræ iustitiæ rationem Dauid in Diuina clementia ponit. Clementia autem fide conciliatur. Contra vero, qui operibus confidit, Diuinam clementiam excludit. Erit igitur semper iniustus, atque nefarius, in extremaq. miseria versabitur. Si igitur Abraham veræ virtutis laudibus

laudibus abundanit; si in solida gloria vixit; si Diuinam a se clementiam non remouit; ea certe ratione, quam exponit Dauid, fuit iusti tiæ splendorem assecutus. Omnis igitur laus illius est ad Dei gratiam referenda, nō ad circumcisionem, aut alicuius humanæ actionis industriam. Ne autem quisquam suspicari posset, circumcisionem aliquid ei ad iustitiā contulisse, argumentum sumit a tempore, quo demonstrat, Abrahamum, multo ante, quam iussus esset circumcidi, fuisse iustitiam consecutum.

Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiā. Quo modo ergo reputata est. In circumcisione? an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.

Potuissent dicere Iudæi, Fatemur equidem iustitiam gratia Diuina contineri, ad eamq. gratiam fide peruenire. Attamen, vt eam gratiam fide consequamur, opus est in primis, vt circumcidamur. Aliter enim nullo modo aditum ad gratiam fides inueniet. Ne hoc igitur dici posset, ostendit, quo modo Abraham, ante quam legem circumcisionis acciperet, fide iustitiam adeptus sit. Illud enim, quod scriptū est, Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam, vt ex eo loco constat, pertinet ad id tempus, in quo nondum erat natus Ismael. At, cum Abraham est iussus cum omni familia circumcidi, iam Ismael tredecim annos habebat. Inde colligitur, non modo nullum ei emolumentum circumcisionem attulisse; verum etiam non illi fuisse impedimento carnis præputium, quo minus fide ad gratiam adspiraret, atque iustitiæ muneribus exornaretur. Cur igitur fuit instituta circumcisio, si nullam erat opem hominibus allatura? Rationem, huic disputationi valde congruentem, alias, quæ possunt etiam adduci, prætermittēs, assignat in præsētia Paulus.

Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circumcisionis non ijs tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

Vt signaret, inquit, non vt efficeret iustitiā, fuit ritus ille circumcisionis institutus; vt videlicet, illo posteritas admonita, facilius sese ad memoriam sanctissimi patris excitaret, illiusq. vestigijs insisteret. Cū autem Abrahami fides omnibus sit ad imitandum proposita, omnium pater, qui illius fidem imitantur, merito appellandus est. Si quidem is Pater iure nominandus est, qui sibi similem formam gignit. Iccirco, apud Ezechielem, Deus, cum esset in Iudæa scelus inuectus, ait, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa; & Domin' apud Ioānem ait, Vos ex patre diabolo estis. Filios appellat diaboli, qui Diabolum sequuntur, instinctuq. illius similem improbitatis, & malitiæ, speciem mente concipiunt. Omnes denique, quorū vestigia persequimur, ad quorum nos exemplum effingimus, quorum facta, atque mores, imitamur, patres nobis sūt. Nec enim refert, quod ad Dei iudicium attinet, cuius sanguine procreati simus; sed, cuius monitis, & exemplis, instituti; neque, cuius similitudinem corporis lineamētis referamus; sed, cuius imaginem animi moribus exprimamus. Omnium igitur pater est existimandus Abraham, qui sese ad imitationem illius contulerint. Ideo, ante quam esset circumcisus, fide iustitiam assecutus est, vt omnes incircumcisos posset ad similem fidem excitare. Ideo postea circumcisione acceptam iustitiā designauit, vt omnem posteritatem ad eiusdem fidei studium incēderet. Sic fit, vt sit tam pater omnium credentium per præputium, quam Iudæorum similiter credentium. Nec enim satis erat circumcidi, vt haberentur in filijs, sed erat etiam necesse fidem illius imitari. Vnde colligitur, neque genus, neque circumcisionem, sed fidem tantum, Abrahami filios efficere. Omnes igitur, qui fidem sancte colunt, in libris illius censendi sunt, similiq. ratione iustitiæ ornamentis excolendi.

Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt heres esset mundi, sed per iustitiam fidei.

Alio argumento, legem infirmat, & tollit, vt fidem cōstituat. Dicit enim, Abrahamum, cum multis ante sæculis fuerit, quam lata lex esset, non lege scripta quæ nō dum data erat, sed iustitia, quam fide adeptus fuit, ingens illud beneficium accepisse, vt heres esset mūdi. Interim vero Diuinum illud promissum interpretatur; atque docet, non esse ad angustam telluris possessionem, sed ad Regni sempiterni hereditatem, referendum. Neque enim magnum præmium erat, neque Dei magnificentia dignum, tantum terræ spatium viro sibi coniunctissimo promittere, quantum is, in vno loco insistens, longissime prospicere posset. Neque Diuina Abrahami virtus illo contēta esse poterat. Cum igitur Deus illius animum magnitudine præmij erexit, cum mentem illius excitauit ad firmissimæ hereditatis spem, illum certe ad Christi Regis societatem fœdere sanctissimo confirmauit. Fore namque promisit, vt cum filio suo rerum omnium possessionem retineret.

Si enim, qui ex lege, heredes sunt; exinanita est fides: abolita est promissio. Lex enim iram operatur.

Duplex erat impedimentum in lege, si ea necessaria fuisset ad indueendam iustitiam, quo minus posset humanum genus Dinina promissa consequi. Primum, excludebat a salute omnes nationes, præter Iudæos. Nec.n. fieri poterat, vt omnes circumcisioni, & reliquis legis operibus, operam nauarēt. At promissio Diuina salutem gentium omnium continebat. In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. Alterum erat, quod legis fœdere, qui legem transgrederetur, erat hereditate promissa penitus exclusus. Cum igitur omnes Indæi fuissent legis transgressores; (vt vidimus) sequitur necessario, vt hereditatem illam adire nō possent. Cum igitur neque gentes, lege solutæ, neque Iudæi, legis exsecratione deuincti, promissam hereditatem cernere vllo pacto possent; efficiebatur, irritam, & inanem, fuisse Dei promissionem. Nec enim lex morbos animi sanat, neque concepta crimina depellit, sed in crimina seuerissime vindicat. Sic fit, vt per legem omnes sint morti, atque cruciatibus, sempiternis obnoxij.

Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.

Crimen (vt diximns) nullum esse potest, nisi sit voluntarium. Vt autem voluntarium sit, necessaria lex est, quæ recti, prauiq. notitiam continet. Iceirco, antequam aliquis vsum rationis habeat, non potest in se crimen admittere. Est enim ratio, (vt superius dictum est) naturæ lex, a flagitio auocans, & ad honestatem erudiens. Ad hanc autem naturæ legem scripta lex accessit, quæ clariorem iuris, & iniuriæ, regulam traderet. Sed, cum regnum cupiditatis, & immanem libidinis dominatū, euertere non posset, nihil aliud præstitit, quā, vt, illius accessione, peccatum magis ingrauesceret. Nam omne peccatū, est legis transgressio. Ergo, quo lex fuerit explicatior, eo transgressio legis erit immanior. Aut igitur omnis salus non modo gētibus, verum etiam Indæis erat omnino desperanda; aut ad clementiam Dei confugiendum. Confugere autem ad Dei clementiam, erat fidei munus, & officium. In fide igitur, non in lege, erat salus collocanda. Lex enim iram concitat; fides clementiam sibi conciliat.

Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini.

Vt enim, qui spem ponit in lege, Dei benignitatē excludit, Diuini promissi fidem tollit, spem adeundæ hereditatis infringit; ita, qui fide excitatur, aditum sibi ad gratiam patefacit; fructum fidei consequitur, & in hereditatis sempiternæ firmissima possessione locatur. Qui enim lege nititur, sibi confidit; qui fidem sequitur, totum se Diuinæ benignitati committit. Benignitas antem Dei, nec hostiū viribus impediri, neque alienis temporibus excludi, nec vllis machinis auerti, potest; præsto semper adest, vt tibi in votis, & precibus, accurrat. Excita mentem; animum erige; fidem exsuscita; ad thronum gratiæ fidenter accede; iam illius opem senties. Si enim es in morbo, sanaberis; si sanus, confirmaberis; si egens, locupletaberis; si diues, maiore bonorum copia cumulaberis. Sic igitur fiet, vt Diuina promissio, quæ per legem exitum innenire non poterat, ad omne genus humanum fide perueniat, & sic tandem firma sit.

Non ei, qui ex lege est solum, sed ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti.

Quia dixerat, Omni semini, explicat, seminis ipsius rationem, non ad naturam, & legē, sed ad fidem, & gratiam, esse referendā. Quod ostendit, ex ipsius etiam nominis significatione. Non vocaberis vltra, inquit Dominus, Abram, sed Abraham erit nomen tuum; quia patrem multarum gentium constitui te. Cum igitur hoc nomen a Deo fuerit impositum; consequens est, vt ad sensum Diuinum referatur. Est igitur omnis huius stirpis, & gentilitatis, ratio, ad fidei sanctitatem reuocanda; ita, vt promissionem illam, non ad Iudæos tantū fideles, sed ad omnes gentes, simili fide confirmatas, pertinuisse videamus. Illud autē, quod sequitur, nempe, Ante Deum, cui credidisti; ideo adiunxit, vt magis nobilitatis huius rationem explicaret. Quasi dicat, Non mireris, o Iudæe, si generis huius ortum non perspicis. Neque enim est terrestre, sed cæleste, non humanum, sed Diuinum, non sanguine humano procreatum, sed satu Dei ipsius editum. Abraham enim, coram Deo, cui credidit, non corā hominibus, fide, non lege, gratia, non natura, hoc assecutus est, vt omnium fidelium pater exsisteret. Quod si huins rei miraculum te stupidum ita tenet, vt fidem non habeas; immensam illius Domini potentiam cōsidera, cuius numine tanta res perfecta fuit; & sic tandem erit omnis dubitatio sublata.

Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.

Mortuis vitam reddit; voce, & imperio, naturam omnem constituit; ita, vt nihil aliud sit vocari aliquid ab eo, quam ex nihilo fieri, numineq. illius informari. Qui igitur tam potens est vt mortuos in vitam reuocet, imperioq. suo naturam omnem contineat; facile

pote-

poterit, ex lapidibus Abrahamo filios suscitare. Quod cũ facit, mortuos plane suscitat, voceq. sua nouam formam in animis humanis ingenerat; atque gentem obscuram, & ignobilem, claram, & illustrem, facit, & in stirpem sanctissimæ nobilitatis inserit. In huius igitur immensam potentiam intuens vir ille Diuinus, nullo modo Diuinam fidem in dubiũ vocauit; immo fidem suam, contra omnes carnis impetus, ab omni clade tutam, & incolumem, conseruauit.

Qui contra spem in spem credidit: vt fieret pater multarum gentium, secundũ quod dictum est ei: *Sic erit semen tuum.*

Contra naturæ spem, e qua deiectus erat, in Diuinæ promissionis spe, quasi in rupe munitissima, cunctas opes suas constituit. Eaq. fide confirmatus, omnes corporis sensus, in mentem impetum facientes, admodum strenue profligauit.

Et non infirmatus est fide: nec considerauit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.

Debitis laudibus, amplificat sanctissimi viri fidem; cõtra quam multa simul faciebant: ætas propemodum exacta, Saræ infecunditas, atque senectus, longissima spei, quam habebat, de suscipienda prole, dilatio. Ille tamẽ, contra hæc omnia, nullis signis excitatus, nullis argumentis humanis inductus, obsistentibus sensibus, aduersante ratione, naturaque vniuersa reclamãte, fidem immutabilem admirabili constantia conseruauit.

In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere.

Insistit in laudibus Diuini hominis, vt doceat, eam esse verissimæ gloriæ viam, quæ simili fide continetur. Sapiẽtiam autem illius mirifice laudat, qui, reliquis rebus omnibus diffidens, omne studium suum singulari fide cõtulit in illum summum Dominum, qui nec fallere, nec mentiri, potest, neque alienis viribus impediri, quo minus, quidquid promisit, efficiat. Sanctitatem etiam illius celebrat; docens, illum esse cultum numinis purissimũ, atque castissimum, quo maxime Deo gloria tribuitur, qui in fide consistit. Cum igitur veræ sapientiæ studeret, atque sanctissimam religionem rite coleret, illum amplissimum iustitiæ fructum ex ea fide percepit.

Ideo & reputatum est illi ad iustitiam.

Idem testimonium, quod supra citauit, cum amplissima laude Abrahami repetit; vt magis inculcet animis, tãti viri dignitatem non fuisse ex lege profectam. In illius autem persona pugnauit egregie; multisq. argumẽtis effecit, vt clare videremus, quam esset lex præ simili fide contemnenda. Docuit enim, non veram gloriam ex lege sola nasci, sed interdum in aliquibus inanissimum gloriæ simulacrum; & sic legis fiducia Deo gloriam detrahi, Diuinæ fidei fructum impediri; promissionem hereditatis cælestis irritari; infensi numinis iram concitari; obscuritatem, & exitium, rebus humanis afferri. Contra vero, fide Dei gloriam vehementer illustrari; hominumq. salutem, atque dignitatẽ, Diuina gratia constitui. His autem laudibus tollit in cælum Abrahamum, non modo vt Iudæis, patris sanctissimi studio incensis, aliqua ex parte satisfaciat; sed, vt doceat, omnem laudis excellentiam, non ex legis operibus, sed ex fide, colligendam esse; eosq. ad eiusdem fidei studium acrius incendat.

Non est autem scriptum tantum propter ipsũ, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominũ nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Fidei nostræ mysterium breuiter explicat, quod in Christi morte, & exsurrectione, positum est. Ideo namque nobis traditus a Deo fuit, vt, moriendo, mortem peccati nostris inferret; se ipsum autem a mortuis excitando nobis aditum ad iustitiam, & immortalitatem, aperiret.

CAP. V.

IVstificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deũ per Dominum nostrum Christum Iesum.

Postquam naturę, ingenij, disciplinæ, inanem elationem refutauit; & stultam legis, adumbratæq. religionis, confidentiam compressit; atque docuit, omnem iustitiæ sanctitatẽ, esse e gratia Diuina flagitandam; & hoc non operum nostrorum fiducia, sed illius Diuinæ beneficentiæ fide, quæ quidem fides maxime niti debet Christi sanguine, meritis, religione, sanctitate, sempiternæq. gloriæ magnitudine; consequens est, vt explicet nobis, quantus sit, & quam admirabilis, hic verissimæ iustitiæ fructus. Iustificati, inquit, non ex operibus legis, sed ex fide, pacem habemus. Docet nos, per vigentem fidem illo bello liberatos esse, quo nihil potest dirius, funestius, & calamitosius, mente, & ratione, cogitari. Si enim hominem

Duo ſunt in illis ſpectanda, quos nobis patronos adoptamus, vt eorum tutelæ, & patrocinio, confidere certe poſsimus. Primum quidem eſt, fides, atque benignitas; alterum, vis, atque potentia. Alterutrum autem, niſi cum altero iunctum ſit, per ſe valde imbecillũ eſt. Vt enim fides tenuis amici, & imbecilli, non magnum nobis in rebus aſperis adiumẽtum afferre poteſt; ita neque potentia cuiusquam nobis poterit eſſe ſalutaris, ſi non fuerit cum ſumma fide, & beneuolentia, coniuncta. Dedecus itaque, & ignominiam, ſubibis, quoties vel infideli potentiæ, vel fideli inopiæ, vitam tuam credideris. Vtrumque igitur opus eſt; nempe, vt velit, & poſsit, tibi ſalutem afferre is, in cuius patrocinio cõquieſcis. Ergo, cum in hominibus nulla fides ſit, omnesq. opes humanæ ſint fragiles, & imbecillæ; relinquitur, eſſe dementem, & inſanum, extremoq. dedecore tandem afficiendum, qui ſpem habet in hominibus. In quo tandem igitur erit omnis ſpes vitæ noſtræ collocanda? In Deo tantum, qui ſolus omnia poteſt; neque ſolum poteſt, verum etiam nos ſaluos, & ornatos, eſſe vult; noſtramq. ſalutem, & dignitatem, magno ſtudio procurat. At, de illius immenſa potentia, nemo tam expers mentis eſt, qui dubitet; caritatem autem illius in nos accepta beneficia facile confirmant. Per caritatem vero caritatis ipſius effectum, id eſt, Dei ſummum, & immortale, beneficium Paulus intelligit. Quod vt magis exaggeret, ait eſſe in nos effuſum. Hoc enim ſignificat Græcum verbum nempe, ἐκκέχυται. Idautem Effundere dicimus, quod liberaliſsime communicamus: Magnitudinem autem beneficij luculenter exponit, cum dicit, Spiritum ſanctum nobis donatum eſſe. Cum igitur pectore incluſum ipſum Dei ſpiritum habemus; qui noſtros animos incendit, atque pignore quodam confirmatos ad ſpem immortalis gloriæ rapit; quis poterit de illius in nos immenſa caritate, & beneuolentia, dubitare? Ergo, cum & poteſtas infinita ſit, & amor illius immenſus exſiſtat; fieri profecto non poteſt, vt nos vmquam fallat ſpes de illius in nos benignitate concepta. Vt autem magis appareat, quantum nos Deus ipſe dilexit; conſideranda ratio eſt, qua nos dignos effecit, in quos Spiritus ſui munera conferret.

Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt?

Adeo nobis ſtudiuit ſummus ille Dominus, Spiritus ſui fructum impertire, vt, ea de cauſſa, poſtquam tempus conſilio illius præfinitum exſtitit, voluerit Chriſtum pro nobis ad mortem offerri, vt nos illius ſanguine, atque meritis, expiaret. Infirmitatis autem nomine iniuſtitiam ſignificat; vt oſtendat, nullum eſſe morbum iniuſtitia graniorem, nullum malum funeſtius, nullum venenum peſtilentius, nihil eſſe denique, quod magis animum ſanitate ſpoliet, hominumq. imbecillitatem vehementius oppreſſam teneat. Cum igitur eſſemus morbis teterrimis impliciti, & impietatis vinculis alligati, Chriſtus tamen, vt patri obediret, nosq. ſanaret, atque in libertatem vindicaret, pro nobis mortem, & cruciatum, ſponte ſubiuit. Fuit igitur hoc nouum, & inauditum, & obſtupendum, Diuini in homines amoris indicium, vt Dei filius pro alienis, pro impijs, pro inimicis, mortem libenter oppeteret.

Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Prodigij quidem inſtar eſſe videtur, cum aliquis ſe ſe in vitæ diſcrimen infert, pro illo, cuius virtutem admiratur, cuius bonitatem amat, cui omnia officia debet. Id fortaſſe tamen aliquando continget. Vt autem aliquis pro maleficis, & iniuſtis, pro hoſtibus, & inimicis, mori vellet, ne fando quidem auditum fuit. Quam ampla igitur, & inſignis, in nos Dei caritas exſtiterit, eo argumento perſpicitur, quod, cum eſſemus impij, & ſceleratí, & ab illo, hoſtili odio diſsidentes; filij ſui nece, atque cruciatu, ſaluti noſtræ proſpexit. Concludit igitur, fieri non poſſe, vt ſpes immortalis gloriæ, ad quam Dei ipſius promiſsis excitamur, nos vmquam fallat, vel dedecori aliquando futura ſit. Si tantum enim beneficium contulit indignis, quanto tandem dignos exornabit? Si tantum impijs proſpexit; quanto tandem ſtudio, & amore, pios proſequetur? Si tanta benignitate lucem ſuam porrexit alienis, quanta ſuos, atque ſecum iam ſanctiſsimo fœdere deuinctos, complectetur?

Multo igitur magis nunc iuſtificati ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.

Commoratur in firmiſsimo Diuinæ in nos caritatis argumento. Multo quidem, inquit, fuit admirabilius, alienis, & inimicis, quã domeſticis, atque coniunctis, prouidere. Multo grauius, filij vnici nece, & cruciatu, quã eiuſdẽ filij gloria, & immortalitate. Si filij igitur morte impios ſeruauit, atque iuſtitiæ ornamentis excoluit; multo certe facilius, eoſdẽ, iã omnibus

nibus iustitiæ munetibus excultos, eiusdem filij vita, incolumes ab exitio conseruabit, & gloriæ immortalis opibus illustrabit. Magnam igitur gloriæ materiam habent, qui se se ad Christum adiunxerunt. Sunt enim scelere soluti; sunt ad patrem intromissi; sunt in gratiam illius restituti; sunt in Diuinæ gloriæ societatem conuocati; sunt contra omnes tempestates, atque procellas, opibus Diuinis armati, tantaq. virtute corroborati, vt vltro etiam labores immensos excipiant; &, ne possint vnquam animis concidere, Spiritum sanctum, immortalitatis obsidem, intra mentem retinent;acceptaq. iam beneficia illorum spem de futura gloria confirmant. Sed, præter hæc omnia, magnus etiam illis, ex salutis auctore, gloriæ cumulus accedit.

Non solum autem: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

Cum summum aliquod beneficium assecuti sumus, multum refert ad nostræ dignitatis excellentiam, cuius opera simus illud assecuti. Ergo, cum Deus non hominum sanctorum opera, non Angelorum, sed ipsius filij, nobis salutem contulerit, & ad certam spem immortalitatis erexerit; consequens est, vt in nulla te magis, quam in nostræ salutis, & dignitatis, administro, gloriemur.

Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Hic erat addendum, Ita per vnum hominem iustitia in mundum intrauit, & per iustitiam vita. Paulus tamen, vt illam primam integræ sententiæ partem, quæ pertinet ad peccati, atque mortis, originem, luculenter explanet, multa prius inserit, quam institutam orationem absoluat. Commemorat igitur, quo modo, rupto fœdere, quod Deus cum primo generis humani parente pepigerat, iustitia, & immortalitas, quam homo sibi, atque posteris suis, acceperat, amissa fuerit; quo modo, nascendo, hereditariam peccati labem contrahimus, & ita in potestatem mortis incidimus. Est enim mors, peccati merces, & stipendium. Cum autem dicit, In quo omnes peccauerunt, aperte docet, Adam omnibus peccati caussam attulisse; quemadmodum & Christus, iustitiæ iustis omnibus caussam attulit. Sed dixisset aliquis, Quo modo fieri potuit vt omnes peccarent, si non omnes legem acceperant? Peccatum enim nihil est aliud, quã legis transgressio. Transgressio autem nulla potest esse, nisi lex ante lata sit. Antequam igitur lata lex esset, peccatum non erat. Ergo par non fuit, vt mors ante legem in humanũ genus irrueret. Vt igitur Paulus hoc dissolueret, quod obijci poterat, ostendit, quo modo etiam ante legem peccatum terras omnes obsederit.

Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

Cum peccatum fuisse asserit ante legem, certe legem fuisse confirmat, antequam esset scripta lex vlla. Secus enim peccatum minime viguisset. Erat enim lex illa naturæ, humanis animis impressa, quæ recti, prauique, notitiam continet. Quisquis igitur contra rationem aliquid molitur, legem naturæ transgreditur. Ergo, ante quam Moses Diuinam legẽ promulgaret, peccatum satis magnas vires habuit. Ab imperio enim rectæ rationis cunctos homines auertebat. Quo modo igitur dicit Paulus, peccatum non imputatum, hoc est non crimini datum, ante legem fuisse? Nõ quidem peccatum fuisse negat; sed, non æque graue fuisse, atque fuit post legem, id sane confirmat. Docet enim, si peccatum cũ peccato conferatur, adeo graue fuisse post acceptam legẽ, vt peccatum ante legem commissum vix Peccati nomẽ obtinere debeat. Quo enim clarior est iuris, & iniuriæ, scientia, eo, qui iniuriã facit, maiore se crimine adstringit. Tãta igitur accessio ad peccatum per legem scriptam facta fuit, vt tum demum videretur peccatum inualescere. Si opera non fecissem, inquit Dominus, quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberẽt. Satis liquet, eos, de quibus Christus ibi loquitur, omnibus sceleribus affines extitisse. Cur igitur dicit, eos peccatum non habituros fuisse, si illis numen suũ operibus non ostẽdisset? Quia peccatum illud, in contemptione Christi susceptum, tãtum erat, vt reliqua omnia flagitia, quæ committere potuissent, ad illud collata, vix essent peccata nominanda. Vt enim ægrotum hominem sanum appellamus, quoties illius morbũ cum alio multo grauiore, & periculosiore, conferimus; vt hominem tenuem, diuitem esse dicimus, ad eum respicientes, qui extrema inopia laborat; sic in sanctis litteris interdum videmus, vnum peccati genus, cum alio funestiore comparatum, Iustitiam appellari. Quemadmodũ apud Ezechielem dicit Deus, Samariam, atque Sodomam, comparatione Iudææ, iustas fuisse, eo quod Iudæa scelus longe atrocius extitisset. Sic igitur hoc in loco Paulus, vt ostendat, quãto grauius peccatum fuerit post legem, & quanto maiore supplicio vindicandum, comparatione quadam dicit, ante legem imputatum minime fuisse. nam, cum homines, ante quam legem acciperent, obscuratã rationem habuissent, & essent propemodũ pueri infantes existimandi,

ſtimandi, non erat eis ita crimini dandum, quidquid in officio deliquiſſent, atque illis, qui Diuina lege fuerunt ad omnem officij rationem diligentius inſtituti. Nec interim a fundamento illo diſputationis ſuæ diſcedit. Oſtendit enim, non eſſe ſalutem in lege collocandam; ſiquidem tantum abfuit, vt illa peccatum exſtirparet, vt poſt illam peccatum ſe vehementius incitaret, & immaniore quadam tyrannide humanum genus opprimeret.

Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinē præuaricationis Adę, qui eſt forma futuri.

Qui ſunt illi, qui non peccauerunt? Non ne ſatis aperte paullo ante dixit, in omnes peccatum peruaſiſſe? Omnes quidem peccati ſordibus inquinati fuerunt; ſed non omnes eadem ratione peccatum ſuſceperunt. De ijs igitur dicit, In eos etiam, qui non peccauerunt, velnti, qui inſcitiæ excuſationem habēt, quibus non imputatur peccatum, cum lex non ſit. Primum quidem, pueri infantes, quamuis ſint peccato infecti; deinde, qui vſum iam rationis habent, neque diſciplina legis exculti ſunt, ſi cum illis conferantur, qui fuerunt in Diuina lege nutriti, videntur a crimine abeſſe. Et tamen in omnibus mors regnauit, quia omnibus peccatum inhæſit. Erant enim omnes a Dei gratia nudi, ſine qua nemo poteſt iuſtitiam colere. Quicumque enim Dei gratia ſtabiliti non ſunt, cupiditati carnis addicti ſunt, omniaq. effrenata libidine metiuntur. Qui autem eiuſmodi ſunt, Dei legi ſubdi non poſſunt. Caro enim, quam ſequuntur, eſt Dei legi cōtraria, & inimica. Itaque efficitur neceſſario, vt omnes eſſent etiam ante Moſem a recta ratione, quæ lex Dei putanda eſt, penitus auerſi. Erant igitur omnes peccato alligati; ſiquidem nihil aliud eſt peccatum, quam ab æquitate Diuina diſſenſio. Quidquid enim eum Diuinæ legis æquitate minime conſentit, nec ad regulam iuris ſempiterni dirigitur, iniquum eſt. Omnis autem iniquitas, eſt peccatum. Omnes igitur, qui carnis cupiditate ducuntur, cum a Dei lege ſunt auerſi, peccato contaminati ſunt. Omnes autem, qui Dei gratia nudati ſunt, neceſſario incidunt in cupiditatis dominatum. omnes igitur peccato contaminati naſcūtur, quamnis nondum poſsint voluntate ſua delinquere. Sufficit enim, ſic eſſe animum naturæ deprauatione conſtitutum, vt, cum ad bonorum, atque malorum, intelligentiam peruenerit, paratus ſit, nefariæ cupiditatis gratia, ius Diuinum violare. Hæc eſt autem illa ſimilitudo tranſgreſsionis Adam, quæ nobis omnibus innaſcitur. Vt igitur natura ſimilitudinem illius arripimus, atque in veſtigium illius incurrimus; ſic pœnam ſuſtinemus, nempe mortem. Vt enim iuſtitia, ſic etiam animi vita non eſt naturæ, ſed gratiæ Diuinæ, beneficium. Hac gratia ſpoliati, naſcimur; & peccati, atque mortis, laqueis impediti, in hanc vitam ingredimur. Hæc igitur primi parentis imago, atque ſimilitudo, ad omnem poſteritatem tranſfuſa, in omnes homines mortem inuexit. Dicit autem, Qui eſt forma futuri, quia multis in rebus Adam Chriſtum expreſsit. Vt enim ille fuit in orbis terrarum principatu locatus, ſic Chriſtus in omnium rerum dominatu conſtitutus. Vt ex illo dormiente fuit Eua formata, ita, Chriſto, in Cruce, ſalutari ſomno, conſopito, fuit Eccleſia conſtituta. Vt ille vxorem egregie dilexit, ita Chriſtus Eccleſiam amauit; adeo, vt pro illa vitam profunderet. Vt ille, ſecundum terreni generis, & feminis, rationem, omnes homines ex ſe genuit; ita Chriſtus, ſecundum verbi Diuini numen, omnium iuſtorum parens exſtitit. Sed hoc tamen eſt inter vtrumque diſcrimen. Quod ille primus parens nobis rebellionis auctor exſtitit; hic ſecundus obœdientiæ, atque pietatis, exemplum. Ille mortem nobis intulit; hic vitam, & immortalitatem, reſtituit. Illius ſcelere, peccati labem naſcendo contraximus; huius ſanctitate, non meritis noſtris, iuſtitiam conſecuti ſumus. Illius crimine, fuimus in exſilium compulſi; huius virtute, in cæleſtem patriam, atque ſempiternas ſedes, reuocati. Attamen, cum multis partibus ſuperet Chriſti virtus, atque religio, illius ſcelus, atque flagitium; conſequens eſt, vt multo magis Chriſtus iuuerit, quam ille nocuerit; multoq. maiora, & ampliora, bona ſint ea, quæ per Chriſtum adepti ſumus, ijs, quæ opera primi illius parentis amiſimus. Nec enim tantum pondus habere potuit peccatum illius ad perniciem, quantum Chriſti pietas ad ſalutem.

Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

Hic ſimul & oſtendit, quantum ſuperet Dei beneficium, Chriſti opera conceſſum, damnum, crimine primi parentis importatum; & ſuperius interruptam ſententiam, alijs verbis repetitam, abſoluit. Docet enim, eadem ratione, qua fuit, hominis vnius opera, peccatum, atque mors, in mundum inuecta, fuiſſe vnius hominis opera iuſtitiam, atque ſalutem, in omnes terras inductam. Sed inſignem differentiam conſidera. In hominis enim ruina cernis humanum flagitium, in reſtitutione autem Diuinum munus, atque beneficium. Illic Deum hominis

minis vnius crimine offensum; hic filij vnici admirabili sanctitate placatum. Cum igitur maiorem vim habeat Dei benignitas ad salutem, quã offensio sceleris ad exitium; & cum Christi sanctitas tam multis partibus vincat hominis illius primi flagitium; efficitur plane, omnes, qui Christo coniuncti sunt, multo plura per eum ornamenta consecuros fuisse, quam olim per vnum Adami crimen amiserant.

Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem.

Iudicium, quo Deus a principio genus humanum persecutus est, ab illo vno crimine natũ est. Ab illo crimine peccatũ in omnes mortales, quasi quodam contagio, peruasit; atque inde, progressu temporis, innumerabilia scelera proruperunt. Si igitur in morbi ipsius principio, qui mortales omnes afflixit, Christus illum statim depulisset; sane constaret, maiorem vim illi fuisse ad sanandum, quam ipsi morbo ad interimendum. Nullum enim adhibitum malo remedium potest illud expellere, nisi sit ipso malo valentius. Cum autem non illud tantum expulerit, sed reliqua omnia ex illo, tamquam ex radice, pullulanria radicitus extraxerit, multosq. mortales infinitis sceleribus alligatos omni scelere soluerit; dubitari certe non potest, quin virtus Christi sit multis partibus vehementior, & efficacior, ad hominis statum constituendum, quam primi hominis crimen ad euertendum. Vnde sequitur, fore, vt, qui Christo deuincti fuerint, amplioribus muneribus, atque donis, affluãt, ijs, e quibus olim deiecti fuerant.

Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.

Sunt autem illustres hoc in loco contentiones, quibus res maxime inter se oppositæ conferuntur, ita, vt semper Dei donũ, atque Christi virtus, emineat. Donum enim, atque gratia Dei, opponitur humanæ ruinæ; Christi sanctitas, Adami crimini; iustitiæ regnum florentissimum, mortis importunæ tyrannidi; vt appareat, quam Diuina ratione sartum tectũ fuerit, quod antea corruerat.

Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.

Præcisa oratio est; ad cuius explicationem videtur aliquid addendum, nempe, Peccatum fluxit, aut, Iustitia redundauit. Vt sit sensus. Sicut ex vnius casu peccatum exstitit, quod in omne humanum genus inuaderet, & ita omnes homines iudicij, atque mortis, laqueis irretiret; ita ex vnius iustitia ad omnes, qui illam fide receperunt, iustitia dimanauit, quæ eorum vitam sustentaret, atque muneribus Diuinis afficeret.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit vt abundaret delictum.

Non fuit id quidem legi propositum, sed in ijs, qui se a gratia remouebant, necessario consecutum. Cum enim lex mentem non sanet, sed morbi tantum grauitatem clarius indicet, cum cupiditatis immanitatem minime coercere posiit, sed tantum admoneat, quantum sit in illa sceleris, atque flagitij; consequens est, vt per illam sit peccatum multo pestilentius.

Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia. vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam, in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Noue dixit, Superabundauit; vt clarius ostenderet, quo modo gratiæ vis vim peccati vicerit, atque profligarit. Docet interim, Diuinæ gloriæ consentaneum fuisse, vt tunc maxime rebus humanis opem afferret, & tunc maxime peccatum esset amplificatum; & tunc lucem suam præcipue diffunderet, cum essent humanæ mentes tætriore caligine circumfusæ; manumq. suam eo tempore benignius porrigeret, quo iam poterat esse omnis spes salutis adempta. Iam enim, experiundo, didicerat humanum genus, nec in ratione, nec in lege spem salutis esse reponendam; eaq. de caussa par erat, vt Dei gratiam, sibi oblatam, libentius retineret, qua sese cupiditatis dominatu liberaret, & a regno peccati ad gratiæ regnum transfugeret. Peccatum hic est, præceps, & effrenata, cupiditas. Regnat autem in nobis, quamdiu gratia non regnat. Cum enim facillime cupiditatem nostram, quamdiu sumus gratia destituti, legi Diuinæ præferamus; consequenter omnia studia nostra ad cupiditatis ipsius obsequium conferuntur. Vt autem peccati regnum ad mortem ducit, ita gratiæ regnum immortalitatem donat.

Quid

CAP. VI.



Vid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quo modo adhuc viuemus in illo?

Ex eo, quod dictum est a Paulo, nēpe, quod, vbi peccatum magis inualuit, ibi Dei gratia clarius eluxit, potuisset aliquis suspicati, esse in peccato permaneudum, vt iude gloria Diuina magis elucescat. Neque deerant etiam, vt iam vidimus, qui eam Apostolis sententiā affingerent, eosq. vituperarent, quasi ex eorum sententia colligi posset, esse facienda mala, vt inde bona proueuirent. Paulus igitur, vt imperitos admoneat, & impios repellat, ostēdit, quanto studio, & contentione, sit ijs, qui iam sunt in Dei gratiam recepti, peccatum fugiendum. Primum, quia fidem datam prodit is, qui peccatum, quod, vt Christum sequeretur, abiecit, rursus amplectitur. Deinde, quia fructum iustitiæ, quem acceperat, totum statim amittit. Deinde, quod peccatum cum Dei lege pugnat. Postremo, quod in mortem sempiteruam ahripit. Quo modo autem fidē violet is, qui se peccato subdit, explicat, dum fidei ipsius datæ religionem commemorat. Ea namque tota posita est in mortis illius beatissimæ commentatione, qua peccato moximur, vt Christo viuamus. Mori enim peccato, est, non modo imperium illius spernere, sed etiam illius sensum, quo ad fieri potest, omnino repudiare. Cum enim primum apud Christum imperatorem sacramēto diximus, nostramq. fidē adstrinximus, nihil nobis, post illum diem, cum improba cupiditate futurū, interitum certe cupiditati, vi, atque robore, Crucis, attulimus. Cum eo igitur sacramento teneamur, quoties, Christi militia deserta, rursus ad hostes illius, hoc est, ad flagitiorum impuritatē, transfugimus, toties fœdus, Christi sanguine percussum, violamus, atque datam fidē impie, & nefarie, prodimus. Ab hac igitur tanta sceleris atrocitate, vt nos Paulus absterreat, ait, Si mortui sumus peccato, quo modo rursus viuemus in illo? Quasi dicat, Quo modo tantum in nos facinus admittemus, vt fidem Christo datam frangamus? vt sanctissimi fœderis religionem polluamus? vt sacramentum, quo sumus alligati, tætre, & impure, violemus? Vt autem huius sacramenti religionem explicet, ait:

An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

Explanat nobis lauacri illius salutaris mysterium. animi namque puritatem continet. Cum enim tunc corpus aqua perfunditur, auimi sordes eluūtur; &, quod exterius aquæ illius sacratæ mysterio designatur, intus Spiritus sancti beniguitate perficitur. Id igitur beneficium, quod tunc accepimus, est nobis summo studio retinendim, atque conseruandum. Cum autem omnis puritas animi in eo posita sit, vt, quantum fieri possit, animum ipsum a corpore seiungamus, (omnes enim sordes, quibus inquinatur animus, e cupiditate corporis oriuntur) tunc rite fidem colimus, atque acceptum beneficium tuemur, cum nos a corporis contagio seuocamus; cum videlicet non viuit in nobis libido; non amor impurus; non odium turbulentum; non reliquæ pestes, quas, fide Christi, salutaribus illis aquis extinximus. Vt enim, Pharaone demerso, populus Dei incolumis emersit; sic in illo sacro fonte, vt mens vita frui possit, vis ipsius cupiditatis, quæ mentem interimehat, obruitur. Hac autem ratione, Christi mortem imitamur. Vt enim ille vitæ mortali finem imposuit; sic & nos, illius præsidio, vitæ impuritati necem inferimus. Ergo, quamdiu hanc animi puritatem, Christi beueficio partam, retinemus, fidem, quam dedimus, egregie conseruamus. Cum vero emergit cupiditas, cum immanitas libidinis incitatur, cum peccatum reuiuiscit, atque regnum occupat, tum fœdus illud rumpitur, & fidei sanctitas immanissime violatur. Fidei enim sacramento sic Christo coniuncti sumus, vt sit semper nobis mors illius imitanda. Hoc enim lustratio illa designauit, hoc etiam sanxit, vt Christi mortem improbæ cupiditatis interitu sequeremur.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quo modo Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Fructum huius mortis explicat, qui est in Diuinæ vitæ similitudine constitutus. Est autem magna vis in verbis Pauli. Vt enim magis explicet, quo modo sit nobis Christi mors vitæ puritate referenda, non solum nos cum Christo mortuos esse dicit, sed etiam sepultos affirmat. Hanc igitur sepulturam designamus, cum aquis sacratis immergimur. Docet igitur, omnes corporis sensus exstinguendos, atque sepeliendos esse ijs, qui fidem seruare, Christiq. vita frui, voluerint. Vt enim post mortem, atque sepulturam, per gloriam patris, hoc est, per insitam Diuinitatem, (verbi namque sempiterni Diuinitas, Gloria patris appellatur) summa cum gloria reuixit; ita, qui virtute illius proprios sensus exstinguunt, perpetuoq. innocentiæ studio, quasi sepultura, cupiditatem obruunt, e mortis tenebris excitati, nouum genus vitæ colunt, idq.

cæleste, atque diuinum.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus.

Complantationis, idest consitionis, verbo, declarat, artissimam illam fidelium hominũ cum Christo coniunctionem, quæ tanta est, vt in vnum corpus cum illo coalescant. Deinde, docet, eos, non vi sua, sed Christi virtute, stabiliri, nutriri, & augeri, fructumq. producere. Vt enim surculus, e propria arbore detractus, & in alienam insitus, non trunco natiuo, sed eo, in quem est insitus, se sustentat; ex eodemq. vitalem succum ducit, quo augescat, atque pubescat, maturosq. fructus effundat; ita, qui sese a corporis cupiditate seiunxerũt, vt in Christum inseri possent, spiritu illius viuunt, & aluntur, & crescunt, & florent opibus, Diuinæq. virtutis fructum communibus rebus afferunt. Postremo, demonstrat, huius Diuinæ vitæ expertem fore, qui mortis particeps esse non vult. Non possumus enim ex Christo fructum percipere; si non fuerimus ad illum adiuncti. Iungi vero illi non possumus, nisi mortem, & sepulturam, illius, puritatis, & innocentiæ, studio, referamus. Ergo, si studium huius mortis omittimus, numquam certe in Diuinam vitam, per patris gloriam, hoc est per ipsius filij numen, excitabimur.

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.

Commoratur in fidei, atque mysterij sanctissimi, explicatione, vt nostri nos officij magis admoneat, & animis infixum relinquat, non posse nos peccati iugum subire, quin fidẽ, & officium, cum summo scelere, & impudentia, violemus. Veterem hominem appellat vetustum illum statum generis humani, in quo erat a cæli conspectu deiectum, terrenis opibus addictum, ad flagitia valde propensum, & infinitę cupiditatis immoderatione in varias partes agitatum. Hæc est illa terreni parentis imago, quam gerimus, ante quam simus ad Dei imaginem renouati, Diuinamq. iustitiæ formam induamus. Hanc eandem appellat exteriorem hominem; neque per hoc nomen aliud intelligit; quam corruptum hominis impuri iudicium, naturæ suæ obliti, in res externas intenti, & ad corpus omnia referentis; aut, vt rectius dicam, ipsam corporis libidinem, cum mente pugnantem, atque sæpe numero ad perniciem illius erumpentem. Hunc hominem in Cruce Christus exstinxit. Nostrę enim tunc ille cupiditati, nostræ libidini, nostris sensibus, necem intulit; omnesq. nostras affectiones sanctissimo illo stipite confixit. Quod quidem singulis horis experiri licet. Vbi primum enim illi incensa fide coniungimur, atque in Crucem illius intuemur, repente ex illa in nos Diuina virtus emanat, qua facile omnem impuram cupiditatem elidimus, atque libidinẽ resecamus. Corpus apud Paulum interdum sonat cuiusque rei vim, robur, & firmamentum, atque id, in quo rei cuiuslibet summa consistit. Corpus igitur peccati, est ipsius peccati vis, atque firmamentum, quod fuit Christi morte discussum. Non quidem, vt omnis cupiditatis motus omnino cõprimatur; sed, vt non possit, nobis inuitis, cupiditas imperare. Si enim illam coniunctionem Christi tuebimur, vim certe peccati frangi sentiemus; ita, vt nemo se recte possit, imbecillitatis excusatione, defendere. Vt enim peccatum tunc vires amisit; sic nos, si mentem a Christo non diuellimus, vires inuictas adipiscimur. Facile igitur de peccato victoriam, quoties volumus, obtinemus.

Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato.

Qui, inquit, fidei vigentis studio Christi mortẽ expressit, liber a peccato est. Est enim iam peccati iugum a ceruice illius, Christi gratia, depulsum; ita, vt cogi nõ possit iterum peccati dominatum subire. Cum enim iustus liber sit, & immunis, neminiq. addici in seruitutem iure possit is, qui nihil debet; recte Iustificationis verbum a Paulo ponitur, ad libertatem significandam. Itaque, a peccato iustificari, nihil est aliud, quam, a peccati dominatu liberari. A peccati autem dominatu liberamur, cum Christi mortem sequimur.

Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam viuemus cum Christo.

Mortis huius fructum exaggerat, vt nos magis ad cupiditatem illius incendat. Nec enim solum huius mortis studio fuimus a peccati importuna tyrannide liberati, quod ipsũ erat in summa quadam felicitate ponendum; neque solum lucem illam respeximus, qua noua vita frueremur, quod ad cælestem dignitatem propius accedebat; verum etiam per illam ad Christi societatem, ad vitæ illius immortalitatem, ad regnum sempiternum, adspiramus. Nec enim illa sempiterna vita frui poterit, qui interitum peccato non attulerit.

Scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.

Cum enim nobis Christi mors, deinde vita, imitanda sit; consequens est, vt videamus, quomodo Christus mortali vita functus fuerit, &

qualis

qnalis tandem sit illius vita. Primum quidem, ille semel mortuus est. Deinde, vita illius non modo sempiterna est, verumetiam Dinina. Caro Christi sanctissima, peccati totius expers, imbecillitatis tamē humanæ particeps, Peccatum a Paulo interdum nominatur, vel quod fuerit morti, atque pœnis peccato constitutis, exposita, vel quod fuerit pro peccatis immolata. In sacris enim litteris hunc etiam interdum vocis huius vsum cernimus, vt ponatur vel pro pœnis peccato debitis: quale est illud Isaiæ; Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrorum: &, Ipse peccata multorum tulit; vel pro sacrificio pro peccatis immolato; vnde illud, quod in Psalmis, sub Christi persona, scriptum est, Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio. Quasi dicat: Cum neque holocausta legis, neque piacula, tibi placuissent, me tibi obtuli, atque corpus meum, quasi hostiam piacularem, ad aras constitui, vitamq. meam pro salute omnium deuoui, vt, hac obedientia, atque ardore, caritatis, numen tuum humano generi placarem. Paulus igitur, Scripturæ consuetudinem secutus, Christi corpus, ea ratione, qua mors erat illi, pro nobis omnibus, subeunda, Peccatum nominat. Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Hoc autem in loco satis eleganter vsus est Peccati nomine, vt melius cerneretur, quā apte similitudo congrueret. Vt enim Christus semel peccato mortuus est, hoc autem est, semel vitam mortalem, & ærumnosam, abiecit, ad quem vitæ mortalis statum numquam denuo remigrabit; ita & nobis faciendum est, vt non sit nobis necesse, iterum a peccati vita discedere. Millies enim mori peccato necesse erit, si millies ad peccatum reuertamur, in quo Christum minime sequemur. Vt enim vita illius sempiterna est, ita & nobis vitæ nouitas est perpetuo retinenda. Et, quemadmodum vita illius Diuina est; Deo namque viuit; ita & nos Deo viuere debemus, numineq. illius gubernari, & omnes actiones ad gloriam illius dirigere. Peccati enim natura mortalis est, Dei autem sempiterna. Consentaneum igitur est rationi, vt, qui semel peccato mortuus est, spirituq. Diuino fruitur, numquam ab eo diuellatur.

Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccarum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.

Si fidem igitur, inquit, tueri, si dignitatem retinere, si vitam cōseruare cupitis, opus est, vt nullo modo peccatum in vobis regnare patiamini.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo.

Manus nostra poterit esse vel clementiæ, & benignitatis, instrumentum, vel crudelitatis, & rapinæ. Item, lingua, vel Dei laudes effert, vel proximum maledictis insequitur. Oculi similiter, vel opera Domini contemplatur, vel flagitia, cum animi pernicie, contuentur. Omnia denique membra, vel honestati, vel impuritati, seruire possunt. Scelus autem est tæterrimum, cum iam Christo nomina dederimus, tam multisq. illi beneficijs obstricti simus, ijs membris, quæ Christo dedita sunt, abuti, ad peccati, & impuritatis, obsequium. In quo vero ait, Tamquam ex mortuis viuentes; admonet, esse opus summo quodam studio, & diligentia, vt nos Deo gratos exhibeamus, neque ab illius imperio discedamus. Si enim, qui vitæ periculo liberati sunt, illius recordatione perhorrescunt, seq. vitam ei debere cōfitentur, per quem a morte erepti sunt; quid nobis faciendum est, qui singulari præsidio fuimus a sempiterno exitio, & clade perpetua, liberati, & in cælesti quadam dignitate constituti? Non enim nostri sumus, sed illius, qui non modo nos finxit, & informanit, sed etiam a morte reuocauit, filijq. sui sanguine expiauit, ornamentisq. Diuinis excoluit. Illi igitur corpus, illi animum, illi sensus, illi vitam, illi denique bona omnia, debemus. Nec vllo modo committendum est, vt, pestis illius, a qua seducti fuimus, obliti, nostræq. salntis immemores, &, quod caput est, in Deum, auctorem nostræ salutis, ingrati, ad hostes illius confugiamus, armisque, nobis, ad iustitiæ cultum, & defensionem, attributis, iustitiam oppugnemus, & bellum omnibus sanctitatibus inferamus. Hic potuisset aliquis dicere: Magna tu quidem, Paule, & ampla, atque salutaria, præscribis, ea tamen, quæ nemo præstare posit. Quis enim, in tanta naturæ imbecillitate, cupiditati facile repugnabit, & contra tantas peccati opes statum animi tuebitur? Ne hinc igitur merito dici posit, ostendit modo colendi muneris facilitatem. Ait igitur:

Peccatum enim in vobis non dominabitur. non enim sub lege estis, sed sub gratia.

Quam sapienter autem infert mentionem illius miseriæ, in qua homines, lege deuincti, olim versabantur? Cum enim Iudeos a studio legis abducere conetur, crebro redigit in memoriam, legem nullum fructum hominibus attulisse. Frustra igitur, qui sub lege erant, conatus omnes ad studium iustitiæ conferebāt, quando tantus erat dominatus cupiditatis, vt nemo posset immanitatem illius effugere. Non, inquit, est, cur quisquam, si modo fide ad

Dei

Dei gratiam peruenit, imbecillitatis excusationem posit afferre. Non enim est eadem caussa legis,& gratiæ. Qui enim legi confidit, & ita Dei singularem opem minime requirendam existimat, seq. & rationis opibus, & legis ipsius doctrina, satis instructum putat ad omnem officij diligentiam; minime mirandum est, si non potest cupiditatis immanitati resistere. At, qui omnem victoriæ spem collocat in Diuino præsidio, eaq. fide gratiam Diuinam consequitur; facile potest, armis Diuinis tectus, libidini repugnare, & omnem cupiditatem inuicto præsidio obsessam tenere. Qui igitur sub lege nihil efficere poterant, sub gratia omnia facillime perficiēt. Ne quisquam autem ex hac Pauli sententia suspicari posset, esse tributam omnibus flagitiorū omnium impunitam licentiam; (dixerat enim, nos nō esse sub lege, sed sub gratia; lex autem metu cupiditatem coercet; gratia vero eo metu liberat; & ita fieri videbatur, vt gratia cupiditatem, quam lex metu continebat, indulgentia solueret, atque vehementius in omne facinus incitaret) ne igitur quisquam existimaret, esse nobis liberum, quidquid libuerit, propterea quod non sumus sub lege; mentem suam aperit; dicitque, minus nunc nobis licere, flagitia suscipere, quam ijs, qui sub lege erant, licebat. Quo enim maioribus beneficijs adstricti sumus, atque sanctiore quadam pactione obligati, eo grauius crimen, atque scelus, in nos ipsi concipimus, cum peccamus. Liberi quidem sumus a lege, quod attinet ad cultum illius religionis, in sanctitatis vmbris, & imagine, constitutæ. Exorto namque veritatis splendore, vmbra legis euanuit. Liberi etiam sumus a lege, si horrorem, quem lex incutiebat animis, mente consideres. Postquam enim, Christi gratia, iustitiam obtinemus, non ita pœnam, iniustis propositam, formidamus. Non sumus autem liberi ad suscipiendum flagitium; immo, ne id nos admittamus, multo sumus artioribus vinculis alligati.

Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?

Non, inquit, estis omnino iuris vestri; non est vobis arbitratu vestro viuendum. Dominum enim commutastis, non peccandi licentiam obtinuistis. Serui igitur estis, & non liberi; in ea autem seruitute versamini, quæ felicissima quædam libertas existimāda est. Estis enim liberi a tyrannide peccati, quæ vos, inuitos etiam, atque recusantes, ad mortem rapiebat. Nunc vero seruitis iustitiæ, quæ vobis vitam sempiternam concedit. Vt igitur seruitutis illius condicio erat horribilis, & exsecranda; ita seruitutis huius nomen est dulce, iucundum, & salutare, atque votis omnibus expetendum. Hic annotandum est, quod iam superius admonuimus, Obeditionem poni pro fide, cum ait, Siue obeditionis ad iustitiā.

Gratias autem Deo quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis. Liberati autem a peccato, serui facti estis iustitiæ.

Tantum abest, vt hæc seruitus alicui posit esse dedecori, vt nihil illa sit magis gloriosū, prædicandum, atque præferendum. Est igitur, cur Dei gratiam perpetuis laudibus extollamus, quando nos, e durissima seruitute liberatos, sub imperium, ditionemq. suam, subiunxit, atque per obedientiam fidei Diuinis iustitiæ muneribus ornauit. Eam igitur libertatem sumus assecuti, vt nihil, quamdiu in nobis iustitia dominatur, inuiti faciamus, non vt nullius imperio adstricti simus.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. sicut exhibuistis membra vestra seruire in nuditate & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitia, in sanctificationem.

Iniquum esse videtur, in dispari, atque dissimili, dominorum condicione, non esse etiam seruorum dissimilem in seruiendo diligentiam. Qui conuenit enim, vt eodem studio, & alacritate, seruiamus optimo Principi, atque magnificentissimo, in cuius studio, præter honestatem, & officij iucūditatem, possimus nobis magnas opes, de beneficentia illius, polliceri; quo seruiebamus tyranno turpissimo, & impurissimo, a quo non esset alia merces exspectanda, quam plagarum dolor, dedecoris infamia, atque mortis acerbitas? Numquid non æquum est, vt, quātum domino dominus antecellit, tanto maiorem adhibeamus in seruiendo diligentiam? Quid autem est iustitia præclarius? Quid specie illius iucūdius? Quid studio illius honestius? Quid præmio magnificentius? Quid contra peccato dirius? Quid adspectu terribilius? Quid illius dominatu turpius? Quid exitu calamitosius? Non est igitur indignum, qui a peccato liberati sunt, nō longe maiore studio iustitiæ seruire, quam olim peccato seruiebant? Est certe, inquit Paulus: humanum tamen dico, propter infirmitatem carnis vestræ: hoc est, multum tamē de iure remitto: me namque infirmitati vestræ accommodo. Hoc igitur in præsentia contentus sum, & hoc saltem a vobis efflagito, vt, quo studio membra vestra in iniquitatis obsequium contulisti, quæ vobis impuritatis labem, & iniustitiæ maculam sempiternam,

inure-

inurebat; eodem iuſtitiam colatis, quæ omnes a vobis iniuſtitiæ maculas abſterſit, menteſq. noſtras omnis ſanctitatis religione conſecrauit.

Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructũ habuiſtis tunc, in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.

Vt melius explanet, quam præclare ſit cũ illis actum, qui a ſeruitute peccati ad iuſtitiæ cultum traducti ſunt, illius miſerrimæ ſeruitutis ſtatum ob oculos ponit; triplex malum triplici tempore diſtinguens. Nam, ſi præteritum tempus memoria repetas, omne videbis fruſtra fuiſſe conſumptum. Nullum enim fructum ex flagitio tuliſti; ne tunc quidem, quãdo, præſentis boni ſpecie deluſus, inſaniebas. Illud enim ipſum, quod vehementer expetieras, experiundo, didiciſti, eſſe fallax, & inane, nullumq. verum, & ſolidum, gaudium afferre; ſed, gaudium oſtentando, grauiſsimã animis mæſtitiam exhibere. Si vero præſens tempus mente cõſideres; videbis, nihil aliud ex flagitio tibi relictum fuiſſe, quam turpitudinis notam, quam dedecoris infamiam, quã nominis labem (ſi Deus tibi auxilium minime contuliſſet) ſempiternam. Si vero in futurum proſpicias, mortem, atque perpetuum in omni æternitate cruciatum, peccato propoſitum eſſe videbis. Aetas igitur præterita, ſine emolumento fluxit; præſens, eſt flagitiis turpitudine deformata, atque futuri iudicij metu ſollicita; futurum vero tempus, ſi in peccato manſerimus, ſempiternam peſtem nobis importabit.

Nunc vero liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.

Contra quidem, inquit, euenit in iuſtitia. Primum enim, ex illa fructum egregium retinetis, quem ſolum Veſtrum merito poteſtis appellare. Quæ enim ad corpus pertinent, vel in caſu, & temeritate, ſita ſunt, minime noſtra ducenda ſunt. Nec enim in nobis, ſed extra nos, ſunt; nec ad immortalis animi cultũ, ſed ad mortalis corporis appetitum, referuntur; &, cum maxime parata eſſe videntur, repente labuntur, & fluunt, & momento temporis euaneſcunt. Ea igitur tantum noſtra exiſtimanda ſunt, quæ Deus in noſtros animos benigne congeſsit, quæ neque caſus eripit, neque vis vlla labefactat, nec vetuſtas vlla cõſumit. Recte igitur ait: Habetis fructum veſtrum. Olim, inquit, ex flagitio, ne tum quidẽ, cum fuiſtis voti cõpotes effecti, fructum accepiſtis. At nunc, ex iuſtitia ſempiternum in animis fructum retinetis. Adiungit deinde, In ſanctificationem; vt peccati dedecori, & turpitudini, ſanctitatis decus, & honeſtatem, opponat. Poſtremo, inquit, iuſtitiæ præmium, eſſe vitam ſempiternam. Si igitur mendacium, & inanitatem; ſi dedecus, & turpitudinem; ſi mortem ſempiternam, fugiendam arbitramur; ſi, contra, vtilitatis, & honeſtatis, appetentes ſumus; ſi immortalis vitæ cupiditate flagramus; conſequens eſt, vt ab omni labe nos incolumes cõſeruemus, omneſq. noſtras curas, & cogitationes, ad cultum iuſtitiæ conferamus.

Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Stipendium peccati Mortem appellat, quod ſit peccato iure debita. Vitam vero æternam Dei donum eſſe, dicit, quia tam iuſtitia, quam iuſtitiæ fructus, eſt ad Dei gratiam reuocandus, in qua gratia fuimus, Ieſu Chriſti opera, conſtituti. Hactenus quidem diſputauit Paulus, non eſſe in peccato manendum; vel, quia peccatum fidei ſacramentum violat; vel, quia religionis ſanctitatem oppugnat; vel, quia, fallaciſsima ſpecie, miſeris hominibus illudit; vel, poſtremo, quia dedecus inurit, & æternam peſtem comparat: nunc conſequens eſt, vt oſtendat, quo modo poſsimus peccatum depellere: quod iam multis in locis attigit. Veluti, cum dixit, Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti. Et, Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Et, Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Et, Peccatum vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. In omnibus quidem his locis diſputauit, id, quod neque natura, neque lex, efficere potuit, Dei gratiæ fore facillimum. hanc autem gratiam, eſſe fide comparandam. Nunc igitur, vt magis apetiat, nullo modo eſſe iuſtitiæ præſidium in legis ſcripto collocandum, de legis ſtatu diſſerit; & illius imbecillitatem, atque miſeriam, oculis elegantiſsime ſubijcit; vt rectius intelligatur, quantum beneficium acceperint ij, qui non ſunt ſub lege, ſed ſub gratia. Sub lege enim peccatum dominabatur; ſub gratia vero dominari non poteſt. Atque primum quidem Paulus ſoluit religione animos. Exiſtimabant enim, eſſe nefas, a lege deficere, atque cærimonias illius omittere. Docet igitur, legis illius colendæ neceſsitatem eſſe ſublatam. Deinde, quo modo ſub lege peccati dominatus vitari non poterat. Poſtremo, quo modo ſub gratia peccati imperium deletum ſit.

CAP. VII.

N ignoratis fratres,(scientibus enim legẽ loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit?

Cum Iudæis loquitur,ab ijsq. eius rei confessionem exprimit, quæ quidem erat satis explorata;nempe,legem tantisper hominem tenere,dum abrogata,aut antiquata non est. Viuit enim lex,quamdiu vim cogendi,& imperandi, habet. Moritur autem, postquam eam vim amittit. Hoc autem confirmat similitudine ex ipsa lege sumpta:

Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius,libera est a lege viri, vt nõ sit adultera,si fuerit cum alio viro.

Lex fuit instar viri, Hebræorum multitudini, vt ex legis coninnctione iustitiæ fetum, atque sobolem,procrearet. Non tamen fuit illius gentis fecunditas cum Ecclesiæ, quæ ex gentibus collecta est,fecunditate comparanda. Multi enim filij desertæ(vt inquit Isaias) magis,quam eius,quæ habebat virum. Nec enim gentiũ Ecclesia fuit olim legi in matrimonium data, ita, vt Deserta posset appellari;quæ tamen ex Christi connubio innumerabilem sobolem edidit.Cum igitur Hebræorum natio fuerit cum lege,quasi matrimonio,copulata;consequens est,vt, defuncta lege,sit legis ipsius iure soluta.Quo modo autẽ lex defuncta sit,explanat.

Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius,qui ex mortuis resurrexit,vt fructificemus Deo.

Mors legis explicatur ab eo, cum ait, Per corpus Christi. Lex enim,sanctitatis vmbrã continebat, Christus autem ipsum sanctitatis, atque iustitiæ, corpus, hoc est, ipsam veram,expressam,& solidam, iustitiæ rationem continet. Corpus enim Christi, significat ipsam iustitiæ vim, atque gratiæ Diuinæ summam, omniumq. cælestium virtutum, atque bonorum,complexionem, quam olim lex mysteriis adumbrabat. Interuentu igitur Christi,in quo est iustitiæ corpus, vmbra iustitiæ, quæ sita erat in figura legis, enanuit. Superuacanea est enim rei illius vmbra, quam iam oculis præsentem intuemur. Vt igitur esset aliquis vsus in lege, ante quam Christus adueniret, post illius aduentum nullum vsum habere potuit. Vt enim vmbra corpori,imago veritati;ita fuit necesse, vt lex Christo concederet.Hac igitur ratione, Christus legi finem imposuit. His quidem verbis, Paulus legem exstinctam asserit. Vt verborum tamen offensionem vitet,non dicit, Lex mortua est, sed,quod tantundem valet, Legi estis mortificati; hoc est, a legis imperio liberati. Nec enim eximi e legis dominatu poterant, nisi prius ipsa lex interiret. Caussam autem interitus legis ad corpus Christi refert.Cum igitur lex mortua sit, inquit, non est, cur,impediti religione, vereamini, legis instituta relinquere, vt ad alium virum vos adiungatis. Neque enim est vobis adulterij crimen pertimescendum, si alterius viri matrimonium tenueritis,cum iam prior e vita discesserit. Immo,magna caussa est, quod summo quodã gaudio afficiamini, cum tam feliciter matrimonij condicio vobis commutata sit. Olim enim eratis sub lege, quæ quidem vitam dare non poterat; nunc vero estis illi copulati, qui mortem, seipsum a mortuis excitando, profligauit. Cum igitur vires mortis inciderit,& peccatum, vnde mors exsistit, euerterit;facile poterit a vobis peccati,atque mortis, pestem arcere, vt vberrimos iustitiæ fructus vobis,ad Dei gloriam, pariatis. Vt autẽ magis huius sanctissimi matrimonij felicitatem explicet,miseriam illam,in qua versabãtur olim homines,sub lege in oculis defigit.

Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.

Carnem appellat interdum, vt iam supra vidimus, illam adumbratam sanctitatis speciem,corporeis sensibus occurrentem,minimeq. intimas animi sordes eluentem,in imagine tantum iustitiæ constitutam. Peccati vero affectiones per legem viguisse dicit; quia per legem non fuerunt compressæ,sed multo vehementius incitatæ. Vt enim truculenta bellua,vinculis constricta, insitam feritatem minime remittit,sed acrius irritatur;ita metu aliquandiu compressa cupiditas fit multo immanior,atque truculentior. Reuocat igitur Paulus in memoriam miseriæ illius grauitatem, cui erant homines obnoxij, cum essent sub lege.Cum enim cupiditatis imperiũ per legẽ excisum minime fuisset, eueniebat, vt homines,in lege, vi,atque fraude,cupiditatis adacti,facinora morte,& cruciatu sempiterno,vindicanda susciperent. Hoc est enim, Fructificare morti. Quod si hoc erat in extrema calamitate ponendum; quanta tandem felicitas existimanda est eorum,qui,hac immanitate liberati,vires Diuinas adepti sunt, quibus fructus vitales,atque sempiternos,efferre possint.

Nunc

Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur : ita vt seruiamus in nouitate spiritus,& non in vetustate litteræ.

Solutos dicit,vt libertatis nomine in pristinæ seruitutis odium illos adducat. Mortuos legi dicit,duplici quidem ratione:Prima,quia necesse fuit,vt dictum est, vt veritatis præsentia veritatis imago cessaret:Altera,quia christus omni crimine liberat. Cum igitur omni scelere soluti simus,nullum a lege supplicium formidamus.Ergo,cum lex nihil aliud efficeret, quam ,vt , vel iustitiam obscure designaret , vel iniustis supplicij terrorem proponeret ; & vtraque ratione constet , fuisse Christi præsentia sublatam ; recte dicitur Christus mortem illi attulisse.In qua detinebamur,inquit,quia,vt,ad Galatas scribēs, ait, Propter transgresſionem posita erat. Cum enim homines iura naturæ certatim violarēt, fuit lex imposita, vt, supplicij metu, eorum intemperantiam aliqua ex parte coerceret . Sed,cum non eos cupiditatis imperio liberaret , libertatem non attulit,sed seruitutem duplicauit. Ad dominatum enim cupiditatis alius dominatus accesſit,nempe,legis; quo miseros homines difficillima , atque molestisſima , religione obligaret,& asſiduo supplicij metu perterreret . Nouitas est , illa forma Diuina , in quam,Christi gratia, restituti sumus. Ea vero gratia facit, vt meus , iam spiritu Diuino renouata,splendoreq. Diuinæ lucis illustrata,facillime , & cum magna quadam iucunditate , pręclara facinora perficiat.Littera,apud Paulum,est lex Diuina , non animis insculpta per fidem,sed tabulis tantum inscripta, quæ,cum mētem sua ui minime sanet,sed tantum capite sanciat,si quis a se peccati morbum non depulerit,homines,sine vllo fructu,angore conscientiæ confectos,exanimat. Est igitur Vetustas litteræ , inane illud scriptæ legis studium, & cultus ille cærimoniarum antiquarum,religioni,sanctitatique, sine vllo fructu,tributus. Vt igitur Spiritus nouitas vitam continet;ita Vetustas litteræ mortem , atque supplicium , irrogat.

Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui , nisi per legem. nam concupiscentiam nesciebam,nisi lex diceret : Non concupisces.

Fuisset hæc oratio fortasse magnæ offensioni Iudæis, nimium legi deditis , quod prima specie videretur Diuinæ legis vituperationē illa minime dignam continere . Videbatur enim Paulus ipsi legi caussam mortis asſignare;& sic colligi poterat,Legem esse in peccati loco habendam.Proprium enim peccati munus est,mortem inferre.Si igitur ipsa lex mortem offerebat;sequitur,vt esset,instar peccati detestanda , atque adeo pro peccato ducenda.Ne igitur ex hoc loco posset quisquam v[illegible] Paulo crimen obijcere, vel Dei legem peccato affinem iudicare ; interpretatur ipse Paulus mentem suam ; atque docet , mortem nostram nullo modo legi , sed peccato , esse tribuendam . quod tamen peccatum legis occasione creuit.Ita igitur legem omni crimine liberat , vt illius imbecillitatem apud omnes magis testatam relinquat. Vtitur autem personarum mutatione.Differit enim,sub persona sua,de vniuerso statu generis humani, docens,qualis fuerit ante legem,qualis sub lege, qualis postremo post abrogatam legem . Fuit quidem ille ante legem inquinatus , & deformatus,omniq. ratione conturbatus ; sed longe conturbatior, atque calamitosior, post legem . Exstincta vero lege per corpus Christi, tum demum fuit felix, & opulētus,omnibusq. rebus optime constitutus.Omnis autem caussa miseriæ a peccato fluxit . Ergo,quo peccatum grauius exstitit , eo necesse fuit , vt grauius exitium esset illius opera conflatum.

Quod autem grauius peccatū post acceptam legem exstiterit,probat,ea ratione,quod peccatum non fuerit ante legem cognitū . Quod non sic est accipiendum , vt nulla fuerit ante legem peccati cognitio ; sed , comparatione vtens , dicit , non fuisse cognitum peccatum , nisi per legem, quia non erat adeo explorate cognitum ante legem. Erat enim mens hominum,propter inueteratam peccandi consuetudinem,nimium obscurata, rationisq. lumē propemodum exstinctum. Non poterant igitur homines ita clare cernere,quid esset in vita sequendum,quid rursus omni studio fugiendum, in quo esset vitæ beatæ summa collocanda . Non erat omnibus perspectum, & cognitum,an Deus res humanas curaret , an scelere offenderetur , atque maleficia puniret , an posset hominibus aliqua religione placari. Præterea , multa erant flagitia , quæ suspicabantur homines absque scelere suscipi.Erant præterea,qui,quasi Deus minime posset intimos animi sensus inspicere , credebant , non esse cogitationes impuras in crimine ponendas,omneq. scelus effectu tantum suscipi,non autem cogitatione contineri . In illa igitur tanta rerum obscuritate, & ignoratione,miseri mortales, lenta tabe corrupti,cum minore sensu doloris interibant. Accesſit deinde lex,quæ,res humanas Deo curæ esse , demonstrauit.Hæc igitur religionem sanxit; officia descripsit;ad pietatem instruxit;a scelere deterruit;ad honestatem præmijs allexit;a turpitudine pœnis auocauit ; omni denique ratione naturæ legem instaurauit ; & effecit, vt nemo posset inscitiam sceleri a se suscepto prætendere.Ergo,cum nihilo secius homines disciplina legis illius imbuti,peccarent;apparet profecto, quantum fuerit additum ad eorum pestem,atque perniciem. Paulus autem,

hoc

hoc in loco, cum ex legis doctrina peccati grauitatem colligere vellet, reliquis præcepris omißis, vnius tãtum meminit; vel, quod esset vis illius minus multis cognita, qui fortasse credebant, non posse scelus cogitatione conflari; vel, quod eo reliqua omnia iustitiæ præcepta continerentur. Cum enim omnes iniuriæ ex effreuata cupiditate oriantur; qui cupiditatis immanitatem resecat, omnem iniuriæ caussam præcidit. Commodißime igitur fuit Diuina lex, nefariæ cupiditatis prohibitione, conclusa. Non concupisces, inquit, domum proximi tui, neque desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, neque quidquam eorum, quæ illius sunt Cum igitur tam diligenter fuissent a lege omnia vitæ officia descripra; necesse profecto erat, si peccatum tolli non posset, vt esset longe funestius.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.

Non lex, inquit, quæ ad salutem data fuit, mihi pestem, & exitium, comparauit; sed peccatum, hoc est, insita in natura mea libido & cupiditatis importunæ petulantia, quæ legitimum imperium respuit, & impetu cæco in omnes pestes incurrit, cum lege comprimi, & elidi, non posset, sed tunc magis esset irritata, atque, propter odium legis, efferata, proripuit tandem se se; atque cum immaniore temeritate, & impudentia, ius Diuinum violauit. Duplici itaque ratione, peccatum fuit atrocius, atque pestilentius. Primum, quia fuit contra clariorem Diuini iuris explicationem susceptum; deinde, quia cum maiore quodam impetu cupiditatis incitatum.

Sine lege enim peccatum mortuum erat: Ego autem viuebam sine lege aliquãdo. Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum.

Neque peccatum ante legem mortuum fuit; (satis enim magnis viribus in orbem terrarum inuasit) neque vixit quisquam, naturæ beneficio, ante legem. Regnauit enim mors ab Adam vsque ad Mosem. Sed hoc dicit Paulus, minime esse peccatum cum peccato conferendum. In tantis enim ignorantiæ tenebris ita languidum erat peccatum, vt vix possent homines vim illius sentire. Multum enim erat detractum de illa iuris Diuini notitia, qua fuerant a primordio humani generis instituti. Longo enim temporis progressu multiplicata flagitia mentem humanam hebetiorem reddiderant. Ergo, & peccatum magnam virium partem amiserat. Non igitur tam graui leto homines interimebat. Mors igitur illa, ad mortem, quæ post legem exstitit, collata, vita propemodũ erat existimãda. Sed, cũ lex, inquit, accesßisset, ignorantiæq. tenebras animo meo offusas dispulisset; peccatum, quod mortuum censebam, tantas repente vires collegit, vt tum demum viuere, atque robur antiquum recuperare, videretur. Ego igitur, qui a principio vim peccati mortiferam paulum admodum sentiebam, me tum demum plane mortuum iudicaui.

Et inuentum est mihi mãdatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

Quod lex ad vitam data fuerit, ex multis Scripturæ locis constat; in quibus videmus, omnem vitam illius, rectißimo, atque sanctißimo, cultu contineri. Qui fecerit, inquit, ea homo, viuet in eis. Sed, si gratiam Diuinam remoueas; quid iuuabat, vitam a lege verbis tantum ostendi, si re vitam dare nõ poterat? Nec enim poterat, legis tantum vi, lex ipsa seruari. Nec enim lex extrahebat peccati dominatum. Peccatum autem, hoc est, cupiditatis intemperantia, mentem humanam errore complet, atque deceptã in pestem, atque perniciem, rapit. Nam, aut voluptas violento quodam lenocinio mollitum animum de mentis statu deiicit; aut dolor fractum, & excruciatum, a iudicio detorquet; aut libido furentem rapit; aut metus illi tenebras obducit; aut quiuis alius eiusmodi motus sic eum exagitat, vt caligine circumfusum in fraudẽ capitalem conijciat. Sed quo vis libidinis est immanior, eo animus in maiorem fraudẽ impellitur. Porro autem, post latam legem, scripto officia sancientem, cupiditas longe acrius exarsit. Nescio enim quo modo, illa etiam, quæ non valde expetenda esse videbãtur, postquam prohibita sunt, cupiditatem vehementius incendunt. Cum igitur lex cupiditatem non comprimeret, sed irritaret; & cupiditas errorẽ creet, animumq. decipiat; rectißime dictum est, cupiditatem, occasione accepta, per legem, decepisse, hoc est, humanam mentem in maiorem fraudem impulisse. Non igitur lex vllo modo culpanda est, sed peccatum.

Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum.

Meritis laudibus legem ornat. Sanctam enim appellat; quod ad omnem impuritatis labem repellendam tradita sit. Iustam; quod exactißimam æquitatis discriptionem contineat. Bonam; quod ad immortalis vitæ fructũ cõferatur. Quod igitur? Num salutaris illius vis, atque natura, conuersa est ad perniciem? &, quæ

&,quæ ſpem vitæ immortalis oſtendebat,ipſa mihi interitum machinatnr? Minime. Sed inſitum in animo peccatum, quod inhæret penitus, quod venenum mortiferum diffundit, quod non modo lege ſublatum non fuit, ſed etiam occaſione legis auctum, & amplificatum, eſt id, quod mentem meam interimit.

Vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Peccatum, hoc eſt, inſita in natnra cupiditas, legi Diuinæ contraria, peccat, quoties animum in fraudem impellit, atque ſcelns ſuſcipere, importunitate ſua, cogit. Peccabat igitur cupiditas ante legem. Animos enim hominnm dominatu ſuo opprimebat, atque iu omne ſcelus inſtigabat. Cum autem lex aduenifſet, & cupiditas illam inſitam feritatem maiore quadam impudentia, atqne legis impio contemptu, cumulaſſet, peccauit multo ſceleratius. Homiues enim, addicti cupiditati, cum neque legis quidem ſeueritate refrenari potuiſſent, quin cupiditati ſeruirent, quæ eos cæcos, atque præcipites, in omne flagitium ferebat, ipſo legis bono ad maiorem vitæ ſuæ peſtem abuſi ſunt.

Scimus enim quod lex ſpiritalis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.

Aſsignat totins humanæ miſeriæ rationem; vt clarius cernamus, quomodo fuerit per legem maior quædam pernicies hominibus, a Diuina gratia nudatis, inuecta. Non poſſum, inquit, vllo modo legi Diuinæ ſubdi, quamdiu abeſt a me gratiæ Diuinæ præſidium. Cur ita, quæſo? Quia rapit me cupiditas, tyrannideq. ſua ita conſtringit, vt non poſsim vllo modo, per me, illius vinculis expediri. Ergo, neceſſe eſt, vt carnis impuritatem ſequar, vt furore illius exagiter, vt me omni flagitio, atque ſcelere, contaminem. Lex autem Diuina, ad mentis lumen, ad animi coutinentiam, ad ſauctitatem vitæ, dirigitur. quæ omnia pugnant cum cæcitate, cum flagitio, cum improbitate carnis, cui iam ſum viliſsimo pretio addictus. Prius igitur neceſſe eſt imperinm in me ipſius carnis exſcindi, quam ego me poſsim ad ſtudium ipſius legis applicare. Snm enim tæterrima, atque maxime deteſtanda, ſeruitute conſtrictus. Seruitutis vero magnitudinem explicat, cum dicit, ſe compelli facere ea, quæ non probat, quæ nefaria iudicat, quæ iudicio mentis exſecratur. Si enim ſeruitus eſt, alieno arbitratu viuere; certe conſtat, non aliam ſeruitutem appellandam, quam nefariæ cupiditatis obſequium. Numquam enim ſic mentis noſtræ natnra flagitijs obruitur, vt non indoles illius appareat. Ergo & honeſtatem appetit; & turpitudinem odit; & Diuinæ vitæ ſimilitudinem concupiſcit; & flagitiorum omnium colluuiem tætram, & impiam, ſeq. minime dignam, iudicat. Cum igitur libidini miniſtrat, non tunc mens noſtra, quod ipſa vult, facit, ſed, quod ſibi a libidine imperatum eſt, inuita quodam modo, atque recuſans, exſequitnr. Porro autem, cum non ſimplex ſit naturæ vitiatæ cupiditas, ſed multiplex, & infinita; conſequens eſt, vt animus, cupiditatis imperio conſtrictus, in multas partes diſtrahatur, atque crudeliſsime laceretur. Hinc enim eum libido carpit; inde rapit auaritia: hinc ambitio ſollicitat; inde formido concutit: &, ne plura perſequar, aliæ ex alijs partibus cupiditates inuadunt, quæ illam dilauient, atque acerbiſsimo cruciatu conficiant. Numquam igitur, quod vult, efficit; ſed ſub turpitudinis ipſius nutu degit, atque flagitio ſeſe impuriſsime ſubmittit. Quo quid fieri poteſt miſerius? Mentis naturam, ad Dei ſimilitudinem informatam, ad imperium natam, ad Diuinam gloriam factam, tantum ſe abieciſſe, vt ipſi flagitio, dedecori, & turpitudini, miniſtret, fiatq. viliſsimum ipſius peccati mancipium? Nec enim ipſa temeritatem coercet; ſed temeritate, & amentia, ducitur; nec motus animi regit, ſed tempeſtate immoderata iactatur; nec animos denique gubernat, ſed, a gubernaculis deiecta, furorem, & amentiam, ſequi compellitur. Sic igitur fit, vt acerbiſsimas pœnas luat. Quamuis enim breuiſsimo temporis ſpatio, futili aliqua voluptate, deliqueſcat, vbi tamen furibundus ille motus effluit, qui judicium impediebat, qno minus dedecus, & turpitudinem ſuam, animaduerteret, flagitij conſcientia torquetur, & aſsiduo augoris cruciatu conficitur. Sic igitur breuiſsimi, atque fallaciſsimi, gandij vſuram perpetua quædam moleſtia, & ægritudo, conſequitur. Videt enim homo, magnum eſſe in peccato dedecns, magnumq. flagitium. Cernit etiam, ſcelus eſſe morte, & cruciatu, digniſsimum; & tamen, dominatu cupiditatis, in peſtem ante oculos poſitam ruit. Ea igitur de cauſſa, poſt admiſſum ſcelus, & dedecus ſuum, ſæpenumero lameutatur, & metu etiam contremiſcit.

Quo modo igitur, inquit, quod enim operor, non intelligo? Si enim nocens homo non intelligit, quid agit, cum peccat, neque peccati culpam ſuſtinebit, ne-

que postea peccati recordatione cruciabitur. Omnis enim ille conscientiæ cruciatus intelligentia Diuini iuris efficitur. Ideo enim dolet, & angitur, quod intelligit sese dedecus admisisse morte dignissimum. Recte sane. Verumtamen eo tempore, quo peccant, homines, minime vident. Cupiditatis enim magnitudine perturbati, iudicium suum seruare non possunt. Eripit enim meutem libido; metus etiam animum a statu detorquet; & reliquæ perturbationes, aut blanditijs iudicium corrumpunt; aut potentia rescindunt; vt nequeat tunc ad illum punctum temporis quisquam recte de rebus expetendis, & fugiendis, statuere. Exsistit enim repente quidam æstus, atque caligo, quæ mentem in exitium præcipitat. Nec enim runc sequuntur homines, quod rectum, & salutare, iudicabãt, sed quod cupiditas, tamquam iucundum, fallacissime proponit. Vnde illud, Video meliora, proboque, deteriora sequor. In eandem igitur sententiam Paulus, interposita flagitiosi hominis persona, dicit, Nescio quo modo tũc me cupiditas instigat, & animo meo tætra quædam nox offunditur, quæ officij sensum eripit, meq. a pristino meo iudicio deducit, vt tunc ea faciam, non quæ recta, & honesta, iudicabam, sed quæ tætra, & impura, odioq. digna, censebam.

Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.

Ipse, inquit, scelestus, & impurus, omniq. flagitio contaminatus, cum in me nefarium facinus admisi, ipsi Diuinæ legi, honestatis, atque sanctitatis, testimonium do. Me namque mei ipsius pudet, mihiq. ipsi displiceo, meoq. dedecore conturbor; neque solum oculos hominum vitare, sed meam ipsius conscientiam effugere, cupio. Si igitur tantum dedecus esse statuo in ipsius legis transgressione, si tam ignominiosum existimo flagitium, quod est Diuinæ legi contrarium; certe legem ipsam decerno totius honestatis, atque sanctitatis, disciplinam continere. Cur igitur mecum ipse discordo? cur in ea sententia non permaneo? Quia sum quodam modo libertate spoliatus. Carnalis enim sum, hoc est in cupiditatis impuræ dominatu constitutus. Nec enim hoc, quod facio, mea sponte, hoc est secundum mentis meæ naturam, facio. Sed peccatum, cui seruio, mihi legem durissimam imponit, vt mihi ipsi dedecus inuram; mihi pestem, & exitium, comparem; meque, fallacissima voluptatis imagine delusum, in sempiternum cruciatum dedam. Nihil inest enim in carne mea (hoc est in corporis cupiditate, cum recta ratione non comprimitur) honestum, nihil præclarum, nihil expetendum; sed omne, quod in se continet, est fœdum, turpe, flagitiosum, atque mortiferum. Ab illa igitur omne malum meum nascitur; illa mihi insidias tendit; illa mihi perniciem infert. Illi igitur, non naturæ mentis meæ, est id, quod impure committo, tribuendum. Id enim facio, quod amor impurus, quod tætrum odium, quod iracundia, quod ambitio, quod denique cupiditas, atque libido, me facere compellit. Vnde colligitur, quam miseranda seruitute oppressi sint, qui nondum sunt, Dei gratia, in libertatem vindicati. Ea enim sunt oppressi tyrannide, quam neque ratio, neque disciplina, nec lex quidem ipsa, delere potuit. Sed, inquies, id neque cupiditatis immanitate, neque naturæ imbecillitate, sed ignauia tantum cuiusque, accidere. Nam, si voluissent homines naturæ vires excitare, seseq. ad disciplinam legis instituere, facile potuissent libidinis immanitati resistere. Ne id igitur dici posset, adiungit:

Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Inuenio igitur, legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.

Hinc cerni, inquit, potest, quantum mihi malum insideat. Nam, cum, & ratione, atque lege, institutus, volo, decerno, & statuo, præclarum aliquod opus moliri, nullum exitum inuenio. Confestim enim in me cupiditas incurrit, totumq. a studio honestatis auertit, atque ad sui obsequium traducit. Sic igitur euenit, vt non, quod præclarum existimabam, quod exsequi cupiebam, ad quod etiam perficiendum conatum animi conferebam, efficerem; sed id, ad quod me nefaria cupiditas incitaret, patrarem. Maius igitur malum est, quam vt ei humana ratione possit obsisti. Quod, multo etiam magis, cum me ad studium legis adiunxi, verum esse, cognoui. Cum enim legis sanctitas mihi admirãda videretur, tum, metu etiã supplicij perculsus, ad illius me studium contuli; atque ita rationem comparaui, vt omnem vitam ad legis ipsius normam dirigerem. Sed ipsa cupiditas impetu suo me perculit, & abiecit; atq. ab omni legis studio retractum sibi parere coegit. Nihil igitur aliud mihi lex ipsa præstitit,

tit, quam vt clarius intelligerem, esse inuictum malum id, quod mihi inhæret, nisi Deus illud præsenti ope discutiat. Inueni igitur, per legem, nullum eam alium fructum mihi attulisse, præter grauissimam mali pestiferi, quod mihi perpetuo insidet, intelligentiam.

Condelector enim lege Dei secũdum interiorem hominem.

Homo interior, vt iam superius admonuimus, est ipsa mens, & ratio, ad Diuinam expressa naturam, cuius indoles ad honestatem tanta est, vt numquam possit omnino scelerum omnium colluuione restingui. Quamuis enim sit homo tæter, & impurus, omniq. scelere contaminatus, mente tamen iudicat, nihil esse virtutis adspectu iucundius. Ob id igitur, scelus suum, quantum potest, occultat, virtutemq. simulat, atque officij sanctitatem ementitur. Quod certe numquam effecisset, nisi singularem dignitatem in virtute positam existimasset. Ergo improbos etiam honestas, specie, & natura, sua, commouet, &, cum per inuidiam licet, aliquando etiam delectat. Cum ergo Diuina lex omnem decoris, & honestatis, excellentiam descriptione contineat, fieri nequit, quin impuri etiam homines eam sæpenumero comprobent, illiusq. sapientia, atque pulchritudine, capiantur. Mirifice enim cum mentis humanæ iudicio legis illius scriptæ ratio consentit. Vtraque enim est Diuina lex. Illa quidem, a primordio humani generis, hominum mentibus inscripta; hæc, post longissimi temporis ætatem, lapideis tabulis incisa. Omnis autem studiorum, & rationum, consensio voluptatem necessario efficit. Non potest igitur mentis humanæ iudicium non interdum legis Diuinæ ratione delectari. Sed hoc intelligendum est; cum tanta sit honestatis species, & amplitudo, vt impuros etiam homines commoueat, in eamq. intuentes voluptate quadam afficiat, non esse conferendam eam voluptatem cum ea, quam casti, & integri, homines, ex ipsius verissimæ virtutis specie, atque iucunditate, percipiunt. Hæc enim naturæ voluptas est impedita tenebris, corrupta flagitijs, inquinata dedecore, & cum sceleris dolore, & inuidiæ tabe, coniuncta. Illa vero est pura, & liquida, Diuiniq. spiritus admirabili suauitate referta. Hoc tamen aduertendum est, quod Paulus, vt magis legis, atque rationis, imbecillitatem exaggeret, exponit. Cupio, inquit, natura admonitus, lege vitam dirigere: ratio mea cum illius sensu congruit; ex quo fit, vt studio legis oblecter. Et tamen nullo modo eam legem, cuius sapientiam admiror, cuius sanctitatem laudo, cuius specie delector, obseruare possum. Caussam autem huius tantæ imbecillitatis adiungit:

Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Subijcit oculis, & in conspectu ponit, certissimum ruinæ, atque exitij, periculum. Lex membrorum, est illud importunum insitæ cupiditatis imperium, quod contra rationis statum inexpiabile bellum gerit. Lex autem peccati, est tyrannis illa peccati, qua opprimimur, postquam, victi cupiditate, flagitio, & impuritati, succumbimus. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. In prima illa membrorum lege, nempe, in prima congressione cupiditatis, ad flagitia sollicitantis, mitam contentionem certnimus. Repugnat enim a principio ratio, atque conatum ad obsistendum natura comparat. Sed non diu resistit. Nec enim vires habet, quibus immanem illum impetum cupiditatis reprimat. Postquam vero cedit flagitio, & a lege peccati constringitur, tum denique totam se tradit peccati ipsius imperio, ita tamen, vt, molestia, & acerbitate, naturæ suæ, indolem peccato contrariam esse doceat. Lex igitur membrorum pugnat, vt rationem peccato subijciat. Lex autem peccati, quæ etiam in membris est, operis subactæ iam omnino rationis abutitur. Paulus igitur, vt hanc acerbitatem luculentius explanet, Cerno, inquit, armatam cupiditatem; prospicio bellum dirissimum contra statum meæ mentis excitatum; ancipitis prœlij euentum reformido; miserum, & funestum, exitum perhorresco. Hoc igitur primum belli apparatu conturbor. Deinde, cum ad pugnam ventum est, sentio me prima impressione prosterni, atque captum alligari, & in peccati seruitutem abduci.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Corpus, vt iam non semel diximus, est, cuiuslibet rei vis, robur, atque firmamentum. Mors autem, pro clade, atque communi plaga, ponitur. Quale est illud, quod est in Exodo: Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat a me mortem hanc. Corpus igitur mortis, hic, non est corpus humanum morti obnoxium, vt quidam vertit, sed tæterrimæ pestis vis, atque cladis mortiferæ magnitudo, quæ nobis a feritate cupiditatis impendet. Cũ igitur Paulus elegãtissime miseriam illam hominis cupiditatis viribus oppressi descripsisset, & seruitutis illius miserrimæ rationem oculis subiecisset; vt magis ma-

gnitndinem cladis explicaret, sub persona hominis, ope Diuina destituti, atque tantis vndiq. malis circumuenti, exclamat: O me infelicem, & ærumuosum; quo modo potero tantam vim pestiferæ cladis arcere? Video, hostes immanes, bellum crudele, & exitiosum, moliri. Video, me, in pugna, cōcisum, & captum, alligari, atque tæterrimis dominis in miserrimam seruitutem addici. Num fugiam? At, hostes inclusos iu corpore meo gesto, qui me pœnis acerbissimis, quocumque me confero, persequun: ur. Num rationis opes excitabo, quibus eorum immanitatem coerceam? At, quam parum ea per se possit, animaduerto, cum eam vexatam, & direptam, & spoliatam, importuuitate cupiditatis adspicio. Num ad Diuinæ legis opem confugiam? Sed tantum abest, vt ea, per se, mihi posset opitulari, vt, postquam illam accepi, peccatum in me violentius irruerit, & ego maioribus ruinis oppressus sim. Vnum igitur remedium est, vt, omnibus opibus, siue naturæ, siue legis, omnino diffidēs, me totum Deo committam, illius auxilium implorem, illi meam salutem credam, in illo cuncta vitæ, atque dignitatis, præsidia constituam, qui solus me potest e tantis malis eripere. Illius enim pręsidio cinctus, illiusq. ope defensus, numquam male pugnabo, sed de omnibus hostibus meis clarissimū triumphum ducam. Ille namque, vt ait Dauid, est robur meum, scutum meum, arx munitissima vitæ meæ, firmissimum salutis, atque dignitatis, meæ præsidium. Præcinxisti, inquit, me virtute ad bellum, & strauisti insurgeutes in me sub me. Quamuis igitur omnibus periculis vndique cinctus sim, summisq. immanissimorum hostium machinis oppugner; cum tamen ad vnius Dei gratiam fide confugio, Christi auxilio confirmatus, omnes copias fundo, clarissimamq. de cunctis hostibus victoriam adipiscor. Qui igitur eram ante legem miser; post legem miserrimus; nunc, lege solutus, Christiq. præsidio corroboratus florens, atque beatus, sum existimandus. Huius felicitatis vim, vt magis explicaret, in Dei laudes prorumpit.

Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Græci habent, Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, quod idem omnino valet. Significat enim hæc gratiarum actio, se fuisse, Dei gratia, per fidem, a Christo, ex illo corpore mortis ereptum, atque in arce tutissima locatum.

Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem, legi peccati.

Colligit ex hac disputatione, esse in nobis duplicem naturæ sensum; alterum, decoris, & honestatis, cum lege Diuina congrnentem; alterum, flagitij, atque turpitudinis, cum lege peccati consentientem: illum, ad hominem interiorem, id est, ad mentis naturam, esse referendum; hunc autem, ad exteriorem, hoc est, ad inconsideratam corporis naturam, & cupiditatem, reuocandum. Inde igitur illud bellum, inter corpus, atque mentem, assidue concitatum. Caro enim, inquit alibi, concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem. Animus igitur noster nunc mentis naturam sequitur, nunc corporis cupiditati subijcitur. Cum rectam rationem sequitur, legi Diuinæ paret; cum se corpori subdit, lege peccati deuincitur. Sic fit, vt aut beatus sit, aut miser omnino: quod quidem simul fieri nulla ratione potest. Aut enim mentis imperio, in animo rectissime constituto, corpus ipsius rationis imperio subijcitur, omniaq. tunc lege, & ordine, continentur, atque Diuina quadā moderatione reguntur; aut mens ipsa, victa dominatu cupiditatis, opprimitur, & corpori seruit, & libidini ministrat, & tunc ipsa temeritas in animo dominatur. Cum mens imperat, omnemq. hominis naturā gubernat, tunc est animus liber, & florens, atque beatus, omnibusq. bonis opulentus. Est enim Dei lege constitutus. Cum vero corpus animum seruire sibi compellit, tunc victrix exsultat improbitas; omniaq. temere commiscentur, atque perturbantur; ipsaq. mens, robore antiquo fere, & dignitate, spoliata, tyrannide peccati constringitur. Omnis igitur animi felicitas est in recto mentis, atque rationis, imperio constituta. Sed, cum ratio non possit vllo modo contra cupiditatis immanitatem regnum tueri, necesse est, vt in Dei mentem respiciat, & opem illius imploret, præsidioq. illius innitatur, atque, vt vno verbo dicam, fide gratiā illius obtineat. Sic igitur erit ab omni calamitate defensa; quemadmodum sequens sententia declarat. Par enim est, vt, postquam vidimus, in quanta miseria versarentur homines, qui legem non acceperant, & quantis difficultatibus impliciti fuerint, qui legis ostentatione tumebant, videamus nnnc explicatius, quam beati sint, qui gratia Diuina firmati, & stabiliti sunt. Inquit igitur:

CAP. VIII.



Ihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sūt in Christo Iesu: qui non secundū carnem ambulant.

Cum Dei numen sit omnibus impijs, atque sceleratis, infensum; (effunditur enim ira de cælo in omnem impietatem, & iniustitiam, hominum,

num,

num,qui veritatem Dei in iniustitia detinēt) cum omnes, qui naturæ præsidijs efferebantur,fuerint amentes, & scelerati; cum etiam ij, qui fuerunt ad pietatem institutis Diuinis eruditi,fuerint omniū mortalium scelestissimi;relinquitur,eos solos fore a pœna Diuina tutos, qui fidem rite coluerint, vitæq. præsidium non in se, non in legis piaculis, sed in Dei clementia,collocauerint. Ij namque omnes, Christi meritis, atque virtute, liberati sunt. Is enim peccatum sustulit; mortem extinxit;legem antiquauit;metum omnem grauioris cladis abstersit. Quid enim metuas, cum nullum supplicium impendeat? Quod autem potest impendere supplicium, cum iam lex nulla sit,quæ pœna nocentes afficiat? Quæ autem lex esse potest, quæ vlciscatur pœna flagitium, cum iam omnia flagitia deleta sint? Lex enim non est imposita iusto, sed iniustis. Exstincta igitur, atque deleta, iniustitia, lex exstinguatur necesse est. Sic igitur opus est, omnem metū damnationis expelli. Ergo,cum reliqui mortales sint serui cupiditatis, ministri libidinis,mancipia dedecoris, acerbitati mortis, sempiternisq. pœnis, obnoxij, soli, quos Christus sanguine suo lauit, & ex impuris sanctos effecit,& secum Diuinorum munerum societate coniunxit, liberi sunt,soli beati,soli bonis Diuinis affluentes. Qui sunt igitur ij tam beati? Num omnes,qui semel sanctissimis sacris expiati sunt, Christiq. fidem, atque disciplinam,oratione profitentur? Minime,inquit. Est namque necesse, vt cum eorum etiam oratione vita consentiat. Qui,inquit,ambulant,non secundum carnem,sed secundum spiritum. Ambulare,in sanctis litteris,est, vitam instituere, & ad finem certum dirigere. Vnde illud,Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ambulare igitur secundum spiritum,est,Diuinum imperiū sequi, omnemq. vitam in sanctis actionibus consumere. Ambulare autem secundum carnem,est, cupiditati obedire, carnisq. flagitia consectari. Paulus igitur,vt clarius explicet, qui sint illi, qui ad Christum pertineant, ait, eos esse,qui se ad Spiritus sancti ductum, & imperium,applicant;qui non cupiditate corporis, sed Diuina mente, omnia metiuntur; qui denique, ex præscripto Diuini numinis, omnem vitam instituunt.Qui enim semel nomen Christo dedit,fidemq. prodidit, & ad hostes illius, nempe ad libidinem, & impuritatem,transfugit,non Christi minister,sed hostis,habendus est. Non poterit igitur, quamdiu in flagitio est,sibi impunitatem polliceri. Quo modo autem ij,qui sunt Christi, sint metu soluti,consequenter exponit:

Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis.

In eadem loquendi figura commoratur,vt, sub persona sua, de genere vniuerso disserat. Lex spiritus vitæ, est illud summum iustitiæ munus, atque beneficium, apud animos fidelium,Spiritus sancti gratia,collocatum; quo munere viuimus, atque vigemus, Diuinisq. viribus excitamur, & ad omne cælestis virtutis genus instruimur. Continet enim Diuinæ moderationis ordinem, animi constantiam, & grauitatem,vitæ regulam,morum disciplinam,officij legem,a flagitijs omnibus efficaciter auocantem, & ad omnia pietatis,& caritatis, studia mirabiliter inflammantem. Vt autem omnia vno verbo comprehendam, Lex spiritus vitæ, est ipsa lex Diuina, mentibus humanis,opera sancti Spiritus, impressa, & insculpta, non mentem tantum erudiens, sed etiam voluntatem sui studio incendens; ita, vt hominis voluntas sit cum humana mente, summa quadam, atque Diuina, consensione,conspirans. Cum autem lex esset litteris tantum incisa,Lex spiritus appellari poterat. Fuerat enim Dei digito, hoc est spiritus Diuini munere, in tabulis lapideis exarata,ad humani spiritus disciplinam. Lex tamen vitæ appellari non poterat. Quamuis enim mens hominis legem acciperet, cum tamen voluntas esset cupiditati corporis addicta, & a studio Diuinæ legis auersa, mentem ad se rapiebat, atque disciplinam legis, totumq. mentis statum,nefarie conuellebat. Ergo tunc lex non salutem dabat, sed metum mortis incutiebat. Iccirco Paulus eam alibi mortis administrationem appellat. At, cum non libris,sed animis, Diuinitus incisa continetur, totumq. animum moderatione sua deuincit,tum demum sanat animum,mentem illuminat,voluntatem inflammat,totumq. hominis statum admirabili splendore lætificat. Tunc igitur Lex spiritus vitæ potest appellari. Quinque autem genera legum sunt,in quibus hæc Pauli disputatio versatur. Prima quidem, vt temporis rationem sequamur, est mētis lex,quæ quidem est mens,& ratio,prudentis,apta ad Diuinæ legis rationem, honesta præscribens, & prohibens cōtraria, quam Naturæ legem appellant. Huic contraria est tyrannica membrorum lex, peccati tributum imperans, quæ,cum ad se hominis voluntatem raperet,erat impedimento,quo minus ad mentis legem possent officia perpendi. Hanc porro membrorum legem lex peccati subsecuta est. Quamuis enim libido sensibus faces admoueat, non tamen peccatum imperium habet in nobis, ante quam ratio victa succumbat. Postquam vero peccato cedimus, tum leges illius accipimus, atque, ad idem flagitium sæpius iterandum, ipsius immanitate, compellimur, & in tantum errorem rapimur, vt nequeamus vera, recta, simplicia, contueri. Huic malo subuenit scripta lex. Errorem enim sustulit; salutis viam aperuit; quantum esset in scelere ma

li,demonstrauit. Sed, cum ea mentem sanare non posset,nullam nobis opem attulit,sed tantum grauitatem mali,ex quo nos eximere nõ potuit,indicauit. Accesit postremo lex spiritus vitæ, nempe Spiritus sancti gratia, & lex Diuina,atque sempiterna, nõ chartis,sed animis,inscripta per fidem,summa totius animi voluntate, & studio, comprobata, atque (vt vno verbo dicam) iustitia vera, Diuinis opibus egregie cumulata,Christi meritis, atque virtute,per fidem, concessa. Hæc cupiditatis immanitatem compresit; hæc peccati tyrannidem excidit; hæc rationis errorem detraxit; hæc legis infirmitatem depulit: hæc igitur sola potuit salutem generis humani constituere. Vitia namque radicitus exstirpauit; mentem illustrauit;animos ægros sanauit; vires hominum confirmauit;eosque, humi defixos, ad cæli conspectum excitauit; & studio Diuinitatis inflammauit. Qnod igitur viuo, quod cælesti luce fruor,quod valeo,quod opibus abundo,quod dignitatem retinco,non naturæ,non legi,sed huic Spiritus sancti gratiæ, Diuinoq. iustitiæ muneri,est in acceptis referendum. Hoc enim præstitit hæc lex spiritus vitæ,quod scripta lex præstare nullo modo poterat. Quare autem non posset,exponit:

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne,vt iustificatio legis impleretut in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

Legem infirmatam fuisse per carnem, dicit;quia caro, qnam Legem membrorum appellat,erat impedimento,quo minus lex Diuina exitu præstaret, quod sibi proposuerat. Hoc enim erat illi propositum,vt homines castos, & sanctos, efficeret. Tantus erat autem carnis, boc est, impuræ cupiditatis, in homine dominatus,vt nemo,per se, posset legi obedire. Violenter enim abstrahebat cupiditas omnes mortales a Diuinæ legis studio. Nullo igitur modo poterat lex ad finem sibi propositum peruenire, ante quam esset cupiditas elisa, neruiq. illius incisi. Hoc autem humanis viribus fieri nullo modo poterat. Erat igitur legi,nisi Deus singularem præsentis numinis opem attulisset,perfectione sua carẽdum. Ob id igitur misit Deus in terras filiũ suum, vt,in specie carnis peccati delitescens,carnis imperium exscinderet, & peccati tyrãnidem euerteret, vt sic tandem iustitia, in quam lex ipsa respicicbat,in nobis posset absolui:quẽadmodum fuerat ab ipso Deo prædictum per Ieremiam,Dabo,inquit,legem meam in visceribus eorum; & in corde eorum scribam eam. Item alibi, Timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant a me. Similiter apud Ezechielem, Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri,& auferã cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam,vt in præceptis meis ambuletis,& iudicia mea custodiatis, & operemini. Quod autem,opera Christi,esset humanum genus ad iustitiæ perfectionem peruenturum,demonstrat alibi,dicens,Et seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum,& in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & faciẽt ea. Hæc autem, quam futuram Christi opera prænuntiauit Ezechiel, est illa perfectio legis, quam lex intuebatur. Non enim auditores, sed factores legis, iusti sunt apud Deum, vt Pauli verbis vtar. Ergo,cum legi nemo, per se,posset obedire, propter carnis violentiam; hanc autem violentiam Christus virtute sua compresit;legis perfectio,quæ in hac spiritali,atque vitali, lege consistit, quam a Christo accepimus, ad Christi numen reuocanda est. Is enim effecit, vt, quod erat lege sanctum, quod quidem ad veræ iustitiæ rationem faciebat,possemus efficere. Non est igitur hæc perfectio legis in nobis, nec in ipsa quidem lege, sed in Christi gratia,ponenda. Hoc tamen intelligendum est,nullam fore nobis cum Christo coniunctionem,absque hac legis perfectione, quæ quidem est obedientia fidei. Si enim non ambulauerimus secundum spiritnm,omniaq. officia nostra ad legis illius Diuinæ, atque sempiternæ, studium contulerimus, non poterimus fructum illum amplissimum, atque omnium maxime expetendum, ex Christo percipere. Sensus igitur Pauli hic est: Cum salutem nemo consequi posset absque iustitia; iustitia vero consisteret in legis cultu, secũdum eam rationem, qua mores hominum componebat, & homines hominibus deuinciebat, & animos ad studium veræ religionis excitabat;legem autem nemo posit obseruare,quamdiu in nobis cupiditas regnat;regnũ autem cupiditatis nullis opibus humanis euerti posit; fuit opus, Dei singulari præsidlo, quo posset lex finem suum consequi, atque promissa conficere. Misit ergo Deus filium suum, vt peccatum euerteret, vt, illius impedimento sublato, nos legi obseqnentes, atque,ita, sanctos, efficcret. Duo tamen hoc in loco consideranda sunt. Primum,quæ sit illa peccati similitudo,quæ fuit in Christo;deinde,quid est illud,quod Paulus ait,De peccato damnauit peccatum. Quod autem ad primũ attinet,satis constat, omnem laborem, & dolorem,metum,angorem, sollicitudinem,& reliquos morbos animorum, a peccato profectos esse. Peccatum enim florentem statum hominis afflixit; & mortem, & reliqua mala, quæ mortalem condicionem necessario consecuta sunt,in res humanas inuexit. Quoties

igitur

igitur naturæ imbecillitatem, & miseros huius vitæ casus,& varias ægritudines,quæ lacerant animos, cogitatione complectimur, roties opus est peccati nobis in mentem veniar, per quod in hæc tam multa incommoda deducti sumus.Christi vero corpus nullis peccati sordibus oblini potuit. Opera enim Spiritus sancti,in sanctæ virginis vtero,ab ipso auctore,& architectore,sanctitatis, assumptum fuit.Vt tamen peccata deleret,pœnas peccato debitas pro nobis sponte sua subiuit. Nam fame,siti,labore,defatigatione,conficivoluit; humanæq. naturæ imbecillitatem suspirio,gemitu,& lacrymis,indicauit; metuq. etiam ap propinquantis mortis affectus,sanguine stillauit, atque mortis atrocitatem cum intolerabili cruciatu perpessus est. Itaque his pœnis expressit, corpore suo,similitudinem carnis peccati,id est peccato contaminatæ, cum esset purissimus,atque sanctissimus,vt,pœnas, quibus erat indignus, subeundo,nos a pœnis, quibus valde digni eramus, eximeret. Vere, inquit Isaias,languores nostros ipse tulit,dolores nostros ipse portauit. Hæc est autem similitudo carnis peccati,sub qua Christus peccatum euertit. Nunc videndum est,quo modo peccatum de peccato damnauit.Peccati verbum, apud Paulum sæpenumero designat illam humanæ naturæ prauitatem, & corruptellam,atque libidinem, quam etiam Carnē, & Membrorum legem, nominat. In illam vero, cum Dei legem omni crimine liberaret, omnem humanæ miseriæ caussam contulit. Hoc peccatum, vt in eo loco vidimus, peccabat, ante quam esset lex vlla scripta, hoc est, homines in scelus instigabat; post vero legem multo scelestius peccauit,vt fiat,inquit,supra modum peccans peccatum per præceptum. Paulus igitur vsitata loquendi forma,qua rebus,mente, & ratione, carentibus, rationem affingimus, quemadmodum paullo ante contra peccatum illud accusationem instituit, quod improbissime peccaret; ita nunc, seuero Christi iudicio, peccatum peccati damnatum esse confirmat.Id est,propter peccatum, quod ex se gignebat, fuisse compressum, regnumq. illius exstinctum, ne postea ex se posset in illis, quos Christus in fidem suam recepit,peccatum, atque scelus, vllum conflare. Peccati igitur in nobis vi repressa, regnoq. illius euerso,facile poterit iustitiæ munus absolui,nisi rursus, abiecta Christi gratia,carnē amplectamur. Nec enim possumus carnem sequi,quin a Christo repente disiungamur. Rationem autem huius dissidij Paulus assignat:

Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt. qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus,sentiunt.

Vt horum verborum sensum facilius assequamur,est vis Græci sermonis, quo hic Paulus vtitur, breuiter explananda: οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσι. οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος. Est trāslatio,sumpta ab hostili dissensione,in qua,bello aliquo concitato, alij aliorum factionem sequuntur.Pertinet enim sæpenumero hæc vox φρόνημα ad significandam pattium contentionem,atque cōcitatum armorum studium:veluti, si dicas: κορίνθιοι τὰ τῶν λακεδαιμονίων ἐφρόνουν; idest, Corinthij Lacedæmonijs studebant; nēpe,vt cum illis bellum contra illorum hostes susciperent. Vt igitur Paulus admoneat, tantam esse, inter carnem, & spiritum, dissensionem, vt nihil possit inter vtramque factionem conuenire, nobisq. medijs esse nullo pacto licere, ait, Qui secūdum carnē sunt,quæ carnis sunt, sapiunt; hoc est, carni studēt, carnis militiam sequuntur,pro carne pugnam impigre capessunt.Sic etiam,qui spiritui dediti sunt,pro spiritu omne certamen suscipiūt. Sic igitur erit necesse, vt vel sub carnis militia spiritum oppugnemus, vel armis ipsius spiritus carnem exstinguamus. In vtrisque enim castris simul esse non licet. Quanta namque dissensio sit inter carnem,atque spiritum,id,quod sequitur, facile declarat:

Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax.

Perstar in eadem metaphora. Hæc enim vox φρόνημα, qua Paulus vtitur hoc in loco, pro qua interpres Prudentiæ nomen reddidit,est armorum studium,atque partium sensus, ad certamen ineundum acriter incitatus. Non satis autem habuit, dicere, sensum, & studium carnis esse mortiferum;sed,vt magis illius furorem explicaret, illud Mortem appellauit.Eadem autem ratione spiritus studium Vitam nominat. Quid autem tam distans,quam a morte vita?Cum igitur caro cæco impetu in mortem ruat,spiritus autem ad immortalem,atque beatam,vitam perducat; non ne liquido perspicitur,eos,qui carnem sequuntur,esse spiritus hostes, bellumq. dirissimum cum Christi mente suscipere?

Quoniam sapientia carnis, inimica est Deo.

Idem omnino verbum φρόνημα, quod ante Prudentiam nominauit interpres, nunc Sapientiam appellat: quod est ad eandem verbi Græci vim,& sententiam,referendum. Vbi vero nos habemus, Inimica est Deo,est apud Græcos, Ἔχθρα, hoc est, Odium in Deum. Est enim amplificatio, a Paulo frequenter vsitata; veluti, cum scelestū hominē Scelus ipsum appellamus. Parum enim Paulo visum est,dicere, Carnis studium esse Deo contrarium. Sed, vt magis explanaret, quantum caro a Dei mente dissideret, leniore verbo minime conten-

contentus, Carnis sensum esse odium in Deũ asserit. Cum igitur Deus sit vitæ fons, vnde animum hausimus, & cuius numine sustentamur; atque adeo sit ipsa vita; & carni cũ Deo tantum bellum sit; rectissime dictum est, carnis studium esse odium in Deum; quemadmodum paullo ante dixerat, mortem esse. A vera enim vita diuellit. Nec enim illa mors horribilis est, quæ corpus exstinguit, sed quæ animum, abscessu Diuinę mentis, interimit. Odij autem caussam aperit:

Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.

Qui poterit enim subdi sapientiæ temeritas, honestati flagitium, vitæ beatæ splendori mortis execrandæ caligo?

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Rationẽ iam aperte vidimus. Non possunt enim Dei gratiam retinere, qui sunt cum hostibus illius consociati.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.

Romanos laude permulcet, vt alacriores, & ardentiores, efficiat; ita tamen laudat, vt interim admoneat, opus esse constantia, ne munus Diuinum ex animis elabatur. Nec enim satis est, Christi spiritum mentis hospitio recipere; sed opera danda est, ne is a nobis demigret. In eo est igitur omni studio elaborandum, vt is in nobis stabilem sibi, atque sempiternum, domicilium, & sedem, constituat.

Si quis autem Christi Spiritum non habet: hic non est eius.

Quia dixerat, nihil esse damnationis illius subeundum, qui Christi sunt; ne quiuis temere statueret, hoc gratiæ Diuinæ beneficium sibi conferendum, quamuis in flagitio volutaretur; multis verbis eos, qui sunt Christi, describit. Qui non, inquit, secũdum carnem ambulant, sed secundum spiritum, qui carnem odio persequuntur, qui sub spiritu militant, qui denique spiritum ipsum intra mentem retinent, nec illum a se fœdis factis eijciunt. Vt autem olim circumcisio erat nota gentis Hebrææ, ita spiritus Christi nunc est Christianæ nationis insigne. Nihil autem inest in spiritu Christi furiosum, nihil turbulentum, nihil insolenter elatum, & inflatum; nihil denique ordini vitæ contrarium, atque moribus perniciosum. Est enim spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, & consilij, & fortitudinis, & scientiæ, & pietatis, & religionis. Omnia igitur in illo sunt plena dignitatis; moderationis, ordinis, Diuina virtute, & consilio, munita, cum Diuini numinis metu, & reuerentia; singulariq. caritatis, atque sanctitatis, studio coniuncta. Ergo, qui peruersam opinionem de Dei numine, atque mente, concipiũt; qui nullas leges sanctas habent; qui societatẽ humanam intemperantia sua peruertunt; qui denique se flagitio, & impuritate, contaminant; quamuis se Christianos esse dicant, nullo modo in Christi amicis, sed in hostibus, habendi sunt. Spiritum enim Christi non habent. Carebunt igitur illo Diuino fructu, qui ex Diuino spiritu percipitur. Qui quidem duplex est. Primus est, iustitiæ splendor, mentis lumen, animi vita, spiritusq. ipsius iucunditas, qua in hac vita homines, cum Christo coniuncti, perfruuntur. Alter, illa Diuina gloria, sempiternaq. bonorum omnium affluentia, quæ animi, & corporis etiam, futura claritate continetur. Quod igitur ad primum attinet, ait:

Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero viuit propter iustificationem.

Non dixit, Corpus est mortale, & caducũ, propter labem peccati, vobis ingeneratam; sed, vt magis ostenderet, quam esset corporis studium, præ cultu animi, contemnendum, dicit, corpus esse pro mortuo reputandum. Neque solum dixit, spiritum viuere propter iustitiam; sed, spiritum iusti hominis Vitam appellat, vt clarius illius vitæ vim, quam Christus suis suppeditat, explanet. Sic enim est apud Gręcos: τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. Eadem est omnino sententia, sed apud Græcos illustrior amplificatio. Hæc tamen ratio non integram voluptatem afferebat. Fieri enim natura non patitur, vt corpora nostra minime diligamus; sed ea integra, atque salua, esse velimus. Cum igitur Paulus ita de spiritus vita dissereret, vt corporis breui morituri mentionem faceret; necesse erat, voluptatem illam mæstitia quadã; aliqua ex parte, corrumpi. Hanc igitur humanæ naturæ mæstitiam depellit oratione Paulus, docens, corpus non esse prorsus a vita deserendum; sed, cum admirabili quadam gloria, & claritate, spiritus ipsius numine, suscitandum.

Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Non vos, inquit, vlla mortis mentio conturbet;

turbet;Diuini ſiquidem ſpiritus muuus,& officium, eſt, non ſolum animo vitam dare, verum etiam deletum, atque ſepultum, corpus in vitam reuocare.Cuius rei firmiſsimum argumentum eſt Chriſti corpus ſanctiſsimum, ipſius ſpiritus numine e mortuis excitatum. Ergo, cum neque de illius fide, neque de potentia, dubitandum ſit; Diuinisq. promiſsis excitemur; atque fidei obſidem ipſum ſpiritum habeamus; conſequens eſt, vt cor pium exſultet, & caro requieſcat in ſpe, vt inquit Dauid.

Ergo fratres,debitores ſumus::non carni,vt ſecũdum carnem viuamus. Si enim ſecundum catnem vixeritis: moriemini. Si autem ſpiritu, facta catnis mortificaueritis: viuetis.

Coucludit igitur, nullo modo manendum eſſe in peecato, vt gratia abundet. Sequenda quidem videretur eſſe caro, ſi aut beneficijs collatis nos obligatos teneret,aut verum aliquod emolumentum nobis proponeret. Sed neque nos ſibi beneficio deuinxit; immo ruinis omnibus oppreſsit; nee in poſterum uobis vtilis eſſe poterit; quin potius nos in ſempiternum exitium,niſi contagionem illius arcemus,præcipitabit.Ergo,tam propter calamitatis inuectæ reeordationem, quam propter propoſitæ mortis immanitatem, eſt nobis earo,quaſi tæterrima quædam peſtis,omni mentis impetu,fugienda. Coutra vero,ſpiritus Chriſti, omni ſtudio ſequendus eſt, tam propter beneficia, quæ iam ſumus ex illo conſeeuti,quam propter immortalitatis ampliſſimum fructum, quem nobis ex illo pollicemur. Si enim, iuquit, ſpiritu relicto, carnem amplexi fueritis; repente moriemini. Siu vero non viribus veſtris, (hoc euim fieri non poteſt)ſed ipſius ſpiritus vi,qui manet in vobis, carnis impetum repreſſeritis; Diuina quadam vita perfruemini.

Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.

Non, inquit, quod Chriſtiani nomeu obtines, Chriſtiq. fidem oratione profiteris, exiſtimes, eſſe te a morte tutum,atque, tamquã Dei filium, ad cæleſtis hereditatis ſocietatem conuocatum. Nou enim nomen,non ratio, nou inſolens religionis oſtentatio, ſed fidei viuæ, atque vigeutis, officium, Dei filios ab impijs,& alienis,diſcriminat.Is autem munere fidei,& offieio,perfungitur,qui ſpiritum iutuetur, nec vmquam oculos ab illo deijcit, totamq. vitam ſuam illius moderationi committit. Quo igitur ſpiritus vocat,accurrit;vnde auocat,ſine mora dedueitur; quidquid ille monet,ex ſequitur;quidquid præſcribit,obſeruat; nec in vitæ conſilio carnem, nec humanam rationem, ſed ipſius ſpiritus deſcriptionem, ſibi ſequeudam ſtatuit; atque ad illius voluntatem omues res ſuas adminiſtrat. Hi ſunt igitur, qui ſunt ab omni damnatione liberi, uon qui in ficta religionis ſpecie fidei religionem polluunt. Sunt enim filij Dei, & iecirco ad immortalem gloriam deſtinati. Sed dixiſſet aliquis: Magnum, & arduum, atque difficile, munus a nobis,Paule,flagitas. Viribus enim infirmi ſumus;carni igitur repugnare,& ſpiritum ſequi,uou poſſumus.Hoe ne dici merito poſsit, miram huius muueris colendi,& effieiendi,facilitatem oſtendit; & ſimul, Diuinæ nobilitatis, atque dignitatis,commemoratione,piorum animos acriore,vehemẽtioreque,ſtudio pietatis incendit:

Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timote: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba,Pater.

Eſt idem, quod ante dixerat, Peecatum in vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Hic enim legem quidem Spiritum ſeruitutis, gratiam vero Spiritum adoptionis appellat. Lex quidem ſcripta Spiritus appellatur,quod ſit Spiritus ſaucti munus,atque beneficium.Seruitutis autem ſpiritum uominat,quia ægros animos minime ſauabat; ſed tantum, ſupplieij metu,eos iu aliqua officij regione continebat. Officium autem metu expreſſum, non eſt libertatis iugenuæ,ſed miſeræ ſeruitutis,argumentum. Contra vero, Lex, ſpiritus vitæ, cum eupiditatis iugum a fidelium hominum eeruice depulerir;Diuinæq. naturæ ſpeciem, & pulchritudinem, in eorum animis impreſſerit; eoſque, tamquam Dei filios,in vera libertate,ampliſſimaq. dignitate,locauerit;facit,vt nou metu eoacti,ſed amore virtutis incenſi,omnia præelara facinora moliantur. Illi igitur,qui pœnam metuebant, manus aliquando a maleficio eontinebant. Hi vero maleficium, omnibus ſupplicijs peius, oderuut. Illi, acerrima formidine perculſi, rebus Diuinis operam dabaut;hi tanto pietatis amore flagrant, vt, illius colendæ gratia, corporis vitam libenter abijciant. Illi voluptates uefarias, ad quas eos corporis faces incitabant, ſpernere non poterant;hi vero,cum Diuiuæ voluptatis guſtum experti ſiut,futili,& inani,voluptate facillime careut. Illi deuique, (vt vno verbo dicam) timore fracti, aliquod offieij genus aliquando tuebantur;hi,amore inflammati, omnia virtutum maximarum officia perſequuntur. Eraut igitur illis omnia aſpera, inuiſa, difficilia;his,contra,omnia iucunda,grata,& facilia.Cum igitut illi coacti fueriut,hi ſe ſe libenter ad ſtudium ſanctitatis applieuerint; eonſequens eſt, vt ille ſpiritus, quem acceperunt, Seruitutis appellandus ſit; hic autem,

quo

quo pij fruuntur, Adoptionis. Neque enim tam facile carnis immanitatem superarent, nisi Diuina virtute fuissent stabiliti. Qui autem Diuina virtute præditi sunt, in Dei filijs numerandi sunt. Nec est interim illud hoc in loco, quamuis sit valde notum, silentio prætereundum; nempe, multos olim fuisse pietatis studio mirabiliter inflammatos; quemadmodum hodie multi sunt, qui, pœnæ tantum metu, perterriti, manus interdum a maleficio continent. Sed, cum illi statum eum, non legis ope, sed Christi venturi beneficio, assecuti fuerint; hi vero, quādiu ita sunt animis constituti, nō spiritu adoptionis firmati sint; consequens est, vt illi liberi, hi vero serui, sint existimandi; & illi ad gratiæ Diuinæ fructum, hi vero ad legis terrorem, pertineant. Nec enim Paulus tam ætatem cum ætate comparat, quam legis, & gratiæ, contentionem facit. Quamquam in ætatibus etiam magnum discrimen inesse perspicies. Spiritus enim Dei olim, nec tanta vi, neque tam longe lateq. clarissimam auxilij sui lucem dabat. At, postquam Christus, bellorum omniū victor, in cælos penetrauit, sacerdotijq. sanctissimo munere perfunctus, Deū nobis placauit, tunc multo magnificentius spiritū suum omnibus hominum nationibus impertiuit. Nec enim vni tantū generi, sed oībus; neque paucis, sed innumerabilibus, hæc lux cælestis affulsit; neq. mediocri studio, sed ardentissima cupiditate, multos mortales, ipsius Diuinitatis inflāmauit; eosq. ad tantam dignitatem extulit, vt possint non titubanter, & timide, sed maxima voce, summum illum rerum omnium Dominum Patrem appellare. Id enim significat Paulus, cum ait, In quo clamamus: Abba pater. Abba, est dictio Syra, ab Hebræo fonte deducta. Pater nomen est Græcum, atque Latinum. Geminario igitur vocis, animi constātiam, & fidem; linguarum diuersitas, ad vnam eandem sententiam reuocata, Dei summam, & omnibus hominibus propositam, clementiam aperte designat. Hoc igitur, docet Paulus, esse apud Deum humani generis conditionis, atque fortunæ, discrimen omnino sublatum; licereq. omnibus, siue Iudæis, siue Græcis, siue quacumque ex orbe terrarū ad Christum incensa fide confluentibus, summū Deum, quanta maxima voce poterunt, hoc est, constantissima fide, summaq. totius mentis incitatione, Patrem compellare. Sed, quo tandem argumēto freti, tantum audebimus, vt totius naturæ rectorem, & dominum, Parentem nominemus? Non humano, inquit, testimonio, sed Diuino, persuasi, hoc constanter asseueramus.

Ipse enim Spiritus, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.

Ipse Spiritus Diuinus, qui mentes nostras illuminat, qui nos ad exemplum Diuinæ naturæ format, & fingit, qui nos patrio amore tuetur, atque conseruat, partim acceptorum beneficiorum amplitudine, & iucunditate, partim promissorum Diuinorum testimonio, atque fide, cuius quidem ille auctor est, & amplificator, testificatur, nos esse summi Dei filios.

Si autem filij: & hæredes.

Rectissime cōclusum est. In stirpe namque Diuina nihil est nothum, aut adulterinū, aut, propter mores parum commodos, inuisum. Nulla offensio, quamdiu ius illud agnationis manet, potest interuenire, quæ filios bonis patriis excludat.

Heredes quidem Dei: coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Rerum Diuinarum magnificētia animos incendit, atque studio sempiternæ gloriæ, vitæq. beatæ, & immortalis, inflammat. Quis enim tanto mentis stupore oppressus est, qui, vbi primum intellexerit, esse se e terrenis sordibus excitatum, a Deo summo adoptatū, in filij Dei societatem conuocatum, non omnes res humanas repente contemnat, suæq. dignitatis, & amplitudinis memor, ad Diuinas inflammato studio rapiatur? Hoc tamen animaduertendum est, quod Paulus passim admonet, gloriæ societatem cum Christo coire non posse, qui non primum societatē Crucis inierit. Quod si te Crucis asperitas absterret; primum cogitare debes, quantam ignominiam habeat, imperatorem, non pro sua, sed pro tua, salute dimicantem, in acie deserere. Deinde, e quantis angoribus, atque doloribus, ipsa te Crux eripuerit. Tum, quanta suauitate refertum sit, id, quod homines imperiti asperum, & odiosum, existimant. Postremo, nulla ratione fieri posse, vt tibi aliquid amplum, atque præclarum, absque labore, compares. Quod si in rebus humanis parandis homines tantos labores excipiunt atque, ad incertam spem rerum inanium excitati, dolorem interdum non sentiunt, omnibusq. se summis vitæ periculis exponunt; quē tandem laborem non perferent ij, qui viderint, esse sibi gloriosi laboris præmia Diuina, atque sempiterna, ex omni æternitate constituta?

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Labores, quos pati in hac vita possumus, sunt leues, & exigui, angustoq. temporis spatio circumscripti: præmia vero sunt summa, & amplissima, atque sempiterna, & ea denique, quorum magnitudo humana cogitatio-

ne

ne comprehendi non posit. Carissimi (inquit Ioannes) nunc filij Dei sumus; sed non dum apparuit, quid erimus. Scimus, quod, cũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. His quidem verbis Ioãnes magnitudinem illius gloriæ aliquando tandem explicandæ commemorat. Eam vero Paulus esse vehemẽter expetitam ab vniuersa natura, confirmat. Tanta, inquit, est illa gloria, ad quam vocamur, vt illius cupiditate natura vniuersa crucietur.

Non exspectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei exspectat.

Vtitur ea loquendi forma, qua de rebus inanimis, vt de animatis, loquimur. Quale est illud, Mare vidit & fugit; &, Flumina plaudẽt manu; &, Aperi Libane portas tuas; & alia eiusmodi prope infinita. Dicit igitur, vniuersam naturam ardentissimo diei illius desiderio teneri, quo est dignitas filiorum Dei, quæ nunc latet, in conspectu omnium proponenda. Cur autem hoc desideret, demonstrat:

Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatẽ gloriæ filiorum Dei.

Vanitas, hic, est mors, & interitus, naturæq. dissolutio, atque dissipatio. Nihil autem est in rerum natura, quod non se, statumq. suum, conseruare cupiat, & interitum reformidet. Est enim hic naturæ appetitus rebus etiam sensu carentibus innatus, vsque adeo, vt videantur summa sollicitudine præcauere, ne, accessu rei alicuius pestiferæ, formam, atque vires, amittant. Attamen sic est vniuersa natura, vanitatis, hoc est, mortis, vinculis alligata, vt ne cæli quidem sint a communi rerum omnium interitu, atque vastitate, conseruandi. Opera, inquit, Dauid, manum tuarum, sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes. Apud Isaiam vero, Leuate (inquit Deus) in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum. Quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur. Si igitur cæli etiam sunt interitu consumendi; relinquitur plane, nihil esse posse in totius cæli cõplexu, cui non sit mors tandem omnino subeunda. Hoc est autem, quod natura moleste patitur. Sed illius ordine, & imperio, qui omnia condidit, fuit iisdem legibus corruptionis, non tamen absque spe futurę aliquando æternitatis, adstricta. Cum enim Dei filij im mortali gloria illustrabuntur, fiet vniuersæ naturæ renouatio, & ornatus multo illustrior orietur, qui numquam deinceps interibit. Ecce (inquit apud Isaiam Deus) creo cælos nouos, & terram nouam. Perinde autem, atque, dum genus humanum, cuius alendi, atque conseruandi, caussa fuit natura condita, erat natura mortale, fuit consentaneum, vt esset etiam ipsius naturæ condicio mortalis: sic, postquam Dei filij immortalitatis splendore collucebunt, par erit, vt sit vniuersa natura ab omni corruptione immunis, & libera. Ergo, cum illa etiam æternitatis amore flagret, merito illum diem acerrime concupiscit.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.

Parturire, in sanctis litteris, est translatio frequens, ad significandum dolorem eximiũ, cum aliquo conatu ad meliorem condicionẽ. Dicitur igitur, vsque adeo, natura, desiderio immortalitatis duci, vt eo desiderio contabescat, atque magnis doloribus implicetur. Hoc tamen in Apostolis magis erat mirandum, esse nempe aliquid, quod eorum mentes aliqua cura posset affligere. Natura enim nihil habet interim, quamdiu dies ille non appropinquat, quo dolorem leniat. A postolis vero, qui non modo fuerunt communi iustitiæ luce perfusi, verum etiam primitias spiritus acceperant, erat ingenti gaudio semper exsultandum. Verum sane, inquit. Attamen, cũ ad illa bona, quæ speramus, mentem conferimus, & intelligimus, ea bona, quibus affluimus, haud esse cum illis comparanda; fieri nõ potest, quin omnis dilatio nobis grauis, & acerba sit; & ea de caussa fit, vt nos etiam vitam in gemitu traducamus. Sed, quæ tandem sunt illa bona, quorum desiderio sancti vehementer interdum affligantur? Adoptio, inquit, atque corporis nostri redemptio. Quid ita tandem? Numquid non iam spiritum adoptionis accepimus? Sane vero. Aliud tamen adhuc genus adoptionis multo clarius, & amplius, animis contuemur, cuius fructum ardẽter expetimus. Quod vt rectius intelligi possit, animaduertendum est, ius adoptionis Diuinæ cerni in Dei ipsius similitudine. Tunc enim nos adoptat, cum nouam in nobis formam spiritu suo gignit, ad suamq. similitudinem nos propius adducit, splendoreq. suæ lucis illustrat. Ergo, cum in nobis, spiritu suo, vim terrenæ affectionis absumpsit; & animũ, antea, peccatorum sordibus, & illuuie, deformatum, in Diuinam formam restituit; virtutumq. omnium communione sibi coniunxit; nos sibi plane adoptauit. Adoptio igitur hæc in similitudine formæ Diuinæ perspicitur. Sed Dei similitudinem, quam optamus, nondum sumus omni ex parte consecuti. Fieri enim non potest, quin graues interdum curæ nostros

nostros animos peruagentur. De salute enim quotidie dimicamus. Est enim nobis bellum cum hostibus infestissimis, qui omnem conatum adhibent, vt nos omnibus animi bonis spolient. Est igitur vitæ discrimen horis prope singulis adeundum. Corpus autem mortale, innumerabilibusq. morbis obnoxium, atque doloribus,& supplicijs, infestum, habemus. Animus autem eo vinculo corpori deuinctus est, vt nequeat ab illo, sine graui molestia, diuelli; idq. dissipandum,& consumendū, relinquere. Ergo, cum adoptio Diuina in similitudine Diuina consistat; Deus autem sit ab omni malorum, atque dolorum, contagione seiunctus, immortalis, atque beatissimus; nosque, dum in hac vita manemus, simus morti, & reliquis malis, quæ mortalem naturam necessario consequuntur, obnoxij: non ne satis perspicuum est, nondum nos perfecte in adoptiua venisse; maxime, cum ea munera, quæ accepimus, exigua sane,& obscura, sint, si ad futura conferantur? Tum demum igitur adoptio erit omnibus suis numeris, & partibus, absoluta, cum Deum videbimus, sicuti est; cum illius præsenti luce collustrabimur; cum neque mortem, neque dolorem, formidabimus; cum, sine vllo metu, sine cura, sine sollicitudine, sine periculo, summis, atque sempiternis, bonis expleti, atque sempiterno gaudio cumulati, fuerimus; cum etiam, ad maiorem gloriæ cumulum, corpora, quæ nunc vanitati subiecta sunt, ab omni corruptione redempta fuerint, atque ad æternam cum animis coniunctionem, magna cum gloria, suscitata. Tunc enim demum erimus immortales; tunc omni ex parte beati; tunc gloria Diuina circumfluentes: tunc denique Deo similes. Illa igitur est adoptio præstantissima, cuius dilationem sancti homines ægerrime patiuntur.

Spe enim salui facti sumus, Spes autem quæ videtur: non est spes. nam quod videt quis: quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus.

Fidei ipsius ratione, per quam salutem assecuti sumus, probat, non debere nos præsentibus bonis, quantumuis ampla, & illustria sint, esse contentos; sed semper esse nobis de futura gloria cogitandum. Fides enim in futuram illam gloriæ magnificentiam semper intuetur. Diuinis enim promissis confidit; & ita fit, necessario, vt sit cum spe firma coniuncta. Spes autem, est futurorum bonorum exspectatio, non præsentium fructus: Spei tamen verbum, hic, pro bonis speratis est positum. Cum autem spes omnem cogitationem a sensu doloris auertat, euenit, vt animum excitet, inuictaq. patientia confirmet. Patientia siquidem opus est ad tantam laborum omnium contentionem sustinendam. Ideo inquit, Per patientiam exspectamus.

Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

Spiritus enim in spem firmissimam nos immortalitatis inducit; bonorum cælestium studio mentes nostras incendit; Diuinæ cuiusdam cupiditatis ardore animos nostros, ad futuræ beatitudinis cogitationem, excitat; & sic tandem perficit, vt omnes humanas clades inuicto animo patiamur. Quantam vero operam spiritus ponat in nostris animis confirmandis, id, quod sequitur, aperte declarat:

Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Nullum est studium, quod tantum valeat ad animos inuicto robore fulciendos, quam piæ preces, & assiduæ. Cum enim nihil boni insit in nobis; omniaq. sint a Deo postulanda, & exspectāda; nemoq. fuerit vmquam, qui cū fide ad illum adiret, veraq. bona postularet, quin omnia, quæ vellet, impetraret; nihil poterit pijs precibus vtilius cogitari. omnia siquidem bona Diuina facillime consequuntur. Nos tamen adeo sumus imbecilli, atque rerū ignari, vt neque, quid a Deo petendum sit, explicare possimus. Multi igitur Deum pro sanitate corporis venerantur; quæ est illis caussam mali grauioris allatura. Multi, eos a se labores deprecantur, in quorum perfunctione est omnis eorum salus posita. Alij, opes sibi perniciosas exoptant. Alij, pro potentia, per quam sunt in exitium præcipitandi, vota faciunt. Merito igitur Socrates apud Platonē, magni viri, atque perfecte sapientis, esse dicit, intelligere, quid a Deo postulandum sit. Quin etiam perfecti interdum viri multa precantur, quæ cum eorum salute, atque gloria, pugnant. Nec enim semper exploratum habent, quid sit a Deo postulādum. Paulus.n. ipse quid sibi vtile foret, ignorabat, cū a se stimulū carnis amoueri precabatur. Omnes denique mortales in tanta ignoratione versantur, vt nemo possit, quid vitæ, quid dignitati, suę conueniat, explorate cognoscere. Nemo igitur, nisi spiritu Dei instructus fuerit, rite poterit ad Deum preces adhibere. Vnde colligitur, quam amentes sint, qui sibi confidunt, cum, absque Dei præsidio, ne optare quidem sciāt, quid sibi vtile futurum sit. Contra vero, illi soli sapientes sunt existimandi, qui, naturæ suæ imbecillitatem, & amentiam, reputantes, totos se spiritui tradunt, atque committunt. Is enim numquam abest; præsto semper est; quoties ope illius indigemus, confestim accurrit; vt non modo nos præsidio suo, aduersus hostes nostros, cōmuniat, verum etiam, vt nobis

lucem

lucem præferat, atque doceat, quid sit expetendum, quid sequendum, quid votis, & precibus, a Deo flagitandum. Cum igitur, instinctu illius ducti, rite Deum veneramur, atque sapienter oramus; tunc spiritus ipse pro nobis postulat. Quod ipsi per nos præstare non possumus; sed Dei spiritu, nos incitante, facimus merito a spiritu fieri dicimus. Ergo, cum ad Deum, ardenti fide concitati, accedimus; neque terrenas opes, neque vitæ commoda, neque laborum depulsionem, sed immortalem gloriam, petimus; & humana negligimus, aut certe minore contentione postulamus; neque denique Crucis societatem fugimus, sed illā etiam vltro, atque libenter, appetimus; & hoc vnum a Deo contendimus, vt nos ipse gubernet, futuræq. gloriæ compotes efficiat; idq. magno animi conatu, cum gemitu, multisq. lacrymis, imploramus; id certe non est nobis, sed spiritui, qui nos erudit, tribuendum. Ob id igitur dicitur postulare pro nobis. Cur autem gemitus illos, quos, incitante spiritu, tūc edimus, inenarrabiles esse dicit? Quia vis eorum est admiranda, & explicatu difficilis. Nam lacrymæ, sunt doloris comites, & cum imbecillitate coniunctæ. Hæ vero lacrymæ, quæ, instigante spiritu, profunduntur, ex incredibili quadam voluptate proueniunt, animumq. robore inuicto communiunt. Quid enim dulcius, quam Deum præsentem alloqui, gustum Diuinæ suauitatis sentire, Christiq. pedes amplexari? Quid altius, quam excelso animo terrena cuncta despicere, resq. cælestes, atque Diuinas intueri? At gemitus illi Deum præsentem sistunt; animumq. in cælum efferunt; tantumq. valent, vt Deum flectant, iramq. illius sæpe cohibeant. O vim gemitus admirandam, illustrem lacrymarum contentionem, & inuicta suspiria, quæ tantum possunt, vt homo, quo nihil est in terris imbecillius, Deo vim inferat, atque viribus (vt ita dicam) ab ipso summo, atque præpotente, rerum omnium Domino, quidquid sapienter optauerit, extorqueat. Iacob, rediēs e Mesopotamia, cum fratrem, cuius animum multis ante annis offenderat, obuiā sibi prodire accepisset, metu propemodum exanimatus est. Quid hoc homine imbecillius? qui, cum ingenti suorum numero stipatus esset, fratris vultum adspicere non audebat. At idem, insequenti nocte, cum Angelo, personam Dei referente, congressus, eum vi, atque complexu, constrictum tenuit, neque illum se dimitti postulantem dimisit, nisi postquam omnia, quæ voluit, viribus expugnauit. Quid hoc eodem viro valentius, qui ne Deo quidē cessit? Vnde, quæso, tantas repente vires adeptus est? Ex precibus, & oratione. Neque enim aliud illa lucta designabat, quam orationis contentionē, qua Deus se clementissime vinci, atque superari, patitur, suorūq. precibus, & votis, concedit. Sic Moses iram Dei multis in locis compescuit? Sic Aaron illius offensionem leniuit? Sic Iesus, Mosis successor, Solis, atque Lunæ, cursum retardauit. Quid Heliam dicam, impios homines cælesti incendio consumentem; pluuiamq. tres annos, & sex menses, continentem; terramq. rursus, siccitate exustam, largo imbri fecundantem? Quid memorem Isaiam, omne cælum precibus, & oratione, retrorsum, contrario cursu, contorquentē? Ergo, ne plura exempla persequar, cum tanta sit vis in pijs gemitibus, vt non modo naturam sibi subijciant, verum etiam naturæ Dominum quodam modo cogant, & animos in lacrymis illis incredibili voluptate permulceant, merito inenarrabiles esse dicūtur.

Qui autem scrutatur corda: scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.

Scire, in sanctis litteris, est sæpe numero comprobare aliquid, atque benigne complecti. Vnde summus ille Dominus, qui corda, & renes, omnium hominum scrutatur, eos se tantum nosse dicitur, qui iusti sunt. Quale est illud, Nouit Dominus viam iustorum. De improbis vero, atque sceleratis, dicit, Non noui vos. Secundum hanc rationem ait Paulus, Deum scire, quod sit studiū spiritus. Hoc est, vota illa grata habere, quæ spiritus admonitu, & instinctu, fiunt, omnesq. pias, atque sapientes, preces exaudire. Quare autem Deus illas preces exaudiat, eam rationem affert, quod a Diuina voluntate nō discrepent, & ea, quæ sunt sanctis ipsis, qui orant, & obsecrant, vtilia, atque salutaria, flagitent. Cum enim Deus eos maxime saluos, & ornatos, esse cupiat; & omnia, quæ molitur, & efficit, ad eorū incolumitatem, & gloriam, dirigantur; numquam eis pestifera, & exitiosa, cōcedet. Quid igitur, si thesaurum petam? Quid, si exquisitissimam voluptatem? Quid, si Regni administrationem? Impetrabo ne? Non certe, si ea sunt mihi perniciē allatura. Neque enim sunt ea vota secundum Deum. Sunt enim hominis in terra demersi, & minime de cælesti gloria cogitantis. Præterea, cum sint mihi valde nocitura, nō bona, sed mala, sunt. Deus autem, nō malorum, sed bonorum, auctor est; neque pestem, sed salutem, comparat; neque suorum gloriam imminutam, sed dignitatem amplificatam, esse vult. Vt igitur sapiens medicus ægroto postulanti merum, aut quidquā aliud, quod sit afflictę valetudini contrarium, non obsequitur; vt prudens pater, cum id ad filij dignitatem pertinere videt, de labore filio imposito nihil remittit, sed eū præclaris studiis ad honestatē exercet; ita optimus ille pater, sapientissimusq. nostræ salutis, atque dignitatis, architectus, eas preces non audit, quæ nec ad vitam illam sempiternam, nec ad immortalem suorum filiorum gloriā,

conferuntur. Hæc enim vota non sunt secundum ipsius Dei mentem, neque pro sempiterna sanctorum vita, & honestate, suscepta. Nō enim sunt Spiritus sancti numine, sed carnis imbecillitate, nuncupata. Quid igitur? Cum orbis terrarum acerbissimis odijs contra pios exarserit; cum in illos omnes nationes irruerint; cum tela vndique in eos cōtorserint; cum cruces, cum ignes, cum noua, & inaudita, supplicia comparauerint; Deus suos deseret, atque tantis malis opprimi patietur? Minime, inquam, malis. Nec enim malum est, quod vitam tuetur, quod gloriā auget, quod dignitatem illustrat, quod omnibus denique bonis summum incrementum affert. Non igitur est malum, exerceri labore; sed, victum labori succumbere; non, dolore cruciari, sed, metu doloris, officium prodere; non, vitam hanc ærumnosam cum illa vita beata, & immortali, commutare, sed, huius vitæ amore, studium vitæ immortalis abijcere. Si igitur Deus suos non inuicta virtute muniret; si eos in periculis ope sua nudaret; si, cum bellis opprimuntur, non præsens ipse adesset; si eos denique frangi metu, aut inquinari flagitio, aut contaminari perfidia, pateretur; tunc merito dici potuisset, eos esse malis omnibus oppressos. Cum vero nec eorum mentem tenebris impediri, nec animum frangi, neque gloriam obscurari, in rebus asperis videamus; immo, quo vehementius oppugnantur, eo magis eorum virtutem splendore, maioreq. impetu, & conatu, ad laudem, & gloriam, excitari, perspicimus; numquid obscurum est, ea, quæ putantur esse mala, illis esse vehementer vtilia bona? siquidem putanda sunt, quæ virtutem augent, quæ patientiam exercent, quæ fidem confirmant, quæ spem excitant, quæ studium pietatis inflammant, quæ decus, & gloriam, illustrant.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Hac præclara sententia, confirmat animos omnium, qui sese Deo, fide, dicarunt; eosq. omni angore, metu, sollicitudine, liberat, docens, fieri non posse, vt quidquam mali eos attingat. Siue enim valent corpore, siue morbis oppressi sunt, siue affluunt opibus, siue indigentia laborant, siue in ore hominum sunt, siue maledictis vexantur, siue dolore vacant, siue summo totius corporis dolore cruciantur, ex omnibus ijs rebus summum verissimæ gloriæ fructum percipiunt. Res enim secundas, ad vsum, & vtilitatem, hominum, & ad Dei gloriam, conferunt; aduersas inuicta patientia perferunt; suæq. virtutis egregia documenta dant; & ingentes sibi opes in cælo coaceruāt. Omnia igitur eorum gloriæ seruiunt, qui Deū amant. Aliter enim, numquam Deus eos rebus vllis asperis attentari permitteret. Facillime namque potuisset ab eis omne vitæ incommodū propulsare. Nec enim potest illius infinita potentia coerceri; neque fides illius sempiterna commutari. Ergo, fieri nullo pacto potest, vt eos, quos Deus in fidem suā recepit, aliquādo deserat, malisq. obrui patiatur. Qui sunt autem illi? Qui secundum propositū vocati sunt Sancti. id est, quos nouit esse in fide, atque pietate, ad extremum spiritum vitę permansuros. Et iccircò sempiternas illis sedes ab æterno tempore in cælo definiuit. Est enim Dei propositum, anticipatum illud Dei iudicium, quo, secundum præscientiam fidei, suis in cælo sempiternas sedes clementissime designauit, atque constituit.

Nam quos præsciuit: & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus.

Omne quidem, quod futurū est, fuit a Deo, ex omni æternitate, præcognitum. Attamen, quemadmodum ea singulari quadam ratione nosse dicitur, quæ habet cara, benignitateq. sua complectitur; ita solum eos præscire dicitur, quos beneficium illius non aspernaturos, atque constanter in fide permansuros, ab initio cognouit. In omnes igitur hos, quos, secundum hanc rationem, præsciuit, & elegit, a sempiterno tempore benignitatē suam conferre statuit, filioq. suo, forma, & splendore, similes efficere. Omnes enim iustitiæ cultu vestiuit, gratiæq. muneribus amplissimis ornauit; vt quilibet eorum, secundum propriæ fidei rationem, & incrementum, Christi speciem, & pulchritudinem, referret. Christus primogenitus est, primum quidem secundum naturam Diuinam, quia ante mundum ortum, fuit a patre, absque spatij vllius principio, genitus. Per ipsum enim condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes; & omnia in ipso constant. Deinde vero, secundum humanæ naturæ rationem, primogenitus est, quemadmodum Paulus in eodem ipso loco epistolæ ad Colossenses memorat. Et ipse est, inquit, caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus, ex mortuis. Siue enim primum illud adoptionis genus intelligas, quod in iustitiæ ornatu consistit, nostra iustitia a iustitia illius emanauit; siue futuræ gloriæ claritatem, & corporis nostri redemptionem, consideres; is, se ipsum a mortuis excitādo, nobis ad immortalitatem viā aperuit, atque similitudinis Diuinæ caussam attulit. Illius enim meritis, atque virtute, fuit etiam ad nos dignitas, & ornamētum,

cælestis

cæleſtis Regni,atque ſempiternæ gloriæ, delatum.

Quos autem prædeſtinauit: hos & vocauit.

Non nos ad illum prius adiuimus,quam ille nos ad ſe andiẽdum excitaret,ad ſalutemq. vocaret, opesq. ſuæ benignitatis immenſas explicaret. Non eſt igitur,cur humanum genus ſibi quidquam aſſumat, & inſolenter efferatur. Deus enim, nullis noſtris meritis, ſed benignitate tantum propria, incitatus, nos ab exitio deterruit, magnisq. vocibus ad ſe vocauit. Hanc porro vocationem, in his, qui aures ſuas non pertinaciter occluſere, Diuina iuſtitiæ forma conſecuta eſt.

Quos vocauit: hos & iuſtificauit.

Iuſtitiæ vero præmium, eſt in Diuinitate gloriæ conſtitutum. Ait igitur:

Quos autem iuſtificauit,illos & glorificauit.Quid ergo dicemus ad hæc?

Piorum hominum ſtatum hac diſputatione Pauli mirifice amplificatum cernimus. Primum enim,docuit,eos eſſe a lege membrorũ, a lege peccati,Diuinæ etiam legis iudicio,atque ſeueritate,liberatos. Demonſtrauit,illos eſſe a mortis acerbitate tutos,ipſiq. vitæ,quę eſt in Dei ſpiritu ſita, indiſſolubili fœdere deuinctos. Dixit,nos Dei filios eſſe,Chriſti vero fratres, atque ad eiuſdem hereditatis ſempiternæ ſocietatem vocatos;animosq. noſtros, commemoratione bonorum illorum,ad quorum ſpem, Diuinis vocibus,erecti ſumus, inflãmauit. Diſſeruit, quomodo Spiritus Chriſti ſit nobis vitæ dux,vitæ magiſter, mentis lumen,animi robur,dignitatis auctor,& amplificator,quo modo non ſolum nos regat, inſtituat, erudiat, verum etiam inuicta virtute corroboret, armisq. Diuinis tegat,& contra omnia ſceleris, & impietatis, tela cõmuniat. Poſtremo,docuit,quam eſſent ijs,qui mentem habent in cæli gloria defixam, omnia,quæ reliquis hominibus videntur eſſe nimis horribilia,non modo non pertimeſcenda,verũ etiam pro nihilo reputanda, atque adeo multis in locis vltro etiam appetenda. Mala ſi quidem nulla poſſunt pijs hominibus interuenire. Cũ igitur atrociſsima ſupplicia fuerint exquiſita ad corpora ſanctorum lanianda, cum viri virtutis gloria præſtantiſsimi omnem cruciatum pertulerint, intolerabili dolore lacerati fuerint, atque Diuina conſtantia contra ſuppliciorum omnium crudelitatem iuſtitiæ ſanctitatem inuiolatam conſeruauerint;cum igitur, inquam, illa ſupplicia virtutem minime frãgere,atque debilitare,poſsint,verum etiã augeant, & vehementer illuſtrent, atque ad maioris gloriæ cumulum aditum aperiant; nullo modo ſunt mala,ſed bona egregia,repu tanda. Nec enim fieri poteſt,vt probis improbi noceant; neque poſſunt, qui ſunt in Dei tutela, hominum furore conturbari. Vt autem hoc melius confirmaret, & oſtenderet,quantæ curæ Deo ſint omnes, qui cum fide viuunt, ait, eos ex omni æternitate ab ipſo Deo ſelectos eſſe, quos ad gloriam deſtinaret, quos ad ſalutem vocaret, quos ſimilitudine ſuæ pulchritudinis informaret, quos ſibi adoptaret, & vnici filij ſui coheredes efficeret,quos denique Diuina,atque ſempiterna,gloria cumularet. Horum igitur bonorum conſideratione cõmotus Paulus,concludit, id, quod ante poſuerat, nullo malo poſſe iuſti hominis ſtatum affligi.

Si Deus pro nobis,quis contra nos?

Non negat,eſſe multos bonis aduerſarios; eos tamen ab aduerſarijs lædi, atque violari poſſe,hoc plane negat. Qui enim ſunt Dei præſidio conſtipati, inuictaq. virtute circũſæpti, quorum cauſſam Deus ipſe ſuſcipit, quorum vitam tuetur,pro quorum dignitate pugnat; quo modo tandem poterunt alicuius impetu proſterni? Quantum vero Deus nos amet, illo ſummo, omniumq. maximo,amoris argumento confirmat:

Qui etiam proprio filio non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illũ: quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Omnia quidem bone ſunt in illo egregie conſtituta,qui eſt patriæ gloriæ ſplẽdor,mundi totius opifex,rerum omnium conditor,atque moderator,& cuncta, quæ ſuper ſubterq. ſunt,numine ſuo coercet,& continet.Qui igitur illum ad mortem pro nobis obtulit,vt per illius mortem nobis immortalitatẽ vitæ concederet, omnia certe nobis largitus eſt.

Quis accuſabit aduerſus electos Dei?

Conatur quidem Satanas, vt in Ioannis Apocalypſi legimus, ſanctos peccati conuincere, reosq. ſumma contentione peragere. Quod quidem noſtris temporibus, per vnum e miniſtris ſuis,omnium nequiſsimum, & inquinatiſsimum,nempe Lutherũ,maximo ſtudio tentauit. Cuius illud eſt non mediocre in Dei amicos, aut (vt rectius dicã) in Dei ipſius Maieſtatem,conuicium,nempe,in omni opere iuſtum peccare. Nec enim tam iuſtis,quam iuſtitiæ auctori, male dicit, qui eorum iuſtitiam peccato, & ſceleri, affiuem facit. Sed, quid hæc tam proiecta audacia, & impudentia,profecit? Numquid poterit improbiſsimi hominis maledicentia eorum gloriam maculare, quorum mentes Deus ſplendore Diuinæ pulchritudinis illuſtrauit? Nullo modo.

Deus, qui iustificat. Quis est, qui condemnet?

Quantis autem, & quam Diuinis, rationibus, hæc sanctorum iustitia constituta sit, exponit:

Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

In singulis huius orationis membris sunt argumenta firmissima, quibus probat Paulus, non posse iustitiam fidei impuritatis contagione maculari; aut iusti hominis statum, perditorum hominum calumnia, & improbitate, conuelli. Primum quidem, Christus mortuus est, vt, moriendo, mortem nostris peccatis afferret, Deinde, magna cum gloria reuixit, vt nobis immortalem vitam redderet, & interim Diuina, atque sempiterna, iustitiæ luce perfunderet. Deinde, in dextera Dei sedet, vt numine, atque potentia sua, beneficia sua egregie confirmaret. Postremo, interpellat etiam pro nobis. Quamuis enim eadem cum patre natura, & maiestate, sit, secũdum tamẽ humanæ naturæ rationem, perpetuum Pontificis Maximi munus administrat. Sanctissimis igitur votis, atque precibus, patris numẽ nobis propitium efficit.

Quis ergo nos separabit a caritate Christi?

Hic (vt apparet) Paulus, tantorum munerum, atque donorum, amplitudinem, & magnificentiam, animo, & cogitatione, complectẽs, correptis Diuini amoris ignibus acrius exarsit, &, mente cõcitatus, inclamat; vt iam non Paulus ipse loqui videatur, sed Diuinus spiritus, in Pauli pectore inclusus.

Tribulatio? an angustia?

Quæ afflictio maior, quæ angustia calamitosior, quam, a Christo, bonorum omniũ principio, totiusq. iucunditatis fonte, distrahi? Dum igitur hoc vnum summum malorum omnium, quod solum sapientes homines metuendum arbitrantur, effugiant, reliqua omnia facillime contemnunt, atque despiciunt.

An fames?

Verum animi pabulum, Christus est, qui nõ modo vitam alit, atque sustentat, sed etiam illam in perpetuum facillime producit. Qui igitur hoc cælesti pane aluntur, neque famem, neque mortem, possunt extimescere.

An nuditas?

Qui Christum (vt Paulus admonet) induerint, Diuinoq. iustitiæ cultu vestiti fuerint, corporis nuditatem non tanti faciendam putabunt, vt, propter illius metum, velint Diuinis animi vestibus, & ornamentis, spoliari.

An periculum? an persecutio? an gladius?

Periculum quidem esset illud nimis metuendum, si posset quispiam Christum nobis eripere. Ille vero gladius esset horribilis, atque pertimescendus, si quis esset, qui nos a Christi corpore prorsus exscinderet. Is enim nobis verissime interitum afferret, qui nos ab ipsa vita segregaret. At, cum ipsi veræ vitæ ita coniuncti simus, vt ea nobis viribus humanis eripi non possit; quo modo mortis minis, quasi laruis, perterreri, atque, propositis terroribus, ab ipsius cęlestis vitę suauitate seiũgi poterimus? Morti quidem, inquit, sumus semper expositi; mortis tamen horrifica specie minime perturbamur.

Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Minime quidem mirandum est, si omnia vincant, & superent, qui Diuina virtute roborati sunt. Audi igitur fidei ipsius vocem, Diuinæ mentis altitudinem, virtutis inuictæ constantiam; vt melius possis, quantum insit in pijs animis robur, & quantum numen, inspicere.

Certus sum quia neque mors, neque vita.

His minime contentus, adiungit ea, quæ supra condicionem humanam sunt.

Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Admiranda collectio, illustris amplificatio qua meritis laudibus exornat eorum virtutem, qui Christo coniuncti sunt, Diuiniq. amoris flammã luculenter amplificat. Nihil enim est in omni rerum natura ita sæptum, atque munitum, vt sit cum Christianæ virtutis robore conferendum. Nulli tanti fluctus possunt in rebus humanis excitari, vt ardorem Christianæ caritatis exstinguant. Virtus enim, Diuino præsidio, atque numine, continetur; amor vero, Diuinis facibus inflammatur. Cum igitur nihil sit, quod Deo repugnare queat;

conse-

conſeqnens eſt, vt nemo poſsit mentem, fide ſuffultam,& caritate illius incenſam, labeſactare,aut ſtudium illius reſtinguere. Tantum igitur abeſt,inquit Paulus,vt nos vel amur vitæ, vel metus mortis, a Chriſti coniunctione poſsit abducere, vt, etiã ſi poſſet fieri,vt cuncta cæleſtium agmina cum omnibus inſeris manibus in noſtram perniciem conſpirarẽt, ſi tam ea,quæ ſub ſenſum cadunt, quam quæ ſunt a ſenſuum comprehenſione remota, tam mortalia,quam ſempiterna,ſi omnis denique naturæ,ſiue cæleſtes,& ſuperæ,ſiue terreſtres, & inferæ, ſimul conglobatæ, in nos impetum facerent, nulla tamen ratione poſſent nos, quamdiu ſub Dei tutela ſumus, atque,fide nixi, ſub illius præſidio conquieſcimus, a ſtatu deijcere,& ab illo amore patris cæleſtis, quo nos Chriſtus cum illo coniunxit, auertere. Quæ enim tanta vis,quæ tanta potentia,quis tantus armorum impetus,animo cogitari poteſt, qui poſsit contra ipſum Deum in pugna conſiſtere,conſilijsq. illius occurrere,vimq. illius immenſam,& infinitam, ſuſtinere? Sic igitur fit,vt,cum reliqua omnia, quantumuis ardua, & excelſa, quæ videntur nullis humanis viribus exſcindi poſſe, ſint eiuſmodi,vt facile tandem queant vel dolis capi, vel machinis diſsipari,vel viribus expugnari, vel ſenio ſaltem, atque vetuſtate, conſumi; qui ſunt cum Chriſto coniuncti, cum Diuinis armis, atque præſidio,circumſępti ſint illiusq. ſempiterno numine confirmati, ſoli ab omni fraude, impetu, contentione, vaſtitate, tuti ſunt,atque in omni bellorum motu, totiusq. orbis deflagratione,ſemper inuicti. Mors ipſa,quæ omnia conficit,atque conſumit,omnesq. res humanas obruit, illis cedit, ab illorum ſe exitio continet,illorum vitam minime lędit.Eorum namque vita, cum ſit in Deo poſita, non eſt mortis ipſius telis obiecta. Sed hæc omnia melius a Paulo dici, quam a nobis explicari, poſſunt. Illius enim mentem, Diuini amoris ardore flagrantem, & a terris longius euectam, Dei ipſius ſpiritus vehementer incitabat,& in ſupremam cæli regionem efferebat; quo nos,quamdiu rerum humanarum cupiditate detinemur, adſpirare non poſſumus; &, quamuis, a terris excitati, mente in cælum euolare nitamur, non tamen huius Diuini viri ſtudium,& celeritatem,conſequemur.Cum igitur in ſuperas ſedes elatum, & in cæli aditum intromiſſum,intueri nequeamus;mirum profecto non eſt,ſi neque orationis huius altitudinem,& magnificentiam, expoſitione noſtra conſequi poſsimus. Hoc tamen in præſentia eſt memoria continendum, quod ex hac Pauli diputatione conficitur; nempe, eſſe facillimum, & expeditiſsimum, virtutis, honeſtatis,atque pietatis, ſtudium, omnibus, qui ad Chriſtum ſeſe,ardenti,& incitata, fide contulerunt. Non enim ſunt ſub lege,ſed ſub Diuina gratia,conſtituti. Gratia vero Diuina hoc illis præſtat, vt ſpiritus Diuini conſilio regantur,vt numine illius concitentur, vt ope illius corroborentur, vt ad ſpem Regni ſempiterni animis erigantur,vt ſe,Diuino ſatu editos,& cum Dei vnico filio conſociatos,eſſe confiderent, vt humana cuncta negligant,& de futura gloria noctes atque dies ſibi cogitandum putent. Si enim libertas animos facit; ſi nobilitas ſpiritus affert; ſi magna præſidia animũ confidentem efficiunt; ſi ſpes rerum maximarum mentem ad res gerendas exſuſcitant; ſi poſtremo caritas tantum valet,vt omnẽ mortis metum depellat, & ad omnes labores excipiendos,& diſcrimina vitæ ſubeunda, mortalium mentes incendat; quid tandem non efficiet is, qui ſe videt a peccati tyrannide, legisq. dominatu, liberatum? qui ſe Dei filium eſſe meminit, atque patris ſummi præſidio conſtipatum conſiderat? qui cæleſtes illas opes,ad quas æuo ſempiterno perſruendas vocatus eſt, animo contuetur? qui ſempiterna Dei beneficia mente recogitat? qui denique tantis Diuini amoris ignibus exardeſcit, vt nullis aquis (quemadmodum ſcriptum eſt in Canticis) poſsit caritas illius exſtingui? Immanis eſt,inquis,atque fera,cupiditas. Recte. Illius tamen Regnum,in ijs, qui ſunt Chriſti, eſt funditus euerſum. Summa, inquis, eſt humanæ naturæ imbecillitas. Certe. Verum,nõ humanis viribus, ſed Diuinis, firmati, in hoſtes vadimus. Non igitur de cupiditate ſola victoriam reportabimus;verum etiam de omni natura, ſi contra nos conſurgat, quamdiu numine cæleſti continemur, magna cum gloria triumphabimus. Tamdiu autem continebimur,quamdiu fide vitam dirigemus. Ergo, cum ſub lege vis humanæ rationis fracta fuerit,conatus inanes,& irriti, ſtudium ſine vllo fructu conſumptum, ſub gratia omnis mens, omnis conatus, omne ſtudiũ feliciſsime procedit. Nihil enim erit tantum,quod homines, non ſuo,non legis,ſed Dei,præſidio muniti,facillime non conſequantur.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS.

LIBER TERTIVS.


VAM excellens habitus sit eorum, quos ille summus rerum omnium conditor,& moderator, Christi meritis,& religione,in fidem recepit;quam Diuinis opibus, & ornamentis, qui verissimæ iustitiæ compotes effecti sunt, decoris, & gloriæ,redundent; quamuis nulla orationis vbertate explicari posse videatur, est tamen a Paulo Diuinitus explicatum. Docuit enim,eos, qui se Christo dediderunt, totosq. se ad ductum, & imperium, Spiritus Diuini contulerunt, eum statum assecutos,quem nulla potestas labefactare,nulla vis infringere, nulla vetustas consumere,possit,eo quod iam ab hominibus exierint, & in Diuini generis claritatem adoptati sint,ita,vt non sint in aliorum hominum numero cēsendi, sed Dij quidam inter homines existimãdi.Sunt enim Dei filij,verbi Diuini satu procreati,Christiq. fratres,Regniq. cælestis,atque sempiterni, heredes instituti. Sed, quo maior est hominis iusti dignitas, & amplitudo, eo magis deploranda est temeritas eorum, qui tantum beneficium ingratissimis animis aspernantur, & e tenebris dirissimis emergere nullo pacto volunt,lucémq. Diuinam,eorum oculis oblatam,contumaciter,& obstinate,repudiant.Itaque,dum lucem odio immani persequuntur,dum gratiam Diuinam abijciunt,dum suæ libidinis impetum, effrenatæq. mentis impotentiam,Diuinis institutis,& legibus, anteponunt, nefariam sibi pestem machinantur;ad sempiternumq. supplicium,insito furore,& amentia,rapiuntur.Sunt illi quidem detestabiles,& exsecrãdi,odioq. iusto dignissimi: fieri tamen non potest, quin eorum ruina magno dolore afficiat eos,qui ita Christi vestigijs insistunt, vt perpetuo bonitatem illius imitentur,omnesq. saluos esse cupiant, vsque adeo, vt pro illorum salute vota faciant, a quibus grauissimas iniurias accipiunt,& infestissimis animis oppugnãtur. Quod si hoc animo est optimus quisque;&,quo ardentius se se ad Christi studium applicat, eo dolentius patitur eorum,qui sanari nullo modo voluerunt,exitium; quid erit de Paulo iudicandum,cuius tanta bonitas fuit, & tam admirabilis in gentem suam caritas, vt paratissimus esset, ad omnes cruciatus acerbissimos animo libentissimo perferendos,dum modo ea ratione posset perfidam illam nationem a peste, & exitio sempiterno,redimere? Cum igitur ille amplissima Diuinæ clementiæ munera,in animos eorum congesta,qui Christum incensa fide venerantur,complexus oratione fuisset, &,recordatione tanti beneficij,mirabiliter exsultasset;grauis quædam cura illius animum repente sauciauit, & a summo gaudio ad summam mæstitiam traduxit. Videbat enim, gentem suam,quam mire diligebat,illis tantis bonis orbatam esse, præcipitemq. in sempiternum exitium detrudi. Nunc igitur eorum casum ægerrime patiebatur, & assidue deplorabat. Ait igitur:

CAP. IX.


Eritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente consciẽtia mea in Spiritu sancto,quoniam tristitia magna mihi est, & continuus dolor cordi meo.

Iusiurandum sanctissimũ in orationis huius principio iurat. Quorsum erat opus? Quia vix credibile videbatur, vt is, Iudæorum gratia,

tia,a quibus tanto odio tam inclementer oppugnabatur,iu summa doloris acerbitate versaretur. Cum enim orationis tela in eos dirigere statuisset, qui obstinatis animis a se beneficia Diuina repulerant; commodum fuit, vt,amoris sui in illos testificatione,confirmaret,se non odio,& maleuolentia, tantum scelus insectari, sed potius eorum calamitatem acerbissime lamentari. Amoris autem magnitudinem id, quod sequitur, multo clarius explanat:

Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.

Mira quædam vis amoris,quæ Paulum adigebat, vt a Christo, a cuius studio, ne totius quidem orbis conuersione, aut Angelicæ potentiæ viribus, abduci poterat, pro ciuibus suis anathema fieri vehementer expeteret. Quod vt rectius intelligatur, explicandum est, quæ sit huic verbo subiecta sententia. Significar igitur verbum hoc, Anathema, donum Deo consecratum, & in honorem illius in templo suspensum. Est & alia eiusdem nominis vis apud Septuaginta interpretes. Significat.n.id, quod,religionis gratia, flāma, aut aliqua non absimili clade, consumitur, quod Hebræi חֵרֶם appellant. Sic autem scriptum est in libro Numerorum. Israel autem, voto se obligans, ait, Si tradideris populum istum in manum meam, delebo vrbes eius. Quem locū Septuaginta interpretes ita verterūt,ἀναθεματιῶ τὰς πόλεις αὐτοῦ.Sequitur deinde,Exaudiuit Dominus preces eius, & tradidit Chananæū,quē ille interfecit: Septuaginta sic habēt:καὶ ἀνεθεμάτισεν αὐτὸν καὶ τὰς πόλεις αὐτοῦ.Sequitur deinde, Vocauitq. nomē illius Hormā, quod est anathema. Hic certe Latinus interpres Hebræum verbum,nēpe,חרמה, Græco verbo explanauit. Ex his locis,& multis alijs, quæ omittimus,(nec enim oportet omnia persequi) colligitur, Anathemate significari euersionem, & excisionem, caussa procurandæ religionis illatam. Id enim חֵרֶם, vel,quod idem valet,חרמה, apud Hebræos significar. Vnde illud, quod est apud Iosue, Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino. Est igitur, Anathema, donum Deo consecratum; est etiam exitium, hominis, aut multitudinis, caussa deuotionis, importatum:est denique piaculum sceleris luendi, iræq. Diuinæ ab omnibus auertendæ, sollemniter institutum. Quidquid enim deuotum cladi est, & sollemni exsecratione deuinctum,quod Græci ἐναγὴς, Latini Sacrum appellant,id in sanctis litteris a Septuaginta interpretibus Anathema nominatur. His expositis, ad votum Pauli veniamus. Cum enim propter inane legis studium, quod oratione perpetua conuellebat,vt fidem,quæ legis sanctitatem verissimam continebat, in animis hominum consereret,esset Iudæis vsque adeo vehementer inuisus,vt sanguinem,& vitam,illius,summa conrentione peterēt;Paulus,contra,docet,se uullis eorum iniurijs, & insidijs, impediri,quo minus eos,a quibus indignissime vexabatur,ita diligeret,vt pro eorum salute fieri a Christo anathema aliquando desideraffet. Non,inquit,iniuriarum memoriam retineo;neque meæ genti infensus sum, quam uis me multis in locis fuerit acerrime persecuta. Immo, sic caritas mea cum Iudæorum odio certabat,vt cuperem aliquando me vnū quasi piacularem hostiam,a Deo constitui,vt meo supplicio, & (si ita opus esset) cruciatibus, vniuersam gentem meam ab imminenti clade redimerem.Quærendum hoc in loco videtur, num illud Pauli votum satis sapiens exstitisset. Erat quidem non mediocri laude, & admiratione summa dignissimum. Quo modo? Quia nihil est a vera caritate profectum, quod non sit valde laudandum. Habet tamen vehemens caritas interdum impetus quosdam nimis acres,& vehementes. Sic Moses,ex Dei libro deleri postulabat, si populus, quem regendum susceperat,esset ab illius gratia prorsus excludendus: sic Samuel pro Saule intemperantius supplicabat; & lacrymas profundebat. Hieremias item non modo pro populo in sceleribus obstinato assiduas ad Deum preces adhibebat,verum & suo diei natali male dixit, quod initium sibi grauissimi, minimeq. ferendi,doloris attulisset. Nō enim putabat fore sibi salutem iucundam, in communi gentis suæ,quam mire diligebat,exitio. Ad hunc igitur modum (vt eo tedeamus,vnde diuertimus) cum Paulus cuperet,aliquando pro ciuibus suis anathema fieri, dum modo salutem eorum supplicio suo constitueret, vim amoris admirandam declarabat.Duplici tamen ratione id concupiuit aliquādo Paulus.Vna fuit,egregia in ciues suos beneuolentia. Altera autem, eaq. præcipua,ardentissimum Diuinæ gloriæ studium. Rationes autē beneuolētiæ multas,& varias,adducit,vt magis testatum apud omnes relinquat, quātum suos amet. Ait igitur:

Qui sunt cognati mei secundum carnem. Qui sunt Israelitæ,quorum adoptio est filiorum.

Magnum necessitudinis vinculum, erat in sanguinis communione;(præcipit enim Deus apud Isaiam, ne carnem nostram despiciamus)maius tamē,in sanctissimi patris exemplo. Par enim erat, vt, qui Israelitæ nominabantur,Israelis virtutem, & pietatem,imitarentur.Maximum tamen amoris pignus,fuit in adoptione constitutum. Fuit enim gens illa, quondam omnibus nationibus antelata, summisq. beneficijs ornata, & amplificata, ipsiq. Deo,legis fœdere, deuincta, ita,vt vniuersus

uerſus populus, Dei filius, Primogenitus appellatus ab ipſo Domino fuerit.

Et gloria,& teſtamenta, & legiſlatio, & obſequium.

Hebræorum gloria in numinis præſentis ope,& auxilio,conſiſtebat, quod gentem claram,& illuſtrem, faciebat. Nõ eſt,inquit Moſes,alia natio tam grandis, quæ habeat Deos præſentes ſibi, ſicut Dominus Deus veſter adeſt cunctis obſecrationibus veſtris. Non dicit autem,Teſtamentum, ſed Teſtaméta,hoc eſt fœdera, quia Deus multis pactionibus Iſraelem ſibi obſtrinxerat. Primum fœdus fuit cum Abrahamo percuſſum; alterum deinde fuit lege ſancitum; tertium deinde fuit cum Dauide iureiurando confirmatum; poſtremum fœdus fuit illud omnium ſanctiſsimum, ictum Chriſti ſanguine, quod maiore quadã religione Iudæorum genus alligabat. Omnia autem hæc fœdera, ad ſalutem Hebræorum, ſi fidem minime fallerent,pertinebant. Legis enim latio in Chriſtum, tamquam in veriſsimum finem,reſpiciebat;obſequium, id eſt,ſacrorum ritus, oblationes, & ſacrificia, Chriſti ſanctitatem adumbrabant.

Quorum patres,& ex quibus eſt Chriſtus,ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.

Multum quidem faciebat,ad ſtudium amoris excitandum,memoria Diuinorum hominum,e quibus gens illa originem ducebat. Illos autem præcipue ad miſericordiam miſeris tribuendam patrum memoria hortabatur,qui eodem ſanguine orti erant. Nihil tamen erat,quod magis Paulum Iudæos amare cogeret,quam intelligere, Chriſtum, Dei filium, generis humani liberatorem, Diuina, atque ſempiterna,gloria cumulatum,eodem genere propagatum fuiſſe.Hac igitur inſigni argumentorum collectione, oſtendit Paulus, quam multæ rationes eũ impulerint, vt propriæ ſaluti, Iudæorũ ſalutẽ anteponeret. Illa tamẽ præcipue ratio, illius animũ incitabat, quod videret,in Iudæorũ ruina Chriſti nomẽ perditorum hominum conuiciis expoſitum eſſe.Ideo autem adiungit,Qui eſt Deus benedictus in ſæcula; quaſi diceret, Fremant improbi,iactent conuicia, & maledicta; quantũ poſſunt,in eo laborent, vt Chriſti gloriam obterant;nihilominus tamen illius gloria in æternum inuiolata permanebit: eſt enim ille Deus verus,gloria Diuina circumfluens,quẽ vniuerſus Angelorum exercitus ardenter amat,religioſe veneratur, perpetuo cantu,atque laudatione,concelebrat.

Non quod exciderit verbum Dei.

Verbum Dei excidere, eſt, Dei fidem labefactari,& concidere.Quod fieret,ſi is promiſſa minime ſeruaſſet. Dei autem fides multis in dubium vocabatur,quaſi is in fide minime permanſiſſet. Sic enim dicebant: Hæccine eſt promiſsi fides?hæc fœderis religio, atque ſanctitas? hæc verbi Diuini conſtantia? Hunc tandem exitum habuit miſerrimæ gẽtis ſpes, vt,eo tempore, quo libertatem exſpectabat, duriſsimo dominatu premeretur;quo gratiã ſibi Diuinam proponebat,ira numinis infenſi iactaretur,& diriſsimas pœnas exſolueret? Sperabamus enim, futurum, vt, per Chriſti aduentum,omnibus malis noſtris finis imponeretur,& in ſumma dignitate,& gloria,verſaremur,&, hoc vt crederemus, Diuinis promiſsis ſumus multis in locis excitati. Tãtum vero abeſt,vt hoc effectum videamus, vt potius nulla miſeria cogitari poſsit,quam non cernamus ineſſe in noſtra calamitate.Expulſi enim,& eiecti,vagamur,cunctis hominibus odio ſumus; tyrannorum immanitate vexamur; ſpoliamur; paſsim concidimur,iniuriis innumerabilibus laceramur; reliqui mortales nos perpetuo trementes,& horrentes,adſpiciunt;nec vllum in ærumnis a cælo ſolatiũ nobis afferri ſentimus.Nullas proprias ſedes habemus;Regis præſidio caremus;ſacerdotij ſanctitate nudati ſumus; in exſilio diriſsimo verſamur;dedecore, & ignominia, deformamur;grauioribus in dies ruinis opprimimur. Quid hoc igitur eſt?Quid dicendum?Hoc certe;aut,nondum Chriſtum aduenïſſe;aut,Deũ, fidem,quam olim dederat, minime præſtitiſſe.Hæc erat(vt alibi iam diximus)impiorum hominum querella. Hoc igitur in loco Paulus,non pro laribus,& focis,(vt aiunt)ſed pro Diuinæ fidei ſanctitate, pro veritatis ſempiternæ conſtantia, pro clementiæ Diuinę magnitudine, atque (vt vno verbo dicam) pro Dei gloria, pugnat. Hanc ſententiam ante ſtrictim attigerat,dicens, Quid,ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt enim Deus,verax; omnis autem homo,mendax. Hoc igitur, quod Paulus in hac eadem epiſtola mira breuitate perſtrinxit, hic ſatis copioſe demonſtrat; neq. fidem, atque veritatem,ab omni calũnia defendit. Omnes antem,qui veræ pietatis ſtudio incenſi ſunt,hortor,& moneo,&,per Chriſti ſanctiſsimum numen,obteſtor,vt hunc locum attentiſsima cõſideratione legant,&,ſine vllo præiudicio receptæ opinionis,expendant.Magna enim res agitur;& ea,qua,meo quidem iudicio, potiſſima ſanctiſsimæ religionis vis, & ratio,continetur.Vt autem rectius mentem Pauli poſſint mente,& ratione, comprehendere;intelligant, non eſſe hic viro Diuino propoſitum, vt implicet triſtiſsimis curis animos,& pietatis quodã modo ſpem ſalutis incidat: quod facere conantur illi,qui ſic Paulum interpretantur, vt fatalem quandam neceſsitatem in

res

res humanas inducant. Tantum vero abest, vt ea sit mens Pauli, vt lōge secus omnia decernat, quam multi, nescio qua ducti via, & ratione, suspicantur. Quid igitur agit Paulus? In quem finem omnia illius argumenta hoc in loco diriguntur? In eum certe, vt gloriam Diuinam summa contentione ab hominum perditorum conuicijs tueatur; atque ostendat, Deum, summa constantia, quod promiserat olim patribus sanctis, eorum posteritati præstitisse. Promiserat enim salutem, libertatem, dignitatem, omnibus Israelitis: id, quod promiserat, summa fide confecit. Hoc autem probat Paulus quattuor rationibus. Prima, consistit in nominis explicatione. docet enim, non omnes, qui sunt Israelis satu propagati, esse Israelitas nominandos. Secunda, demonstrat, eos Israelitas, qui funditus euersi sunt, culpa sua euersos fuisse: nihil enim, quod ad eorum salutem pertineret, fuit a Deo prætermissum. Tertio loco, dicit, multos ex eadem stirpe fuisse salutis, & gloriæ, sempiternæ compotes, ita vt etiam in eorum salute fuerit Dei fides egregie comprobata. Postremo, futurum prænuntiat, vt Iudæorū genus vniuersum resipiscat, &, conuersione sua, salutem consequatur. Hęc igitur vt probet, & improbitatem eorum, qui in Deum contumelias contorquebant, quasi is minime fidem suam liberasset, acerrime coerceret, omnia illius argumenta; conferuntur. Ait igitur:

Non autem quod exciderit verbum Dei. Nō enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Primum igitur, quo modo Deus in fide permanserit, & promisso egregie satisfecerit, exponit; ostendens, nomen Israelis, ad quem promissio Diuina pertinebat, non in omnes conuenire, qui sunt Israelis sanguine procreati. Designat enim nomen hoc vires inuictas, & roboris Diuini principatum, quo qui præditi sunt, cum ipso rerum omnium Domino congressi, omnia, quæ volunt, ab eo facillime consequuntur. Quod quidem (vt iam admonuimus) illa lucta, qua Iacob cum Angelo certauit, expressum fuit, ex qua Israelis nomen obtinuit. Quid igitur? Num is eas vires admirabiles, atque plane Diuinas, ex aliquo carnis studio, & exercitatione, collegit? Minime profecto. Est enim omnis caro, tenuis; ita, vt nihil illa cogitari posit imbecillius. Ex gratia igitur Diuina, non ex natura humana, robur illud vir excellens assumpsit. Gratiam vero fide consequimur. Nomen igitur Israelis, non humanis operibus, sed fide inflammata, partum fuit. Non est igitur nominis huius dignitas, a carne, sed a fide, petenda. Qui igitur ab Israele degenerant, & in carnis flagitio volutantur, & vires, & nomen, & hereditatem, & sacra gentis, amittunt. Ex quo sequitur, eos non esse Israelitas appellandos. Similiter, nec omnes, qui genus suum ad Abraham referunt, sunt in illius filijs, optima ratione, censendi. Si quidem is verus, & legitimus, filius habendus est; qui patris hereditatem cernit, & non is, qui iure hereditatis excluditur. Sara autem viuente, duos filios genuit Abrahā; vnum, ex ancilla, secundum vim naturæ, generatum; alterum, contra naturam, ex ipsa Sara, vxore legitima, susceptum. Erat enim Sara, cum peperit Isaac, non modo, secundum naturam, infecunda, sed etiam senio confecta. At tamen, cum nihil sit, neque verbo Diuino valentius, neque gratia Diuina fecundius; factum est, vt mulier illa, quæ, florente ætate, numquam ex viro iuuene, atque robusto, conceperat, extrema tādem ætate, & effeto corpore, ex eodem viro, centesimum iam annum attingente, Diuinæ promissionis virtute, conciperet. Filius igitur ille, magis ad Diuinæ gratiæ beneficium, quam ad humanæ naturæ condicionem, pertinebat. Cum autem hereditas illa, quæ erat ad filios sanctissimi illius viri peruentura, non in humano aliquo iure, sed in gratia Diuina, consisteret; vter tandem æquius erat, vt hereditatem illam adiret? Is ne, qui, secundum naturam, procreatus exstiterat? An ille potius, qui, secūdum Dei gratiam, in lucem prodierat? Certe constat, fuisse rationi consentaneum, vt, qui fuerat Diuina promissione genitus, in hereditatis Diuinæ possessionem mitteretur. Dei enim filius appellari poterat, qui fuerat Dei promissione, & gratia, susceptus. Ideo, inquit, non, qui filij carnis, hi filij Dei; sed, qui filij promissionis æstimantur in semine. De ancillæ igitur filio, secundum naturæ cōdicionem generato, scriptum est, Non erit heres filius ancillæ cum filio liberæ: de legitimo vxoris filio, singulari Dei beneficio procreato, scriptū est, In Isaac vocabitur tibi semen.

Promissionis enim verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam: & erit Saræ filius.

His verbis sane perspicitur, semē illud promissum, non esse ad naturam, sed ad gratiam, reuocandum. Ex hac autem similitudine, ab hereditate illa, in qua fuit Isaac, singulari Dei beneficio, constitutus, elegantissime desumpta, probat Paulus, parū referre, quo quisque sanguine procreatus sit; sed, quem locū apud Deum obtineat; neque semen humanum, sed verbum Diuinum, Abrahami filios efficere; neque carne, & sanguine, sed Dei gratia, quā non lege mortua, sed fide viua, consequimur,

Regni

Regni cęlestis heredes institui. Omnia si quidem illa antiquitatis exempla, a viro Diuino, ad Diuinas opes, & ornamenta, nō incommode transferuntur. Aliud deinde exemplum similiter adiungit:

Non solum autem, sed & Rebecca ex vno concipiens Isaac patre nostro.

Hoc certe lōge mirabilius esse videbatur. Nec enim Esau fuit ex ancilla natus, vt Ismael. Gemini namque fratres erant Iacob, & Esau. Quod si ad tempus respicias, Esau videbatur esse præferendus, quia prius in lucem editus fuit. Et tamen frater fuit illi antelatus. Neque dici potest, Iacobi merita caussam huic pręstantiæ dignitatis attulisse. Antequā enim nati essent, iam Diuino consilio decretum fuerat, vt iunior frater principatum obtineret. Non possunt autem pueri, non dum nati, aut officio recte fungi, aut in re aliqua offendere. Non igitur hominis officium, Dei gratiam anteuertit; sed Dei gratia antecedens, facit, vt homo recte officio fungi possit.

Cum enim non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori.

Hoc testimonio, rursus comprimit elationem hominum; &, quod sæpe iam fecit, ostendit, nihil esse, quod caro, & sanguis, sibi possit adscribere. Si enim genus valeret, cur fuisset hereditas euersa ab Esau? Si merita humana Dei gratiam conciliarent, cur fuisset Iacob, ante quam nasceretur, electus? Nō igitur antecedens opus, sed Dei vocantis benignitas, filios Dei efficit.

Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo cui miserebor.

Quorsum attinet, ad iustitiæ defensionem, misericordiæ mentionem inserri? Locus primo adspectu videtur alienus. Verum. Recte tamen consideranti, nihil poterit ad æquitatis Diuinæ defensionem aptius excogitari. Misericordiæ enim Diuinæ constantia, quæ Dei ipsius verbis exprimitur, Diuinæ seueritatis æquitatem egregie confirmat. Satis enim clare cernitur; cum Deus misericordiā tribuit indignis; cum tanto studio homines ad se allicit; cum partim promissis inuitat, partim minis exterret; cum illis, qui veniam postulant, clementer ignoscit: cum denique nihil prætermittit, quod ad hominum salutē pertineat; illum esse natura clementissimum, & ad omnes homines ope sua conseruandos paratissimum. Proprium siquidem munus illius est, errantibus ignoscere, benigne facere, salutem constituere, gloriam dare, sempiternis bonis eos, qui fidem, & pietatē, colunt, afficere. Cum igitur suppliciū irrogat, quodā modo inuitus irrogat. Ob id igitur apud Prophetas interdum Diuini etiam gemitus audiuntur, cum est aliquod supplicium de hominum scelere, & contumacia, sumendum. Vnde colligitur, nemini esse in hac vita aditum salutis interclusum, cum omnibus hominibus Dei clementia, si illi non ad extremum clementiæ repugnauerint, prompta, atque parata, sit. Extrema igitur demētia, præceps furor, & insania, scelestum, & immane facinus, est, tantam benignitatem aspernari, opemq. Diuinam obstinate repellere. Itaque merito sempiternas pœnas perditi homines exsoluunt. Sua enim culpa pereunt, qui, si voluissent, Dei clementia, cunctis, absque discrimine, proposita, facillime seruari potuissent. Par enim est, vt, qui Dei misericordiam negligunt, in iram illius incurrant. Sua namque sponte tenebras luci, seruitutem libertati, egestatem diuitiis, mortem vitæ, prætulerūt. In illorum enim manu fuit, luce frui, libertate potiri, opibus affluere, immortalitatē consequi. Clementia igitur Diuina, mortalibus cunctis exposita, omnes illis, qui pereunt, excusationes præcludit; Diuiniq. iudicij æquitatem egregie defendit. Iccirco David, cum Dei clementiam imploraret, adiecit, Vt iustificeris in sermonibus tuis. Hoc est, vt iam exposuimus, cum mihi delinquenti, & veniam demisse flagitanti, veniam impertieris, æquitas seueritatis tuæ, qua sontes, & in scelere contumaces, insequeris, quam iusta sit, omnibus apparebit. Omnibus enim tunc constare poterit, si qui peccauerunt, se perinde, ac ego feci, abiecissent, & veniam similiter implorassent, eam sine dubio impetraturos fuisse. Non igitur Domini inclementia, sed sua peruicacia, pereunt omnes, qui pereunt. Cum igitur (vt iam id, cuius gratia hæc in medium allata sunt, ratione concludamus) clementia Diuina, in oculis hominum constituta, hominum perditorum amentiam conuincat, aptissime fuit allatum a Paulo illud misericordiæ Diuinæ testimonium, ad Dei ipsius seueritatem ab omni calumnia liberandam. Miserebor, inquit Deus, cuius misereor. Hoc est, constantissime beneficia mea tuebor. Non sum enim natura nimis ad seueritatē implicatus, sed valde ad clementiam, & benignitatem, propensus. Numquam igitur me collati in homines fideles beneficij pænitebit; immo tributa iam beneficia, maioribus, & amplioribus, cumulabo. Vt autem id magis inculcet, repetit eādem sententiam, verbis paullulum immutatis. Et misericordiam, inquit, tribuam, cui misericordiam tribuo. In quo nihil aliud facit, quam, dum clementiæ suæ magnitudinem, &

constantiam,& stabilitatem,explicat, eorum amentiam,qui illam a se reijciunt,damnet;&, quam iuste sit in eorum scelera vindicatum, aperte demonstrat:

Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

In eo insistit; eundem locum vrget; in eodem sapientissime commoratur; vt ostendat, non esse salntem,neqne dignitatem,neque generis nobilitatem, in carne & sauguine, nec, quod esse videtur maius, in operibus hnmanis,sed in Dei misericordia,constitutam. Frustra namque volumus aliquid præclarum gerere;frustra nitimur,arque contendimus,nisi Deus nobis subsidio occurrat. Currere autē, hic,est,conari,& eniti.Nullum enim studium, nullus conatus animi,nisi Deus præsens affuerit,poterit exitum felieem habere. Franguntur enim vires;animi vero concidunt, & rem pestatibns obrunntur; obiectæ bonorum species enanescunt;omnisq. vita,tenebris,& caligine,circumfusa, innumerabilibus malis implicatur. At, cum Deus nobis misericordiam illam suam impertit, mens illius lumine collucet; ânimus fit in dies altior, Diuinisq. viribus incitatur;omniaq. felicissime procedunt. Cum igitur aliquid præclarum, & amplum, gerimns, id non est hominum volūtati nudæ, aut humanæ industriæ, sed Diuinæ gratiæ,tribuendum. Cum igirur omnia præelara munera ad misericordiam Diuinam referenda sint, & Diuini generis amplitudo in mnueribus Diuinis etiam numeranda sit; sequitur necessario, vt veros Israelitas, non caro, & sanguis, sed magnitudo Diuinæ benignitatis, efficiat. Præterea,ipsa misericordia Dei,quanta sit illius æqnitas in improbis puniendis,ostendit. Hanc enim misericordiam fide inflammata consequimur,perfidia aspernamur, atque respuimus.In nobis est,(Deus enim opem suam non denegat) vel fidem verbis diuinis adiungere, vel contumaciter abrogare, saluti nostræ prospicere. Recte igitur supplicium sumitur de illis, qui, sibi præfidenres, a Deo deficiunt, libidinemq. suam placiris Diuinis anteponunt. Vtrnmque igitur ex explorata,& cognita, Dei clementia effieitur; nempe, & ea nobilitatem verissimam côntineri, & iram Dei in eos,qui misericordiam illius aspernantur,esse iustissimam.Quam sit autem infestus malis omnibus eorum hominum status, qui Dei misericordiam repudiant, perditorum hominum exirus exitiales declarant.Quocirca Paulus satis apposite Pharaonis exemplū adducit. Quo enim magis Pharao a se Dei clementiam repulit, & maiore contumacia monita illius contempsit, eo iustius a Deo factum fuit, vt is in tætriorem pestē incideret.

Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.

Testimonium hoc, quemadmodum & illud superius, est sumptū ex Exodo. Quod sic etiā ex Hebræo, non incommode verti potest, vt clarius orationis sensus elucescar. Propterea te consistere passus sum, vt ostendam tibi potentiam meam,& enarretur nomen meum in vniuersa terra. Hanc antem senrentiam ideo ex Hebræo fonte refero, vr possit multo clarius intelligi, & profligarorum hominum impudentia refutari, qui nituntur ex hoc loco impietatem suam cōfirmare,asserentes,Pharaonem a Deo fuisse excæcatū,in eamq. fraudem coniectum, vt ipse sibi pestem machinaretur. Quod quam falsum sit,aperte conuincitur. Nec enim dixit Deus, Ego tibi mentem eripui;ego te furere coegi; atque ob id tantū, quia mihi libuit, te a sempiterno tempore damnaui. Non id,inquam,dixit;sed id potius, Ego te din sustinni,& consistere permisi, vindictamq. distuli, eamq. ad amplissimum gloriæ meæ fructum reseruaui. Vocabat ille Pharaonem ad salutem; multisq. eum modis ab instiruto scelere deterrebat. Sed,cum Pharao illius imperium detrectaret, & opem oblatā contemneret, &, quasi equus indomitus, effrenata mente rueret; fuir Diuinæ iustitiæ, & benignitati,consenraneum,vt maleficus,& iniustus,homo funditns interiret. Iustitiæ quidē, quia ius Diuinum flagirabar, vt is,qui ad improbitatis, & impietatis, summnm peruenerar, supplicio sempiterno mactaretur; benignitari vero, quia in Pharaonis exitio multi numen Diuinum esse cognouerunt; & illius metu se continuerunt, ne summum iudicem fœdissimis factis irritarenr. Sic enim Deus meritas pœnas ab hominibus nefarijs expetit, vt in ea seueritate maximas admirandæ clementiæ parres suscipiat. Vt enim Rerum publicarum rectores,eos, quos leuioribus pœnis sanare non potnerunt,de medio tollunt,& sceleris illius pestem, atque quasi strumam, exsecant, ne ad vniuersam Remp. pestifera contagio permanet;& simul, exemplo seueriraris edito,facilius ciues in offieio contineāt; sic summus ille rerum omnium moderator, in eos,qui corrigi nolunt, susceptnmq. scelns insigni contumacia cumulant,exempla extremæ seueriratis edit,vt,illorum exitio,reliquorum hominū vniuersitati prospiciat. Ad hūc igitur modum,(vt ad Pharaonem redeamus) cum Deus illum clementissime per ministros suos admoneret, atqne castigaret; is antem, secundum duritiem suam, & impænirens cor, Dei clementia, ad sceleris amplificationem, abuteretur,& in dies magis,misericordiæ Diuinæ contemptn, Diuinæ seueritatis opes ad suam ipsius pestem congereret, eas tandem pœnas dedir, quæ multis mortalibus salutem

attule-

attulerunt. Non effecit igitur Deus, vt Pharao ad salutaria monita penitus obduresceret; sed Pharaonis ipsius duritatem, ad multorum hominum salutem, transtulit. Sic enim solet illa summa bonitas bona ex malis elicere, & inordinata in ordinem reuocare, vt, quamuis multa, contra illius leges, atque decreta, fiant, omnia tandem ad summam ordinis, & iudicij, conuenientiam referantur. Hinc etiam magis liquet, quo modo sit intelligendum illud, quod tam sæpe repetitum est, nempe, Deum cor Pharaonis indurauisse. Permisit enim hominis improbissimi potestati, quod vellet vel facere, vel conari; vt illum a scelere deterreret, elaborauit, monuit, instituit; illi in principio leuiores, deinde grauiores, plagas imposuit; diu vindictam distulit; cum hæc omnia nihil proficerent; factum est, vt vir sceleratissimus, beneficiis deterior, atque durior, in dies euaderet. Hac igitur ratione, dicitur Deus cor Pharaonis indurauisse. Insitæ namque improbitatis, præsertim cũ est impunitate diuturna corroborata, proprium est, beneficiis tætriorem in dies fieri. Sed finem horribilis illius cladis, qua Pharao exstinctus fuit, opus est, vt animaduertamus. Vt ostendam, inquit, in te potentiam meam. Num gloriã ab hominibus expetiuit, & ideo strages illas edidit, vt intelligerent omnes mortales, quam acer esset in armis? Non certe. Præterea, quam gloriam sibi peperit, cum Pharaonem, cum exercitu ipsius Pharaonis, in profundo demersit? Valde profecto tenuẽ. Hoc enim perinde fuisset, atque si quis homo militaris in eo gloriari vellet, quod magnum formicarum numerũ pedibus compressisset. Multo namque minus est, exercitus hominũ maximos a Deo puncto temporis sterni, & exscindi, quam innumerabiles formicas ab homine robusto proculcari. Ait deinde, Vt enarretur nomen meum in vniuersa terra. Nũ cupit sua caussa Dominus in ore omniũ versari, & laudibus frequenter extolli, vt ipse altior fiat, & dignitas illius in dies amplificetur? Quid autem, quæso, est, quod ad Diuinæ maiestatis, & dignitatis, immensitatem possit accedere? Nihil omnino. Cur igitur vult, vt nomen suum omnium hominum prædicatione celebretur? Ob id nempe, vt illius potẽtiam vereamur, & illius probitatẽ amemus; vt ita flagitia detestemur, & omne vitæ studium in illius veneratione consumamus; vt sic, tandem salui, & perpetuis gloriæ immortalis ornamentis exculti, simus. Nostri igitur caussa, gloriæ suæ consulit, vt suæ infinitæ bonitati satisfaciat. Hoc igitur posito, consequens est, vt videamus, quem fructum nobis afferet illa Diuini nominis prædicatio, si fuerit his verbis ab hominibus sapientibus explicata. Dicãt igitur illi, Notum sit omnibus hominibus, Pharaonem dirissima clade fuisse consumptum, nõ quia scelus nefarium designauit, sed quia ab æterno tempore fuit, voluntate Diuina, ad exitium destinatus, ita, vt, vellet, nollet, funditus interiret. Itaque, non, quia scelera cõflauit, fuit a Deo improbatus, sed, quia improbatus exstiterat, scelera conflauit. Non poterat enim ille quidquam boni, vel mali, gerere. Quidquid gessit, Deo impellente, atque adeo cogente, gessit. Deus enim illum omni ope sua nudauit, nudatum obcæcauit, cæcum in miseriam sempiternam coniecit. Quorsum? Vt iustitiæ suæ diuitias explicatas ostenderet. Age, quas diuitias narras? opes temeritatis, & immanitatis? Nullo, inquis, modo; sed iustitiæ. An iustitiæ munus esse putas, vt quisquam criminis alieni pœnas luat? Si Pharao ideo immania scelera suscepit, quia sic fuerat, Dei voluntate, cui non poterat obsistere, decretũ; si necessitate sempiterna fuit in tam dirum facinus attractus; quæ ratio iustitiæ fuit, vt is tam graues pœnas, ob vim Diuinam extrinsecus illatam, cui repugnare nullo modo poterat, sustineret? Sed de tam detestabili sententia plura hoc in loco dicere minime necessarium arbitror; maxime, cum in nostris de Iustitia libris, quantum meo iudicio satis fuit, de hac quæstione disseruerimus. Cum autẽ Deus, nõ, vt sibi melius sit, sed, vt saluti nostræ consulat, velit, vt nomen suum in vniuersa terra celebretur, libenter ab hominibus, qui sibi sapiẽtiam summam arrogant, quæsierim, quem fructum hæc prædicatio nominis Diuini potuerit afferre? Certe, nullum. Tantum vero abest, vt vtilitas ex ea vlla comparetur, vt potius mala omnia, quæ cogitari possunt, ex illa nascantur. Frangit enim industriam; spem mercedis incidit; mentem sollicitudine conturbat; &, vt reliqua omnia præteream, non Deo gloriam tribuit, sed, quod omnium dirissimum facinus est, sanctissimo, atque iustissimo, Domino iniquitatis scelus affingit. Quid enim iniquius cogitatione fingi potest, quã, ab hominibus miseris pœnas scelerum, quorum (vt aiunt) ipse Dominus impulsor, & effector, fuit, inclementer exposcere, eosque, qui nihil boni agere potuerunt, cruciatibus sempiternis afficere? Quã sit igitur indigna Paulo tam absurda sententia, quis non videt? Nõ igitur ea est Diuini nominis celebritas, quã Dominus in Pharaonis exitio requisiuit, sed illa potius, quæ docet, quam iuste fuerit in Pharaonis scelus animaduersum. Nam Dei voces audire noluit; imperium contumaciter, & impie, recusauit; beneficia Diuina contempsit; misericordia ad sceleris amplificationem furentur abusus est; scelus illius, cum bonitate Diuina, vsque ad extremum vitæ, decertauit: cum sanari potuisset, omnem medicinam, præ suo furore, & amentia, contempsit. Hæc, & his similia, sunt, quæ nomen Domini, cum magna hominum vtilitate, debitis laudibus exornant. Cernunt enim homines, in Pha-

in Pharaonis exitio, clementiam ingentem Domini, qua Pharaonem ad salutem inuitabat; cernunt deinde, quanta contumacia vir impius Dei clementiam contemnebat; vidēt postremo, quam iuste Dominus scelus illud vltus est. Hoc igitur exemplo, multi, Dei clementiam in cælum efferunt; hominis improbissimi facinus exsecrantur; & Dei iudicia pertimescunt. Sed (vt ad Paulū reuertamur) operæ pretium erit, attēdere, quam apte connexa sunt hæc adducta a Paulo testimonia. Primum enim, docuit, quod erat illi propositum, non sanguinis humani rationem, sed Diuinæ gratiæ magnitudinem, Israelitas veros efficere; nec ex humanis operibus, sed ex vocantis benignitate, splendorem cælestis agnationis exoriri. Sed, quia prima specie videri potuisset iniquum, & in eadem generis, & sanguinis, ratione, antequam vllum bonum, aut malum, opus exstaret, vnum ex geminis, amore, alterum odio, dignum iudicari; Paulus, explicatione Diuinæ clementiæ, quam sit æquū Diuinum iudicium, cum eos improbat, qui erant clementiam aspernaturi, egregie demonstrat. Postremo, id, ex Pharaonis exitio, & funestissima clade, quæ nullo modo est ad aliam caussam, quam ad voluntariam hominis profligatissimi contumaciam, & impudentissimam rebellionem, referenda, confirmat. Ex his igitur locis, constat, Deū esse clementissimum; & contra eos, qui clementiam illius aspernantur, optimo iure seuerissimū. Sic igitur cernimus, seueritatem Diuinam esse ab omni iniquitatis suspicione defensam. Hoc tamen Paulus in principio facit obscurius, vt acrius, atque vehementius, eorum audaciam comprimat, qui æquitatem in Diuino iudicio requirunt. Nam, cum illi Iudæos, innumerabilibus malis afflictos, & ope Diuina destitutos, animaduerterent; & rationē euersionis illius explicare minime possent; Deum iniquitatis accusabant: Contra, Paulus, exempla similia Diuinæ seueritatis adducit, quæ possent animos hominum caussarum ignoratione similiter implicare; vt doceat, iudicium illud, quo Iudæi conciderunt, neque nouum esse, neque inusitatum, nec ab æquitatis exactissima ratione discrepans. Sic enim locos illos subobscuros adducit, vt omnia impietatis argumenta dissoluat. Concludit tandem, omnem spem salutis Diuina gratia contineri, dicens:

Ergo cuius vult miseretur: & quem vult indurat.

Verum, ita tamen, vt misericordiam nō temere, sed secundum electionem, tribuat, & duritiam impietatis, non sine singulari iudicio, definito tempore, patiatur.

Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistit?

Inducit hic personam hominis audacis, atque de iudicio Diuino temere iudicantis; cui parum piam orationem affingit, vt sub hac inducta persona impietatis ipsius vocem cōmodius refutet. Sic igitur, inquit, quisque perditissimus. Si Deus, cuius vult, miseretur, &, quem vult, indurat, & illius voluntati nemo repugnare vllo modo potest; cur tam sæpe de hominum improbitate conqueritur? cur eos sceleris tam multis in locis accusat? cur illis adeo atrociter minitatur? cur eis interitum sempiternum denuntiat? cur denique eis supplicium irrogat, & ignem nullis sæculis exstinguendum? An non est valde iniquum, homines miseros a Deo cruciari, propter scelus, quod ipsi libera voluntate minime suscepere, sed ab eodem Domino, qui eos indurauit, vt facerent, coacti sunt? Hanc igitur orationem, sceleris, & audaciæ, plenam, Paulus acerrime comprimit, inquiens:

O homo, tu quis es qui respōdeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?

Duplici ratione coercet Paulus temeritatem eorum, qui nimis in iudicia sanctissimi Numinis inquirunt. Vna est, ostendere, quam audax facinus sit, in sapientissimo Domino rationem, aut in iustissimo iudice rectum ius, & æquitatem, requirere. Nec enim est vmquā de sapientiæ ipsius summa ratione dubitandum; neque iudicium ipsius iustitiæ in suspicionem iniquitatis adducendum. Eo enim, quod aliquid a Deo factum, aut iudicatum, fuisse constiterit, est statuendū, id non absque summo consilio, & singulari iuris sanctissimi ratione, gestum, aut statutum fuisse. Fieri quidem potest, vt neque facti consilium, neque iudicij rationem, perspicias. Vt autem Deus, absque recta ratione, & iudicio, quidquam designet, fieri certe non potest. Hæc igitur est vna ratio, qua Paulus hominum audaciæ, & temeritati, respondet. Altera, est, Diuinæ rationis explicatio, qua aliorum quidem miseretur, alios autem indurat. Quod autem ad primam attinet, sic in homines audaces, qui de consilijs Diuinis temere iudicant, inuehitur: Homo, non te circumspicies? non naturæ tuæ fragilitatē recognosces? non Dei Maiestatem verebere? eoq prorūpet audacia tua, vt sapiētissimum conditorem, & iudicem, aut temeritatis, aut iniquitatis, insimules? Multo quidē magis distat rationis tuæ iudicium a summi illius opificis sapientia, quam vas fictile a figuli artificio. Si tamen esset aliquis sensus in vasis fictilibus, non essent ea ferenda,

quæ cum figulo, a quo ficta fuerant, de fingendi artificio certarent. Multo igitur minus toleranda est homuncionis audacia, qui consilium summi conditoris, atque rectoris, accusat; & in illo, a quo omnis sapientia, atque iustitia, profluxit, sapientiam, & æquitatem, desiderat. Iisdem propemodum verbis Isaias, in eos, qui Dei iudicia ad humanum examen reuocare solent, incitatur. Væ, inquit, ei, qui repugnat conditori suo, testæ cum figulo contendenti. Numquid dicit lutum figulo, Quid facis? & opus tuum inutile est. Similiter apud Hieremiam ait Deus: Numquid, sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel? figulus enim in ipsius Hieremiæ conspectu vas ineptum confregerat, & aliud commodum instituerat. Ex ea autem similitudine, docet Dominus, in sua manu esse, Iudæorum nationem, impietate corruptam, confringere; & aliam, quasi vas quoddam, ad munera Diuina commodissimum, fabricari. Quæ quidem testimonia non eò pertinent, vt asseramus, Deũ absque delectu, vas aliud ad honorem facere, aliud ad contumeliam destinare; aliud item conterere, aliud rursus effingere. Contineat se tandem furor; & hominum perditorum scelus obmutescat. Qui enim sensum, tam Isaiæ, quam Hieremiæ, penitus inspexerit; videbit, in eisdem locis iudicij Diuini rationem admodum luculenter explicatam; & voluntario cuiusque scelere fieri, vt vas efficiatur in contumeliam iustissimo iudicio perfringendum: contra vero, liberum esse nobis, vasa vtilia fingi, sanctissimis vsibus consecrata. Quid? Paulus ipse num obscure hoc dicit? Non profecto; sed valde dilucide. Ad Timotheũ enim scribens, ait, fore, vt, qui se a pestilenti sceleſtorum hominum contagione segregauerit, fiat vas in honorem sanctificatum, & vtile domino. At in cuiusque libertate situm est, a pestiferis hominibus segregari. Aliter enim numquam Diuini homines tantam operam posuissent in hominibus admonendis, ne pollutum aliquid attingerent, ne ve se sordibus inquinarent. Cum igitur, ea similitudine ab operibus figuli desumpta, Prophetæ in sceleſtos homines inuehuntur, non est ea mens eorum, vt asserant, Deum, absque vlla caussa, a communi hominum genere secreuisse, quos ad gloriam destinaret, & quos exitio sempiterno deuoueret. Hoc enim non fuisset insectari scelus, sed, sceleri defensionem dare: quod fuisset contra illorum sententiam. Impietatem enim redarguunt, non scelus crimine liberant. Vt autem eo, vnde deflexi̇mus, redeamus; cum Paulus eadem similitudine vtitur, nullo pacto docet, aut Deum sine summo consilio sontes homines perdere statuisse; aut, libertatem hominibus ereptã fuisse. Quid igitur agit? Coercet temeritatem, refrenat audaciam, perterret amentiam; atque docet, non esse nimis curiose caussas, quibus Deus aliquid designauerit, inuestigandas; sed statuendum, fieri nullo modo posse, vt is quidquam, sine summa ratione, velit. Nihil enim a summa sapientia, & bonitate, fieri potest, quod non omnes admirabilis artificij, & iuris sanctissimi, numeros in se contineat. Hæc est illa prima ratio, qua superbiæ elationem comprimit, & impiam orationem refutat. Obiter deinde tangit alteram, de qua postea fusius disputabit. Sequitur enim:

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.

Est hic orationis præcisio, qua figura interdum Paulus vtitur. Est igitur aliquid intelligendum, vt sensus melius elucescat; veluti, si ita oratio cõcludatur, Et tamen Deum temeritatis insimulabis? Et tamen Deum in iniquitatis suspicionem vocabis? Sed diligenter animaduertendum est, quam singulari ratione Paulus simul vtrumque faciat. Nam & amentiam hominum de iudicio Diuino temere iudicantium acerrime comprimit, & ipsius iudicij caussam obiter exponit. Docet enim, vasa iræ a Deo non fieri, sed summa patientia sustineri; &, propter eorum duritatem, iustissime ad debitum supplicium reseruari. Explicat igitur, quo sensu sit accipiendum id, quod ante dixerat, nempe, Vas aliud in honorẽ, aliud in contumeliam, fieri. Dicitur autem Deus facere vasa in contumeliam, nõ quod ille quidquam in aliquo vase dignum contumelia fecerit: vasis enim naturam finxit, non flagitium, quod solum est contumelia dignum; sed, quia vas, quod sponte sua flagitium, & scelus, admisit, diu tolerauit, atque sustinuit, vt iram suã in illud, cum maturum tempus esset, infunderet, dictum est ab illo factum esse. Quantum vero absit, vt Deus aliquid contumelia dignũ creauerit, explicat Paulus, dum ait, Sustinuit in multa patientia. Docet enim, nihil tam pugnare cum Deo, quam peccatum; ita, vt, si fieri posset, vt dolor in Deum caderet, summum certe dolorem quoduis crimen, & scelus, Deo inureret. Summa igitur illi patientia opus fuit, ad contumeliæ vasa perferenda. Cum vero apta in interitum dicit, iudicij æquitatem commemorat. Iuris namque ratio flagitat, vt, qui vas misericordiæ fieri noluit, qui Dei clementię, ad extremum vsque spiritum, repugnauit, qui denique ipsi summo Domino grauem molestiam exhibuit; pœnas sempiternas lueret. Non dicit enim Paulus, cum de vasis iræ loquitur, Quæ Deus aptauit in interitum. Cum vero de vasis misericordiæ disserit, ait, Quæ Deus præparauit in gloriam.

Vnde clarius liquet, vasa misericordiæ, Dei gratia, & benignitate, fieri; iræ autem vasa, vniuscuiusque scelere fieri. Sed, quo tandem consilio Deus iræ vasa non repente perfregit, sed ea diu patientissime tolerauit? Vt ostenderet, inquit, iram suam, & notam faceret potentiam suam; vt denique explicaret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Erat quidem gloriæ Diuinæ consentaneum, vt, quemadmodum Deus clementiæ suæ opes ostendit, ita seueritatis opes explicaret, atque propalam collocaret. Primum quidem, vt cernerent omnes homines, esse numen in cælo, quod omnia videt, vt improbis dignam sceleribus pœnam irroget; deinde, cum Diuina gloria ad bonorum salutem stabiliendam, & gloriam amplificandam, conferatur, & boni magnum fructũ ex impiorum scelere, & ruina, capiant, iram suam diu continuit, vt eam tandem in malos effunderet. Bonorum namque virtus, improborum viribus, & insidijs, oppugnata, multo clarius enitescit. Maximum enim sui specimen virtus ipsa præbet, cum neque flagitiosorum hominum exemplo corrumpitur; nec vllis voluptatum illecebris, aut auaritiæ emolumentis, a studio æquitatis auertitur; nec vlla tyrannorum immanitate, aut suppliciorum atrocitate, frangitur; sed inuicta semper euadit; & agit clarissimum de hostium crudelitate triumphum. Præterea, impiorum casus, & ruina, multis mortalibus horrorem incutit, & hominum intemperantium mores immutat, & a vitæ prauitate ad officiorum religionem traducit. Initium enim pietatis est numinis Diuini metus, qui sępe numero multorum animis, ex clade iniquitatis, aut tyrannicæ potestatis, obijcitur. Cum enim cernunt homines, Dei iudicio in oculis constituto, quam sit numen cæleste improbis infensum, metu continentur, ne maleficia vlla suscipiant; & eo tandem progrediuntur, vt ad bonorum societatem adiungantur. Postremo, ipsa sempiternæ legis sanctitas, & constantia, Diuinæq. seueritatis ratio, penitus animaduersa, clariore quadã Diuinæ iustitiæ cognitione pios instruit, ipsosq. Domini gloriam vehementius illustrat; & illius bonitatem, per beneficia in sanctos homines collata, multo magis insignem facit; omnesq. bonos non mediocri gaudio perfundit. Lætabitur enim iustus, (vt inquit Dauid) cum viderit vindictam. Quia igitur tantus, & tam multiplex, fructus, est ex impiorum interitu capiendus, sustinet Deus impios interdum diutissime, spatiumq. illis resipiscendi concedit; & ad salutem inuitat, vt misericordiam suam illustret; eorumq. scelus, qui benignitatem illius contemnunt, extrema impudentia cumulatum dirissimis pœnis insequitur; quæ omnia in bonorum tandem gloriam conferuntur. omnia siquidem, aut facit, aut sustinet, propter electos. Qui vero electi sint, quos, Vasa misericordiæ nominat, explicat, dicens:

Quos & vocauit nos: non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus.

Rursus ad fidem cohortatur, & admonet, non in priscæ legis institutis, nec in seminis propagatione, sed in Dei gratia, & benignitate, quam Vocationis nomine designat, omnem nobilitatis rationem ponendam esse; neque multum referre, a quibus orti simus, sed, quanta fide iustitiam colamus, & Dei vocationi obtemperemus. Cum igitur omnia in gratia Diuina sint posita, & ipsa probitas Diuina absque vllo discrimine, Iudæos, & Græcos, ad salutem, & dignitatem, euocet; sequitur, vt omnes, tam Iudæi, quam Græci, sine vllo discrimine, (si fidem sanctè coluerint) possint ad vitam beatam, atque sempiternam, peruenire. Vt autem doceat, generis Diuini claritatem, non in seminis propagatione, sed in Dei vocatione, consistere, Oseæ testimonium adducit:

Sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectã, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit: in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos. ibi vocabuntur filij Dei viui.

Ex duobus Prophetæ locis testimonium sumit; illiusq. sensum in summa complectitur. Sensus enim Prophetæ, est, non esse carne, sed Dei verbo, nitendum. Futurum enim ait, vt Iudæi, qui carnis fiducia tumebant, & spem salutis in adumbrata religione collocabant, propter perfidiam, qua legis ipsius vim impudentissime frangebant, essent a Deo repellendi, ne in illius populo censerentur. contra vero, cum primum Dei, eos ad salutem vocantis, verbum, fide comprehenderent, &, ope ipsius Domini præmuniti, in viam redire festinarent; amissam repente salutem, & dignitatem & ornamenta, recuperarent. Si genus, si sanguis, si legis instituta, Iudæis solidum veræ dignitatis fructum afferre potuissent; numquã certe fuissent de pristina dignitate deiecti, cum numquam a carne deseri potuissent, & magna pars eorum in sacris peragendis fuisset semper intenta. Non igitur illos caro, aut lex, vllo modo iuuit. At, cum cernimus apud eundem Prophetam, eos, qui iam fuerant a stirpe sanctæ nobilitatis excisi, & a Deo prorsus alienati, rursus, Dei verbo, in Diuinã stirpem inseri, & Dei filios appellati; nonne clare cernitur, non humano sanguine, sed Diuina vocatione, verissimam nobilitatem contineri? Vnde colligitur, neque Iudæorũ statũ ita fuisse fundatũ, vt cõuelli, & cõcidere, minime potuisset; neque alienarũ gẽtium condicionẽ ita fuisse deplorandam, vt numquam possent ad spem felicissimæ condicionis excitari.

Potuissent enim Iudæi, quod tandem euenit, carnis, hoc est, legis, inani confidentia, vim ipsius Diuini verbi negligere: potuissent vero gentes, quod factum est, sibi omnino diffidentes, incensa fide, sese ad Dei nomen adiungere, illiusq. vocibus obtemperare. Nec enim fieri poterat, vt Diuinæ benignitatis immensitas eos excluderet, qui cum vigēti fide opem illius implorarent. Sic igitur opus fuisset, vt populus, fiducia legis inflatus, si Dei verbum impuritate vitæ negligeret, ornamentis omnibus spoliaretur, & Dei populus minime vocaretur; contra vero, gentes, ad salutem euocatæ, si Dei verbo fidē adiungerent, eademq. fide vitam gubernarent, generis Diuini dignitatem assequerentur. Quid igitur mirum, si factum est, quod fieri potuisset, & quod maxime fuit misericordiæ, & seueritati Diuinæ, consentaneum? Nullo modo, inquit Iudæus, hoc ferendum est; vt promissio, quæ nostri generis parenti facta est, ad eas gentes spectet, quę Israelis sanguinem nullo modo prorsus attingunt. Hanc stirpis inanem fiduciā tollit Paulus Isaiæ testimonio, inquiens:

Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.

Cum olim Deus Abrahamo prædixisset, futurum, vt semen illius esset sicut arena, quæ est in litore maris, hoc est innumerabile, & propemodum infinitum; Iudæi, huius tanti promissi fiducia insolenter elati, sibi semper pulchre fore confidebant; non intelligentes, non esse generis multitudine, sed virtutis amplitudine, gloriandum; neque multitudinem illam esse tam ad humanum sanguinem, quā ad Diuinam vocationem, reuocandam. Hanc igitur Iudæorum amentiam cōprimit Isaias, dicens, Non est, quod ex ea promissione, quæ fuit olim principi generis vestri facta, spiritus ingentes assumatis, atque sine cura sitis. Si enim fidem, & pietatem, neglexeritis, non vos eripiet a peste promissum illud, cuius confidentia impunitam licentiam vobis pollicemini. Vt enim sitis multitudine cum litoris arena conferendi, paucissimi tamen euadēt. Impendet enim dira calamitas, quæ impetu cuncta prosternet, ita, vt hi soli sint a communi rerum omnium interitu liberandi, qui fidē conseruauerint. Est autem hic Isaiæ locus a Paulo mirifice inductus. Exemplis enim probat, non labare fidem Dei, in communi Iudæorum exitio, & vastitate. Nec enim par est, vt fidei Diuinę fructus perueniat, nisi ad eos tantum, qui cum fide vixerint. Fide enim, non lege, sancta fuit Diuina promissio. Quamuis igitur ex multitudine innumerabili, quæ fidem neglexit, paucissimi reliqui fiant, qui fidem in naufragio retineant, egregie liberat fidem suam Deus cum exstincta, atque deleta, multitudine; paucissimos illos, qui permanserunt in fide, tuetur, atque conseruat. Sequitur autem in eodem loco:

Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.

Hoc in loco verbum Consummans, & Abbreuians, est Diuini iudicij decretum, & sententia, contra Dei contemptores iustissime lata; qua omnia propemodum, cum multitudinis improbitas ad improbitatis summum peruenit, euertuntur. Quod vt clarius fiat, sic locus ex Hebræo verti, paullo aliter, haud incommode potest: Decisa consumptio influet cum iustitia. Consumptionem enim, & decisionem, faciet Dominus Deus exercituum in medio totius terrę. Hoc est autem, Iure decisum, atque definitum, a Deo est, vt exitium, & vastitas, communibus rebus inferatur. Itaque verbum Consummans est illud numinis infensi iudicium, ad vniuersæ multitudinis interitum: quod fit, cum, oppressa religione, exsultat impietas; cum scelus, impunitate diuturna corroboratū, de afflicta probitate triumphat; cum leges obmutescunt, iudicia silent, principes e populo prædas agunt, populus principum exemplo corrumpitur; cum denique fides exstinguitur, & perfidia dominatur. tunc igitur, cum in toto reip. corpore vix aliquid sani reperiatur, ius Diuinum postulat, vt, deleta multitudine, pauci incolumes a cōmuni vastitate remaneant. Quemadmodum igitur in eluuione illa, qua terræ vniuersæ aquis vltricibus obrutæ fuerunt, octo tantum homines euasere; &, in quinque ciuitatum incendio, tres tantum patriæ funeri superstites exstitere; (in his enim tantum fidei reliquiæ residebant) ita, cum Deus gentem aliquam impietate corruptam iudicio persequitur, &, illata clade, consumit; pauci tantū, qui fidem, & pietatem, coluut, e communi rerum exitio, Domini misericordia, liberantur.

Et sicut prædixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen: sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.

Non est mirum, inquit: nec enim est nouū, & inusitatum, hoc Dei iudicium, quo Iudæorum genus est nunc miserabiliter afflictum. Ita enim Deus, cū omnia sunt sceleribus profligata, atque perdita, multitudinem corruptam, quæ in pestiferis morbis omnem medicinam respuit, illata vastitate, conficit, vt reliquijs tantum, quę in officio manent, ignoscat. Nec.n. Diuina gratia illis proposita est, qui gratiam eandē negligūt, & operibus suis innituntur; sed illis, qui fide vitā dirigūt, & perpetuo in magnitudinem Diuinæ benignitatis intuentur. At hi, si cū multitudine eorū, qui operibus insolescunt, & in se ipsis omnia ponunt,

confe-

conferantur, sunt pauci admodū. Ex quo plerumque fit, vt, cum Diuinum iudicium omnia peruertit, admodum pauci sint, qui iram illius effugiant. Hoc autem Paulus valde sapienter temporibus suis accommodat. Nisi enim ille, & reliqui discipuli, & deinde ij, qui eorum disciplinam secuti sunt, cōseruati diuina gratia fuissent, cum Deus extremam illam vastitatem Iudæorum rebus intulit, Iudæorum exitium fuisset cum Sodomæ exitio comparandum. Hactenus quidem Paulus exposuit illam primam diuinæ veritatis, & iustitiæ, defensionem; quā demonstrat, omnibus Israelitis, qui vere hoc nomen vsurpabant, fuisse salutem, per Christum, egregie constitutam; ita, vt nemo posset eo crimen, quasi fidem minime præstitisset, intendere. Veros namque Israelitas integra fides, non sanguinis communio, aut opera legis efficiunt. Nunc consequens est, vt alteram illam rationem, quę totā ex prima nota est, perpendamus, qua Paulus omnē caussam illius euersionis, qua Iudæi de statu conciderunt, in Iudæorum insolentia, atque rebellione, ponit. Sic enim sequitur:

Quid ergo dicemus? Quod Gētes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia nō ex fide, sed quasi ex operibus.

Hic iam clarius opposita argumenta diluit; & crimen, quod impij homines in Deum conferebant, ad Iudæos transfert. Docet enim eos Iudæos, qui aditu diuinæ benignitatis exclusi sunt, culpa sua exclusos fuisse. Si quæris, (inquit) cur Iudæi corruerint; cur expulsi, & eiecti sunt; cur cæci furore rapiantur, & infinitis cladibus agitentur; cur denique, quod est summum omnium malorum, iustitiæ disciplinam professi, iustitiæ lucem non videant; intellige, eos, arrogantia, superbia, elatione præcipites, in tam detestabilem amentiam incidisse, vt in pestem furenter irruerent. Viribus enim suis id se assequi confidebant, quod a Deo tantum erat exspectandum, & postulandum. Illis igitur maxime conuenit id, quod Paulus de gentibus ante dixerat. Cum enim Deū cognouissent, non illi gloriam dederunt, aut gratias egerunt. Is.n. Deo gloriā tribuit, qui Deum iustitiæ auctorem, atq. parentem, confitetur; qui nō industria sua, sed illius gratia, confidit; qui non operibus suis insolescit, sed Dei benignitate, gloriatur. Contra, qui sibi, vanissimis cogitationibus inflatus, sanctitatem assumit, &, quasi iam sit omnia iustitiæ munera consecutus, extollitur, Deo gloriam detrahit. Carnis enim operibus assignat id, quod est Diuinæ gratię tribuendum. Hæc igitur religionis assimulatæ confidentia, hæc impuræ mentis elatio, hæc impudens arrogātia, quę fidei vim, & efficientiam, tollit, & cum Dei gloria pugnat, est, quæ Iudæos euertit. Vt.n. fidei comes est humilitas; (qui enim fide ducitur, non sibi quidquam arrogat, sed omnia in Dei bonitate cōstituit) ita operis humani confidentiam fastus, & insolentia minime ferēda, consequitur. Minime igitur mirandum est; Deum, gentem, erroribus turbulentis, & perniciosis, inflatam, pœnis acerbissimis insequuta tuisse. Nam, cum omnis superbia sit apud Deū detestabilis, & exsecranda, tū ea, quæ nascitur ex inani virtutis, & sanctitatis, opinione, est omnium scelestissima. Quo modo? Quia superbia tunc viget in mentibus nostris, cum id, quod est ad diuina beneficia reuocandum, ita nobis assumimus, quasi nos ipsi nobis omnia contulerimus. Nā, qui nobilitate generis insolescit, qui honoribus inflatur, qui magnitudine pecuniæ tumet, qui denique reliquis opibus humanis extollitur, Deū non cogitat, neque se ab illo omnia, quæ habet, accepisse recordatur; & ea de caussa furit, & insanit; & reliquos homines pro nihilo ducit. Merito igitur est hominibus odiosus, & inuisus, & a Deo dirissima calamitate peruertendus. Sed, quo res, quam sibi homo arroganter assumit, est dignitate, & natura, præstantior, eo maiorē Deo iniuriam facit, cū sibi tribuit id, quod est a sola Dei gratia, & benignitate, postulandum. Ergo, cum nihil sit iustitia clarius, & illustrius, nihil amplius, & magnificentius, nihil denique, quod propius ad similitudinē Diuinæ pulchritudinis, & Maiestatis, accedat; restat, vt, qui iustitiæ sibi dignitatem arrogat, hostis Diuinæ gloriæ sit. Qui igitur, vel adumbrata religione, & non fide, operibus suis, & nō Dei gratia, iustitiā sibi partam esse cōfidit, est in Deū impius, & sceleratus. Præterea, omnis spes salutis est illis interclusa, qui, cum sint impurissimi, se iustos arbitrātur. Vt enim ægroti, qui se sanos, & valentes, existimant, cū sint valde periculosis morbis oppressi, sanari non possunt; sic est eorū salus omnino desperāda, qui morbos animorum suorum non sentiūt. Hac enim superbia furentes, medicorum opem minime requirunt. Non veni, inquit Dominus, vt vocarem iustos, hoc est, falso iustitię nomē vsurpātes, sed peccatores, id autē est, eos, qui se nocentes, & miseros, esse confitentur, eaq. de caussa facillime sese ad ipsius Domini pedes abijciūt. Ea aūt ratio est, qua publicanos, & meretrices, Dominus Pharisæis, & legis doctoribus, anteponebat. Nā, qui erant publica infamia notati, suum scelus agnoscebāt, & spiritus, si quos assumpserant, facile remittebāt, veniamq. suppliciter implorabāt: at Pharisæi, cum fronte, & supercilio, vitia multa tegerēt, sic sibi, religionis specie, placebant, vt cælum sibi deberi censerent. Sic autem eueniebat, vt Pharisæi, qui totam vitam in iustitiæ disciplina contriuerant, ad iustitiam minime peruenirent; publicani vero, & meretri-

ces,qui vitam in iniqnitate,& flagitio,cõsum pserãt,iustitiæ cõpotes fierent.Cur ita tandẽ? An,quod iustitia non sit opus hnmanum, sed beneficium Diuinum, a Deo cunctis hominibus, qui fide vigent, clementer oblatum?Sic autem fit, vt, qui supplices ad Deum fidenter adeunt, quamuis sint omnibus flagitiis infames, a Diuina benignitate veniam impetrent, & iustitiæ munera consequantur;contra vero, qui corporis habitu, & cultu, religionem ostentant,neque iustitiam a Deo petendam opinantur,non solum eam non obtineant,sed etiam non mediocri scelere impietatis obligentur.In se nãque id ponunt, quod solum est a Deo postulandũ. Hanc porro Pharisæorum,& Publicanorum,contentionẽ,iam licet ad Iudæos,atque gentes,transferre. Vt enim Pharisęi,habitu,& cultu religionis,quã profitebantur,inflati, reliquos Iudæos præ se contemnebant; ita Iudæi, reliquas nationes, vt impuras, & omni scelere contaminatas, aspernabantur; quod videlicet non essent circumcisæ,neque rufæ vitulæ cineribus adspersæ, neque variis lustrationibus expiatæ, neque reliquis sacris imbutæ; quibus ipsi Iudæi tantum tribuebant, vt in illis omnem vim, & rationem,iustitiæ ponerent. Sic igitur, cum non intelligerent, quam mortiferis morbis oppressi essent,non modo medicinam non requisiuerunt;sed ipsum medicum,qui eos curatum aduenerat, immani odio persecuti sunt. Gẽtes autem, flagitiorum recordatione deiectæ,cum nihil sibi tribuerent, ad opem Diuinæ gratiæ se se facillime contulerunt. Sic igitur effectum est,vt gentes, quæ iustitiæ nõ studebant,veram iustitiam, quæ nõ operibus legis,sed fide,comparatur,obtinerent;cõtra, Iudæi, qui assiduam operam iustitiæ nauabant, iustitiæ prorsus expertes permanerẽt. Quare?Quia non ex fide, sed ex operibus legis, iustitiam petendam esse statuebant. Sic enim, cærimoniis, atquę piaculis, inflati, se tumidos inferebant; vt nihil sibi amplius ad iustitiæ sanctitatem requirendum existimarent. Eoq. progressi sunt, vt ipsum iustitiæ fontem,vnde oẽs verissimæ sanctitatis rationes emanant,obstruere conarẽtur.Tãta erat hominũ cęcitas,& tam exsecrãda dementia.

Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali:& omnis qui credit in eum,non confundetur.

Petra offensionis,fuit Christus appellatus, eo quod in illum Iudæi, tamquam in tenebris cæco impetu ruentes,offensi, miserrime conciderunt. Locus autem, quem Paulus adducit,est apud Isaiam.Dominum,inquit,exercituum ipsum sanctificate. Id est autem,in illo fidem,in illo spem, in illo omnes rationes salutis,ponite. Tũ addit:Ipse sit pauor vester, & ipse terror vester,& erit vobis in sanctificationem. Hoc est autem,vos ab omni calamitate tutos,& inuiolatos,conseruabit. Vobis, inquit,qui spem in illo collocabitis, qui Maiestatem illius verebimini, salutem, dignitatẽ, & gloriam, conferet. Addit deinde,In lapidẽ autem offensionis,& in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & ruinam habitantibus Hierusalem. Itaque docet, futurum, vt ille ipse Dominus, quem sancte colere, cuius Maiestatem vereri, cuius iudiciũ metuere debemus, offensionis lapis infidelibus iure fiat,ita,vt in petra liceat & benignitatis sempiternæ prędidium bonis, & seuerissimum iudicium improbis,intueri. Quanta vero futura esset offensionis illius, atque ruinę,grauitas,ostendit,dicens,Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & capientur. Quantum enim inter fidem, atque perfidiam,discrimen sit, clare perspicitur.Fides enim facit, vt Christus sit nobis lapis, in sempiternę domus angulo constitutus; sit munitissimum in omni bellorũ tempestate propugnaculum;sit in omni angore, & sollicitudine,leuamẽtum; sit denique inuictissimum, in orbis etiam totius euersione, prędidium. Contra vero,perfidia,facit,vt Christus idem sit petra offensionis, in quem Israelis vniuersitas incidens, dirissimas pœnas impietatis exsoluit. Illud autem, quod Paulus adiungit, nempe,Et omnis,qui credit in eum, non confundetur; hoc est, non ignominia afficietur; est ex alio loco eiusdem Prophetæ translatũ. In eo autem sic Deum loquentem inducit: Ecce ego mittam in fundamenta Sion lapidẽ probatum,angularem,pretiosum,firmissime fundatum. Qui crediderit,non festinet. Paulus vero,Græcam versionem secutus,ait,Qui crediderit,non verecundabitur. Interpretes enim Gręci,non tam verba,quam sensum,expresserunt. Quid enim est,Qui crediderit,nõ festinet?Hoc nempe,ne metu trepidet;ne magno animi motu conturbetur;ne nimiam celeritatem,ad impendentis mali fugam,suscipiat;vt illis euenire solet, qui in rebus turbidis, & afflictis, cum nulla certa spe firmati sint,in omnes partes excurrunt. Alibi inquit idem Propheta,In silentio,& spe,erit fortitudo vestra.Quies enim,atque silentium,animi constantiam significat, quę fide perficitur. Contra vero, motus, atque trepidatio, & in varias partes excursio, est infelicitatis argumẽtum.Id igitur,quod scriptum est,Qui crediderit,non festinet,perinde est, atque si diceret, Eadem fide ita corroboretur, vt calamitatem minime pertimescat. Rursus, cum dicitur, Qui crediderit, non confundetur;idem est,quod, Calamitatem minime patietur.Cõfundi enim, hoc est, dedecore, & ignominia deformari,tunc accidit,cum homines amentes,se nudatos animaduertunt illius rei prędidio, in qua omnia vitę subsidia habuerant;

con-

conſtituta. Quemadmodum illis eueniebat, qui, vel in ſimulacrorum cultu, vel in fide externorum principum, vel in humanis opibus, præſidia vitæ collocauerant. Quod certe non eueniet illis, qui omnem ſpem ſuam in Christo conſtituunt. Vnde plane liquet, (vt diximus) eundem Prophetæ ſenſum a Paulo, & ab ijs, quos Paulus hic ſequitur, aliis verbis explicari.

CAP. X.



Ratres, voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis quod æmulationē Dei habēt, ſed non ſecundum ſcientiam.

Amorem ſuum in eos, qui ad lapidem alliſi conciderunt, &, ſpecie imbecillitatis, quam in Chriſto cernebant, offenſi, numen illius pæne in oculis poſitum cernere noluerunt, egregie declarat; eum oſtendit, quanto ſtudio pro illorum ſalute vota faciat. Tum, in eorum accuſationem verbis quidem leniſsimis, ne animos, quos ſanare cupit, grauius exulceret, re autem vehementiſsimis, incumbit. Tribuit enim illis, Diuinæ legis ſtudium; ſed ita tribuit, vt eorum furorem, & amentiam, in eo ſtudio inſignem faciat. Quanta vero fuerit eorum amētia, ea, quæ continuo ſequuntur, exponunt.

Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuā quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.

Primus Iudæorum lapſus fuit, quod minime, quantus eſſet iuſtitiæ ſplendor, & dignitas, ſuſpicari potuerūt. Nam, ſi illius pulchritudinem oculis videre potuiſſent, profecto intellexiſſent, eam non eſſe in vmbris, & imaginibus, ſed in ſolidæ, & expreſſæ, virtutis ipſius veritate collocandam, nec a nobis ipſis aſſumendam, ſed a Deo petendam. Eſt enim illa, diuini decoris effigies, legis ſempiternæ deſcriptio, ſplendorq. cęleſtis, atque diuinus, e lumine diuinæ mentis exortus. Vnde plane colligitur, illam non eſſe hominum inuētum, ſed diuinum munus, atque beneficium. Alter vero lapſus, ab hoc primo natus, is fuit, quod in ea iuſtitia, ad quam ſtudio, & induſtria, peruenire poterant, tantum dignitatis ineſſe ſtatuebant, vt nihil ad ſummam religionis ſanctitatem amplius requirendum ſtatuerent, & reliquos mortales, in quibus ea religionis inſignia minime videbant, intoleranda ſuperbia faſtidirent. Adeo namque amētes erant, vt non intelligerent, quantis ſordibus infecta ſit humana iuſtitia. Iſaias enim facit eam ſimilem pannis, qui veſtibus vetuſtate laceris aſſuuntur. Non enim veterem veſtem redintegrant; ſed eam multo magis diſcindunt, atque dilacerant. Sic enim eſt humanæ iuſtitiæ cultus. Non ornat mentem, non veſtit animū; non flagitiorum intemperiem depellit; quāuis flagitia ad aliquod breue tempus obtegat. Sic enim ea obtegit, vt deinde, cum maiore dedecore, & ignominia, in omnium conſpectu, nudata proponat. Vt enim, cum paries, argilla exſtructus, multas ſimul ruinas agit, fruſtra tectorium inducitur, ſic, cum animus æger eſt, & multis vitiis obnoxius, fruſtra, ſpecie, atque ſimulatione, religionis, quaſi velis, obtenditur. Hac autem iuſtitiæ ratione, mirifice ſibi placebant Iudæi. Manus enim lauabant; animum ſordibus inquinatum gerebant; quadrupedes in Dei honorem iugulabant; nequitiæ ſuæ interitum non afferebāt; labiis Deum orabant; mentem vero a diuinæ probitatis conſideratione remouebant; vt legem ediſcerēt, elaborabant; &, omni vitæ ſtudio, legis inſtituta, quæ ad veræ iuſtitiæ rationem pertinebant, nefarie conculcabant. Sic denique, & circumciſionem, & reliqua iuſtitiæ ſigna, retinebant, vt ea, quæ ſignis illis exprimebantur, omni viuendi ratione contemnerent. Vt enim, qui, naturæ tantum monitu, cum Deum, ſine gratiæ Diuinæ ductu, qualis eſſet, inquirerent, eumq. inuenire non poſſent, falſos ſibi Deos in terra finxerunt; ita Iudæi, cum iuſtitiæ operam dare cuperēt, eamque, qualis eſſet, prorſus ignorarent, in iuſtitiæ ſimulacro conſtiterunt. Itaque, dum legem ſumma contentione tuebantur, legis mentem, & rationem, cōtumaciter, & impie, conuellebant. Quo modo id ab illis fieret, Paulus conſequenter exponit:

Finis enim legis, Chriſtus: ad iuſtitiā omni credenti.

Quo modo Chriſtus legis finis ſit, iam Paulus, aliqua ex parte, nobis expoſuit. Quod, inquit, impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus, filium ſuum mittēs in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Auctore igitur Paulo, docemur, Chriſtum ideo carnem peccati pœnis obnoxiam induere voluiſſe, vt peccati vires elideret, & carnis impuritatem profligaret, vt, carne edomita, & cōpreſſa, poſſemus, Chriſti præſidio ſubnixi, veram iuſtitiam colere, in quam lex ipſa reſpicit, quamuis eam, vi, & natura, ſua, efficere non poſsit. In Chriſti igitur præſidio, atque præſenti numine, cōſiſtit omnis legis finis, atque perfectio. Ipſe nāque factus eſt nobis (vt Pauli verbis vtar) ſapientia a Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Quod autem lex in Chriſtum reſpiciat,

ſpiciat,

ſpiciat,& Chriſti ipſius ope finem ſibi propoſitum conſequatur,Paulus Moyſis teſtimonio confirmat.Sic enim ait:

Moyſes enim ſcripſit,quoniam iuſtitiã quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea.

Cum Ea dicit, ſanctiones legis intelligit. Panlus autem per Iuſtitiam, quæ ex lege eſt, legis ipſius vim,atque naruram, ſignificat,æternæ quidem vitæ ſpem lex oſtendebat, non anguſto temporis ſpatio definitam, vt quidã parum conſiderate dicunt.Sic enim ipſe ſummus legislator eam interpretatur.Nam,cum adoleſcens ab eo quæreret, quo modo in vitã æternam ingrederetur,reſpondit: Si vis ad viram ingredi,ſerua mandata. Itaque plane dicit ipſe Dominus,qui legem tulit,legis obſeruatione viam ad ærernam vitam muniri.Sed ad legis iuſtitiam redeamus. Quid eſt,quod lex docet? Num ſatis eſſe,ad æternitatem vitæ comparandam,legem audire? legis volumina noctes & dies verſare? Num poſtremo totam legem memoria continere? Non profecto.Non enim auditores legis, ſed factores eorum,quę lex ipſa pręſcribit,iuſti ſunt apud Deum. Quærendum rurſus eſt, num lex ipſa vires elargitur, quibus poſsimus, quæ ſunt ſancita lege,perficere.Non prorſus. Eſt enim (vt ſæpe iam vidimus) impedimento cupiditas, quo minus legi pareamus: dominatu antem cupiditatis, vi legis, liberari non poſſumus;ſed Chriſti gratia, quam fide, & non lege, conſequimur. Cum igitur Moyſes dicit, Homo, qui fecerit, viuet in ea; hoc certe dicit, Legis præcepta, & inſtituta, ope Chriſti indigent.Nam ſine illius gratia perfici, & abſolui,non poſſunt. Si fecerit, inquit. Non igitur ſatis eſſe, legem audire, pronuntiat, ſed facere. Facere autem nemo poteſt,quod lex iubet, niſi Spiritus ſancti gratia fulciarur: quemadmodum ex alio teſtimonio Moyſis, quod Paulus interpretatur, intelligi poteſt.

Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum? id, eſt Chriſtum deducere. Aut quis deſcendit in abyſſum? hoc, eſt Chriſtum a mortuis reuocare. Sed quid dicit? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.Hoc eſt verbũ fidei quod prædicamus.

Diuinitus quidẽ hoc in loco Diuinus Paulus explicat viri Diuini ſententiam. Sic autẽ ſcriptum eſt in Deuteronomio: Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt,neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſsis dicere, Quis noſtrum valet in cælũ adſcendere; vt deferat illud ad nos,vt audiamus, & opere compleamus? neq. trans mare poſitum,vt dicas, Quis poterit e nobis traijcere mare, & illud ad nos vſque deferre; vt poſsimus audire, & facere, quod præceptum eſt? Sed iuxta eſt ſermo valde in corde tuo, & in ore tuo,vt facias illum. His quidem verbis Moyſes nihil aliud agit, niſi, vt oſtendat, legem, quod ad iuſtitiæ præcepta attinet, non eſſe ſeruatu difficilem. Illius autem ſeruandæ facilitatem,non in ipſa lege,ſed in fide,ponit. Fides enim, cæleſte ſibi ſubſidium comparat; quo quidem id, quod viribus humanis effici non poterat, viribus Diuinis efficiat. Recte quidem diceretur a quibuſdam, ſola fide iuſtitiam comparari,ſi eorum ſenſus cum Moyſis ſenſu, & Pauli mente, congrueret; & non ad aliam ſententiam valde impiam, & fidei ſanctitati contrariam,raperetur. Fides enim ſola,hoc eſt, abſque legis auxilio, vere dicitur ſalutem comparare, non quod credere ſatis ſit ad ſalutem,ſed,quia,firme credẽdo,& omnem ſpem in Chriſto reponendo, Dei gratiã conſequimur, qua legi pareamus; &, quidquid lex Diuina iubet, inflammatis animis exſequamur.Hoc eſt igitur, quod Moyſes aſſerit,nempe, omnia vigenti fidei fore facillima.Fides enim hoc aſſequitur, vt lex Diuina animis imprimatur;neque ſolum mentes illuminet,ſed animos robore confirmet; quo facile queant imperata perficere. Hæc eſt autem iuſtitia fidei. Ea enim eſt lex ſpiritus vitæ,mentibus inciſa,cuius ardore(ignea namque a Moyſe alibi nominatur) totus animus ita concaleſcit, vt otium minime patiatur, ſed omnia ſtudia vitæ in ſanctiſsimis actionibus conſumat.Huc igitur Moyſes reſpiciens, aiebat: Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum: quaſi diceret, Si forte, dum vel libidiuis immanitatem, vel tuam imbecillitatem,recognoſcis,dubitas,an poſsis legem ſeruare,& illius inſtitutis fidem, & pietatem,colere;ne ſis triſtiſsimis curis anxius, & caſum præcipitem valde ſollicite reformides. Hoc tamen habeto,nullo modo fieri poſſe, vt Dei lege vitam modereris, niſi tibi e cælo auxilium afferatur. Sed non eſt, cur in cælum cupias adſcẽdere,vt a Deo auxilium petas.Certe enim,ſi Deo,ſtudio inflammato, fidem habueris,is tibi ſubſidio confeſtim occurret, numenq. illius tuo pectore incluſum continebis; quo facillime cuncta,quæ lex ipſa ſancit, exſequaris. Prope eſt enim verbũ in corde tuo, & in ore tuo.Hoc eſt;confide, tibi præſidiũ minime defuturum.Hoc aũt præſidiũ,quod Moyſes intelligit, fide comparatum, Chriſti meritis,& religione,continetur.Per illum enim, vt Paulus, ad Epheſios ſcribens, ait, placuit Deo, genus humanum ſibi coniungere, omniaq. inſtaurare,Diuiniſq. muneribus, atque donis,afficere; ita, vt nemo vmquam a generis humani primordio ſalutem inuenerit,niſi perdilectum filium, cuius ſanguine omnes,

qui

qui fidem vnice coluerunt,expiati sunt. Nā, etiam ante quam pro nobis in Cruce profusus esset,a Patre præuisus,vim salutarem habebat ad morbos animorum sanandos,vitiorumq. nostrorum maculas abstergendas. Vt enim communis etiam fides illa,quam implicitam nominant,qua multi olim,ante Christi aduentum,crediderunt, Deum esse, & inquirentes se remunerare, a Deo approbaretur; summi illius interpretis,& pacificatoris, gratia factum est.Omnis igitur laudabilis,& prędicanda,fides,semper fuit,aliqua ratione,vnici filij Dei, & nostri liberatoris, sanctitate,& meritis, innixa. Nam omnes,qui fide, quam paullo ante diximus, iustitiam cōsecuti sunt, eam,illius ope singulari,consecuti sunt. Vt igitur ad Pauli sententiam redeamus, is Moysem sane luculenter exponit. Nam, pro eo, quod Moyses ait,Quis adscendet in cælum,vt deferat illud ad nos? dicit: Quis adscendet in cælum? Hoc est, Christum deducere. Pro eo, quod Moyses ait, Quis poterit traijcere mare, & illud ad nos vsque deferre? posuit Paulus,Quis descendet in abyssum? Hoc est,Christum a mortuis reuocare.Est autem Abyssus, aquarum immensitas,cuius fundus facile penetrari non potest. Idem est igitur Abyssus, quod Profundum mare.Abyssi tamen nomen libentius vsurpauit Paulus, eo quod erat mysterio Christi,a mortuis excitati,conuenientius.Cum igitur Moses dicit, Quis adscendet in cælum, vt deferat illud ad nos, & per illud nempe verbum, hoc est,gratiæ Diuinæ singulare præsidium,intelligat;& similiter,cum dicit, Quis poterit traijcere mare, & illud ad nos vsque deferre; & pronomen illud, ad Dei gratiam referat, quæ gratia Christi numine, & beneficio, continetur; satis conuenienter, & apposite, Paulus,vtrobique,Christi nomen applicuit. Sic enim sententiam Moysis interpretatur.Ne tibi difficile videatur,o homo,legem seruare.Nam,si is,cuius ope tantum nixus,poteris legi parere,esset tibi,viribus tuis e cælo deducendus,aut ab abyssi profunditate reuocandus; cum ratione diffideres. At is tibi semper accurret, quoties fidenter opem illius imploraueris; vt ita perpetuo Dei auxilio muniaris, vt omnibus maximarum virtutum officijs persungi possis.Is quidem,vt magis fidem firmaret,e cælo in terras descendit, vt tibi semper adesset; & a mortuis seipsum excitauit,vt te,peccatis exstinctum,in vitam restitueret. Iustitia igitur legis hoc tantum præstat, vt doceat, se nullo modo exitum reperturam sine iustitia fidei.Quo modo? Quia vitam sempiternam pollicetur, non quidem illis,qui legis scriptæ volumen assidue versauerint,sed,qui ea,quæ lege præscribuntur,effecerint. Perficere autē nemo poterit absque gratia Diuina, quæ quidem non lege, sed fide Christi,comparatur. Vnde sequitur,legem sine fide, nullam prorsus opem hominibus afferre posse. Hoc,inquit,est illud verbum fidei, quod est corde comprehensum, & ore fideliter enuntiatum; quod facit,vt, quod a nobis, legis vi, fieri non poterat, fidei vigentis opera,cum facilitate,& iucunditate,perficiatur.

Hoc est verbum fidei quod prædicamus.Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit a mortuis: saluus eris.

Quantam vim habeat verbum Fidei,quo modo per illud Christus ipse sit a cælo deducendus, aut ab inferis suscitandus, ostendit. Fide,nēpe. Fide,inquam,non languida,sed viua, atque vigente, & ad obediendum alacriter incitata. Nec enim vere,& ex animo,Iesum Dominum confitetur, qui illius imperiū detrectat. Ille siquidem nobis dominus est,cui seruimus. Non recte fidem Christi,ab inferis excitati, conseruat, qui e vitiorum tenebris, quibus miserrime sepultus est,emergere non festinat.Qui enim audient vocem filij Dei,vita perfruentur; qui vero eam audire recusauerint, a morte sempiterna deuorabuntur.

Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.

Intimæ mentis fide,iustitia comparatur;fidei vero professione,sempiterna salus obtinetur.Iustitia enim,ad mentis sanitatem;salus, ad sempiternam gloriam, referenda est. Vt autem mentis sanitas, atque iustitia, conseruetur,oris confessio necessaria est,non vana, nec ad tempus simulata,sed vera,& constans, tantoq. robore munita, vt neque totius orbis deflagratione conuelli, aut labefactari, possit. Hac enim fidei confessione,omnia opera sancta,homineq. Christiano dignissima,continentur. Nec enim vera esset confessio, nisi vita cum confessione congrueret. Nam, qui seruit libidini, qui seruit flagitio,& turpitudini, qui seruit iracundiæ, odio,& immanitati;non confitetur Dominum Iesum, cum libertatem suam in miserrimam seruitutem tæterrimis dominis impudenter addixerit.Qui vero Iesum vere Dominum confitetur, placitis illius,quem Dominum agnoscit,vigilanter obsequitur, &, cum minime illius iussa trāsiliat, saluus erit,siue ex Hebræo genere ortus sit,siue ex quacumque alia stirpe progenitus.

Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum,non confundetur.

Testimonium est sumptū ex Isaia, qui quidem salutem omnibus, absque vlla distinctione,qui fide stabiliti fuerint, pollicetur.

Non enim est distinctio Iudæi & Græci:

ci:nam idem Dominus omnium,diues in omnes qui inuocant illum.

Repetit easdem sententias,quas in multis huius Epistolæ locis spatserat,vt totam dispu tationem concludat. Omne namque discrimen Iudæorum,& gentium, tollit, cum,Deū, eundem esse,Iudæorum,& gentium, dominū, docet;ita,vt omnibus ex æquo prospiciat. Iudæorum etiam inuidiam oratione perstringit,qui,quasi metuerent,ne,si Deus opes suas gentibus etiam aliis largiretur, essent ad ino piam tedigendi, ita libetalitatem illius in an gustias redigebant. Quemadmodum igitur maligni serui ferre non possunt æquo animo dominorum beneficentiam,(putant enim intercipi sibi, quod aliis donari conspiciunt) ita Iudæi indignissime patiebantur, Dei bonitatem ad gentium aliarum vtilitatem diffundi. Paulus igitur hanc Iudæorum malignitatem coercet,inquiens: Non existimetis,ho mines improbissimi, immensas Dei opes exhautiri posse: non vos inuidia conficiat: non enim vobis,si in fide manseritis,detrahetur id, quod aliis nationibus conferri videritis. Diues enim est Deus,ad omnes mortales,qui nomen illius inuocauerint, summe locupletā dos.Qui nomen illius innocauerint,inquit;vt salutis prorsus expertes ostendat eos, qui no men Domini inuocare neglexerint,Quæ qui dem inuocatio,sine fide, constare nullo modo poterit.Sequitur enim:

Quo modo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quo modo credēt ei,quem non audierunt? Quo modo autē audient, sine prædicante? Quo modo vero prædicabunt,nisi mittantur? Sicut scriptum est: quam speciosi pedes euangelizantium pacem,euangelizantium bona?

Vt omnem Iudæis defensionem præcidat, argumentum gradatim obiicit, quod continuo dissoluit. Fides (inquit) Dei verbo nixa est,quo mēs incitatut ad opem Diuinam implorandam.Itaque fides excitari nequit, nisi Dei verbum etudiēs antecedat. Dei verbum audire nemo potest,si non sit,qui illud annun tiet.Fas autem non est, vt quispiam Dei verbum annuntiet, nisi is tantum, ad quem fuerit hoc tantum munus,Diuino iussu,& imperio,delegatum. Si igitut non in omnes partes fuerint bomines diuinitus missi, qui mor tales Dei cognitione diligenter instruant,po terunt multi, ignorationis excusatione, defendi. Non est enim omnibus salus ostensa,si non constiterit, esse multos a Deo missos,qui omnes erudiant. Poterunt igitur fortasse Iudæi,hāc ignotationem magnitudini suæ prauitatis obtendere.Hoc ne dici posit,Isaiæ testimonio demonstratur. Cum enim vir Diuinus eorum decus,& gloriam,celebrat,qui Euangelium nuntiarunt;cum illotum Diuinas laudes admiratnr qui orbem tertatum Christi nomine compleuetunt;& eos a Deo plane missos esse testificatur;& simul ostendit, nihil fuisse a Deo ptætermissum, quod ad salutem hominum illorum pertineret; omnem defensionis ansam præcidit.Legauit enim summos viros, rerum Diuinarum cognitione mirabiliter instructos, qui disciplinam cælestem tra derent;illustrauit illos Diuinæ virtutis mune ribus,& ornamentis;multis signis vehementer admirandis eotum auctoritatem constituit; dedit illis vim quadam dicendi, ad animos in pietatis studium acriter incitandos. At multi,totam hanc legationem,vt cupiditatibus nefariis obsequerētur, spreuere;Dei benignitatem, insigni contumacia, repulere;salutemq. suam,impudenter,& impie,pro didere. Omnis igitur ruinæ caussa hominibus ipsis, qui sponte sua conciderunt, non Deo,qui tam multa præsidia,ad hominum vi tam,comparauit,assignanda est. Liberi quidem fuissent homines a perfidiæ crimine, si eis Euangelium minime fuisset enuntiatum. Cum vero doctrina cælestis illis tradita, & inculcata sit;cum nihil omnino fuerit a Deo, ad illotum eruditionem, atque salutem,omissum; nullam possunt habere perditi homines rebellionis,& sceleris excusationem. Vocati namque sunt,exterriti minis,inuitati muneribus,afflicti plagis,omnibusq. modis excruciati, vt ad studium tandem aliquod religionis incumberent; sed omnia dona respuerūt, &,præ nimia,contumacis, & effrenatæ,volun tatis,insolentia,omnes Euangelij sempiterni sanctiones neglexerunt.

Sed non omnes obediunt Euangelio.

Multis iam in locis admonni,ptæcipue vero in nostris de Iustitia libtis, Fidei nomine apud Paulum sæpenumeto obedientiam designari. Nec apud illum tātum,sed etiam apud alios Diuinos sctiptores, idem est interdum Fides, quod Obedientia. Est enim Fides,firma mentis assensio, auctoritate dicentis excitata. Cum igitur omnes actiones iudicium antecedat, (nemo enim agit ratione aliqnid,nisi ptins iudicet, id, quod agit, salutare,& expetendum esse)consequens est,vt,quo iudicium firmius,& constantius est,eo diligē tius susceptum officium,& munus, exsequamut. Cum vero nullum iudicium certius esse posit eo,quod fides, Dei verbis adiuacta, facit;restat,vt fides,si vim suam non remiserit, nos ad legis Diuinæ cultum, quo cette nihil salutarius esse potest,alacres, & promptos,efficiat. Qnamdiu igitur viuit,atque viget,fides, nemo est, qui obedientiam relinquat. Non igitur immerito Fides Obediētiæ nomine interdum designatur, quēadmodum hoc in loco cernimus. Sequitur enim:

Isaias

Isaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro?

Si idem non esset Credere, quod Obedire, parum apte fuisset testimonium Isaiæ de hominum infidelitate prolatum, ad ipsorum hominum scelus, quo Euangelij imperium recusant, conuincēdum. Sed, quam tardi, & pigri, sint homines addicti, & obstructi sensibus, atque terrenis curis, impliciti, ad fidem Deo habendam, cum Diuinum testimonium sensibus humanis aduersatur, explicat Propheta, cum exclamans, ait, Domine, quis credidit auditui nostro? Animo namque prospiciebat illā Christi faciem afflictam, & abiectam, verberibus, contumelia, crucisq. supplicio, deformatam, illam summam intolerādi doloris acerbitatem, & extremam conuiciorum ignominiam, in qua brachium Domini, vt ipse ait, hoc est, vis Diuina latebat, illam gentis suæ cæcitatem, & amentiam, qua fidem Diuinis testimoniis, & oraculis, abrogabat, & in omnibus vitæ consiliis, non fide, sed libidine, ducebatur. Hæc vir Diuinus secum recogitans, & magnitudinem Diuinæ benignitatis admiratur, & gentis suæ infidelitatem funestissimam deplorat.

Ergo fides, ex auditu: auditus autem per verbum Christi.

Quod quidem fides ex auditu sit, ipsius nominis vis, & ratio, declarat. Tunc enim dicimur habere fidem, dum dictis alicuius, quem auctoritate præstantem iudicamus, assentimur. Quod autem hæc salutaris fides, de qua loquimur, sit Dei verbo excitata, testimonio Isaiæ concluditur. Illi namque, quorum decus admiratur, quorum gloriam laudibus effert, qui, vt inquit, euangelizant pacē, & euangelizant bona, Dei disciplinam tradiderunt; & omnes eorum sententiæ ad Christi mysteria, cuius mortem, & cruciatum, eo in loco vir Diuinus oratione persequitur, referendæ sunt. Summa igitur salutis in eo consistit, vt Dei verbum intimis animi sensibus audiamus; quemadmodum & tota calamitas in eo posita est, vt aures Diuinis vocibus præbere nolimus. Quid inquient Iudæi? Possunt ne dicere nobis, Verbum Dei, quo Christo, numinis, atque probitatis sempiternæ, testimoniū tribuit, annuntiatum minime fuit? Nullo modo. Sic enim eos Paulus oratione, plenissima grauitatis, & seueritatis, insequitur, vt nullū eis locum consistendi relinquat. Ait enim:

Sed dico, Numquid non audierunt? Et quidem in omnē terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorū.

Numquam clementissimus Pater, & Dominus, genus humanum, quod ad suam imaginē finxit, & informauit, ope sua salutari destituit. & a principio quidem illud naturæ operibus valde claris, & admirandis, instruxit, vt facile notitiā Dei caperet. Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Cælestis igitur naturæ constantia, siderum splendor, & pulchritudo, mundiq. totius concinnitas, & fructus admirabiles, qui ex magnitudine tāti muneris capiuntur, satis admonebant homines, esse aliquem conditorem, & moderatorem, tanti operis numine præcellentissimum, sapientia clarissimum, bonitate optimum, qui cunctorum animantium vitam tueretur, & conseruaret, & ad finem, quem cuiusque natura flagitaret, miro ordine, atque ratione, perduceret. Hęc autem naturæ doctrina omnes hominum nationes perenni cursu, absque vlla intermissione, peragrabat. Nulla enim gens erat tam ab omni artium bonarum cultu remota, aut tam immanibus moribus efferata, ad quam hæc doctrina minime perueniret. Omnibus igitur hominibus, qui Deum, non ex operibus atque beneficiis, agnoscere vellent, numenq. illius summa religione venerari, erat omnis ratio defensionis interclusa. Cælum enim, terræ, maria, arbores, fruges, animantia, ordo rerum, & connexio, qua corpora dissimilia ratione coniunguntur, operisq. mutuis vltro citroq. collatis fulciūtur, contra eorum impietatem, qui Deo gloriam non tribuunt, nec omnes vitæ, salutis, & dignitatis, rationes in illius probitate collocant, sententiam ferunt. Quo autem doctrina clarior est, eo acrius, & vehementius, scelus eorum, qui Deum audire recusant, euincetur. Cum igitur ij, qui cæli, & vniuersæ naturæ, voces audire noluerunt, sempiterno supplicio mactati sint; quanto acrius cruciandi sunt illi, qui Christi discipulos, sapientia Diuina præcellentes, magnitudine virtutis, atque pietatis, illustrissimos, operibus Diuinis admirandos, a se contumaciter, & impie, repulerunt? Multo namque clarius lumen Apostoli terris attulerunt; multo maiore Dei notitia mortales instruxerunt; multo fortioribus argumentis Diuinam probitatem, & beneficentiam, testificati sunt. Vt autem Paulus ostendat, quam longe lateq. Apostoli Euangelij lumen in terras diffuderint, vtitur ea oratione, qua Dauid docuit, naturæ cælestis operibus, fuisse Dei numen cunctis nationibus explicatum. Multo enim illustrius, quam astra cælestia, Dei cognitionem cunctis nationibus tradiderunt. Si igitur nationes vltimæ, Apostolorum opera, tuere radiis Diuinæ lucis illustratæ, quam excusationem possunt afferre Iudæi, ad quos potissimum, secundum temporis rationem, ea disciplina pertinebat? Sed, inquient, mirandum non est, si non fidem disciplinis istis adiunximus. Doctrina

recens

recens erat, priscis sæculis inaudita. Cum igitur minime ferenda nouitate nos inopinantes opprimeret, & valde a disciplinis, quibus imbuti fueramus, abhorreret; non sine caussa illam odio persecuti sumus, præsertim, cum auderent, reliquas genres nobis exæquare. Ne autem hoc dici ab illis posset, huius fallacissimi sermonis mareriam subtrahit oratione Paulus. Inquit igitur:

Sed dico, Numquid Israel non cognouit?

Quasi diceret: Numquam Israel legerat, numquam audierat, nullis vmquam Prophetarum oraculis intellexerat, fore aliquando, vt Deus, sine vllo discrimine, genus humanum tenebris immersum, luce sua collustraret, vinculis impeditum in libertatem vindicaret, sordibus inquinatum elueret, ornamentisq. Diuinis afficeret? Numquam cognouerat, hæc tanta beneficia illis tantum proponenda esse, qui fidem sancte colerent, quocumque genere propagati, aut sacris initiati fuissent; & illis deneganda, qui fidem frangerent, & vmbras veritati præponerent? Numquam postremo mente complexus fuerat horrendum illud iudiciũ, quo Iudæi, propter alienatæ mentis insolentiam, erant patrijs bonis euertendi, & gentes alienigenæ, propter fidei sanctitatem, & religionem, in stirpe sanctissimæ nobilitaris inserendæ, & in societatem sempiternę hereditatis euocandæ? Legerat certe, & audierat, & hac doctrina fuerat ab incunabulis institutus. Quæ tanta igitur illius væsania fuit, quis tam immanis furor mentem illius oppressit, vt in pestem, ante oculos positam, ruere mallet, quam fructum fidei sempiternum ex Diuina clementia colligere? Quod.n. ille populus esset ad earum rerum intelligentiam eruditus, Moysis testimonio demõstrat. Sequitur enim:

Primus Moyses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram uos mittam.

Cum ait, Primus Moyses, plane demõstrat, non solum Moysem, sed alios etiam Prophetas, idem prædixisse. Aliter enim Primi nomẽ Paulus omisisset, si solus Moyses eam sententiam dixisset. Moysis vero sententiam explicat oratione Paulus, quamuis non eadem omnino verba pronuntiet. Sic enim scriptum est apud Moysen, sub persona Dei, cum Israele, de gentis perfidia, acriter expostulantis: Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non est Deus: & irritauerunt in vanitatibus suis; & ego prouocabo eos ad æmularionem in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Est sane luculenta translatio, sumpra ab amatoribus, qui molestissime ferunt, sibi prę ferri quẽquam ab ea, in quam omnem amorem suum contulerant. Aemulationis igitur acri stimulo lacessiti, dolorem suum, simili dolore, si possunt, amoribus suis inusto, interdum vlciscuntur. Ad hunc modum Parasitus Terentianus militem admonet, vt par pari amicæ referat, quod eam mordear. Vt autem huius loci, quẽ Paulus citat, sententiam assequamur, intelligendum est, Deum olim Hebræam nationem sibi singulari amoris fœdere, arque pactione, deuinxisse. Ex amore autem æmulatio, & obtrectatio, nascitur. Qui autem æmulator est, indigne patitur, amorem sibi debitum alio transferri. Ergo, cum Iudæi, studium Deo debitum ad falsa numina transtulissent; cum, sanctissima religione neglecta, sese ad simulacrorum pedes abiecissent; cum denique cupiditates suas nefarias legi Dei, in qua eorum salus, & dignitas, consistebat, longe prætulissent; omnibusq. modis, pro vero Deo, commenticios Deos coluissent; necesse erat, vt Deo, quem despexerant, dolorem, si ita loqui fas est, non mediocrem inurerent, & iram illius grauissimam concitarét. Aemulatorem enim se nominat. Aemulationis porro est, dolore commoueri, & iracundia flagrare. Deus igitur Iudæis acerbe comminatur, exitiumq. denuntiat. Ipsi quidem, inquit, quantum in illis fuit, mihi non mediocrem ægritudinẽ intulerunt, cum, me spreto, & contempto, falsos sibi Deos adsciuerunt, & simulacra, quę nullum numen habebant, in Diuina sede collocarunt: ego, contra, vt illos vlciscar, gentem, quæ non est gens, neque enim esse putandi sunt, qui Deum ignorant, in populo meo censebo. Perficiam enim, vt gentes alienæ, relictis simulacris, spretis cupiditatibus, sensibus Cruce salutari confixis, sese ad nomen meum, inflammatis animis, adiungant. Sic igitur eueniet, vt, qui fuerant meo præsidio defensi, meis muneribus exculti, a meo præsidio, propter perfidiam, deserantur; &, qui erant a cognitione mei numinis remotissimi, meam probitatem in generis humani salute, prospiciant: meis opibus egregie cumulentur; & summa fide in præsidio mei nominis acquiescant. Sic igitur fiet, vt, cum hic populus, qui fidem minime conseruauit, & ea de caussa fuit hoc tanto honore deiectus, viderit, illum populum, qui non erat populus, ad populum meum adscribi, multisq. opibus, & muneribus, exornari, maximarumq. virtutum gloria circumfluere, dolore, ex inuidia, contabescat. Primus igitur Moyses prædixit, quo modo Iudæi erant, propter perfidiam, a Dei populo repellendi; & rursus, quo modo gentes erant in Dei populo numerandæ. Iudæi enim, cogitationibus inanissimis, elati, & inflati, fidem prodiderunt, & misericordiam Dei a se ingratissime repulerunt: gentes, contra, de se humiliter, atque demisse, sentientes, omnesq. salutis spes in Dei gratia collocantes, ca fide Dei gratiam, & benignita-

nignitatem, artissime complexæ sunt. Eandem sententiam Isaiæ testimonio confirmat. Inquit enim:

Isaias autem audet, & dicit, Inuentus sum a non quærentibus me: palam apparui ijs qui me non interrogabant.

Quid est, quod dicit Audet? quia forti, & constanti animo erat opus ad gentium salutem, & dignitatem apud Iudæos explicandam. Sibi namque mirifice placebant; se nimis insolenter efferebant; sibi sempiternas, atque Diuinas, opes arrogabant; reliquas gentes, vt impuras, & sordibus inquinatas, aspernabantur; &, tamquam Deo grauiter inuisas, atque detestabiles, ab omni aditu, & congressu, reijciendas esse statuebant. Ob id igitur ferre non poterant, esse aliquem qui auderet asseuerare, opes gratiæ Diuinæ, cum gentibus, quæ præputium minime circumcisum haberent, vllo pacto communicandas. Tu mihi, dixisset eorum quilibet, cum pelliculam præputij non dum amputaueris; cum cineribus rufæ vitulæ adspersus minime sis; cum lustralibus aquis, quas lex instituit, madefactus non fueris; cum denique non genus, quo propagati sumus, attingas; audeas mecum de sanctitatis ratione contendere? Scelus est, sacrilegium est, morte, & cruciatu acerbissimo, vindicandum. Hæc igitur temeritas, & insolentia, eos in Paulum vehementer incitabat, quod eodem loco haberet gentes, quo Iudæos, modo eadem religione fidem colerent. Itaque apud Lysiam tribunum, clamoribus maximis furibundi postulabant, vt hominem quasi sanctitatis euersorem in crucem tolleret. Quodnam tantum Pauli crimen erat? Vnum certe, quod erat apud illos grauissimum; nempe, quod dixerat, se missum esse, ad gentes, notitia numinis cælestis erudiendas. Nihil enim erat, quod Iudæi grauius acciperent. Maximo igitur animo, & intrepido, opus erat, ad hanc sententiam afferendam. Dicit igitur Paulus, Si quisquam est, qui meam audaciam admiretur, quod passim Iudæorum aures offendo, dum, de Dei ipsius sententia, confirmo, gentes vniuersas fore gratiæ Diuinæ participes, Isaiæ audaciam similiter admiretur. Sic enim Christum Dei filium loquentem inducit, vt se dicat gentibus, qui de illo numquam audierunt, fore propitium, atque summi amoris fœdere copulatum. Inuentus, inquit, sum ab illis, qui me minime quæsierant, eo quod de me nihil audierant, neque suspicati fuerant; qui tamen, cum primum illis splendor cælestis affulsit, continuo sese ad studium mei nominis applicuere. Non enim fuit illis propositum, veritati repugnare, vt receptam temere sententiam obstinate tuerentur; sed, vt salutem insito errori, quo fuerant imbuti, præponerent. Cum igitur non essent contentionis, sed veritatis, appetentes, facillime sese duci spiritu Christi permiserunt; & ita factum est, vt Christum præsentem puritate mentis intuerentur. Sic igitur factum fuit, quemadmodum vir Diuinus fore prædixerat, vt Dei filius, ab eis, qui eum minime quæsierant, inueniretur; & appareret illis, qui de illius aduentu minime percunctati vnquam fuerant. Neque solum Propheta sanctissimus fidem, atque salutem, gentium, prædixit; sed etiam Iudæorum perfidiam, & exitium, præmonstrauit. Sic enim sequitur:

Ad Israel autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.

Verba paullulum immutata sunt, quibus tamen eadem omnino sententia continetur. Sic autem legitur apud Prophetam, Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes tuas. Multis, inquit, rationibus ostendi nomen meum gentibus, quæ numquam fuerant ad notitiam mei numinis eruditæ. Sæpe igitur, cum minime Spiritui meo restitissent, fructus ingentes ex mea gratia perceperunt. In dies enim illis me clarius offerebam, & sapientiæ Diuinæ mysteria frequentius enuntiabam. Non tamen ita, vt ope mea destituerem populum, cuius olim patrocinium susceperam. Tota enim die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas. Hoc est, qui perfidia sua cum probitate mea contendit, qui cogitationes suas meis placitis anteponit. Hoc Isaiæ testimonio, Iudæorum perfidia, cæcitas, immanitas, pertinacia, aperte conuincitur; Dei vero iudicium in illis euertendis omni suspicione fidei parum conseruatæ liberatur. Nihil enim fuit ab eo, quod ad eorum salutem pertineret, aliqua ratione præteritum. vocauit illos ad salutem; audire noluerunt: minatus est illis, nisi in viam redirent, exitium; minas omnino contempserunt: opem illis, qua facile libidinem resecarent, clementer obtulit; opem illius a se impudenter, & impie, reiecerunt. Iustitiæ suæ splendorem fallacissimum iustitiæ Diuinæ prætulerunt; in lapidem offensionis inciderunt; e Christi sanctitate, meritis, & religione, qua poterant facillime e vitiorum tenebris emergi, occasionem calumniæ nacti sunt. Quæris, cur Deus Iudæorum nationem minime sanauit? Quia sanari noluit. Cur illi bona promissa non præstitit? Quia bo-

na furenter aspernata fuit. Cur illos tam diu tãtis vexat incommodis? Quia eõ modorum omnium largitorem maledictis lacerandum suscipiunt. Cur denique in sempiternæ miseriæ regionem illos detrudi patitur? Quia misericordiæ sempiternæ fontem sibi factis perditissimis obstruxerunt. Non cogit enim Dominus, sed innitat; non beneficia sua obtrudit ingratis, sed offert, & ostentat; non vim hominibus infert, sed ad voluntates impellendas incumbit. Ita tamen, vt contradicendi facultatem non eripiat. Qui igitur, cum possit, non vult e malis emergere, ipsis malis obruatur. Hæc autem est secunda definitionis pars, qua hominibus, qui Dei fidem in promissis requirebant, Paulus sapientissime respondet. Nũc ad tertiam, quæ multo magis breuis, & expedita est, accedamus. qua præcedentes confirmantur. Ostendit enim, hominum perfidia remota, repente promissorum Diuinorum fidem elucere. Ait igitur:

CAP. XI.

Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.

Nullo iure adstrictus erat Dominus ad beneficia salutis sempiternæ, ijs, qui in fide minime permanerent, aliqua ratione tribuenda; sed illis tantum, qui fidem viuam conserua rent. Cum igitur munera sua fuit illi genti pollicitus, illis tantum salutem pactus est, qui fidem, & officium, tuerentur. Illis autem Iudæis, qui fidem, & pietatem, coluerunt, summa fide promissa confecit. Nullo igitur modo erat Dei fides in dubium vocanda. Ego, inquit Paulus, Israelita sum, nec tamen ob id sum a muneribus Diuinis exclusus. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.

An nescitis in Elia quid dicit Scriptura. Quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

In Elia, inquit, hoc est, in monumentis, quibus res ab Elia gestæ continentur. In libris igitur Regum memoriæ proditum est, Achab, Regem Israel, sceleſtissimæ vxoris im pulsu, cum in sanctorum hominum cæde, & religionis interitu, baccharetur, tum etiam Eliam ad necem quæsiuisse. Elias igitur, tantis sceleribus offensus, cum existimaret, nullum vestigium pietatis fuisse in Samaria relictum, & indignissime pateretur, Dei numen impudentissime contemni, religionem fundi tus tolli, iura omnia proculcari, cuperetque, in tantorum scelerum vindictam, totam illam regionem, vt Dei nomen, & gloria, illustraretur, aliquo insigni iudicio peruerti; scelera illa in Dei conspectu proponit, vt illius numen in gentem illam acriter incitaret. Cum igitur de cæde prophetarum, de sacrorum locorum euersione, de impietatis extremæ magnitudine, conqueritur, nihil agit aliud, quam, vt vindictam flagitet, contra gentem vniuersam, cuius sanitatem omnino desperabat. Ius enim Diuinum postulat, vt, cum reip. vniuersæ scelus ad summum peruenit, gens vniuersa internecione deleatur.

Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal?

Per septem millia virorum, secundum Hebrææ linguæ consuetudinem, est intelligenda non mediocris hominum multitudo. Detrahit igitur Deus errorem prophetæ, qui existimabat, religionem in Samaria esse prorsus extinctam; atque docet, multos esse reliquos, qui simulacra minime colant, verumq. Deum integra, & pura, mente venerentur; & iccirco verum non esse, vt exitium omnibus inferatur, cum multi superfint adhuc, qui fidem, & officium, colant, nec vllis incommodis a sanctissima religione diuellantur. Exemplum ad suæ memoriæ tempus erat satis accommodatum. Quamuis enim maxima Iudæorum pars a fide desciuisset, multi tamen in fide permanserunt, quos Christi studium acriter inflammabat, ita, vt reliquas nationes ardore pietatis incenderent.

Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt.

Quemadmodum, inquit, Eliæ tempore multi a communi scelere, & impietate Israelis, immunes conseruati sunt, nec in labem vllam tanti sceleris inciderunt; sic hoc tempore multi sunt Iudæi, propter pietatem, Deo carissimi, qui fidem retinent, caritate flagrant, Christi munus amplissimum animis grauissimis amplectũtur. Hoc autẽ vt significet, a sententia sua non discedit. Non.n. operibus humanis, sed gratię diuinæ, salutẽ tribuit.

Nec

Nec eam gratiam temere, sed secundum electionem, tribui confirmat. Reliquias autem appellat, vt significet vastitatem, qua maxima Iudæorum pars, gurgite, vt ita dicã, atque voragine, impietatis absorpta fuit, cuius comparatione, Iudæi, in quibus eximium impietatis studium vigebat, tenues reliquiæ poterant appellari. Præterea, reliquiarum nomina excitat memoriam ad Isaiæ testimonium, qui, quoties communem gentis impię vastitatem describit, reliquiarum commeminit, quæ erant gratia diuina per fidem conseruandæ. Gratiæ vero nomen repetit, & inculcat, vt nemo audeat sibi assumere, quod totum est ad Diuinam gratiam referendum.

Si autem gratia: iam non ex operibus. alioquin gratia iam non est gratia.

Eundem locum vrget, eandem sententiam crebro repetit, & in eo modis omnibus insistit, vt doceat, non esse nostram salutem ad opus humanum, sed ad dei clementiam, referendam. Est autem memoria repetendum, quod alibi dictum a nobis est, hoc inter Fidẽ, & Opus, interesse, quod fides in dei gratiam tota mente respicit; Opus vero non gratiam, sed mercedem, importune flagitat. Omnis igitur humana industria, sui ipsius confidentia nixa, omnis insolens, & inanis, virtutis, & religionis, ostentatio, est in huiusmodi operibus numeranda. Contra vero, flagrans sanctissimæ pietatis studium omnia caritatis, & humanitatis, officia, omnia denique præclara opera, quæ cum respectu ad Dei gratiam fiunt, sunt ad fidem referenda. Non enim sancti homines in se, sed in Dei probitatem, respiciunt; nec ex mente, & consilio suo, sed ex dei voluntate, omnes viuendi rationes suspensas habent; nec ingenio, & industria sua, nixi, sed diuino præsidio freti, omnes res magnas aggrediuntur. Sic igitur euenit, vt, qui operibus insolescunt, amentissimi sint; cum nihil, quod sine Dei ope fit, clarum, aut salutare, possit esse, aut exitum felicem consequi: contra vero, qui fide vitam dirigunt, sapientissimi sunt, cum non sibi, sed deo, confidant, & ita omnia, munera præclarissima, cum summa felicitate, perficiant. omnia igitur illorum opera fidei formatę nomine designanda sunt. Aequũ enim est, vt res quælibet nomen sumat ab eo, quod in ea potissimum expetendum est. Id autem potissimum quæque res est, quod in ea principem locum obtinet. talis est viua fides, quæ caritatem, omnium virtutum reginam, continet, & amplectitur. Iccirco statuunt homines doctissimi, nomen hominis in mentem præcipue conuenire, eo quod in il a sit totius hominis principatus. Ergo, cum in opere, quod fide vacuum est, nihil sit opere ipso inani præstantius, consequens est, vt Opus tantum appelletur. Iuane quidem appellandum est, nullaq. æstimatione censendum, quia quidquid est a diuina ope, & gratia, seclusum, nullum omnino beatæ vitæ fructum consequitur. At in opere, quod fide viua perficitur, diuina gratia, & caritas, potissimum dominatur, & principem locum obtinet; ita, vt multo magis sit gratiæ diuinæ beneficium, quam Opus, nominandum. quamuis iustus illud etiã efficiat, quo dei gratiam meretur. Hæc ideo repetenda putaui, vt clarius hæc operum, & gratiæ, contentio posset intelligi. Cum igitur Paulus dicit, reliquias saluas esse secundum electionem gratiæ, id rursus inculcat, quod omnem disputationem continebat. Tunc ratione concludit, Iudæorum interitum ab ipsorum stulta confidentia, & impietate, profluxisse.

Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est.

Electionis verbum pro Electis vsurpat: Electi autem sunt, qui fidem rite colunt, siue illi Iudæi fuerint, siue ex alijs gentibus adsciti. Rationem vero, cur Israel non fuerit assecutus, quod quærebat, iam Paulus luculenter exposuit. Non enim vigenti fide, sed legis operibus, nixus est; non veram iustitiam, sed adumbratam, sectatus est; non in deo, iustitiæ fonte, sed in se ipso, iustitiæ rationem constituit: iustitiamq. suam iustitiæ diuinæ præposuit; &, ne in lucis Diuinæ splendore, & claritate, humanæ iustitiæ sordes apparerent, ipsam lucem detestatus est. Qui hoc autem animo sponte sua futuri erant, iudicio sempiterno improbati sunt, ne lucem, quam pessime oderunt, vnquam respicerent.

Cæteri vero excæcati sunt. sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem.

Vnica verborum continuatione complexus est, quod duobus Isaiæ locis continetur. In vno sic scriptum est, Inebriamini, & non vino: agitamini, & non ebrietate, quia miscuit vobis Dominus spiritum soporis. Quo in loco Græci, quos hic Paulus sequitur, pro spiritu soporis habẽt πνεῦμα κατανύξεως: quod est, Spiritum compunctionis. Vtroque autem nomine idem significatur, nempe furoris stimulus, cæcitas mentis, stupor animi, atque furiarum faces, quibus agitantur, & a mente deferuntur omnes, qui diuinam lucem fugiunt. Alter locus est apud eundem Prophetam, cum narrat, se vidisse Dominum in excelsa sede iudicium exercentem, se-

ueramque admodum ſententiam contra Iudæorum impietatem proferentem. Vade, inquit, & dic populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere; videte viſionem, & nolite cognoſcere. Exæca cor populi huius; & aures eius aggraua; & oculos eius claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Non excęcauit propheta populum, nempe, cui clariſsimum lumen aſsidue præferebat; non illius aures obſtruxit, quem perpetuo ad audiendas Dei ſanctiones excitabat; ſed Scripturæ ſanctæ conſuetudine id dicitur facere, quod futurum prænuntiat. Id igitur dicit Prophetæ Dominus, Vade, atque denuntia populo huic cæcitatem, & tarditatem, & mentis diram ſtupiditatem, quæ quidem illos diu impediet, quo minus lucem reſpiciant, & in Deum conuertantur. Hac igitur oratione ſanctiſsimum Dei iudicium in gentem ſceleratam, & impiam, deſcribitur. Aequiſsimum enim eſt, vt, qui odit lucem, a luce deſeratur; &, qui veritatis diſciplinam reſpuit, mendacio, & amentia, peruertatur; &, qui ſanati noluit, morbis funeſtiſsimis intabeſcat. Quod autem ſequitur, nempe, vſque in hodiernum diem, ex eodem loco ſumptum eſt. Cum enim Propheta, de ſuæ gentis ruina ſollicitus, interrogaret, ad quem tandem terminum temporis eſſet clades illa duratura, reſpondit Dominus, fore primum magnam hominum cædem, & vrbium vaſtitatē, & exſilium nimis diuturnū, antequam Iſrael in Deum conuerſus priſtinam dignitatem recuperaret. Vt igitur Prophetæ ſententiam explicet, atque doceat, non dum tempus illud aduenisſe, quo Iudæi ſunt cæcitate liberandi, ait, Vſque in hodiernum diem. Idem Dei iudicium Dauidis teſtimonio confirmatur. Sequitur enim:

Et Dauid dicit: Fiat menſa eorum in laqueum & in captionem & in ſcandalum & in retributionem illis.

Hoc eſt, dapes eorum, atque deliciæ ſint illis funeſtiſsimæ: ijſdem ipſis epulis, quas appetunt, capiantur: &, quemadmodum feræ, eſcis illectæ, laqueis impediuntur; ſic illi inde mortiferum venenum hauriant, vbi ſe putant vitæ remedium inuenturos. Hoc quidem effatum exitu valde comprobatum cernimus. Scripturam enim ſanctam Iudæi ſuæ vitæ ſubſidium, & oblectamentum, ſtatuunt. Quam tamen dum a vero ſenſu detorquent, & ad ſuæ impietatis argumentum traducere conantur, ſeſe in mortiferos laqueos induunt, quibus in venatorum manus incidunt, & in peſtem ſempiternā eijciuntur. Sequitur deinde:

Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.

Duplex malum a Rege ſancto prædicitur Iudęis imminere. Primum eſt deteſtanda caligo, qua eorum oculi, miſerabiliter oppreſsi, nullam partem lucis ſalutaris adſpiciunt; alterum eſt turpiſsimum ſeruitutis auctoramentum, qua nequiſsimis dominis ſeruire perpetuo coguntur. oculorum enim tenebris ſignificatur amentia: dorſi autem incurui depreſsione ſeruitus exſecranda. Sed, quo ſtatus Iudæorum, qui noluerunt credere veritati, eſt grauioribus ruinis oppreſſus, acerbioribusq. ſupplicijs excruciatus, eo illorum decus, qui, ex eadem ſtirpe, ſanctiſsimorum patrum veſtigijs ingreſsi, Dei filium, animis acriter inflammatis, cōplexi ſunt, eſt clarius, & illuſtrius, omnibusq. Diuinis opibus affluentius. Hi namque ſplendore ſuo tenebras orbis terrarum diſpulerunt: hi morbos, quibus erat oppreſſum genus humanum, ſanauerunt; hi Satanæ mœnia, arces, & propugnacula, diſturbarunt: hi iacentes animos erexerunt, atque perfecerunt, vt multi mortales, qui erant terrenis curis impliciti, & flagitijs innumerabilibus inquinati, opes terrenas contemnerent, totaq. mente ad cæleſtes adſpirarent. Si igitur luce fruimur, ſi viuimus, vigemus, & ſapimus, ſi immortalitatis ſtudio flagramus, ſi denique Diuinorum bonorum, quæ ſanctis olim patribus, & eorum poſteritati, promiſſa ſunt, participes effecti ſumus; id, opera Iudæorum, qui Eccleſiæ fundamenta iecerunt, factum eſt. Non igitur, quod erat in quadripartita diuiſione tertium, parum liquet ad bonam partem Hebrææ nationis fructum promiſsionis Diuinę perueniſſe. Sed ad quartam defenſionis rationem veniamus. Ait igitur Paulus:

Dico ergo, Numquid ſic offenderunt, vt caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus, vt illos æmulentur.

Hac tam triſti oratione, neceſſe erat, Iudæorum animos, qui Chriſti diſciplinam ſequebantur, gentis ſuæ gratia conturbari. Dicere enim potuiſſent, Ita ne vero? Reliquiæ tantum ſaluæ fient, & innumerabilis multitudo funditus interibit? Nulla ſpes erit, quæ nos, qui noſtræ gentis occaſum aſsidue lugemus, conſoletur? Erit certe, inquit Paulus. Non enim Deus ſibi Iudæorum ruinam, ſed gentium ſalutem, propoſuit. Omnes namque ſaluos eſſe vult, modo ne ſalutem ſuam inſito ſcelere, & perfidia, prodere velint. Cum igitur cadunt miſeri, non eſt prorſus aliorū ſalus deſperanda. Cum enim Deus non hominū mortem, ſed vitā, ſpectet; nec ad interitū, ſed ad ſalutem, omnes cogitationes dirigat; cum pœnā cōſtituit; inuitus quodam modo ſuppli-

cium

cium imponit;cum vero ſalutem dat,id libentiſsime facit. Vnde ſequitur, non eſſe ſpem ſalutis illis, qui ſunt Iacobi ſanguine propagati,prorſus abijciendam. Multo namque libentius Dominus eis ſalutem conferet,quam perniciem intulerat, cum multo magis ſit ad clementiam propenſus,quam ad iram incitatus. Quin etiam, cum maleficos, & iniuſtos, euertit, non mediocres partes clementiæ ſuſcipit. Quod Paulus aperte demonſtrat, cum ait, Numquid ſic offenderunt, vt caderent? hoc eſt,num offenſio illorum iccirco permiſſa fuit, vt ex illorum caſu nullus omnino fructus proueniret,præter eorum exitium? Nō prorſus. Sed, cum neceſſe eſſet,vt illi debitas pœnas exſoluerent, ſic Deus ordinem ſententiæ iuſtiſsimæ diſpenſauit, vt eorum, qui perierunt,exitium, in gentium ſalutem, redundaret;& rurſus gentium ſalus,maximum momētum,ad Iudæorum conuerſionem, ex æmulatione pietatis, afferret. Vtrumque igitur videndum eſt, & quo modo Iudæorum ruina gētibus plurimum vtilitatis attulerit; & quo modo gentium pietas eſt Iudæis cauſſam ſalutis allatura. Vt igitur de gentium fructu dicamus, Iudæi ſceleſtiſsimum facinus ſuſcepere, cum Chriſto mortem machinati ſunt. Chriſti autem mors omnium gentium ſalutem conſtituit. Sic igitur euenit,vt Iudæi ſceleris a ſe ſuſcepti pœnas luerent; gentes autem,eiuſdem mortis fructum ſalutarem,Iudæorum miniſterio, perciperent. Deinde,cum Iudæi in inſtituto ſcelere perſeuerarent,& Chriſti diſcipulos in exteras nationes expellerent, factum eſt, vt gentes multo citius latiſsimum illum nuntium ſalutis acciperent, & omne Apoſtolorū ſtudium in gentium doctrina conſumeretur. Accedit,quod Iudæi,ſedibus ſuis expulſi,& in omnes orbis terrarum regiones diſsipati, multisq. cladibus vexati, & afflicti,gentium fidem egregie confirmant,& non mediocrem metum animis inijciunt. Ne occidas,inquit, eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Cū igitur cernimus, quantis pœnis eos numen inſequatur,& iram in eos minime tam multis ſæculis intermittat, clarius videmus, quantum,& quam ſceleſtum,& immane,eorum facinus exſtiterit; & ſimul intelligimus, quam ſit Domini ſummi iudicium omnibus,qui pietatem violant, metuendum. Præterea, nemo poteſt dubitare, quin Prophetarum teſtimonia,quibus Chriſti ortus,& vita,mores,inſtituta, mors, cruciatus, exſurrectio, gentium conuerſio, Iudæorum euerſio, & reliqua omnia aptiſsime deſcripta ſunt, veriſsima ſint, cum ea videat penes hoſtes Chriſtiani nominis eſſe, & ita ad numerum quadrent, vt nihil euenerit, quod non fuerit, multis ante ſæculis,Prophetarum oratione prædictum. Poſtremo, cum omnia exempla Diuinæ ſeueritatis, in impios edita,multos mortales exterreant, & in viam iuſtitiæ reducant,tum vel maxime Iudæorum ſupplicium in oculis hominum cōſtitutum id efficere poteſt, cum ſit rem acute conſiderantibus, omnium maximum, atque maxime diuturnum. Illos exſules,& extorres, adſpicimus; trementes, & horrentes, ſpectamus;omnium hominum odio flagrant; multorum tyrannorum immaniſsimorum dominatu vehementer oppreſsi ſunt; omnium rapinis, & contumelijs,ſunt expoſiti; nullum alleuamentum in tantis miſerijs experiuntur; nullam opem, tam multis ſæculis, e cælo ſibi afferri ſentiunt;orant,& non audiuntur; implorant a Deo auxilium, & a Deo repelluntur;infamia, dedecore, & ignominia, deformantur;atque, vt nihil aliud dicam,cum nullum ſupplicium ſit mentis cæcitate dirius, & vehementius exſecrandum, quis non videt, quo furore,& amentia,vexentur Iudæi? Quibus erroribus, & quam turbulentis, agitentur? Quibus ſomnijs,atque deliramentis, incumbant? Hæc omnia qui mente recogitant, exempla tam diræ calamitatis extimeſcunt, & fortius in dies pietatis robore fulciuntur. Quem vero fructum Iudæi tandem ex gentium fide,& pietate,percepturi ſint, explicat Paulus,dū ait, Vt illos æmulentur. Illos enim, quos Chriſti benignitas non inflexit,quos doctrina cæleſtis non molliuit, quos admiranda ſigna non mouerunt, quos inflicta vulnera ad fidem minime reuocarunt,æmulatio tandem ad ſanitatem reducet. Cum enim viderint apud Chriſtianos florere pietatem,& religionem, & ſanctarum litterarum diſciplinam, cum ſe Diuinæ gratiæ præſidio deſtitutos eſſe viderint, & multa ſigna mirabilis ſanctitatis in eis,qui Chriſtum ſequuntur, clare perſpexerint,numquid non veriſimile eſt,vt tunc Iudæi,longinquitate tēporis edocti,& exemplis Diuinæ virtutis excitati,tandem reſipiſcant, & animaduertant, ſeſe, ſine vllo fructu, vitam in ſpe ſalutis inaniſsima contriuiſſe? Duo autem hoc in loco Paulus efficere conatur: vnum eſt, vt omnes exempla miſerrimæ gentis extimeſcant, ne inſolentius efferantur;alterum,vt intelligant,eſſe ſibi Iudæorum ſalutem ſummo ſtudio procurandam, ita, vt, cum pietati operam nauauerint, non ſolum de ſalute ſua cogitent, verum etiam in eum finem virtutis ſtudium referant, vt, exemplo ſuo,omnes, qui a virtute abhorrebant,in virtutis ſtudium,quantum poſſunt, impellendos exiſtiment. Prohibet interim, ne miſeris inſultemus; ſed, vt quilibet in aliorum miſerijs imbecillitatem ſuam recognoſcat, & intelligat, ſi per Dei clementiam non ſtetiſſet, ſe ſimiliter corruere potuiſſe. Humilitate namque,& miſericordia,eſt animi ſtatus muniendus,nō inſolentia, & immanitate,aliorū calamitas irridenda. Monet Deus Hebræos,vt eſt ſcriptum in Deut. ne in gentiū vaſtitate inſoleſcant,quaſi ſuis meritis fuerint in earū ſedibus collocati. Ne dixeris,inquit,in corde tuo,

cum deleuerit eos Dominus Deus tuus, in conspectu tuo, propter iustitiam meam intro duxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum, propter impietates suas, iste deletæ sint nationes. Hac quidem sententia Moses comprimit Hebræorum elationem. Similiter Paulus, hoc in loco, gentes ad moderationem erudit, & ab elatione deterret. Admonet igitur, ne bonis nostris gloriemur, quasi nostris meritis ea simus assecuti; neque Iudæorum interitu gaudeamus, cum, non propter iustitiam nostram, sed propter perfidiam suam, de statu suo conciderint; sed, similem casum metuentes, multo vigilantius fidem conserue mus. Hortatur etiam, vt illorum salus nobis curæ sit. Nam, cum docet, Deum in gentium salute Iudæis singulari consilio prospexisse; vt videlicet, earum æmulatione, prouocati, facilius tandem ad verissimæ, atque sanctissimæ, religionis studium, & clarissimam Dei cognitionem, perueniant; satis aperte docet, esse nobis omnibus eorum salutem vehementer expetendam. Duplici autem de caussa demonstrat, esse Iudæorum conuersionem nobis summo opere curandam. Vna est, Dei voluntas, quam sequi summa cura, & vigilantia, debemus. Cum enim saluos eos esse velit, impium facinus erit, a Dei voluntate nostras voluntates abhorrere, & eis cruciatum exoptare, quos Dominus ad salutem vocare non desinit. Altera caussa, est, fructus amplissimus, quem sunt gentes ex Iudæorum conuersione, & sanctitate, tandem percepturę. Sic enim sequitur:

Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum?

Magis secundum naturam est, vt bona ex bonis, quam ex malis, oriantur. Cum ergo tã-tum fructum gentibus Iudæorum, vel interitus, vel intertrimentum, attulerit; quanta tandem bonorum affluentia erit ex Iudæorum conuersione gentibus vniuersis exspectanda? Cum enim, plagis eruditi, perspexerint, quã inanes erant spes, quas in sua iustitia collocabant, cum experiundo didicerint, se sine vllo fructu vitam in vmbris, & somnijs, consumpsisse, cum fuerit ablatum ab eorum oculis velamen, quod mentes eorum tenebat, ne veritatem cernerent, cum postremo Helias venerit, vt restituat omnia, & draco fuerit alligatus, & in profundum puteum depressus, atque demersus, & Regnum Christi, cum ingenti sanctorum gloria, magnificentius constitutum, florebit apud Iudæorum nationem ardentissimum religionis, atque sanctitatis, studium, multiq. mortales, eorum exemplis incensi, a languore, & desidia, quasi de somno suscitati, immortalitatis cupiditate flagrabũt; & summa contentione, vt Diuinorum hominum vestigijs insistant, elaborabunt. Cum igitur tantum fructum, & emolumentum, sit gentibus vniuersis Iudæorum sanctitas, postquã conuersi fuerint, allatura, sunt certe ab omnibus Christianis, qui gloriæ Diuinæ seruiunt, pro eorum salute vota facienda.

Vobis enim dico Gentibus, quam diu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.

Mira confidentia gentes alloquitur, eorũ in se beneuolentia, & studio, fretus. Nec enim veretur, ne eos offendat, quos & sui amantissimos, & salutis omnium cupidissimos, esse cognoscit. Imbecillitatem vero, & diffidentiam, Iudæorum, omnibus modis sanare nititur, vt eos facilius ad studium veritatis alliciat. Equidem, inquit, o gentes, quas cælestibus disciplinis instituendas suscepi, hoc a me susceptum munus modis omnibus illustrabo, & clarum efficiam. Nec enim, vel in assidua salutaris disciplinæ traditione, vel in Diuinæ virtutis exemplo, aliquid prętermittam, quod ad vestræ pietatis amplificationem, possit aliquo modo pertinere. Libere tamen hoc vobis dicam, & ingenue confitebor, me, dum omnes animi neruos contendo, vt vestra fides, & virtus, in dies magis augeatur, non vestra tantum caussa laborare, sed in eo etiam, non minore studio, contendere, vt mei ciues, æmulatione sanctitatis vestræ lacessiti, resipiscant, & ita salutem aliquando, Dei benignitate, & gratia, consequantur. Itaque, non solum in vobis monendis, & erudiendis, vestram mihi gloriam propono; verum, &, quantum possum, Iudæorum saluti prospicio. Dum vero ait, vt saluos faciam aliquos ex illis, vim amoris, quo est incensus, explicat. Omnes, inquit, labores excipiam; omnes ærumnas perferam; nullum supplicium recusabo, dum modo, si non omnes, aliquos certe ex illis, egregia muneris mihi commissi perfunctione compotes salutis efficiam. Sed, ne rursus videatur omnia Iudæorum caussa facere, docet iterum, quantum boni sit gentibus, ex Iudæorum futura sanctitate, prouenturum. Sic igitur gentibus Iudæos, Iudæis gentes oratione deuincit, vt intelligant omnes gentes, quantum vel propter debitum officium caritatis, vel propter spem propriæ vtilitatis, debeant Iudæorum salutem expetere.

Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis.

Iterat idem argumentum, quo paullo ante fuerat vsus. Amissi fuerunt Iudæi, cum ob immanem perfidiam fuere, Dei patrocinio, destituti.

ſtituti. Eo vero Iudæorum caſu fuit diuinæ gratiæ flumen ad gentium ſalutem deriuatū. Aſſumentur autem, cum, abiecto impietatis ſcelere, in Chriſtum reſpicient, & clariſsima voce dicent, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Tunc igitur ij, in quibus tunc pietatis ardor refrixerit, qui in mortuis, propter flagitiorum imputitatem, erunt merito numerandi, Iudæorum monitis, & exemplis, excitati, reuiuiſcent, totaq. mente ad opes cæleſtes adſpirabunt. Si enim ex eorum calamitate tanta vtilitas gentibus allata fuit, certe ex eorum reſtitutione multo amplior pietatis, & iuſtitiæ, fructus in gentes vniuerſas redundabit. Dicet tamen fortaſſe aliquis, Recte ſane, ſi ita futurum eſt, vt Iudæi aliquando reſipiſcant. Sed, quis eam ſpem de gente adeo contumaci, & impia, quæ tam immani odio ipſam lucem perſequitur, habere poteſt? Hoc ne dici poſsit, rationes adducit Paulus, quibus probat, non eſſe ſpem de Iudæis abijciendam. Inquit enim;

Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa.

Cum Sancti nomen multa ſignificet, tum vniuerſe omne, quod offerri licebat, in ſacris, quod lex, vt impurum, a tēplo minime repellebat, Sanctū poterat appellari. Si pars aūt erat ſancta, hoc eſt, ſi vel immolari, vel offerri, per legem poterat, eadem certe ratione, & totum Sanctum appellari nefas non erat. Ad antiquum igitur legis morem reſpiciens Paulus, Apoſtolos, & alios Chriſti diſcipulos, Primitias appellat. Si, inquit, ex eadem Iudæorū maſſa primitiæ Deo conſecratæ ſunt, certe non eſt ita deplorandum genus vniuerſum, vt non ſperemus, fieri facile poſſe, vt Chriſto, ſimili ritu, & cærimonia, conſecretur.

Et ſi radix ſancta, & rami.

Per Radicem intelligit generis illius principes, quorum excellens, atque Diuina, virtus, eſt ſanctis literis conſignata, ad memoriā hominum ſempiternam. Si generis, inquit, huius principium tam inſigni pietate floruit, cur non ſobolē aliquando ſimiliter fore ſanctam exiſtimabimus?

Quod ſi aliqui ex rami fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te.

Admodum eleganter in eadem tralatione perſiſtit, vt ſpem futuræ conuerſionis confirmet, & caſum Iudæorum verbis attenuat, dū ait, Aliqui ex ramis, & non oleæ maior pars exciſa fuit, ne ſimul Iudæos grauius pungat, quam ad eorum ſalutem pro tempore neceſſe eſt, & gentes in Iudæos acrius, quam flagitet caritas, incendat. Hoc etiam tibi proponit, ne patiatur vllo modo gentes in Iudæorū ruina inſolentius extolli. Potuiſſet enim dicere Paulus, innumerabiles ramos fuiſſe ex olea præciſos ad incendium; quemadmodum Hieremias, ſub eadem loquendi figura, Iudeæ calamitatem explicuit. Oleam, inquit, vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocauit Deus nomen tuum: ad ſonitum horrendi ſtrepitus magnus ignis exarſit: rami confracti ſunt: Dominus exercituum, qui ſeuit te, denuntiauit tibi malum. Hac quidem oratione Hieremiæ, multo grauius potuiſſet in Iudæos inuehi Paullus: ſed non hoc tempus, neque mens, in Iudæorum ſalute, quam non deſperabat, defixa, patiebatur. Interim tamen, quaſi aliud agens, Iudæis, qui fidem prodiderant, altiſsimum vulnus imponit. Obiicit enim illis, quod fuerint perfracti, & gentes alienigenæ in eandem ſtirpem, ex qua illi exciſi fuerant, inſitæ, vt inde geniales ſuccos elicerent, quibus nutrirentur, vberrimosq. fructus efferrent. Hac igitur oratione neceſſe erat, Iudæos, partim calamitatis ſuæ recordatione, partim inuidia, ex gentium feliciſsima condicione, cruciari. Oratio tamen præcipue dirigi videbatur, ad gentium animos comprimendos. Si Iudæi, inquit, perfidia ſua ex oleæ trunco præciſi ſunt, tu vero, cum oleaſter eſſes, hoc eſt autem, cum eſſes flagitiis coopertus, cum ſimulacris immolares, cum nullum ex te ſalutarem fructum produceres, fuiſti tamen, non tuis meritis, ſed Dei benignitate, in eandem ſanctiſsimorum Patrum ſtirpem inſitus: quid eſt, quod tibi tandem poſsis aſſumere, & in aliorum cladibus, qui ſunt patriæ nobilitatis honore deiecti, petulanter inſoleſcere? Recordare, qui fueris, quibus calamitatibus expoſitus ſis, & in aliorum cladibus tuam imbecillitatem recognoſce; & ſic tandem intelliges, non eſſe tibi in Iudæorum miſeriis inſultandum, ſed miſericordiam, quātum licuerit, hominum exitio tribuendam. Quod ſi generis contentio fiet, intellige tandem, nihil ex te genus ſanctum accepiſſe; ſed omnia bona, quibus affluis, ex illo ad ſalutē tuam profluxiſſe. Tu enim, radice oleæ, hoc eſt ſanctorum Patrum exemplis, & diſciplinis, atque adeo Chriſti meritis, qui ab illis ortus fuit, inniteris: at radix a te minime ſuſtinetur.

Dicis ergo: Fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Bene: propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.

Interpres ad verbum expreſsit verbū Græcum ὑψηλοφρονεῖν. Eſt autem ὑψηλοφρονεῖν, efferri animo, & inſolenter extolli. Admonet igitur

tur Paulus, hoc in loco, gentes, ne infolentius extollantur, fed de fe humiliter fentiant. Florens enim animi ftatus, fuperbia difsipatur; humilitate autem ftabilitur. Cafus, inquit, Iudæorum, maiorem tibi metus, quam fuperbiæ, materiam præbet. Illi quidem, ex ftirpe præcifi funt. Qua ratione? Num, propter iuftitiam tuam? Minime vero, fed propter immanem in perfidia contumaciam. Non eft igitur, cur ex eorum clade quidquam meritis tuis adfcribas; fed, quod exemplū fimilis fceleris extimefcas.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.

Si ad illam exactifsimā agnationis rationem Abrahami genus reuocetur, nihilo magis erant Iudæi Rami naturales exiftimādi, quam nos. Non enim fanguine, fed fide, tota nobilitatis huius ratio continetur. Attamen, fecundum naturæ condicionem, hoc nomen propius Iudæis conueniebat, eo quod effent fanctorum Patrum femine propagati; quod haberēt exempla pietatis domeftica, quibus admoneri, & incitari, poterant; quod effent lege, moribus, & inftitutis, & prophetarum oraculis, ad fpem falutis communis excitati, & in fanctifsimis difciplinis enutriti. Si igitur, inquit, illi, qui fuerant fanctorum ftirpe procreati, & heredes inftituti, iram Diuinam fubierunt, eo quod a maiorum fide defciuerint, neque folum fracti, & excifi, & hereditatis iure fpoliati, fed etiam in ignem referuati funt, neque patris fanctifsimi virtus illos potuit e fempiternis pœnis eripere; caue, ne tibi homini e parentibus impiis exorto, & in flagitiis educato, quem nulla maiorum fanctitas commendat, nulla pietatis difciplina ab incunabulis erudiuit, fi a fidei via, & ratione, deflexeris, fint tibi eadem fupplicia Diuino iudicio perferenda.

Vide ergo bonitatem & feueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, feueritatem: in te autem bonitatē Dei, fi permanferis in bonitate.

Vtrumque femper opus nobis ob oculos obuerfetur; & bonitas, & feueritas Dei. Bonitas quidem, vt illum ardenter amemus; feueritas autem, vt illius iudicium metuamus. Si enim in fide non permanferis, fi caritatis officiis functus non fueris, fi fummi Domini imperium recufaueris, omnia bona, quibus affluis, e manibus elabentur; atque fimiliter interibis.

Alioquin & tu excideris. Sed & illi, fi non permanferint in incredulitate, inferentur. Potens eft enim Deus iterum infe rere illos.

In eadem metaphora commoratur; & miro artificio ita contexit orationem, vt gentes, humilitatis, atque modeftiæ, præfidio corroboret; Iudæis autem fpem falutis oftendat, ne gentes infolentia labantur, & concidant, Iudæi vero defperatione frangantur. Inquit igitur;

Nam fi tu ex naturali excifus es oleaftro, & contra naturam infertus es in bonam oliuam: quanto magis ij qui fecundum naturam, inferentur fuæ oliuæ?

Si tu, inquit, cum effes fine fide, fine gente, fine lege, fine Dei notitia, fine vlla conftanti vitæ ratione, cum effes hofpes, & peregrinus, & plurimum ab affinitate fanctifsimi generis alienus, id fide, per Dei gratiam, & benignitatem, confecutus es, vt in filiis Abrahami cenfearis; multo magis fi rationem naturæ fequimur, fperādum eft, vt illi, quos exempla patrum, quos legis inftituta, quos prophetarum oracula, frequenter ad ftudium pietatis alliciunt, cum fuerint, eadem gratia, ad Chrifti cognitionem, perducti, illius amore flagrent.

Nolo enim vos ignorare fratres myfterium hoc, (vt non fitis vobis ipfis fapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Ifrael, donec plenitudo Gētium intraret: & fic omnis Ifrael faluus fieret.

Iam, non argumētatur, fed oraculum edit, atque, Dei fpiritu concitatus, fore prænuntiat, vt vniuerfus Ifrael toto animo falutis auctorem confectetur; opibusq. Diuinis, cum maxima virtutis admiratione, circumfluat. Admonet igitur gentes, ne infolefcāt, Iudæorumq. genus minime defpiciāt. Hoc enim fignificat, cum ait, Ne fitis apud vos metipfos fapientes. Duplici autem ratione docet, Deū res Iudæorum haudquaquā neglexiffe. Vna eft, cum dicit, Cæcitas ex parte contigit in Ifrael, in quo plane docet, non omnem Iudæorum nationem tenebris oppletam fuiffe, fed partem tantum. Ea igitur pars, quę luce perfufa fuit, iam promiffa beneficia confecuta fuit. Altera ratio eft, qua futurum confirmat, vt, poftquam numerus eorum, qui ex omnibus nationibus electi a Deo funt, quorum videlicet æmulatione Iudęi in Chrifti ftudium excitandi funt, fuerit expletus, vniuerfitas Ifraelis falua fiat. Tunc enim futurum ait, vt, quod Ifaias de Ifraelis conuerfione, atque falute, prędemōftrauit, exitu felicifsimo comprobetur. Sic enim fequitur;

Sicut fcriptum eft: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem a Iacob.

More fuo, verba negligit, fententiam breuifsi-

uissime perstrinxit. Sic enim est scriptũ apud Isaiam, Et timebunt qui ab Occidente nomẽ Domini, & qui ab ortu Solis gloriam eius, cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit ad Sion redemptor, & eis, qui redeunt se ab impietate in Iacob, dicit Dominus. His quidem verbis demõstrauit Isaias, primum quidem ab occasu, & ortu Solis, hoc est, ex omnibus mundi plagis, gentes, contento studio, concursuras, vt nomen Domini summa religione venerentur; & filium eius, qui patris gloria nominatur, adorent. Deinde, veniat idem Dominus, generis humani liberator, in Ecclesiam suam, quæ Sionis nomine designari plerumque solet, vt Inde Iacobi posteritati consulat; & a peste educat vniuersos Iudæos, qui fuerint pristinam impietatem detestati. Hac quidem sententia, vir Diuinus ostendit, non solum gentes vniuersas fuisse Christi numine liberandas, verũ & omnes Iudæos ab impietate ad sanctissimam religionem traducendos; & hoc, Christi, liberatoris nostri, clementia, & benignitate. Eleganti porro similitudine, vim ipsius Christi describit, omnia obstantia perrumpentis, atque dissipantis, impetuq. mirabili machinas hostium dissipantis, vsque eo, dum in omnes partes, quo cursum direxerit, absq. vllo impedimento, possit, molibus disiectis, influere. Est animaduertendum, vbi nos habemus, Fluuij violenti, nomẽ esse apud Hebræos צר, hoc est autem, Vt fluuius angustus, quod idem omnino valet. Fluuius enim magnus, quo angustius fluit, eo vehementius incitatur. Nihil igitur hac similitudine fieri potest elegantius. Vt enim magnus fluuius, maxime autem, cum, austro flante, immodicis imbribus augetur, quo spatium inter ripas interiectum angustius est, eo maiore impetu fertur, vehementius impedimenta omnia disturbat, & dissipat; sic Christi numen, quo maiore conatu se illi sempiterni hostes opponũt, eo se violentius incitat, & super omnes ripas effunditur. Quamuis autem multi ex Iacobi posteritate sint a Christo salutem mirifice cõsecuti, tunc tamen id perfectius fiet, cum vniuersa multitudo ad Deum, summi liberatoris ope, conuersa fuerit.

Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum.

Sequitur in eodem loco apud eundem Prophetam, Et hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te. Satis plane docet, fœdus illud, quo Iudæi sunt iterum cũ Deo in gratia ponendi, non esse lege feriendum, sed Diuini spiritus pignore sanciendum. Cum autem Spiritus sancti officium sit, omnia peccata delere, (aliter enim illi coniungi minime liceret) admodum sapienter Paulus verborum illorum vim interpretatur, cũ pro illis ponit, Cum abstulero peccata eorum.

Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: secundum electionem autem, carissimi propter patres.

Minime mirandum est, si vos admoneo, ne de Iudæis spem omnino deponatis; ne ue illis inexpiabili odio infensi sitis. Si præsentis quidem temporis rationem habendam existimatis, negare non possum, illos, propter Euangelij disciplinam, quam pessime oderunt, hostili in vos animo concitari. Si vero animum ad electionem Diuinã referamus, debemus huic hominum generi eximiam caritatem, propter patres, a quibus originem ducunt, quorũ tandem pietatem sancta posteritas imitabitur. Nam secundum electionem est ad sempiternam gloriam destinata. Non est igitur, cur quisquam, vel in eorum, qui nunc viuunt, ruinis exultet, sed, cur idem exitium, si fides labi cœperit, extimescat; neque, cur eorum salutẽ desperet, quorum innumerabilis multitudo est secundum Dei præscientiam in hereditate cælesti collocanda.

Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei.

Quæcumque ille quidem bona secundum electionem donare constituit, (nec enim infinita sapientia, quæ omnia etiam futura complectitur, in eligendo falli potest) rata, & fixa, permanebunt. nec est enim apud eum vlla varietas, & inconstantia. Qui, etiam, cum maxime videbatur ab hominum salute abhorrere, & eos debitis pœnis afficiebat, fidei semina conseruabat, & viam muniebat, qua multi tandem ex eo genere ad salutem peruenirẽt.

Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum. ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem: vt omnium misereatur.

Hoc in loco annotandum est, apud Paulum pro eo, quod nos habemus, Non credidistis, esse ἠπειθήσατε quod est nõ paruistis. Sic Incredulitatis nomen positum est pro nomine Græco ἀπειθείας, quod significat rebellionẽ, imperijq. legitimi contemptionem. Hæc ideo dico, vt clarius innotescat, quod a nobis non semel dictum est, apud Paulum sæpe, Obedientiæ nomine, Fidẽ declarari; vt appareat, qualis sit illa fides, quam is Diuinis laudibus exornat. Sed orationis huius sensum videamus. Ea continet huius disputationis elegantissimam

mam conclusionem, qua gentium animos deprimit, ne in bonis Diuina gratia partis insolescant; & Iudæis, ne sibi salutis aditum interclusum putent, magnam spem salutis proponit, ne videlicet gentes, sese inaniter extollendo, fidei fructum amittant; neque Iudæi, desperatione miserabiliter occupati, pietatis studium deponant; sed gentes Deo semper gratias agant, cuius benignitate luce Diuina perfruuntur; Iudæi vero, pro eadem luce participanda, continuo vota suscipiant. Vt, inquit, vos non credidistis Deo, redigit illis in memoriam scelus, in quo fuerant, ne scelus alijs obiectent, cum ipsi fuerint tam multis sceleribus adstricti: nunc autem misericordiā consecuti estis per illorum incredulitatem; non quidem, vt Iudæorum perfidia, per se, gentibus caussam salutis attulerit; sed, quia data est occasio, qua gentes, euersis Iudæis, opibus Diuinis affluentius abundarent. Ita, inquit, & isti non crediderunt in vestram misericordiam, vt, perfidiæ tandem conuicti, resipiscāt, & ea ratione misericordiam consequantur. Prima enim salutis via in eo posita est, vt quilibet scelus suum agnoscat, & se abijciat, atque veniam demisse flagitando, sanitatem recuperet. Iccirco conclusit Deus omnia in infidelitate vt omnium misereatur. Nam principio gentes fidem nefarie prodidere, cum Deo, quem, naturæ operibus moniti, cognouerant, gloriam minime detulerunt, neque gratias egerunt; honoresq. Diuinos ad homines impuros, ad belluas immanes, ad muta simulacra, ad omnium denique flagitiorum turpitudinem, transtulerunt. Eas igitur Deus in incredulitate conclusit, & tanti facinoris euictas coegit de scelere suo confiteri. Interim vero fidei, atque sanctitatis, semina apud Abrahami posteritatem reseruabat, vt inde salutis vberrimos fructus ad omnes nationes profunderet. Sic igitur, dum legem sanxit, dū Prophetas instruxit, dum penes gentem Hebræam verborum Diuinorum opus cōstituit, non solum gentem illam a peste redimebat, verum & gentibus vniuersis egregie consulebat. Similiter nunc, cum gentes adsciuit, quas per fidem opibus sempiternis magnificentissime cumularet, non solum gentes ex hostis sempiterni faucibus eripuit, verum & thesaurum opibus expleuit, quibus tandem Iudæos, sceleris euictos, & perfidiæ confessione deiectos, munifice locupletaret. Itaque omnia illius opera ad clementiam referuntur, ita, vt, etiam cum infidelibus extremum supplicium irrogat, & nationes vniuersas morbis incurabilibus oppressas euertit, misericordiæ non obliuiscatur; sed salutarem medicinam, quibus mortifera vulnera curentur, nunc apud vnam gentem, modo apud aliam, reseruandam curet, vt omnes tandem misericordiæ fructum percipiant. Non est igitur, cur quisquam efferatur, & insolescat, cum omnia bona sint ad Diuinam clementiam reuocanda; neque rursus est, cur aliquis spem salutis abijciat, cum nemini sit aditus ad Diuinam clementiam, modo cum fide ad thronum gratiæ accedat, inclusus. O rem nimis admirandam, & perpetuis in cælum laudibus efferendam! Cum enim Deus alienas gentes negligere videretur, eis tamen in Hebræorum religione egregie consulebat. Cum rursus gentes lumine sui numinis illustrauit, in religione gentiū Iudæis mirabili benignitate prospexit: si quidem ex earum æmulatione Iudæorum salus est tandem mira ratione constituenda. Hæc arcana sapientiæ Diuinæ mente percipiens Paulus, exclamat, inquiens:

O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?

Hæc vltima verba ex Isaia in hunc locum a Paulo translata sunt. Verbi enim Diuini numen Isaias in eo loco laudibus sempiternis exaggerat, & Dei cōsiliarium appellat. Cum illo namque pater ex omni æternitate consilia sua communicat; & per illud facta sunt omnia, siue quæ in cælo, siue quæ in terra sunt. Solus igitur Dei filius, Patris consiliarius appellari potest, quemadmodum & Patris sapientia nominatur. Quid igitur amentius, quam in Diuina mente sapientiam requirere, aut in summa probitate clemētiam desiderare, aut sempiternam veritatem in parum conseruatæ fidei suspicionem adducere? Quis autem est tam demens, qui, cum sit puluere, quē quælibet aura dispellit, inanior, Deum in crimen vocare audeat, & in illius sanctitatem probra iacere non vereatur; & summum Dominum, quasi illum sibi iure adstrinxerit, impudenter accuset? Ait igitur Paulus:

Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

Si naturæ muneribus Deum colis, ea naturæ munera ab illo accepisti; si gratiæ Diuinæ opes ad illius gloriam cōfers, is est, qui te opibus illis ditauit; si studes, si laboras, si vigilas, si ætatem in religionis studio conteris, vt illi placeas, id studium, is labor, ea vigilantia, ea denique summa contentio, ad illius clementiam referenda est. Is enim est, qui te incitat, hortatur, impellit, & inuicto robore munit, vt possis opera præclara feliciter exsequi. Quo igitur magis, vt gratiam illius ineas, elaboras, eo maioribus te illi beneficijs obligatum fatearis, opus est. Quid est igitur, quod sibi quisquam possit assumere? Nihil prorsus; cum ab illo immenso fonte benignitatis hausta sint omnia.

Quo-

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.

Ex ipso, inquit; vt doceat, illum esse principium omnium bonorum, vnde omnis natura profluxit: Per ipsum vero; quia illius vi, numine, consilio, potestate, cunctá mouentur, & conseruantur: In ipsum; quia in eum, tamquã in finem, cuncta respiciunt, & insita natura cupiditate referuntur. Iam satis, vt arbitror, liquet, quo omnia Pauli argumenta, ex eo loco, quo caussam Diuinæ gloriæ suscepit, conferenda sunt. Non enim pugnat vir Diuinus, vt quæstionibus exitum nullum habentibus implicet mentes hominum, & animos molestissimis cogitationibus, absque vllo fructu, conturbet. Numquam ea mens, & consilium, Diuini viri fuit, vt tardaret industriam bonorum; & timidorum imbecillitatem desperatione quadam conficeret; sed potius alacritatem incitaret, & erigeret, ad spem, & miram iustitiæ comparandæ facilitatem ostẽderet. Gratiam enim minime defuturam omnibus, qui incenso studio fidem retinere voluerint, mirifice confirmat. Quid igitur egit? Hoc nempe compressit eorum impudentiam, qui Deum vanitatis insimulabant, quasi Israeli fidem minime præstitisset. Salutem namque dicebant Israeli promisisse, & pro salute exitium, & vastitatem, Israeli intulisse. Hanc calumniam, vt ante diximus, Paulus egregie refutauit. Quattuor enim, vt diximus, argumẽtis, egregie demonstrat, non excidisse verbũ Dei. Prima quidem ratio, ex verissima Israelis definitione sumitur. Nobilitatem enim huius nominis ostendit non humano sanguine, sed Diuina electione, non lege, sed fide, nõ vmbris iustitiæ, sed iustitiæ ipsius præclarissimis actionibus, contineri. Vnde colligitur, Diuina promissa non ad omnes, qui satu Israelis propagati sunt, pertinuisse, sed ad eos tãtum, qui Patris sanctissimi vestigia sectarentur, quibus est a Deo cumulatissime satisfactum. Secunda ratio, in ipsius gentis rebellione, & cõtumacia, constitit, quæ sanari noluit; quæ Dei gratiam nimis ingrate repudiauit; quæ perpetuo veritati, atque Diuinę benignitati, contradixit. Si igitur ingens Israelitarũ multitudo, & bonis omnibus euersa, & malis innumerabilibus oppressa fuit, id non Deo, qui illos perpetuo ad salutem, & dignitatem, & ad promissæ hereditatis possessionem, inuitabat, sed illis, qui Domini ipsius benignitatem furenter aspernati sunt, adscribendũ est. Id autem tertia ratione certissime confirmatur: nam illi Iudæi, qui Deo repugnare minime voluerunt, amplissimis a Deo muneribus ornati, & tam multis opibus expleti sunt, vt orbem terrarum egregie locupletarent. Quarta autem defensionis ratio, mirabili sancti Spiritus effato continetur, qua vniuersi Israelis conuersio prædicitur. Cum igitur hęc sit Pauli mens, & sententia, iniuriam facit viro sanctissimo, in cuius mente Christi spiritus insidebat, qui alio sententiam illius traducere conatur; maxime vero, cum ea sententia, quam multi, nimis inconsiderate, Paulo tribuunt, non sit vtilis ad salutem, cum non tam fidem fulciat, quam diffidentiã gignat.

HIERONYMI OSORII LVSITANI

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS

LIBER QVARTVS.



PLATO, cuius sapientiã doctissimus quisque semper admiratus est, scriptũ reliquit, non eadem ratione, qua domestici imperij ius in seruis sanciri solet, liberis populis leges esse dicendas. Serui namque, pœnæ metu, coercentur; liberi vero, vtilitatis magnitudine proposita, & honestatis pulchritudine demonstrata, in officio continẽtur, & in studium laudis incitantur. Iccirco seruis cum aliquid imperatur, ratio, quare id illis expediat, minime redditur: at liberis cum aliquod munus colendum, & efficiendum præscribitur, multa primum oratio in laudanda, & ornanda, lege consumitur. Vnde colligitur, vbi libertas penitus amissa est, non posse diu legum sanctitatem inuiolatam conseruari. Qui enim, pœnæ rantũ metu, manus a maleficio continet, vbi primum in spem celandi, & occultandi, sceleris, quam cæca, & effrenata, cupiditas solet inijcere, fuerit adductus, in omne facinus erumpet, & per omne genus libidinis, quasi proposita impunitate, vagabitur. Quare omnibus, qui reliquis hominibus iura dant, in primis prouidendum est, vt optime libertatem constituant, ad eumq. finem leges referendas esse putẽt, vt homines, quos regere, & temperare, volunt, sanæ mentis compotes, atque virtutis, efficiant. Vbi enim virtutis, & honestatis, studium non exstiterit, nullum omnino libertatis vestigium apparebit. Qui enim vel furenter amat, vel odit, vel metuit, vel cupit, vel irascitur, numquam sui iuris esse poterit. Cum enim aduersante libidine legibus obtemperat, grandi mæstitia cruciatur; cum rursus aliquid contra iuris præscripta molitur, propter pœnę metum, atque maleficij conscientiam, quæ semper improborum animos exagitat, assiduo angore, & cruciatu, conficitur. Si libertas igitur, est facultas viuendi vt velis, quo modo tandem liber esse potest, qui numquam quod vult efficit, sed quod libido iubet, vel metus cogit, vel cupiditas imperat, vel iracundia præscribit, vel quiuis alius turbulẽtus animi motus facere compellit; ita, vt semper, ancipiti cura distractus, in dolore, & sollicitudine, versetur, &, tamquam seruus nequissimus, acerbissimo supplicio torqueatur? Liberi igitur illi tantum habendi sunt, qui e cupiditatis vinculis emissi sunt, & sponte sua legibus obsequuntur. Cum enim legibus parent, nihil contra voluntatem suam faciunt; & ita fit, vt libertatem inuiolatam retineant: contra vero, qui leges insito quodam odio persequuntur, cum illarum imperium detrectant, sunt tamen miserabiliter oppressi cupiditatis im purissimæ dominatu. Quamuis igitur plerumque ad eorum libidinem comprimendam leges scribantur, (nam qui dignitati student, ipsi, sponte sua, in studium ipsius legis incumbunt) ipsi tamen, quamdiu in eo statu sunt, nihilo meliores fiunt; immo sese prorsus indociles præbent ad legum disciplinam, ita, vt nullam vtilitatem ex earum sanctitate percipiant. Contra vero, qui iam cupiditatis iugum a se, fide, atque pietate, repulerunt, non auribus tantum legem accipiunt, sed animis impressam, & insculptam, continent; omnemq. vitam ad præscriptionem illius, cum summa iucunditate, dirigunt; & omnes suas opes, atque præsidia, habent in illius cultu firmissime constituta. Quocirca numquam sine magno fructu sese ad studium Diuinæ legis applicabunt. Diuino igitur consilio Paulus noster, cum iura dare, atque leges, quæ salutem, atque dignitatẽ

or inem continent, ſcribere decreuiſſet, vic iſſetq. eas a liberis tantum hominibus obſeruari facillime poſſe, prius luculentiſſime diſſeruit, quam impunitam libertatem habeant omnes, qui nomen Christo dederunt, illiusq. ductum, & imperium, ſequuntur. Docuit enim, eſſe iam in illis regnum cupiditatis exſtinctum, tyrannidem peccati deletam, ſupplicij metum abſterſum, mortis denique imperium profligatum, ita, vt nihil in animis eorum, quos Christus liberauit, vllo pacto reſideat, quod vel voluntatem adſtringat, vel mentem flagitijs inquinet, vel animum metu fractum dilaceret, vel eum denique, quo minus omnium maximarum virtutum muneribus ſtrenue fungatur, impediat. Demonſtrauit enim, quam facile ſit omnibus, quos Chriſtus ſacris ſuis ſanctiſſimis expiauit, ſpiritu Diuino frui, & in ſummum rerum omnium Dominum, puris, & incenſis, animis, intueri, & in cælum denique, ſi velint, euolare. Neque enim Dei voluntate coguntur in flagitio volutari; nec vllam vim libidinis experiri poſſunt, quam non facillime propulſent, cum ſint Diuinis armis recti, & inuicto Chriſti, Regis, & Imperatoris noſtri, præſidio muniti. Sunt enim Dei filij, Chriſtiq. ipſius coheredes, & ab illo in ſempiterni Regni ſocietatem conuocati, ita, vt nec vlla fraus hoſtium virtutem eorum poſſit eludere, nec vlla inferorum machinatio ius eorum egregios conatus infringere: ſiquidem eorum etiam preces, atque vota, Spiritus ſancti numine reguntur, & omnia, quæ illo præeunte poſtulant, feliciſſime conſequuntur. Qui igitur ita ſunt animis, atque vita, conſtituti, vt per fidem, & ſpem, in Chriſti gratia collocatam, cupiditatem compreſſam, & edomitam, teneant, & ſtudio immortalitatis, atque adeo Diuinitatis, inflammentur, Diuinos fructus ex ea Pauli diſciplina, quæ ſequitur, certe percipiet. Eo enim ſpectat illius oratio, vt doceat, quibus ſtudijs fides, atque pietas, retinenda ſit, quibus actionibus ſit exercenda iuſtitia, vt opes illius augeantur, & gratiæ Diuinæ munus in dies amplificetur. Vt enim deſidia, & languore, torpet animus, atque paullatim omnes opes Diuinas amittit; ita aſſiduo ſtudio, & exercitatione, altior in dies fit, & maiorum diuitiarum copia cumulatur, gaudioque pleniore perfunditur. Nemini igitur dubium eſſe poteſt, quin ampliſſimi veræ ſapientiæ fructus in hac huius epiſtolæ parte conſiſtant. Qui enim hæc, quæ ſequuntur, fuerint inflammato animo, atque tota mente, complexi, Diuinitatem certe quamdam aſſequentur, &, in omni ſæculorum æternitate, bonorum Diuinorum copia magnificentiſſime redundabunt. Ad leges igitur Pauli accipiendas propius accedamus. Sic enim ait:

C A P. XII.



Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.

Poſtquam multis argumentis, & exemplis, aperte demonſtrauit, quam parum ſit, ſi fides abſit, vel in natura, vel in ratione, vel in lege, momenti; quo modo omnes eorum conatus, qui vel induſtria, vel diſciplina, vel humano more, ſubnixi, ſeſe ad cultum iuſtitiæ conferebant, fuerint inanes, & irriti; cum nihil ſit, quod menti lucem præferre, animum ſanare, vires ſtabilire, poſſit, niſi Diuina tantum gratia; quo modo illi, qui ſibi iuſtitiam, & ſanctitatem, inaniter aſſumebant, fuerint direpti, vexati, & afflicti, & in ſempiternam miſeriam præcipites eiecti; qui vero, ſibi diffidentes, totos ſeſe Diuinæ benignitati tradiderunt, atque commiſerunt, fuerint florentes, atque beati, iusq. cæleſtis, atque ſempiternæ, hereditatis obtineant; poſtquam denique multis rationibus docuit, omnia in Diuinæ mentis electione, non in priſcæ religionis inſtitutione, conſiſtere, eamque miſericordiam non legi, ſed fidei, eſſe tributam; conſequens nunc eſt, vt doceat, quo modo fides ipſa tuenda, atque conſeruanda ſit. Parum enim

iuuat, fidem oratione profiteri, si uim illius, uita, atque moribus, infringas. Si enim secundum spiritum non ambulamus; si corporis flagitio, & impuritati, cedimus; si, Christi imperio repudiato, rursus peccato obtemperamus; ante collectam gratiam, per ignauiã, atque scelus, effundimus, & ita artioribus mortis tæterrimæ vinculis alligamur. Nec enim idem valet crimen in eo, qui nondum e tenebris lucem respexit, neque veræ vitæ iucunditatem vmquam sensit, quod in illo, qui, Diuinis viribus, ad iustitiam incitatus est, Spiritusq. sancti suauitatem gustauit, & in veram denique vitam fuit, Christi munere, & beneficio, restitutus. Quo enim maiore beneficio deuincti sumus, eo nos scelere grauiore deuincimus, cum ingratis animis illud de manibus emittimus, atque tætriorem nobis, eo facinore, pestem machinamur. Paulus igitur, id, quod pro iure suo præcipere potest, amore patrio obsecrat, & obtestatur, ne fidem datam frangamus, ne fœderis sanctissimi religionem violemus, ne dedecore sempiterno cumulemur, ne ue, qui etamus mortis tæterrimæ vinculis expediti, rursus eisdem vinculis adstringamur. Omnis igitur ad firmandam, atque sanciendam fidem Pauli pergit oratio, &, quando fidei vis, atque testimonium, vt nõ semel planum, & apertum fecimus, in legis æternæ cultu consistit, legis ipsius Diuinæ præcepta complectitur; atque primo quidem loco docet, quo modo sit procuranda religio, quibus sit immolandum victimis, quibus hostiis ira numinis auertenda. Deinde quo modo sit cum hominibus viuendum, & quanta religione societas humana colenda. Tum, qua modestia sit Principibus, atque Reip. rectoribus, obtemperandum. Præterea, qua lenitate animi sint imperitorum interdum ineptiæ tolerandæ. Postremo vero, docet, omnem vitam esse ad Dei laudem, & gloriam, ardenti studio conferendam. Inquit igitur: Obsecro vos igitur, fratres, per illam ipsam Dei misericordiam, quam fide assecuti fuistis, ne eiusdem misericordiæ fructum, fidei negligentia, de manibus vestris elabi patiamini. Non igitur hircos, non vitulos, non reliqua legis sacrificia, ad aram statuatis, sed vos ipsos hostiam Deo exhibete. Hostiam, inquam, viuentem. Illi namque demum viuunt, qui & mentem, & animum, & corpus, & sensus denique omnes, Deo consecrant. Soli namque spiritu vitali, atque salutari, fruuntur, cum reliqui mortales mortis ipsius sempiternæ nexum miserabiliter ineant. Neque solum hæc viuit hostia, sed est sanctissima. Sanctitas enim illius, non vmbris, & signis, non priscis cærimoniis, sed numine Spiritus sancti, perficitur. Est præterea ipsi Deo gratissima, qui quidem non sanguine pecudum, neque nidore carnium, delectatur, sed animi integritate, & innocentia, sed pio mentis ardore, sed studio denique amoris Diuini facibus inflammato, & ad obediendum alactiter incitato. Hoc enim est castissimum, atque sanctissimum, fidei sacrificium, quod Deus a nobis exigit, cum illa legis sacrificia multis in locis respuat. Neque enim Diuina mens est corporeis solum rerum Diuinarum simulacris, sed mente pura, atque uera religione, colenda. Spiritus, inquit apud Ioannem, est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate, oportet adorare. Est autem hic cultus rationalis religio, in mentis, atque rationis, puritate constituta.

Et nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta.

Fidei ipsius mysterium, atque sanctitatem, persequitur: quod totum in eo positum est, vt animos nostros a corporis contagione, a communis labis impuritate, ab hominum denique consuetudine, quantum fieri poterit, abducamus; neque officia vitæ corruptæ, multitudinis opinione, sed spiritus Diuini iudicio, ponderemus; & salutari Cruce necem, & interitum, sensibus nostris afferamus. Mortui enim sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hanc autem mortem felicissimam, nouitas vitæ beatæ consequitur: qua quidem fit, vt Diuinæ naturæ similitudinem arripiamus, & imago Dei in nobis instaurata, multisq. ornamentis illustrata, & amplificata, reluceat. Qui igitur se tunc non humano semine procreatum, sed statu Diuino editum, esse cognouerit, nullo modo ad hominum arbitrium vitam instituet, sed omnia vitæ consilia ad ductum, & imperium Diuini numinis applicabit; semperq. aliquid tanto munere dignum faciet, & sentiet; neque vmquam a Dei voluntate, & sententia, dissidebit. Volnutas Dei id appellatur, quod Deus a nobis fieri vult. Non vult autem, vt pecudes ad sacrificium offeramus; sed, vt mentis puritate, atque sanctitate, litemus; non, vt huius vitæ commoda mortalia, & caduca, magno studio quæramus, sed vt ad stabiles, atque sempiternas, opes adspiremus; nec, vt eum muneribus, maiestate illius indignis, veneremur; sed, ei fide placeamus, atque gloriam pietatis officiis perpetuo tribuamus; neque denique vult, vt in lege, quæ nihil vmquam ad perfectionem duxit, firmum aliquod uitæ præsidium constitutũ arbitremur, sed omnia in illius mente, & numine, posita censeamus. Vult enim, vt sancti simus, utrisq. bonis affluamus. Sed, quia non satis est in uniuersum præscribere, nisi etiam de singulis

officiis

officijs præcepta det, id præcipiendi munus ſtatim exſequitur, & explicat, quo modo ſit nobis vitæ Diuinæ nouitas retinenda. id autẽ eſt, quo modo Dei voluntati ſatisfaciamus.

Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, Nõ plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

Sapere pluſquam oportet ſapere, eſt, inſolenter efferri. Sapere autem ad ſobrietatem, eſt, de ſe moderate ſentire. Hic iam nõ ſolum hortatur, ſed legem præſcribit, eamq. primũ ſancit, quæ continet totius pietatis, atque veriſsimæ religionis, ſundamentum. Vt enim nihil eſt tam aduerſarium fidei, quam ſuperbia, & inſolentia; ita nihil eſt moderatione, & humilitate, cum fide magis coniunctum. Qui.n. arrogans, & inſolenter elatus eſt, non modo contemnit homines, & humanam ſocietatem dirimit, & iura omnia ciuilia perrumpit; verum etiam tætrum, & impium, bellum omnibus ſanctitatibus indicit, atque cum ipſo Deo pugnat. Dei enim gloriam ad ſe reuocat, cum id ſibi attribuit, quod a Deo accepit. Contra vero, omnis animi moderatio, atque magni animi, & conſtantis, humilitas, non modo cunctis hominibus facilis, ſuauis, atque benigna eſt; verum etiam debitis honoribus Deum colit. Humilitas enim ex eo prouenit, quod ſapienter intelligunt homines nihil eſſe boni, quod non a Diuina benignitate hauſtum, atque delibatum ſit; & ita fit, vt non ſe reliquis hominibus anteponant; ſed, quo muneribus maioribus, & amplioribus, ornati ſunt, eo ſe ſubmiſsius gerant, & in Dei conſpectu ſe magis abiiciant: quod facient, ſi ſecum aſsidue cogitauerint, ſe bona omnia, quæ habent, a Deo habere. Ideo ſequitur:

Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

Fides enim, Dei beneficium eſt, & pro fidei viuę ratione Diuina munera a Deo tribuuntur, Humiles igitur, atque moderati, cum in Deum perpetuo, vt in auctorẽ bonorum omnium, integra fide reſpiciant, ipſi Deo grati, & accepti ſunt, clarioribusq. indies beneficiis augentur. Contra vero, ſuperbi, ab ipſo Deo repelluntur; &, ſi quidquam ab illo boni adepti fuerant, eo tandem ſpoliantur. Cum igitur tantum impendeat a ſuperbia vitæ noſtræ periculum, & cum hæc humilitas ſit ſapientiæ documentum, fidei ſpecimen, totiusq. virtutis initium, robur, atque firmamentum, merito Paulus hanc primam legem̃ dicit, ne ſe quiſquam extollat, ne ve alios contemnat. Illud enim, quod ait, Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, idem eſt, quod, pro iure muneris; mihi Diuina gratia commiſsi, iubeo, & impero. Per gratiam enim hic Apoſtoli officium, & munus, intelligit. Quia vero multis ipſa munera Diuina, quibus affluebant, occaſionem inſolentiæ dabant, docet, non eſſe, cur quiſquam inſoleſcat. Primum quidem, quia nobis a Deo donata ſunt, non noſtris meritis, & induſtria, quæſita. Deinde, quia non tam nobis ipſis ea accepimus, quam ad communem aliorum hominum, vſum, & vtilitatem, ita, vt non ſint inſtrumenta ſuperbiæ, ſed caritatis, exiſtimãda. Cum vero in caritatis etiam functione poſsit inſolentia inſignis fieri, præſcribit Paulus, ne quiſquam munus vllum ſuſcipiat, quod ſupra naturam, & condicionem, & locum, in quo eſt conſtitutus, eſſe videatur; ſed omnes ſe intra terminos officii ſibi aſsignati, cum debita moderatione, contineant. Quod facillime fiet, ſi omnes officia vitæ, non ambitione, ſed caritate, metienda putauerint. Ad caritatis vero legem ſanciendã, illo argumento Paulus vtitur, quod eſt poſitum in eo vinculo, quo ſic inter nos deuincti ſumus, vt ex omnibus vnum corpus fieri debeat, vna mens, vnus ſenſus, vna volũtas. Vt igitur in vno corpore membrum vnum aliud membrum minime contemnit, ſed alia alijs ſubſidio ſunt, aliorumq. ſimiliter ope ſuſtẽtantur, ſic in hoc ſanctiſsimæ Reip. corpore omnes vna fidei conſenſione, ita conſtricti, atque colligati ſunt, vt nemini liceat habere quidquam, ab aliorum vſu, & vtilitate, ſeiunctum.

Sicut enim in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

Hanc eandem ſententiam multis in locis elegantiſsime perſequitur, explicans, quo modo vna fide, vno ſpiritu, vna ſacrorum omniũ religione conſtricti ſumus vniuerſi, & in vnã cæleſtis ciuitatis communionem conuocati, atque in vnum Chriſti corpus ſimul inſiti, ita vt nihil debeat eſſe in hac Diuina Reip. diſsidẽs, nihil ab aliorum partium vtilitate diſcrepans, ſed omnia amore inter ſe valde coniuncta. Vt enim in corpore animantis, ſingulis membris ſingula munera diſtributa ſunt, quæ aliorum vſibus ſeruiunt, & in corporis totius incolumitatem conſeruutur, ſic in Eccleſia ſunt certa officia certis ordinibus aſsignata, ad communem Eccleſiæ totius vtilitatem. Et, perinde, atque, cum vnum membrum dolet, totum corpus eodem dolore afficitur, ita oportet, ſingula Chriſti membra, aliorum morbis angi, dolorisq. partem ſuſcipere. Quod ſi aliquis ea mente ſit, vt ſuum tantum emolumentum reſpiciat, &, vaniſsimis cogitationibus inflatus, aliorum ſalutem negli-

gat,& omnia ad se tandem reuocet, is plane, quantum potest, Christi corpus dilacerat, & sanctissimam Christiani generis societatem nefarie dissoluit. Cum igitur is, qui in Diuinis beneficijs, tamquam in proprijs bonis, insolescit, pietatem in Deum violet, & Christianam societatem dirimat, non minus, quam vitæ pestis, atque pernicies, arcenda superbia est, omneq. hominum fastidium, tamquã mortiferum venenum, summa totius animi contentione, fugiendum. Quam multiplex autem sit corporis huius Diuini constitutio, quæ sint propria singulorum membrorum officia, quo modo rursus omnia sint vno caritatis vinculo inter se nexa, & colligata, & in vnam tantum fidem admirabili consensione respiciant, breuiter exponit:

Habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.

Paria paribus redduntur. Docet enim, quo modo sint omnia ad vsum totius Ecclesiæ dirigenda; cum ij, qui ea dona a Deo acceperint, non sibi, sed omnibus, acceperint; ita, vt, qui ea in communem omnium vtilitatem minime contulerint, sint grauissime puniendi. Prophetiæ autem munus, cum multiplex, & varium sit, tum illud genus est valde Ecclesiæ erudiendæ accommodatum; de quo Paulus in prima epistola ad Corinthios disserit, quod quidem diuina mysteria, in sacris litteris latentia, explanat, Diuinisq. testimoniis hominum peccata conuincit, omniaq. sæpe latibula sceleris occulta perscrutatur. Qui prophetat, inquit, hominibus, loquitur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem. Et paullo inferius, Si autem prophetent omnes, & intret quis infidelis, aut idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Hoc igitur Prophetiæ munus, cum sit gratiæ Diuinæ beneficium, secũdum fidei rationem, ad totius Ecclesiæ fructum, certis hominibus attributum, non est, cur animos faciat, sed potius homines sollicitos habeat, summa cura, & sollicitudine, prouidentes, ne videlicet vllũ illius colendi, & exercendi, locum prætermittant. Quod etiam de ministrandi munere, & officio, dicendum est. Est autem duplex. Vnũ enim ad animorum cultum confertur, de quo Paulus ait, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Alterum vero ad corporum sustentationem, atque tutelam, dirigitur. De quo scriptũ est in Actis Apostolorum, fuisse a quibusdam Græcis habitam querimoniam de Iudæorum negligentia, quod despicerentur eorum viduæ in ministerio quotidiano. Vtriusque autem ministrandi muneris perfecta functio Spiritus Sancti beneficio continetur. Sic etiam, qui docet, qui monet, & adhortatur, non opes humanas in aliorum salutem, sed Diuinas, impendit; neque ad suum emolumentum, & quæstum, sed ad aliorum vtilitatem, respectũ habere debet, cum non carnis, sed spiritus, munere fungatur. Quemadmodum de eo, qui bonum aliquod alijs impertit, etiam præscribit Paulus, vt impertiat in simplicitate. Hoc est, ne compendium, & lucrum spectet, vt feneratores faciunt, sed animo simplici, atque plane liberali, largiatur. Ab iis autem, qui præsunt, diligentiam exigit. Nihil enim est, quod minus conueniat iis, qui aliorum curam susceperе, multisq. mortalibus præpositi sunt, quam ignauia, somnus, atque desidia. Fidem namque prodit, qui in eis tuendis, omniq. ratione conseruandis, quos in suam fidem recepit, non summam adhibet diligentiam. Recte igitur apud Homerum principes admonentur, non licere eis integram noctem dormire, sed esse illis semper, quantum fieri potest, in aliorum custodia vigilandum. Quod si hoc illis etiam præscribi solet, qui ex hominum præscripto curam habent rerum humanarum; quid de illis tandem existimandũ est, qui sunt non ab hominibus, sed a Deo, in perpetua Ecclesiæ specula constituti? Ab iis autem, qui misericordiæ opus aliquod exsequuntur, hilaritatem, & lenitatem, exigit. Is enim, qui grauate quidquam tribuit, molestia quodam animum accipientis offendit, & fructum maxima ex parte liberalitatis ipsius amittit.

Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Caritatem fraternitatis inuicem diligentes. Honore inuicem præuenientes.

Primum quidem vult, caritatem esse prorsus ab omni simulatione seiunctam. Neque enim caritas est, quæ ficta specie continetur, ita, vt, cum aliquid tribuit, non in eorum fructum, quibus tribuit, sed in suam vtilitatem, adspiciat. Quo modo autem sit colenda caritas, explanat, dum admonet, vt malum, hoc est scelus, atque flagitium, odio persequamur; & pietatem, atque iustitiam, amemus; & hæc tandẽ sit amoris nostri caussa, ita, vt, in quemcumque probitatem elucere viderimus, omnia summi amoris officia conferamus. Cum vero omne bonum diligendum sit, nemoq. sit, in quo non insit aliquid naturalis boni, (sunt enim omnes homines Dei manibus informati, & ad iustitiam nati, & ad imaginem Dei ipsius expressi) reliquum est, vt omnes homines diligamus, vsque adeo, vt in impiis, etiam cum eorum scelus oderimus, natu

ram tamen minime deteſtemur. Amor tamē inter pios homines longe maior, atque plane fraternus, eſſe debet, cum omnes cæleſtum gente, & agnatione, teneātur, vnumq. Deum parentem habeant, & agnoſcant, iiſq. muneribus inſtructi, & ornati ſint, idemq. omnino ius ſempiternæ illius hereditatis habeant. Et, quia nihil eſt in rebus humanis, quod maiores diſcordiarum tempeſtates excitare ſoleat, quam honorum contentio, omnem plane diſcordiarum materiam tollit, cum admonet, vt alij alios ſibi præferant.

Sollicitudine non pigri. Spiritu feruentes. Domino ſeruientes.

Summa quidem virtutum omnium perfectio in diligentia conſiſtit. Vt enim piger, & ignauus, nec in rebus bellicis, nec in domeſticis, nec in vrbanis, nec in ruſticis quidem, neque in aliquo denique munere, quidquam laude dignum efficere poteſt; ita ei, qui præclarum aliquod opus diligenter exſequitur, omnia feliciter, & cum laude procedunt. Scite quidem, vt omnia, Solomon ait, cum de illo, quem viderimus acrem, & vigilantem in rebus gerendis, ſpem egregiam concipiamus, & exiſtimemus, eum apud Reges in honore futurum, magnasq. res adminiſtraturum. Contra vero, qui lente, & negligenter, negotium gerit, nihil vmquam in vita poterit cum dignitate moliri. Quod ſi ignauia in rebus humanis non modo ſordida, ſed etiam deteſtanda eſt; quid tandem eſt de muneris alicuius Diuini functione nobis exiſtimandum? Signū certe eſt, eum, quantam rem ſuſceperit, non videre, qui eam negligenter adminiſtrat. Exſecrandus eſt, inquit ille, qui facit opus Dei negligenter. Sed, qua tandem ratione poterimus eſſe in Diuinarum rerum ſtudio vigilantes? Si ad rerum cæleſtium cupiditatem exarſerimus. Et ideo adiungit, Spiritu feruentes. Et, quia ſunt omnia ſingulari prudentia moderanda, & ſapienter ponderandum eſt, quid locus, quid tempus, quid perſona, quid occaſio poſtulet, (nec enim omnia locis omnibus, perſonis, & temporibus conueniunt,) addit, Tempori ſeruientes. Tum ait:

Spe gaudentes: In tribulatione patientes.

Multum profecto valet ſpes ad omnem moleſtiam ex animo depellendam, & voluptatem afferendam. Qui enim aliquid magnum, & a ſe vehementer expetitū, ſperat, id ipſum, quaſi præſens, cogitatione complectitur, anticipataq. rei informatione, gaudet, atque magna quædam iam gaudia præcipit. Quod ſi incerta rerum humanarum ſpes eſt tantæ ſæpe numero iucunditati, neceſſe profecto eſt, vt is, cui ſpes gloriæ immortalis ab ipſo Deo, clariſsimis ſignis, atque teſtimoniis apertiſſimis, oſtenſa eſt, in rebus etiam aſperrimis incredibiliter exſultet. Quemadmodum, inquit ille, lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Spes autem patientiam inuictam efficit, & rurſus patientia ſpem ipſam confirmat. Qui enim præmia ſempiterna animo conſiderat, facillime huius vitæ labores, cum ſint exigui, & modo quodam tolerabili præfiniti, & breui temporis ſpatio terminati, deſpicit, cum intelligat, excitari ſe ad certiſsimam ſpem eorum bonorum, quę magnitudine immenſa ſunt, & longinquitate temporis infinita. Qui rurſus patientiſsime omnia aduerſa, immortalis gloriæ cauſſa, tolerat, virtutis Diuinæ conſcientia, in ſpem firmiorem quotidie magis impellitur. Sed, ne ſpes poſsit vmquā extenuari, aut vis patientiæ debilitari, eſt animus perpetuo veriſsimę religionis ſtudio fulciendus, atque precibus, & oratione, firmandus. Iccirco addit:

Orationi inſtantes.

Nihil eſt enim, quod magis ſpem noſtram erigere, animumq. maiorem ad humana omnia negligenda reddere, poſsit. Caſtum enim illud, & ſanctum, aſsiduæ pręcationis ſtudiū, Deum pręſentem ſiſtit, hominumq. mentes in cælum euehit, & cupiditate Diuinitatis inflammat; Deiq. ipſius inuicto præſidio conſtipat. Qui fieri enim poteſt, vt is, qui tam excelſo, & elato, animo eſt, vt in cælo mentis agitatione verſetur, futuramq. gloriam præſentiat non ſimul & incredibili voluptate fruatur, &, quidquid in vita ſenſibus aſperū, & odioſum, inciderit, facillime perferat? Sed, quia non ſatis eſt nos Deum religioſe venerari, ſed eſt etiam neceſſe generis humani ſocietatem a nobis ſancte coli, caritatis, & benignitatis, leges dat. Maxime vero docet, eos eſſe nobis, omnibus benignitatis officijs, amplectendos, qui nobis, fidei religione, atque ſanctitate, coniuncti ſunt.

Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes.

Cum, inquit, videritis, aliquem ſanctum hominem cum rerum indigentia conflictari, eam indigentiam vobis eſſe cum illo communem reputate, vt illis opem alacrius afferatis. Quod vero ad hoſpitalitatem attinet, docet, hoſpites non modo benigne excipiendos eſſe, verum etiam ipſius hoſpitalitatis officiū omni ſtudio conſectandum. Eo ſiquidem, vt dicit alibi, id olim ſanctiſsimi homines aſſecuti ſunt, vt hoſpitio cælites exciperēt. Quo modo autem nos aduerſus inimicos gerere debeamus, exponit:

Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

Huius sententiæ verbis iucunde duplicatis, & iteratis, vim illius animis inculcat; & docet, quanto studio perfectum illud Christianæ pietatis officium, quod Christus, & disciplina, & exemplo, egregie sanxir, tueri debeamus. In nulla namque re potest magis elucere Christianæ virtutis, atque probitatis, specimen, quam in perferendis iniurijs, & in perditorum hominum conuicio, lenitate, & clementia, refutando. Est igitur opus, vt certet nostra benignitas cum illorum inmanitate, orationis nostræ suauitas cum illorum maledicentia, ita, vt, etiam cum nos illi maledictis omnibus insequuntur, nobisq. diras clades imprecantur, nos, contra, illis fausta, & felicia, omnia precemur.

Gaudere cum gaudentibus, flete cum flentibus. Id ipsum inuicem sentientes.

Quo modo sit sanctitas amicitiæ conseruanda, voluntatumque, & studiorum, consensio retinenda, luculenter explanat, cum nos ad eundem omnino sensum, vel doloris, vel voluptatis, vocat. Fieri enim certe nequit, si nostrum amorem in aliquem vere contulimus, quin nos idem sensus afficiat. Amor enim ita coniungit animos, vt vnum propemodum ex multis efficiat. Sic autem fier, vt aliorum rebus lætis oblectemur, & aduersis angamur.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.

Cum caritatis præcepta tradat, nihilq. sit tam aduersarium caritati, quam animi tumor, & elatio, rursus hoc malorum omnium seminarium euellere, & exstirpare, nititur. Altum namque sapere, vt iam diximus, est, insolenter extolli. Omnes igitur admonet, & hortatur, quamuis sint aliquam vel pietatis, vel eruditionis, præstantiam consecuti, cum tamen intellexerint, eam Deo in acceptis referendam esse, ne ob id reliquos homines præ se contemnant, sed se submittant potius, & cum infimis exæquent, & illorum morbos, atque vitia, quasi propria lugeant. Aliter enim vis ipsius amoris Christiani, atque sanctissimæ coniunctionis nomen, occiderit. Sed, cum omnis superbia detestabilis, & exsecranda sit, tũ illa, quæ sapientiæ opinione continetur, est omnium teterrima, e qua omnia mala pestifera nascuntur. Nam ex falsa opinione sapientiæ exsistit amentia, & furor immanis, ad rerum omnium perniciem, si opes adeptus fuerit, incitatus. Qui enim se sapientem existimat, non modo hominum consilia despicit, verum etiam Dei mentem, & rationem, aspernatur. Necesse igitur est, vt in tenebris ruat, & præceps mẽtis cæcitate rapiatur; omniaq. tandem temeritate, & amentia, perturbet, atque disijciat. Certissima enim ad sapientiam via est, in humilitate constituta. Qui enim, quantis tenebris hominum vita circumfusa sit, animaduertit, qui caliginem mentis, qui imbecillitatem animi sui recognoscit, qui innumerabiles errores, quibus implicati sunt ij, qui sibi sapientes esse videntur, mẽte circumspicit, is plane iam sapientiæ munere fruitur, atque sibi diffidens, &, Dei consilium expetẽs, lumine Diuinæ mentis illustratur. Sic autem fit, vt, qui sibi sapientiam arrogant, sint amentissimi; qui vero sapientiam sibi minime assumunt, sint sapientiæ gloria præstantissimi. Quocirca Solomon, ad sapientiam instruens, admonet, ne quisquam ingenio suo confidat, & prudentia sua innitatur; sed totum se Deo regendum tradat. Isaias item eos exsecratur, qui sapientiæ opinione tument. Paulus igitur vt omnem humanæ miseriæ materiam resecet, hoc malum arcet, monens, ne se quisquã prudentem opinetur. Nec hoc in loco tãtum, verum etiam totis scriptis, in eo pugnat, vt homines a sui ingenii confidentia penitus abducat.

Nulli malum pro malo reddẽtes. Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Repetit illud, quod ante monuerat, nempe, non esse mala reddenda iis, qui nos malis insectantur. Quamquam illic de verbis, hic autem de factis, disserit. Vt enim præcepit, vt eis, qui nobis diras calamitates imprecantur fausta, & felicia, precemur; sic nunc præcipit, vt eis, qui nobis graues iniurias inferunt, benigne faciamus. Monet deinde, vt decoris, & dignitatis, curam apud homines habeamus, ne, deformitatis alicuius offensione, eos a nobis alienemus, quos omni studio nobis conciliare debemus. In omnibus igitur dictis, atque factis, honestati seruiendum est, vt, ipsa veræ virtutis pulchritudine, omnibus in locis animaduersa, facilius homines ad Dei cultũ, & religionem, adducamus.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Aliquando quidem vitari minime potest cum religionis hostibus summa contentio. Iccirco dicit, Si fieri potest. In manu tamen nostra est, ne vmquam culpa nostra certamẽ oriatur. Hoc enim summæ curæ nobis esse debet, vt omnes homines saluos esse velimus, omniq. studio, quamdiu licet, eos tueamur.

Non vos metipsos defendentes (vel, vt in Græcis libris legimus, nõ vos vlciscentes) carissimi, sed date locum iræ. Scriptũ est enim: Mihi vindictã: & ego retribuam.

Quam ſtulti ſint ii, qui illatas iniurias aliis ſimiliter iniuriis vlciſcũtur, primum quidem hinc cerni facillime poteſt. Non enim, qui accipit, ſed qui facit iniuriam, eſt grauiſsimis, atque funeſtiſsimis, malis, oppreſſus. Nullum enim malum eſt iuſtitia dirius, nullum tetrius nullum calamitoſius. Ergo, quicumque alterius vel rei, vel famæ, vel denique vitæ, nocuerit, cum alium leuiter attigerit, (omnia liquidem leuia putanda ſunt, quæ corpus tantum vulnerant, animi vero ſtatum minime conuellunt) ſibi ipſi mortiferum vulnus infligit, atque maculam ſempiterni dedecoris inurit. Bonis vero nocere nemo poteſt, cum neque eorum virtus infringi, nec honeſtas eripi, neque mentis lumen obſcurari poſsit. Quid igitur amentius, cum improbus tibi parum admodum nocuerit, ſibi vero peſtem machinatus fuerit, quam in eiuſdem amentiæ ſimilitudinem incurrere, plagaq. illa leuiſsima minime contentum, peſtem tibi ipſi, atque perniciem, moliri? Tibi enim ipſi vitam, & dignitatem, detrahis, cum iniuriam, alia iniuria ſimiliter illata, compenſas. Deinde id, quod cupis, minime quidem aſſequeris. Dum enim iniuriam opibus tuis perſequi contendis, Diuinæ vindictæ locum minime relinquis. Deus enim ſuorum cauſſam ſuſcipit; ſeuereq. admodum iniuriam ſuis illatam vindicat. Mihi, inquit ille apud Moſen, vindicta, & ego rependam. Ergo, cum iniuriam perſequi ſtudes, contra Dei legem facis, qui te a vindicanda iniuria deterret. Sic igitur iam non es in amicis illius numerandus, quos ille, vt pupillam oculi, tuetur. Non igitur cauſſam tuã, perinde atque ſi ſua eſſet, ſuſcipiet; nec tibi factam iniuriam, quaſi ſibi ipſi illatam, vindicabit. Cum igitur Dei officium vſurpas, (ille namque ſolus, cum ſit iudex veriſsimus, ſuorumq. amantiſsimus, eſt vltor iniuriarum, quæ ſuis inferuntur) & per te vlciſci iniuriam conaris, Dei vindictã quodam modo excludis. Non igitur iræ Diuinæ locum das, ſed nolens, & inuitus, hoſti tuo conſulis. Quo tandem igitur modo ſunt a nobis excipiendi, qui nobis iniurias graues, vt ipſi quidẽ opinantur, fecerunt? Paulum ipſum audiamus, qui egregiam vindicandæ iniuriæ rationem, a Solomone olim litteris explicatam, in hunc locum transfert.

Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitis, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.

Præclara quidem ſententia, certiſsimaq. veri decoris, via, & gloriæ, via, qua poſſumus illuſtrem victoriã conſequi, atque de hoſtium dolore iuſtiſsimum triumphum agere. Nihil eſt enim, quod magis aduerſarios vrat, quam egregiæ cuiuſdam bonitatis lumen, in inimicis perſpectum. Partim namque inuidia, partim admiratione, perculſi, cõcidunt; omniſq. furor, & petulantia, ſæpe comprimitur. Quod autem clarius exſtare poteſt virtutis indicium, quam nullis iniuriis commoueri, nullis hoſtium incurſibus tumultuari, nullo perdito rum hominum impetu a mentis ſtatu deduci; ſed eandem ſemper mentem, & rationem, cum admirabili conſtantia, conſeruare; nec vllis hoſtium ſceleribus a ſtudio bonitatis auerti? Quid igitur glorioſius, & admirabilius, quid denique ad Diuinam virtutem propius accedit, quam eiſdem ipſis, a quibus oppugnaris, ope, & gratia, conſulere? eoſdemq. ſaluos uelle, qui te exſtinctum, atque deletum cupiunt? Neceſſe igitur eſt, ut crucientur animis, cum altitudinem, & conſtantiam, uirtutis tuæ conſiderant; fietq. tandem ſæpenumero, ut eos intemperantiæ ſuæ pœniteat, & ita ad officium redeant. Qui igitur ſunt in inimicos benefici, ſtatum ſuum mirifice conſeruãt & de ipſorum hoſtium improbitate triumphant, ipſoſq. tandem hoſtes ſibi ſubdunt, incredibiliq. tandem amore ſæpe deuinciunt.

Noli vinci a malo: ſed vince in bono malum.

Cum ira excandeſcimus, &, odio inflammati, ad ultionem rapimur, hoſtium plane improbitati ſuccumbimus, illiuſq. impetu, & furore, proſternimur. De ſtatu enim deiicimur, & animi decus amittimus, & furiis agitamur: quod quidem cadere non poteſt in animum magnum & excelſum, uitæ dignitatem, & conſtantiam, omnibus humanis opibus longiſsime præferentem. At, cum, inſtar rupis, natura munitiſsimæ, ſic omnes hoſtium impetus excipimus, ut nulla ex parte labemus; cum nec ira, nec odio, commouemur; nec, ullis hoſtium maleficiis irritati, ad uindictam incendimur; immo, quo magis in uos hoſtium ſcelus incitatur, eo clariorem probitatis noſtræ ſignificationem damus; tum demum virtus noſtra impiorum ſcelus ſuperat, bonumq. noſtrum illorum malum omnino profligat. Nec enim cum hominibus, ſed cum ſcelere, & improbitate, nobis eſt aſsidue dimicandum. Improbitas autem, non ſimilitudine improbitatis, ſed magnitudine virtutis, opprimitur. Si vis igitur de hoſtibus tuis, hoc eſt de vitijs, egregiam victoriam reportare, opus eſt, ve comprimas hominum immanitatem clementia, malitiam bonitate diſcutias, odium caritate reſtinguas, iram manſuetudine, & lenitate, coerceas, maleficia beneficijs vlciſcare, & in omni genere ſic certet virtus tua cum aliorum ſcelere, & flagitio, ve ſemper bonũ tuum aliorum malum vincat, & ſuperet. Hoc enim magni hominis officium eſt, hoc viri fortis, & conſtantis, munus, & in omni loco ſemper inuicti.

CAP.

CAP. XIII.

OMnis anima potestatibus sublimiorib. subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. quæ autē sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Quemadmodum sit cum æqualibus viuendum, hominumq. genus communi amore cōplectendum, hucusque disseruit. Nunc tradit, quo modo sint a nobis principes, atque magistratus, colendi, quanto studio sit legitimo imperio obtemperandum. Nam, sine illo, neque domus, neque ciuitas, neque natio, neque natura denique vniuersa, constare vllo modo potest. Vt igitur omnis mundus, Diuinæ mentis sempiternæq. legis, imperio gubernatur; sic opus fuit, vt in hominum cœtibus esset, quædam imperij maiestas, cui reliqui omnes obedirent, & sic, vno iuris vinculo deuincti, incolumes ab exitio, & vastitate, permanerent. Eo namque sublato, summa infimis commisceri, omniaq. perturbari, atq. funditus euerti, necesse est. Neque solum est imperium ad multitudinem in officio continendam necessarium; verum etiam ordo illius, atque temperatio, qua quidem infima, ex supremis apte nexa pendeant, & rursus suprema infimis omni ratione prospiciant. Nam & serui dominis, & vxores maritis, & filij parentibus, subiecti sunt. Deinde, plebs ipsa magistratibus paret. Ij vero aliis maioribus obediunt, donec gradatim ad eos peruenias, qui summam in Rep. auctoritatem habent. Qui tamen legis imperio constringuntur. Vbi enim lex non dominatur, nulla Resp. potest recte gubernari. Lex autem est iuris, & iniuriæ, regula, mentis, & rationis, descriptio, prudens, & apta, ciuitatis temperatio, qua flagitio, & impuritati, resistitur; omnesq. Reip. partes, in suis quæque officiis, continentur. Hæc autem Diuina mente sancitur, illiusq. numine beneficio conseruatur. Is enim est, qui, a mundi primordio in animis hominum legem, hoc est imaginem suæ mentis, & rationis, insculpsit. Inde leges scriptæ, quibus hominum vita colitur, & a feritate, & immanitate, ad humanitatis cultū traducitur, ortæ sunt. Magna vis est igitur in lege, quæ quidem a cælo manat, & in terras infunditur, &, per omnia commeans, cuncta ponderibus examinat, rationeq. metitur, & dirigit, obliqua ad rectam normam reducit, inæqualia ad æqualitatem reuocat, dissimilia, & dissoluta, conglutinat. Ergo, cum lex illa, quæ fluxit a Diuina mente, & est ad naturam illius luculenter expressa, vniuersamq. ciuitatem contineat, omnesq. illius partes miro quodam ordine, & moderatione, conseruet, & ad legum custodiam imperia, & magistratus, describat; plane constat, magistratus auctoritatem Diuina temperatione contineri. Nec enim tantus fuisset hominum consensus in magistratibus colendis, maxime cum paucissimi sint, & infinitæ cupiditati multitudinis innumerabilis seuere resistant, nisi id Diuino quodam consilio fieret. In vniuersum autem, quidquid ordine, & modo, fit, Deo moderante fit. Omnis siquidem ordo, omnis dignitas, & conuenientia, a Diuinæ mentis æquitate, & ratione, dimanauit. Cœtus igitur hominum iure sociati legitima Rerump. imperia, Regumq. maiestas, & legum sanctitas, & mores, & instituta ciuilia, in quibus ordo singularis, atque mira rerum connexio, & apta distributio, ratione descripta, perspicitur, ad Diuinam mentem, numen, & rationem, referenda sunt. Qui leges igitur sanctas non habet, qui legitima imperia contemnit, & humana iura conculcat, non modo est hominum vitæ perniciosus, verum etiam in ipsum Deum sceleratus. Neque enim solum ordinem vitæ perturbat, &, quantum potest, omnibus rebus humanis exitium machinatur, sed etiam Dei opus euertit; &, quod est Diuina descriptione fundatum, intemperantia sua demolitur. Ergo, cum nefarium, & immane, scelus in homines, & in Deum, concipiat, consequens est, vt grauissimas pœnas luat. Quemadmodum statim Paulus ait:

Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Iudicii Diuini metum incutit iis, qui magistratus imperium detrectant. Rationem vero, quare sit semper eorum iussis obtemperandum, continuo subiungit:

Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum.

Magna quædam, atque plane Diuina, persona est imposita Regibus, atque magistratibus. Hoc enim suscipiunt, vt hominum intemperantiam coerceant, indomitas cupiditates frangant, scelera supplicio vindicent; contra vero, innocentiam a nocentium petulantia, & improbitate, tueantur, virtutemq. honoribus, & præmiis, afficiant; & sic, aliis seuere resistendo, alios benigne conseruando, & omnes eadem iuris æqualitate moderando, Remp. vniuersam recte constituant. Sunt igitur Dei ministri, ad hominum salutem designati. Ergo, vel quia Dei personam in terris sustinent,

vel

vel quia rebus humanis salutem, & incolumitatem, afferunt, sunt a nobis egregie colendi. Si enim honestati studes, & animi integritatem tueri vis, quo modo enm non diliges, qui honestatis, & innocentiæ, vindex est, & in cuius patrocinio probitas tuta cóquiescit? Sed, quid dicendum est de Tyrannis, cum Christi religionem, atque sanctitatem, oppugnent? Asseuerandum est, eos tunc non esse Dei ministros, sed Satanæ potius. Non igitur tunc audiendi sunt, sed animis, oculis, auribus aspernandi, scelerataq. eorum iussa contemnenda. Paulus autem loquitur de principibus legitime imperantibus. Tunc enim, quãuis a Christi sacris alieni sint, quamdiu tamen officium suum faciunt, Dei ministri habendi sunt. Est enim in illis etiam tunc vestigium quoddam diuinæ potestatis, atque moderationis, impressum; cuius vi fit, vt vnus homo infinitam prope hominum multitudinem sibi subiectã habeat. Qund ipsa Dei sapientia apnd Solomonem testificatur. Vi enim, & mente, sua fieri dicit, vt Reges terras imperio contineant, & ptincipes cum iustitia, & æquitate, iudicent; & sic tandem omnia potestate facillime complectantur. Quocirca Paulus Timotheo præcipit, vt pro Regum, & Principum, salure, non ille modo, sed Ecclesia vniuersa, Deum veneretur. Petrus autem omnes adhortatur, vt sint Regibus, & Rerump. curatoribus, obedientes, atqne subiecti. Opera.n.illorum fit, ut sine cura sit innocentia, omnisq. ciuitas vitæ trãquillitatẽ sequi posit. Si enim imperij seueritate minime constricta fuisset audacia, quid esset in communi vita securum? Quid cura, & sollicitudine, liberum? Quid a libidine, & perditorum hominum immanitate, tutum? Quid impediret denique, quo minus omnia, contumelijs, latrocinijs, & cædibus, infesta, corruerent, atque ad nihilum tandem reciderent?

Si autem malũ feceris: time. non enim sine caussa gladium portat. Dei enim minilter est: vindex in iram, ei qui malum agit.

Magistratus laudem oratione persequitur. Quid enim Reip. salutarius esse potest, quam iudiciorum seueritate refrenari licentiam, improbiratem coerceri, libidinem resecari, audaciam, & scelus, exstingui? Per Gladium, faces, secures, virgas, & reliqua insignia potestatis, intelligit, quibus terrorem flagitiosis hominibus inijciunt. Ira vero, apud Paulum, iudicii seueritatem designat. Dicit igitur, eos diuino consilio secures præseferre, cum Dei ministri sint, vt perditos hominum conatus seuere vindiceut. Si igitur, inquit, fraudem aliquam concepisti, imperium exhorre. Quod cum facies, metus tuus te facinus aliqnod nefarium concepisse declarabit. Si autem vitio vacaueris, non erit tibi terrori magistratus, sed catos eos habebis, omnemque aduersus illos reuerentiam adhibebis.

Ideoq. necessitate subditi estote: non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Non, inquit, seueritatis metu tantum, sed vere, & ex animo, colendi sunt, imperioq. illorum est a vobis, sine vlla recusatione, parendum.

Ideo enim & tributa præstatis. ministri enim Dei sunt, in hoc ipso seruientes.

Iure fieri dicit, vt, qui Dei ministri sunt, iuriq. dicundo præsunt, &, reliquis omnibus curis omissis, hoc vnum munus in vita suscipiũt & huic rei incumbunt vni, vt commnnem salutem, iuris æquabilitate, legumq. sanctitate, conseruent, populi tributis alantur, atque sustententur. Non igitur solum metuendi, propter terrorem ab illis propositum, neque solum amandi, propter eorum studium, saluti communi dicatum; verum etiam, vt debitum officium reddamus, opibus nostris in mediũ collatis, alendi sunt; quandoquidem in eo perseuerant, vt nobis sapientia, & vigilantia, sua prospiciant.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

O sapientem, & moderatam, sententiam, Pauli, moribus, atque virtute, dignissimam, omnem seditionis materiam diligentissime resecantem. Docet enim, non esse vllo modo statum Reip. immutandum; non rebus nouis studendum; non libertatis obtentu imperium contemnendum; non Regum odio concitatã multitudinem inflammandam; neque tributa denique legitima recusanda. Id enim asserit esse officium, & iustum, & debitum, & necessarium, ita, vt, cum Principibus necessaria tributa pendimus, non tam eos nostris muneribus obligemus, quam id, quod debemus, vt ius, & æquum, postulat, dissoluamus. Quo maiore sunt odio digni, qui, soluta licentia, multitudinem effrenatam in Ecclesiæ rectores incitarunt, & in sacratarum legum contemptionem induxerunt, pudoremq. omnino, ex hominum vita sustulerunt, idq. tandem inconsiderata temeritate perfecerunt, vt ab ijs ipsis iam suorum furori, & immanitati, obsisti non posit. Nam, si, qui ciuilia imperia contemnunt, scelestum in se facinus admittunt, Diuino supplicio vindicandum; quid de illis existimandum est, qui Sacerdotij sanctissimi digni

tatem

tatem despicatui habent, iura Diuina, & humana, violant, totumq. statum Ecclesiæ conturbant? Sed reprimam me. Nec enim libet nunc, sine vllo fructu, vel aduersariorum scelus insectari, vel de peccatis nostris conqueri, quibus tam multæ bonorum omnium labes factæ sunt. Vt igitur ad Paulũ redeamus, docemur, hoc in loco, honores, & vectigalia esse principibus debita; quandoquidem opera illorum otio, & tranquillitate, fruimur.

Nemini quidquam debeatis: nisi, vt in uicem diligatis.

Hoc præcepto, omnis iuris vis, & ratio, continetur. Legum enim firmitas quodam modo in fide, consistit. Cum autem is, qui debet soluere, recusat, fidem certe fallit. Inde igitur contentiones, & lites, oriuntur, & odia ciuiũ inter ciues exsistunt; &, cum longius serpit hoc malum, atque totam ciuitatem inficit, interitus Reip. consequitur. Omnis præterea iustitiæ ratio in hoc posita est, vt cuique, quod ei debetur, diligentissime tribuatur. Qui igitur, quod debet, minime reddit, fraude, & iniuria, se alligat: quod quam sit a Christianis moribus alienum, est valde perspicuum. Cum autem iustitia cœtus hominũ sola contineat; qui facit iniuriam, non modo seipsũm scelere contaminat, sed, quãtum in se est, omne Reip. firmamentum nefarie labefactat. Quocirca Christiani munus, & officium, est, summa cura, & diligentia, prouidere, vt, quod debet, siue illud pecunia sit, siue officium, siue honor, siue quodque aliud, celeriter creditori suo rependat; neque se ære alieno diutius obrui patiatur. Cum igitur Principibus obstricti simus, nefas est, illis diu debere, quod est a nobis ei iure persoluendum. Hoc tamẽ interim admonet, nullo vmquam tempore posse nos caritatis nexu liberari. Non enim nos acceptum ante ab hominibus beneficium ad homines amandos adstringit, sed sempiternum ius, sed naturæ communio, sed lex ipsa Diuina, qua semper adstricti sumus. Ergo, quamuis omnia studia in homines conferamus, &, quod ab aliis accepimus, maiore mẽsura reddamus, numquam tamen hoc caritatis vinculo, quo sumus inter nos deuincti, solui possumus. Omnis enim Diuina lex, qua sumus semper alligati, hoc Caritatis præcepto continetur:

Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quid est aliud mandatum: in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

Fieri certe non potest, vt aliquis ei, quem amat, vel labem inferat, vel vitam eripiat, vel in illius fortunas inuadat, vel eius existimationem lædat, vel ei denique, aliqua ex parte, noceat. Vt enim nemo sibi sponte, & voluntate sua, malum comparat, eo quod se natura diligat; sic aliis, si eos, perinde atque nos, ipsi diligimus, nullo modo vmquam nocebimus. Recte igitur Dei legi, nos ab iniuria reuocanti, semper obtemperabimus, si proximum dilexerimus: quemadmodum Paulus ipse concludit.

Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

In summa quidem complexus est ipsius iustitiæ vim, quæ in legis æternæ cultu, atque sanctitate, consistit. Nunc vero stimulos admouet, vt alacritatem addat animis, & diligentiam omnibus modis excitet. Negligentia enim, & pigritia, omnia virtutis officia sæpe numero relinquuntur; mentisq. vis sensim exstinguitur; totusq. animus otio torpet, atque languescit; & fides ipsa denique paullatim labat, & concidit. Vt igitur pigritia, & inertia, corrumpit animum; ita diligẽtia mirabiliter acuit, ad summumq. tandem perducit. Ait igitur:

Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

Eos castigat, qui, cum in principio magno animi ardore in studium pietatis ingressi sint, illud deinde remittunt. Quod longe secus esse debebat. Quod enim in artibus, & disciplinis, vitiosum est, nempe, non proficere in studio, sed progressu temporis hebetiorem reddi, in virtutis studio est maxime vituperandum: præsertim, cum in huius vitæ cursu minime concessum sit, in eodem vestigio semper hærere. Qui enim non vltra progreditur, loco plane cedit; &, qui in virtute non proficit, magnum in ipsa virtute detrimentum accipit. Sic igitur fit necessario, vt, qui virtutis opibus non augetur, magnam earum, quas iam habebat, partem amittat. Præterea, tempori occasio præteruolat, & dies ille quotidie magis appropinquat, quo sumus ex hac vita in illam cælestem migraturi. Quo igitur propior est nostra salus, hoc est, quo magis instat, & imminet dies ille, in quo nobis sempiterna salus conferenda est; eo acrius, & vigilantius, debemus in studium pietatis incitari. Si quidem eo sunt omnes conatus animi conferendi, vt nos illo die dignos Christi societate, & coniunctione, præbeamus.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

quauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum,& induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione.

Quia ſomnum minime capiendum dixerat,oſtendit, tempus eſſe ſomno minime conſentaneum. Eſt namque uox ſomno, dies vero labori deſtinata. Ante Chriſti ortum erat triſtiſsima quædam nox rebus humanis offuſa. difficillimum erat tunc in communi vita commode;vigilare,&,quid optimum factu eſſet,explorate perſpicere. At,poſtquam Sol ille iuſtitiæ in terris exortus eſt,radijsq. ſuis tenebras,& caliginem, diſcuſsit,nemo iam poteſt ſeſe tenebrarum,atque noctis,excuſatione defeudere. Omnia ſiquidē clariſsima quadam luce colluſtrata ſunt:quemadmodum fuerat olim ab Iſaia prædictum. Sic euim Eccleſiam maxima voce compellat:Surge,&illuminare,quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia teuebræ operient terras,& caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitut. Quin ipſe Dominus, apud Ioanuem,ſe eſſe Solem illum,quo omnia collucent,aperre teſtificatur. Ego,inquit, ſum lux mundi: qui ſequitur me,nō ambulat iu tenebris. Vt igitur Sol homines ad laborem inuitat,ſic Chriſti lumē, animis oblatum, eos ad ſtudium pietatis, & religiouis, exſuſcitat. Quemadmodum autē omnes mortales, quamuis ſint flagitio,& nequitiæ,dediti, tamen,cum ſint, natura,dignitatis appetentes, flagitiorum ſuorum teſtes ſummopere vitandos exiſtimant; & ita, cum dies adeſt,corporis totius habitu,atque veſtitu, & reliquis rebus omuibus, operam danr, ne quod veſtigium nocturnæ intemperantiæ, & turpitudinis, appareat; & ſingulari ſtudio honeſtatis quandam ſpeciem tuentur; ſic ij, qui,in teuebris, ſe flagitijs omnibus inquiuabaut,poſtquam ſunt clariſsima Chriſti luce,& ſplendore,perfuſi,ſummo ſtudio honeſtati, atque dignitati,ſeruire debent;omuiq. diligentia prouidere, ue quidquam turpe,& iudecorum,eorumq. præſtantia iudignum,committant;ſed in omnibus dictis,& factis,quid ſe maxima deceat,intueri, animiq. totius decus,& pulchritudinem, conſeruare. Non ſolum igitnr hac oratione Paulus uos ad laborem, verum etiam ad ſummum ſtudium honeſtatis, adhortatur. Non dormiamus,inquit alibi,ſicut & reliqui, ſed vigilemus,& ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt. Et, qui ebrii ſunt,nocte ebrii ſnnt. Sic enim eſt in cōmuni hominum more poſitum,vt,cum aliquā turpitudiuem ſuſcipere volunt, lucem fugiāt. Nobis autem,quamdiu in fide debita permanemus, numquam nox eſt. Numquam enim Sol noſter occidit. Non occidet,inquit Iſaias, Sol tuus, & Lnna tua non deficiet. Erit namque tibi Dominus lux ſempiterna. Cum igirur nobis ſempiterna dies,vt ait vir Diuinus, illuxerit, uumquam flagitio corrumpi,& contaminari,licebit. Sunt igitur omnia renebrarum opera deteſtanda. Ea vero ſunr,quæ pertinent ad ebrietatis intemperantiam, ad libidinis petulantiam, ad turbulenta diſsidia, & reliquas flagitiorum omnium labes,& corruptellas. Arma vero lucis,ſunt ornamenta virtutum,inſtrumenta dignitatis,& gloriæ, quibus exculti, Chriſti virtutem, arque dignitatem,ſequimur. Vnico autem verbo,ſummum illud ornamentum, quo excoli,& illuſtrari,debemus, exponit.

Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.

Vtitur hoc in loco Paulus ea loquendi figura, quam nenominationem appellant. Nam, Ieſu Chriſti nomine,ſignificatur puritas,integritas,innocentia,morum caſtiras, & ſauctimonia,viræ grauitas,& conſtantia,& reliquarum virtutum omnium decora, quæ, Chriſti ſpiritu,in mentes,illius placitis obſequentes, magnificeutiſsime conferuntur. Cum igitur admonet, vt Chriſtū induamus, admonet, vt omnibus virtutibus maximis, Chriſtianoq. nomine digniſsimis,exornemur. Habet tamē hæc oratio longe maiorem vim, ad amorem dignitatis vehementius excitandum. Dominus,inquit,Ieſus ſit veſter cultus,veſter ornatus,veſtri decoris,& dignitatis, elegantia; illius veſtigia ſectamini; in illius decore gloriamini;illius virtutes imitamini;& perficite denique,vt,qui oculos in veſtrum ornatū coniecerit,nou tam vos,quam Chriſti ſummum, & immortale,decus in vobis adſpiciat. Breuiſsima igitur oratione, Paulus omnem vitæ nouæ,atque plane cæleſtis,rationem complectitur. Vr enim veſtis ita corpus contegit,vt nō corpus, ſed ipſa veſtis, appareat, qua omnes obſcenæ partes,& inſtrumenta dedecoris,occuluntur; ita neceſſe eſt, ſi ſalui eſſe volumus, vt Chriſti cultus omnes impuritates antiquas operiat;vt,qui oculos in nos coniecerir, nullum veteris hominis in nobis veſtigium poſsit intueri;ſed in noua creatura Diuinum decus admiretur. Admonet deinde,ne,preter modum,in corpore cutando laboremus. Non illius ſuſtentandi,& conſeruandi,curam vituperat;ſed nimiam indulgentiam damnat. Naturæ namque deſiderium paucis expletur; cupiditatis autem affectiones,cum ſint infinitæ nullis opibus ſatiantur. Qui igitur corpori nimis indulget, quierus eſſe numquam poterit. Non dicit autem Paulus, Et carnis curam ne feceritis in deſiderio,ſed,In deſideriis. Moderato enim deſiderio ſatisfaciendum; multi-

plicem

plicem vero cupiditatem resecandam statuit.

CAP. XIV.



Nfirmum autem in fide assumite: non in disceptationibus cogitationum.

Cum omne vitæ studium hominum caritati dicandū sit, docet, esse quandam in ipsius caritatis studio cautionem adhibendam; singulariq. artificio hominum interdum ineptam superstitionem tolerandam. Non enim est nobis, vt cum hostium improbitate, & contumacia, ita cum nostrorum imbecillitate, dimicandum. Hostes enim Christi, cum res ipsa postulat, acriter refutandi, nostri vero clementer admonendi sunt, atque sensim ad perfectionem veræ sanctimoniæ deducendi. Vt enim, si leniter ægrotanti periculosas, & ancipites, curationes adhibeas, non ægrotum sanabis, sed, inusto dolore, vim morbi ipsius augebis; ita, cum aliquis ita Christum colit, vt in leui aliquo errore versetur, non orationis aculei in illum statim emittendi sunt, ne videlicet, asperitate disputationis, exulceremus eum, quem sanare cupimus. Erant autem olim multi ex Iudæis, qui, quamuis non summa quadam pertinacia ritus illos priscos obseruarent, & in eorum cultu, quasi in rebus veræ virtutis efficientibus, multum operæ, & studij, ponerent, diuturna tamen consuetudine effectum erat, vt nullo modo sibi licere putarent vti cibis a lege vetitis, & omnia prisca religionis instituta negligere. Licet igitur Paulus contra perditos, & profligatos, homines acerrime disputaret, legem nullam prorsus vim habere ad iustitiam conferendam, aliquid tamē in principio hominibus parum in fide robustis condonandum esse putabat, ne, si eos omnino conaretur abducere ab illis moribus, & institutis, quibus erant a primis cunabulis imbuti, illorum animos vel periculosa religione implicaret, vel orationis offensione peruerteret. Difficile namque erat, persuadere hominibus in lege nutritis, posse aliquot legis instituta, sine nefario scelere, contemni; & ita fiebat, vt essent interdum ijs, qui dicerent ea esse contemnenda, grauiter infensi. Id autem mouit Paulum, vt Timotheū circumcideret, & alia quædam Iudæorum instituta similiter obseruaret, &, Iacobi tandem auctoritate impulsus, secundum Nazaræorum ritum, & consuetudinem, se consecraret, ne eis, quibus consulere cupiebat, exitium afferret. In quo quidē facto nullum omnino crimen hærebat; immo Diuinæ sapientiæ lumen mirabiliter eminebat. Tunc enim scelus in illarum cærimoniarum cultu suscipiebatur, cum aliquis, Christi sanguini diffidens, spem salutis in illis collocabat; non cum in illo Ecclesiæ primordio, ne infirmos a Christo alienaret, eas interdum, vt iustitiæ signa, atque simulacra, retinebat. In ea igitur lenitate, caritatis egregio munere functus est, & nos simul admonuit, ne cuncta simul in principio ab ijs, qui ad Christum conuersi sunt, exigamus. Multa enim dissimulanda sunt, multa etiam perferenda, multum de abstinentiæ seueritate remittendum; omniq. ratione præcauendum, ne quisquam, in principio, difficultate aliqua perturbatus, a Christo deficiat. Prohibet igitur, ne imbecillos homines, qui sunt, quasi pueri infantes, late nutriendi, statim argumentis oppugnemus; ne contentionibus irritemus; ne denique, orta de rebus leuioribus altercatione, illis graues, & odiosi, simus; sed potius eos omni humanitate complectamur, eoq. perducamus, vt, sine cuiusquam offensione, omni tandem errore liberentur. Sed sapientia Pauli hoc in loco est diligenter animaduertenda. Cum enim sapientes docet, quo modo se gerere debeant, in quibusdam insipientium erratis clementissime tolerandis, ipsis insipientibus errorē plane detrahit. A cibis enim lege prohibitis abstinere, certos dies nimium superstitiose colere, docet esse imbecillitatis argumētum; in quo admonet, esse legis vmbram omnino contemnendam, & vnum Christum alta quadam mente contuendum. Primum igitur, eos in fide infirmos appellat. Deinde, tamquam ægrotos, prudentium caritate fulciendos esse, dicit. Postremo, docet, eos non esse disputandi subtilitate sanandos, cum nondum ad eam disciplinæ maturitatē peruenerint, quæ est sapientiæ perfectæ firmanda. Vt autem doceat, quid in principio imbecillis hominibus dandum sit, controuersiam, quæ sæpe tunc inter fideles oriebatur, exponit.

Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.

Hic, cum stabilem, & securam, conscientiā eorum, qui sibi omnibus cibis vti licere confidebant, eorum imbecillitati opponit, qui a cibis lege prohibitis abstinebant, plane demonstrat, illorum constantiam in laude, horum vero imbecillitatem in vitio ponendam. Vt tamen omnem discordiam dirimat, docet, nec officium sapientis esse, simplicis hominis stultitiam deridere; neque licere simplicioribus, de intelligentium moribus, & vita, temere iudicare.

Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit.

Vt euim ſapiens idiotam ſuperſtitioni deditum irridet,ſic idiota, cum ſapientẽ cernie ea negligere, quorum attactu corpus,& animum,pollui,& inquinari,opinatur,eum nefarium,& ſcelestum.iudicat. Vtrumque autem fugiendum eſt; cum illud ſit,cuiuſdam elationis,& inſolentiæ; hoc vero, temeritatis, & amentiæ,ſignum. Et,quia grauius eſt,alios ſine cauſſa ſceleri affines exiſtimare, quã aliorum ſtultitiam irridere,primũ illorum temeritatem,vt ſtatim videbimus,coercet Paulus, qui eos,qui veſcebãtur omnibus,crimine condemnabãt. Dicit igitur,eos a Deo aſſumptos eſſe,hoc eſt in Dei fidem,& amicitiam,receptos,qui quoſcumque cibos, abſque delectu,ſumebant.in quo damnat eorum inſcitiam,qui eos, quos Deus aſſumpſerat, in crimen vocabant. Atque, vt magis errorem ſuperſtitioſis eripiat, in illos inuehitur.

Tu quis es,qui iudicas alienum ſeruũ? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

Hoc in loco,non tã illis,quam omnibus nobis,eã legẽ præſcribit, quam ſi ſeruauerimus, magnis, & nimiũ pernicioſis,erroribus liberabimur,atque fideliter,& hominũ vitæ amice,iucundeque,viuemus. Cum enim tam multa nos quotidie fallant, & ſingulis pæne horis ſuſpiciones iniectæ decipiant; quid periculoſius,quam,propter tenuẽ maleficij ſuſpicionẽ vocare quemquã in odium,aut inuidiã,& falſis criminibus coniunctionẽ Chriſtianæ vitæ dirimere? Nec enim illum perinde,atque debeo,amare poſſum,de quo non bene exiſtimo; &,cum illius famam lædo, non modo grauem illi iniuriam, ſed etiam multos mortales ſceleris, & iniuſtitiæ meæ, participes efficio. In vniuerſum aũt, lubricum, & periculoſum eſt, de hominum moribus, atque vita, iudicare. Quacumque.n.ratione labi,& errare,contingat,multa incõmoda ſequũtur. Siue.n.improbum laudes, ſiue probũ vituperes, in crimen incurris. Nam vel hominem laude dignũ ſuis ornamentis ſpolias; vel indigno falſas laudes affingis;&,quod erat virtuti debitũ,a virtute ad flagitium transfers,in quo nõ modo ius humanum,ſed Diuinũ,violas,dum Dei inimicos Dei ipſius amicis anteponis. Quocirca Dominus, vt eſt apud Matthæũ,hãc temere iudicandi rationẽ grauiſsimis minis coercet, & comprimit. Paulus autem,illius ſententiam ſecutus,omnes admonee, & hortatur, vt ingenij ſui imbecillitatem, iudiciiq. varietatẽ, & inconſtantiam, perſpiciant; nec ſibi vllo modo iudicium de rebus abditis aſſumãt,ſed id totũ illi ſummo iudici reſeruẽt,qui omnes cogitationum humanarũ latebras perſcrutatur, & inſpicit. In Epiſt. aũt ad Corinth. vſque adeo iudicium humanũ cõtemnit, vt ne ſibi quidẽ ipſi de ſe committendum iudicium exiſtimet.

Proinde,monet, vt iudicandi temeritatem fugiamus;iudiciumq. illud Dei veriſsimum,atque ſanctiſsimum, quod falli non poteſt, ob oculos ſemper habeamus, quo oĩa, quæ nunc multis inuolucris obteguntur, ſunt tandem in conſpectum omnium proferenda. Quod ſi in rebus dubiis eſt aliquid coniectura ſtatuendum,vult,vt in bonã partem omnia,quantum res ipſa patitur,accipiamus. Hoc enim eſt animi fidelis,& ſimplicis,qui eſt cum æquitate,& ſapientia,coniunctus;in deteriorem vero partem interpretari id, de quo ſecus exiſtimare licebat,magnũ eſt calliditatis,& malitiæ, documentum. Paulus igitur,hoc in loco,vtrumque efficit: nam & iudicandi futilitatem,& leuitatem,confutat; atque in rebus parum exploratis admonet,vt ad bene de alijs ſentiendum animis propenſi ſimus. In quo enim ait, Tu quis es qui iudicas alienũ ſeruum?nos, vt imbecillitatem noſtram recognoſcamus, exhortatur. Cum vero dicit, Domino ſuo ſtat, aut cadit, plane docet, certiſsimum de ſeruo iudicium ab illo domino tantum fieri, qui,vt noſtros animos ſolos finxit,& informauit,ita ſolus poteſt omnia, quæ in illis latent,penitus explorare,eorumq. vel decus, & dignitatem, vel labem,& flagitium,mente percipere. At, cum adiungit, Stabit autem,in dubio ſemper de aliis bene ſperandum eſſe demonſtrat. Eã autem rationem aſsignat, quod eorum ſalus non in hominum induſtria, ſed in Dei fide,& potentia,tota conſiſtat. Ergo,cum illi etiã,qui promiſcue cibis vtuntur, in Dei fidem recepti ſint,Deus enim illos aſſumpſit,&, cũ Deus facillime poſsit eorum ſtatum præſidio ſuo cõſeruare, Quid tibi,inquit Paulus,venit in mentem ſuſpicari,eos, propter communium ciborum vſum,de ſtatu ſuo decidiſſe? Te ipſum igitur diligenter excute; tuamq. ipſius infirmitatem agnoſcito,vt tandem intelligas,quantum a te facinus in iſto præcipiti, & in conſiderato,iudicio ſuſceptum ſit. Homines ſiquidem innoxios,Deoq. gratos,ſceleris,& impietatis, inſimulas.

Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem.

Hic aliud ſuperſtitionis genus tangit,ex legis etiã inſtitutis antiquis natum, quod erat in certorum dierum obſeruatione ſitum. Multos.n. dies ex præſcripto legis obſeruabane. Nã & ſabbata,& primi cuiuslibet menſis dies & paſcha,& reliquis dies feſti, quos lex inſtituerat, erant ab illis incredibili religione celebrati. His adde ſeptimum Annum, & Annum quinquageſimum, in quibus erat illis ab operibus ruſticis ceſſandum: in quo tamen parum legis mentẽ, & rationem percipiebãt. In hoc enim fuerunt olim feſti dies inſtituti; vt homines, a negotijs publicis, atque domeſticis, vacãtes, totos ſe rebus Diuinis dicarent,illumq. ſummum naturæ parẽtem, & do

minnm,summis laudibus efferrent. Hoc.n.est summum illud, maximeq. debitũ,officium,ad quod omnia vitæ cõsilia conferenda sunt,Deũ semper intueri, benignitatem illius contẽplari, percepta ab illo beneficia mente recolere, tantorum donorum memoriam retinere, sanctissimumq. illius numen perpetuæ laudationis studio,tamquã hostia magnificentissima, venerari. Vt enim ingrati animi crimen, & scelus omnem impietatis immanitatem complectitur; ita grato animo, beneficiorumque Diuinorum memore,omnis pietatis ratio cõtinetur. Sed, quia natnra corporis deprimit animum,atque paullatim a cæli conspectu deductum in terrã abiicit, maxime cum multis huins vitæ curis opprimitur,par fuit,vt homines aliquot dierum ferias baberent,in quibus ab omnibus operibus,& laboribus,requiescerent,totamq. mẽtem ab omnib.aliis rebus ad Dei laudem celebrandam traducerent.Sic.n. fiebat,ne memoria Diuinæ benignitatis ex animis elaberetur;neque pietatis studiũ refrigesceret. Pietatis igitnr retinendæ,atque colendæ, gratia, illi festi dies agitati fuerunt,vt videlicet oẽs,vndique in locum vnum conuenientes,summa animorum cõsensione,laudes Dininas concinerent. Iudæi vero,qnasi præcipue fuisset otium diebus illis sancitũ, ita illud amplexabãtnr,vt vix se loco cõmouerent,cũ feriæ illæ,si ad vim legis respicias,magis flagitiorum,quam operum, vacationem babituræ fuissent. At illi, cum se diebus festis multis criminibus alligarent,omnẽ illorum dierum sanctitatem in otio ponebant,vsque adeo,vt opera etiam,a Christo edita,quæ maxime in Dei gloriam redundabant,nefaria putarẽt,eo nomine,quod sabbato fierent.Non est,inquiunt, hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Non intelligebant enim,sabbatum fuisse,illustrandæ Diuinæ gloriæ caussa,cõstitutum;ita, vt ille maxime sabbatum obseruaret, qui Dei gloriam maxime illustrem redderet. Cum autem Euangelium vim legis ipsius retineat,cõsentaneum fuit,vt,detracta nimia illa dierum superstitione, sabbatum illud sanctissimnm, qnod in perpetua vitiorum oĩum fuga,& animorum requiete,consistit,pręcipue obseruandum præciperet. Cum igitur temporis iã maturitas admoneret,vt oẽs, neglecta legis vmbra,legem ipsam seruarent;cõmodum fuit,vt illa sabbati religione contempta, oẽs sese, ad vnius iustitiæ otium, & requiem,cõferrent,in eaq. sese,non vno tantum die, sed per omnem vitam,oblectarent. Vt aũt facilius id fieri posset,fuit alia dies Dei laudibus dicata,non quę naturæ opificium,sed quę generis humani instaurationem celebraret;quæ tamen dies non superstitiose,sed sapienter,& religiose,coleretur. Sed,quemadmodum de cibis dictũ est,ita etiam est de diebus intelligendũ,fuisse quãplurimos, qui diuturna consuetudine religionis ita erãt animati,vt existimarent, nihil omnino posse diebus illis, otio aotiquo cõsecratis, salua pietate,transigi. Nec mirum,si Iudæi in hoc errore fuissent,cum etiam Galatæ in eundem errorem aliquando raperẽtur, ad quos Paulus scribens,ait,Dies obseruatis,& mẽses, & tempora,& annos.metuo vos, ne frustra laborauerim in vobis.Hoc tamẽ est animaduertendum, aliter Paulum agere cum eis,qui nimis perfracte dicrum religionẽ defendebant; aliter cum illis,qui non animi pertinacia,sed iudicij infirmitate, in eo errore permanebãt. Qui.n. in illorum dierum obseruatione summam sanctimoniæ rationem positam esse decernebaut,verã,ea opinione,sanctimoniã oppugnabant. Qui vero non id quidẽ censebãt, verumtamẽ diebus illis nõ sine crimine opus aliquod fieri existimabant, in errore tolerabili primis illis Euãgelii temporibus versabantur. Illos igitur magna contentione repellit; his aũt aliquantulum in principio indulget, quemadmodum hoc in loco cernimus. Alius, inquit,in diebus discrimen ponit.Hoc.n.significat,cum ait,Alius iudicat diem ad diẽ,alius iudicat omnẽ diem.Hoc est,omnes dies,quod ad priscam illam religionem attinet, eodem numero habet. Sed,quid erat tandem de hac quæstione tunc statuendum?

Vnusquisque in suo sensu abũdet. Qui sapit diem, Domino sapit.Et qui manducat, Domino mãducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

Multa quidem simul,eaq. pręclara,complectitur. Primum quidẽ, docet, in rebus illis,in quibus parum interest in alterutram partem, quid a singulis fiat, esse tunc id cuiusque arbitratui relinquendum.Graue namque,& periculosum,est, leuissimis de caussis lites intẽdere; & dissensiones in Ecclesia concitare: quod ne fiat, est interdum hominũ simpliciũ imbecillitas ferenda ; tantum abest, vt,quod recte fieri potest,condẽnari debeat ab aliis,qui dissimilem rationem in aliquo genere sequũtur. Deinde, monet, illa omnia recte fieri, quæ in Dei gloriam redundant,& in eum finem conferuntur. Neque.n.potest ad gloriam illius dirigi,quod cum lege illius pugnat. cum igitur eo tempore quisquam, non contentione ductus,sed religione tactus, certos dies obseruabat,illud studiũ in Dei gloriã conferebat. Qui rursus,intelligẽtia meliore religionis instructus, illã nimiã dierum religionẽ negligebat, eam,Diuinæ gloriæ caussa,negligebat. Neutrum igitur erat in crimine ponendum;quod etiam de cibis,vel absque delectu sumptis,vel quibusdam religiose reiectis, asseuerandum erat. Postremo, docet, quo modo sint omnia ad Dei gloriã cõferenda,cũ ait,Gratias enim agit Deo.Is enim Deo gloriam tribuit,qui,in oĩ loco,se benignitate illius sustentatũ esse,cõsiderat; illiq. semper gratias agit.Tum illud,

quod

quod statim adiungit, præclarum, in quo admonet, nos iuris nostri non esse; neque solum mores, & vitam, sed mortem etiam nostram, esse Domino consecrandam.

Nemo enim nostrũ sibi viuit: & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, dño morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, dñi sumus.

Rationem autem egregiam assignat:

In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur.

Non dixit, ideo nos finxit, & informauit, vt in nobis dominetur. Sed, cum gratiæ Diuinæ munera longe naturæ muneribus antecellãt, prætermissis naturæ beneficijs, gratiæ tantũ beneficia cõmemorat. Quamquam enim humanæ naturæ munera ad Diuinam gratiam, & benignitatem, reuocanda sint, tamen, propter gratię Diuinæ, in liberatione humani generis, excellentiam, fit, vt, cum Gratiam Dei nominamus, eam intelligamus, quæ pertinet ad vitæ nostræ, Christi sanguine redemptæ, rationem. Multo enim artiore vinculo, nos sibi, vitam nostram redimendo, constrinxit, quam naturam condendo deuinxerat. Multo igitur magis nunc Dei filio addicti, & obstricti sumus, sanctioreq. officij religione numini illius consecrati. Ergo, secundum hanc rationem, magis conuenit nobis Seruorum nomẽ; quam ante tam multa beneficia percepta cõueniebat. Vnde Paulus, ad Corinthios scribens, ait, Nescitis, quod membra vestra templa sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio. Et paulo inferius, Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum. Quod autem hoc pretiũ sit, Petrus explanat, dicens, Nos non auro, neque argẽto, e flagitiorum omnium impuritate redẽptos fuisse, sed sanguine Christi, qui se, tãquam agnum, maculæ totius expertẽ, ad sacrificium obtulit, vt nostros animos sanctitate sui sanguinis expiaret. Non igitur nostri sumus, sed in seruitutem illius, qui nos sibi redemit, addicti. Moriendo enim, mortem nostris peccatis attulit; se ipsum a mortuis excitãdo, nobis aditum ad iustitiam patefecit, immortalitateq. sua Diuinam in nobis vitam excoluit, stabilique, & firmo, præsidio confirmauit. Cum igitur tam mors in nobis, quam vita, beneficio illius constituta sit, tam mors nostra, quam vita omnis est ad gloriã illius destinanda. Quod quidem egregie præstamus, cũ, carnis cupiditatẽ resecando, mortem illius sequimur; spiritui vero illius obtemperãdo, vitam illius Diuinam imitamur. Cum igitur, vel cum morimur, vel cum viuimus, domini simus, efficitur, omnes actiones nostras esse ad nominis gloriam dirigendas; vnumq. tantum esse nostrũ officiũ, in voluntatem illius semper intueri; omnesq. mortis, & vitæ, curas, & rationes, & cogitationes, omnia studia, & cõsilia, ad laudem illius destinare. Siue ergo comeditis, inquit Paulus, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Colligit igitur Paulus ex hac sententia, nõ esse simplices aut contemnendos, aut exagitãdos, cum, propter Dei gloriam, religionem aliquam minime necessariam tuentur. Vtrosque autem castigat. Simpliciores quidem, quod temere condemnarent eos, qui, sine delectu, quosuis cibos, sancte tamen, & pure, sumebant, Diuinæq. glorię studio aliquot legis ritus, atque cærimonias, colebant.

Tu autem quid iudicas fratrẽ tuũ? aut tu quare spernis fratrem tuum?

Cum eorum iudicium damnat, qui nefas esse statuebant, vel omnes cibos promiscue sumere, vel nullum in honestis operibus patrandis delectum habere, vtrumque fas, & ius, esse confirmat. Fratris autem nomine magis indignitatem temeritatis illius exaggerat. Quid enim indignius, quam, innocentem fratrem damnare? Rursus, cum intelligentes accusat, quod fratres suos despiciant, docet, non esse fratris inscitiam fastidio, sed lenitate, tollendam; nec illius infirmitatem acerbitate orationis agitandam, sed caritate leniendam; neque tam opus ipsũm, quod fit, quam animum illius, qui opus efficit, spectandum esse; ita, vt, cum aliquid optimo animo factum esse constiterit, non tam errorem ipsius facti vituperes, quam animi bonitatem laude, & beneuolentia, prosequare. Duplici tamen ratione errorem detrahit imperitis. Nam, cum eos reprehendit eo nomine, quod existimarent omnes esse adhuc antiqua legis religione obligatos, & in illius transgressione scelus nefarium suscipi; plane docet, omnes iam esse religione illa molestissima, Christi beneficio, liberatos. Et, cum rursus prudentiores accusat, quod nõ imperitorũ stultitiam placide ferant, eos plane, quos tolerandos esse dicit, in errore versari demonstrat. Sed omnis partium dissensio ex eo plerumque nascitur, quod nemo sese ad normam, & regulam, Diuinæ legis applicat; neque, quantum ab illius æquitate, & ratione discrepet, animaduertit; sed tantum, alios circumspiciens, &, quibus rebus excellat, animo perpendens, sibi plurimum tribuit. Vnde superbia, & insolens hominum aliorum fastidium, exsistit. Quod quidem ijs, de quibus modo Paulus loquitur, euenire necesse erat. Alij namque, cum sibi sapientiam assumerent, aliorum imperitiam aspernabantur; alij vero, religionem sibi tribuentes, alios parum religiosos esse iudicabant. Cum igitur quisque non tam in se, quam in aliorum mores, atque vitam, respiceret, eueniebat, vt sibi nimium placeret, & ex aliorum factis offensionem exciperet. Hinc autem duplex malum

nascitur. Primum est, quod quilibet, dum se cum alijs comparat, inferioresq. despicit, minime, quantum a iustitiæ via deflexerit, animo considerat, &, quasi sit iam summum pietatis, & sanctimoniæ, gradum consecutus, sibi pulchre esse statuit, nec in virtutis studio proficere nititur. Alterum est, quod, dum alios præ se despicit, atque contemnit, caritatis officia deserit, nec operam, & studium suum, in hominum salute conseruanda ponit. Ex hac igitur inconsiderata temeritate, superbia nascitur; ex superbia, otium, & ignauia, exsistit; inde vero caritatis obliuio paullatim capit homines, eosq. sensim labefactat, atque tandem in exitium sempiternum præcipites extrudit. Omnia igitur mala ex ea cæcitate mentis oriuntur, qua nemo seipsum circumspicit, aut animi sui latebras omnes scrutatur, aut consilia sua diligenter examinat, aut officia vitæ Diuina lege perpendit; sed, quantum reliquis præstet, id tantum ponderat. In quo quidem etiam sæpe numero falluntur. Plerumque enim accidit, vt ab ijs, quos aut eruditionis, aut virtutis, specie superas, vera virtute vincaris. Præterea, parui animi est, ex eo voluptatem nimiam capere, quod non sis omnium perditissimus; quod complures sint te multo nequiores; quod specie quadã adumbrata virtutis inter eos excellas, qui virtutem oderunt. Iccirco Paulus passim præcipit, ne quisquam se cum alijs comparet, vt ex ea contentione inanem gloriam aucupetur; sed, quantum sibi desit ad veræ iustitiæ dignitatem, & amplitudinem, reputet, atque ad summum virtutis gradum semper enitatur. Sic enim ad Galatas scribens, ait, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam, si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suũ probet vnusquisque, & sic in seipso gloriam tantum habebit, & non in altero. Vnusquisque enim opus suum portabit. Hæc pluribus verbis exposui, vt fieret planius, quid his verbis, quæ sequuntur, Paulus efficere velit. Sic enim sequitur:

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.

Iudicij Diuini commemoratione, perterret homines, & exhortatur, ne de alijs temere iudicent, sed se ipsos diligenter inspiciant. Neque enim in illo iudicio aliorum improbitas meam improbitatem sublenabit; neque licebit, meam nequitiam, alterius nequitiæ comparatione, defendere. Quod autem scriptum esse dicit, est apud Isaiam. Verba tamen paullulum immutat, sententiam vero tãtum exprimit. Pro eo namque, quod est apud Isaiã Per memetipsũ iuraui, Paulus ponit id, quod tantundem valet. Neque, Viuo ego, dicit Dominus. His enim Dei verbis, nempe, Viuo ego secundum Scripturæ sanctæ consuetudinem, Dei iusiurandum sanctissimum continetur. Quo in loco Paulus clare Christi numen explanat, cum id, quod de Deo scriptum est, ad Christum refert. Confirmat igitur eo in loco Christus, futurum, vt omnes nationes Maiestatem illius, & imperium, vereantur, iudiciumq. illius tandem subeant.

Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Cum illud, inquit, iudicium summa æquitate constituendum sit, nõ erit a nobis ratio de aliorum vita, in quam curiose nimis inquirimus, sed de nostris operibus, atque consilijs, quæ minime perpendimus, senere admodum reposcenda. Nam, quemadmodum scribit in epistola secunda ad Corinthios, cum ad iudicium Christi vocabimur, nõ aliena, sed nostra ipsorum opera, nos vel oppriment, si mala fuerint, vel, si bona fuerint, subleuabũt. Nec. n. vt Dei lege sanctum est, pater pœnas pro peccatis filiorum luet, neque filii parentum pœnas exsoluent. Ex hac igitur disputatione, concluditur, non esse nimis acute aliorũ vitia notanda; neque nimis curiose ea, quę nihil ad nos attinent, exquirenda; neque de aliorum moribus, & vita, temere statuendum. Est enim non modo nobis inutile, sed etiam perniciosum, de aliorum vita iudicium. Eam igitur diligentiam, quam, sine vllo fructu, & cum tanta virtutis labe, & interitu, in aliorum iudiciis adhibemus, ad nos ipsos tandem referamus; & sapienter inuestigemus, ecquid sit in nobis parum Christianæ dignitatis præstantiæ cõsentaneum. Quid igitur? Num aliorum hominũ res nobis omnino negligendæ sunt? Minime, inquit: sed iudicandi temeritas coercẽda est, hominum vero caritas retinenda. Quẽadmodum statim sequitur:

Nõ ergo amplius inuicem iudicemus. sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

Hoc in loco nos generatim admonet, non modo, ne simus in iudicãdo acerbi, difficiles, & odiosi; verũetiã, vsque adeo ad omnẽ rationem caritatis, & beneuolentiæ, propensi, vt a rebus etiam legitimis, & concessis, abstineamus, quoties ex illis ruinæ periculũ infirmis, & imbecillis, intenditur. Hoc autẽ vt statuat, primum docet, nullum cibum per se immundum esse. Tempora tamen interdum exegisse, vt homines sanctissimi, ne periculum aliquod infirmis crearetur, ab illis abstinerent. Vt tamen aliquando errorem imperitorum hominum tollat funditus, sentẽtiam suam de cibis omnibus clare, & aperte, pronuntiat.

Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat, quid commune esse, illi commune est.

Commune, in sacris litteris significat interdum, quidquid impurum, atque profanum est, & in communi gentium vsu, atque more, positum, & a sanctitate religionis abhorrens. Vt enim Sacrum est id, quod est a communi vsu segregatum, atque Diuino tantum cultui dedicatum; sic vsus obtinuit, vt, quidquid esset a sacris vsibus alienum, & Iudæis prohibitum, aliorumq. hominum vsibus expositum, Commune diceretur. Vnde Petrus, vt est in Actis Apostolorum, numquam ait comedi quidquã commune, & immundum. Carnes enim, quas per legem edere non licebat, Communes appellabat. Sed hic locus admonet, vt, quam breuissime fieri possit, dicamus aliquid de ciborum discrimine, quod lege continebatur, & qua tandem ratione, temporibus ita postulantibus, discrimen illud omnino sublatum sit. Duplex ratio legis illius a sapientissimis viris assignari solet. Prima enim fuit, ne sese Iudæi institutis, & moribus, externis oblinerẽt. Altera vero, vt flagitia, per illos cibos designata, vitarent, Quod enim ad primam attinet, cum esset orbis terrarum impurissima superstitione contaminatus, omniumq. flagitiorum improbitate corruptus, magnum periculum imminebat illi nationi, quam Deus a communi illa morum labe, & corruptella, segregauerat, ex aliorum hominum societate. Perspicuum enim erat, vt, cum primum ad eorum conuictum rediret, illorum mores imitaretur. Ne id igitur eueniret, lege sancitum erat, ne filias suas hominibus illis impijs collocarent, ne ve illorum filias sibi matrimonio copularent, neque sese cum illis, cum quibus erat perpetuo, propter eorum impietatem, dimicandum, affinitatibus deuincirent, neque denique cum eis aliquod iuris commercium haberent. Prænuntiat enim futurum, Deus, vt, cum primum Iudæi sese cum impijs illis nationibus sociarent, ab ipso Deo repente deficerent. Impiorum enim consuetudine, & familiaritate, fit, vt sensim pietatis disciplinam minuamus, atque tandem eodem scelere impietatis obligemur. Quod quidẽ Iudæis sæpenumero vsu venisse constat. Cum enim contra Dei legem societatem cum illis impuris nationibus inibant, ad eorum se continuo mores accommodabãt; & ita in offensionem Diuini numinis incurrebant. Lex, omni quidem ratione, præcauebat, ne id accideret. Non modo enim sacrorum religione, verum etiam victu, cultu, & vestitu, eos a communi aliorum hominũ vita secernebat, ne possent vmquam, salua religione, impiorum familiaritatibus implicari. Erat enim vniuersa legis institutio, tamquam murus quidam, inter Hebræos, & alias nationes interiectus, ne facile posset ex alienigenis in eos aliqua contagio impuritatis inuadere. Cum autem vix sit quidquam in vita magis ad voluntates alliciendas accommodatum, quam simul epulari; tanta ciborum religione voluit homines illos obstringi, vt vix vmquam possent in cibis capiendis cum aliis hominibus humanum aliquod eiusmodi, & domesticum, conuictum habere. Hæc igitur fuit vna caussa, qua lex, quemadmodum reliquis rebus omnibus, ita ciborum delectu, Hebræos ab aliorum hominum consuetudine, & victu, disiungeret. Altera autem erat sanctior, & ad vitæ puritatem, & innocentiam, designandam pertinebat. Cum enim vetabat, ne sanguinem comederent, a cæde, & immanitate, deterrebat. Cum, ne Miluum, aut Accipitrem, aut Aquilam, ederent, vim, rapinam, & iniuriam, prohibebat. Cum carnes suillas damnabat, ostendebat, omne, quod est inquinatum, & sordidum, & in flagitiorum cœno prouolutum, esse Deo vehementer inuisum: quod etiã de piscibus squamis carentibus asserendum est. Sunt enim lutulenti, & in profundo demersi, nec ad summam aquam enatant. Sub his igitur animalium signis vetuit crudelitatis inmanitatem flagitiorum turpitudinem, & animi, vitijs oppressi, lucemq. minime respicientis, stuporem. Permittebat vsum earum auium, quæ, sine aliarum iniuria, vitam sustentant, vt doceret, innocentem sedulitatem Deo gratam esse. In genere quadrupedum, ea animantia pura esse decreuit, quæ ruminarent, & fissos vngues haberent, vt innueret, puritatem esse in prudentiæ delectu, & in rerum Diuinarum, vt ita dicam, ruminatione, hoc est in diuturna commentatione, constitutam. Tunc enim vitæ puritatem assequimur, cum, quasi diffissis vnguibus, bona sapienter a malis internoscimus, & legis Diuina mysteria in mentem sæpius reuocamus, & salutares illas dapes identidem regustamus, illisq. confectis alimur, & sustinemur. Multa hoc in loco prætereo: nec enim omnia persequi libet; cum hæc, quæ exempli gratia sunt adducta, sufficiant. His duabus de caussis fuit interdictum hominibus, ne his, & aliis eiusmodi, cibis vterentur. At, postquam Christus venit, cum vtraque caussa per illum sublata fuisset; consequens erat, vt religio illa omnis obsolesceret. Nam, cum Christus non Iudæos tantum, sed omnes gentes puras, atque sanctas, efficeret; quid opus fuit lege, quæ, instar muri, Iudæos a gentium aliarum conuictu, & societate, dirimeret? Ideo enim venit, vt, sublato peccato, odiũ restingueret, dissidia tolleret, volũtates coniungeret, & ex Iudæis, & ex gentibus, vnũ populum efficeret, vno iure deuinctũ, vnoq. amoris fœdere mirifice consentientẽ. Medium igitur parietem, nempe legem, quæ societatẽ dirimebat, demolitus est, vt Paulus, ad Ephesios

ſios ſcribens, ait, vt animos, olim hoſtiliter diſsidentes, caritate conglutinaret. Quid autem de altera ratione dicendum? Num par erat, vt, poſt explicatam veritatem, diutius veritatis imago permaneret, & in Regno lucis vmbra conſiſteret? Minime profecto. Vt igitur reliqua omnia legis inſtituta, quæ erãt in adumbrata ſanctitate poſita, finem habuerint, ſic erat neceſſe, homines illa ciborum religione ſolui. Nam, ſi ciborum naturam ſpectes, nihil eſt impurum, nihil inquinatum per ſe. Quidquid enim a Deo creatum eſt, bonum eſt. Et nihil eſt reiiciendum, vt inquit alibi, quod percipitur cum gratiarum actione. Vt igitur ad propoſitam Pauli ſententiam redeamus, videmus, non obſcure, & implicate, ſed clare, & aperte, eſſe a Paulo definitum, nullã omnino eſſe in ciborum natura impuritatem. Nec enim dicit, Opinor; ſed, Scio; &, vt magis huius ſcientiæ ſtabilitatem confirmet, oſtendit, eam fidei ipſius radicibus inniti. Adiũgit enim, Et confido in domino Ieſu, quod nihil eſt commune per ſe. Nec enim cibus, ſed flagitii conſcientia, inquinat animum. Quod quidem vſque adeo verum eſt, vt, quãuis aliquid rectum, & iuſtũ ſit, tamen, cum religio aliqua eſt ex eo imperitis iniecta, recte fieri non poſſit. Quidquid enim illud ſit, quod ſcelus eſſe putas, cum illud ſuſcipis, ſcelere te certe cõſtringis. Nec enim ſcelus eſt, tam ex facto, quam ex facientis animo, ponderandum. Iccirco dicit, niſi ei, qui exiſtimat commune eſſe, illi commune eſt. Hoc in loco, partim excuſat infirmos, partim docet, in quam lubrico, & periculoſo, loco verſentur, qui nimis ſuperſtitioſi ſunt. Excuſat quidem eos, cum docet, illis, quibus erat religioni, cibis omnibus uti, non licuiſſe, quamdiu erant ea religione impediti, quibuslibet cibis veſci. Nam, ſi ſtatuiſſent, id ſibi non licere, nihilominus tamẽ id feciſſent, crimen in ſe certe concepiſſent. Error igitur in illo Eccleſiæ principio leuiter reprehendendus erat, animus vero non ita vituperandus. Erroris etiam, quamuis leuis, periculum, ex eo perſpicitur, quod, cum homines, extra modum, inani quadam religione prodeunt, eas ſibi leges imponunt, quas ſeruare, eſt difficillimum. Fit igitur, ut ſingulis horis labãtur, & concidant. Omnibus ergo modis errorem infirmis detractum cernimus. Nunc rurſus inſtruit prudentiorem ad infirmorum ineptias clementiſsime perferendas.

Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: iam non ſecundum caritatem ambulas.

Legem hanc præſcribit paſsim omnibus, vt, in hominum conuictu, non tam ſcientiam rerum, quam caritatem hominum, in conſilium adhibeant. Tanta eſt enim caritatis vis, vt, quoties id expedit aliorum ſaluti, ſit etiã a rebus legitimis, & conceſsis, abſtinendum. Tunc enim, quod licebat, minime licet, cum id eſt alicui exitio futurum. Cum enim legem omnem vna caritas complexa ſit, nihil certe licet, quod eſt caritati contrarium. Quocirca Paulus in epiſtola prima ad Corinthios ait, ſe paratum eſſe leuiſsimæ offenſionis vitandę gratia, per omne vitæ tempus a carnibus abſtinere. Nec enim huius vitæ iucunditas, ſed hominum ſalus, debet eſſe nobis propoſita. Omnes igitur deliciæ reijciendæ ſunt, cum proximo periculum ex illis intendi perſpicimus. Nec enim aliquid magnum facimus, cũ, ne illorum ſalutem impediamus, pro quibus vita ponenda eſt, epularum iucunditatem negligimus. Tantum igitur, inquit, abeſt, vt inſcitia fratris tui tibi contemnenda ſit, vt in loco debeas te infirmitati illius accommodare. Recte quidem, inquit, ſentis, nullum eſſe in ciborum natura diſcrimen. ſed, quid facies fratri tuo, cui religio eſt, cibis omnibus promiſcue veſci, & nondum maturum tempus eſt, ad eam opinionem omnino deponendam? Num inſcientiam illius irridebis? At animum illius imbecillum grauiſsime ſauciabis. Num argumentis hominem opprimes? At verborum contentione non expellitur morbus animi, ſed multo magis ingraueſcit. Quid igitur faciendum? Non ne ſatius eſt, quamdiu opinionem illius animo inſitam non potes euellere, neque tantum tempus interceſsit, vt ſit ille tibi, pro rebelli, atque contumaci, reputandus, vt quilibet ſenſum ſuum ſequatur? Ne id quidem, inquit, ſatis eſt. Celeriter enim animo circumſpiciendum eſt, ne quod fratri periculum offeratur. Quamuis enim per ſe nullũ cibi genus ſit immundum, illi tamen, qui arbitratur immundum eſſe, immundum certe eſt. Ergo, quamdiu eam mentem habet, ſi dapes illas, quas immundas putat, ſibi apponi paſſus fuerit, animum ſcelere contaminabit. Cum igitur te viderit, qui in eadem lege nutritus es, nullum in dapibus diſcrimen habere, duplici ratione ſalutis diſcrimen adibit. Primum, quia, facto tuo grauiter offenſus, de te temere iudicabit. Deinde, quia, exemplo tuo inuitatus, facile fortaſſe dapibus illis manus inijciet, quas immundas, & contaminatas, arbitratur. Eſt igitur tibi aliquando, vt illius offenſionem vites, a cibis illis, quos mundos eſſe ſapienter ſtatuis, abſtinendum. Secus enim, non ſecundum caritatem, ambulas.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Acerrimo argumento, ab offenſione proximi, tamquam a facinore capitali, deterret. Nam, ſi magnum facinus, ſummoq. ſupplicio dignum, exiſtimatur, Regium, atque magnificum, opus Principis alicuius labefactare; quid de illo ſtatuendum eſt, qui Regis cæleſtis,

stis, atque sempiterni, opus, omnium clarissimum, atque præstantissimum, minimo emolumento inductus, euerterit? Quod enim, in muneribus Diuinis, est, iustitiæ munere, atque dono, præclarius? Quid autem quauis esca contemptius? Quid igitur tætrius, & impudentius, quam aliorum iustitiam escarum auiditate corrūpere? Quid enim immanius, quam cibo vitā illius prodere, pro quo Christus vitam abiecit? Si enim continentia in victu fuisset nefarium aliquod facinus, nūquam certe, communis salutis gratia, licuisset, ciborum aliquod genus reiicere. Nūquam enim, quod nefas est, fas esse poterit; neque licebit vmquam, vllius boni gratia, summum illud bonum negligere, legemq. sempiternam violare. Cum vero abstinentia in cibis non modo non vituperanda, sed laudi tribuenda sit. is certe, qui in loco, ne periculum infirmis afferret, a cibis non abstinebat, se eorum vitam spernere, atque negligere, significabat. Iccirco Paulus, & reliqui Apostoli, quamuis optime scirent, nullum scelus per se in vsu ciborum, quos lex olim vetabat, cōcipi, tamen, vt offensionis, & ruinæ, periculum vitarent, ab illis abstinebant; hominumq. imbecillitati sapienter indulgebant; vsque eo, dum illos sensim ad intelligentiæ perfectionem adducerent. Hoc igitur in loco Paulus, quod ad Corinthios scribēs copiosius facit, instruit nos, qua prudentia, & benignitate, imperitiam tenuiorem perferre, quo modo eorum gratiā multis in locis ab iis etiam, quæ per se sunt licita, nos continere debeamus, cum videlicet illorum prætermissio non est cum nostræ salutis fraude coniuncta.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Hic & intelligentes, & idiotas, reprehendit, quod inepta contentione instituti sui vituperandi ansam aduersariis dederint. Nam, quasi in eo religionis summa verteretur, ita ciborum gratia inter se dimicabant, & alteri alteris erant inuisi, quod impiis eos irridendi, atque calumniandi, materiam præbat. Regnum, inquit, Dei, hoc est Euangelii disciplina, quæ Christi Regnum in nobis fundauit, nullo modo est in cibo, atque potu, collocandum. Indignissimum enim est illius sempiterni Regni splendore, & magnificentia, statum illius in terrestrium ciborum ratione, atque delectu, constitui. Nullo igitur modo sunt Euangelii opes in rebus eiusmodi caducis, & interituris, ponendæ. In quibus igitur? In iustitia quidem primum, qua nihil est hominibus a Deo datum præclarius, neque Diuinius. In pace deinde tranquillissima, quæ iustitia, moderatione, & constantia, continetur. Postremo, in summa illa voluptate, quam pax animi, Diuinis instructa muneribus, facit, quæ tanta est, vt oratione explicari non possit. Non igitur, inquit, posthac angustiis animorum vestrorum Regni Diuini amplitudinem metiamini; neque vestris contētionibus faciatis, vt bonum vestrum plerisq. in leuitatis, atque temeritatis, suspicionem veniat. Sed iustitiam colite, pacem seruate, Diuinam voluptatem percipite, eaq. studia persequimini, quibus cunctis admirationem commoueatis. Tantas enim vires veræ iustitiæ splendor habet, vt ab hostibus confessionem laudis exprimat, vniuersosq. tandem homines ad sui studium alliciat.

Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Itaque, quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus.

Cum definit, non in cibis, & potibus, aut reliquis legis institutis, ad externā corporis religionem pertinentibus, veræ pietatis rationem ponendam esse, sed in iustitia, pace, & gaudio; satis aperte docet, quanta dementia esset magnam quandam sanctimoniæ rationem in ciborum delectu sitam arbitrari. Idq. tantum nobis proponendum esse confirmat, vt cōmuni paci, & concordiæ, omniumq. hominum saluti, perpetuo consulamus, vsque adeo, vt interdum sit nobis, ne pax Ecclesiæ turbetur, & pietatis studium impediatur, multorum imbecillitati indulgendum.

Noli propter escā destruere opus Dei.

Mirus est in hac disputatione Paulus. Sic enim temperat orationem, vt nunc hos, nunc illos, reprehendat; & modo peritos inhumanitatis, modo imperitos temeritatis, accuset; &, cum hos castigat, illos erudit; & ita in vtrosque inuehitur, vt vniuersis prospiciat, omniumq. mentes ad verissimæ religionis studium incendat. Hoc igitur in loco, cum doceat, non esse in cibis pietatem constituendā, admonet tamen, tantum esse caritatis vinculum, tantoq. studio esse aliorum hominum saluti seruiendum, vt non liceat scientia nostra ad illorum perniciem abuti. Vt enim ante dixit, immane facinus esset, opus Dei manibus effectum hominū intemperantia confringi. Ne tamen aliquis error in infirmorum animis resideret, affirmat rursus, nullam esse in cibis impuritatem.

Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

Vt ante statuit, eos inquinari, qui cibis vtebantur, quibus vti minime licere censebant; ita

ita nunc decernit nefas esse cibis vti, qui sunt fratribus offensionem allaturi. Recte, inquit, sentis, mundis omnia munda esse. Hoc tamen apud te constituas oportet, negligentia caritatis animum polui. Si igitur caritatem negligis, animum inquinas. Cum igitur, cibi gratia, fratrem offendis, cibum saluti illius anteponis. Itaque non natura cibi, sed caritatis negligentia, impuritatem suscipis.

Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

Præclara, atque Diuina sententia, qua nos admonet, & hortatur, vt, vel minimæ offensionis effugiendæ gratia, existimemus, esse nobis omnibus iucundissimis cibis interdictum. Nihil enim est in rebus humanis hominum saluti præponendum. Quoties igitur periculum est, ne fratris imbecillitas offensionem accipiat, si grauius aliud periculum non immineat, toties est ciborum suauitate carendum. Se ipsum vero nobis exemplum proponit. Tantumq. sibi cordi salutem omnium esse confirmat, vt facillime omni vitæ iucunditate sibi carendum putet, ne fratri suo infirmo comparet aliquod ruinæ periculum.

Tu fidem habes? Penes temetipsum habe coram Deo: Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.

In eadem sententia insistitq. aperit, per se nefas non esse, cibis communiter vti. Tu quidem, inquit, credis, id tibi licere, quod facis; rectiq. conscientia sustentaris. Non tibi tamen id satis est. Si enim caritatis munere fungi vis, multa tibi interdum, quæ per se legitima, & concessa sunt, aliquando prætermittenda sunt. Ista igitur conscientia fruere coram Deo; &, cum id, quod verum, & rectum est, intelligentia comprehenderis, considera tamen, esse tibi, eum ita fuerit fratris saluti commodum, scientiam dissimulandam. In eo vero, quod recte sentis, neque de rebus in se vel assumendis, vel reiiciendis, secus statuis, quam recta ratio postulat, laudandus es. Nec enim te molestissima superstitio conturbat, neque a vera sententia deducit, neq. te in eos laqueos induis, quibus expediri commode non possis. Quod quidem illis necessario frequenter euenit, qui nimia ciborum, aut dierum, religione conflictantur. Non possunt enim extra ordinem pedem mouere, quin a se impium facinus commissum arbitrentur. Eoq. fit, vt, præterquam quod eorum vita sit infinitis curis implicita, innumerabilibus se capitalium criminum periculis exponant. Nam, qui secus aliquid facit, atque sibi licere credit, flagitium admittit. Qui igitur statuebant, sibi non licere vesci cibis omnibus, & tamen illis vescebantur, in crimen nefarium incidebant.

Beatus autem ille est, qui se non iudicat in eo, quod probat.

Hoc est, qui nihil omnino gerit contra id, quod rectum esse statuit; ita, ut numquam illum criminis conscientia vexet, sed, animi sui testimonio confirmatus, ad Deum fidenter adeat. Quemadmodum Ioannes inquit: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Quo autem Paulus longius oratione defertur, eo clarius imperitorum hominum inscitiam redarguit. Quod quidem hoc in loco facile cerni potest. Demonstrat enim, eos, qui nullum in cibis discrimen adhibebant, id quidem primum secundum rectam rationem facere; deinde, extra multa pericula ruinarum cōsistere. Quod infirmis longe secus eueniebat. Nā, primum, errore animi ducebantur; deinde, erant ancipiti cura districti; postremo, uix fieri poterat, ut leges adeo graues, atque difficiles, seruarent. Sic igitur tandem fiebat, ut sæpe laberentur. Eorum uero periculum Paulus exponit, dicens:

Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatū est.

Hic non modo periculi magnitudinem ob oculos ponit; sed in uniuersum regulam tradit, ad quam animi iudicium dirigamus. Docet enim, quidquid cōtra fidem fit, id est, contra id, quod rectum, quod iustum, & pium, esse credimus, quamuis recte suscipi posset, capitale crimen esse iudicandum. Vnde colligitur, minime securā esse animi simplicitatem, si absit scientia. Qui enim nimis imperitus est, quamuis bono animo sit, atq. in pietatis studium propensus, durissimis se legibus adstringit, & opinionis errore quotidie labitur; &, cum intra cancellos, quos sibi circūdedit, contineri diu vix possit, legis suæ mentem sæpe transgreditur; vitæq. discrimen quotidie subit. Quod illis eueniebat, qui discernebāt, id est in cibis magnum discrimē esse statuebāt.

CAP. XV.

Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

Laudem illis tribuit, eosq. sibi annumerat, qui

qui erant illa ciborum, & dierum, religione liberati. Præceptum tamen illud, de pusillorum imbecillitate toleranda, repetit, atque admonet, vt simus omnibus faciles, atque iucundi, cum id eorum saluti conducere viderimus. Nec enim eorum flagitiis indulgendum est, sed ineptiæ quædam perferendæ, dādaq. opera est, vt suauitate, & lenitate, nostra, eos paulatim ad summum pietatis studium alliciamus, & non disputationibus eorum animos irritemus. Proponit autem Christi exemplum, quod intueri, quod sequi, quo vitam omnem conformare, debemus.

Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.

Si Christus sibi iucunditatem vitæ proposuisset, vitauisset certe plagas, vitauisset Crucem, & ignominiam, vitauisset mortem, summumq. corporis sanctißimi cruciatum: sed tantum abfuit, vt voluptatem consectaretur, vt, nostræ salutis, & lætitiæ, caussa, mortem, & cruciatum, expeteret. Cruciatum vero illum Christi maximum exponit, quem Dauid, sub illius persona, commemorat. Quamuis enim perditi, & profligati, homines, illum contumeliis onerarent, maledictis insectarentur, plagis conscinderent, omni denique intolerabili cruciatu lacerarent, non tamen tantum dolorē ex omnibus illis suppliciis capiebat, quantum ex illo infando impiorum conuicio, quo Dei gloriam infringere nitebantur. Nihil est enim, quod magis vexet animū hominis pii, quam, cernere, Dei gloriam, hominum conuiciis, apud homines imminutam, nomenq. illius sanctißimum contumeliis obiectum, fidemq. maiestati illius debitam, indignißimis modis violatam. Hoc eos angit, hoc vulnerat, hoc excruciat, omnia tormenta præ hoc vno dolore contemnuut: ex quo intelligi oportet, quam atrox, & immane, fuerit illud Christi supplicium, cum cerneret, Dei maiestatem maledictis impudentißime violari, iudiciūq. illius contemni. Nec enim illa sanctorum hominum pietas fuit aliqua ex parte cum summa illius pietate comparāda; neque petulantius vmquam fuere maledicta ab hominibus perditißimis in Dei numen, atque fidem, congesta, quam eo tempore, quo Christum configebant. In me, inquit ille, omnia conuicia, qui bus te cōscelerati homines insequuntur, coniecta sunt; me vehementer afflixerunt; mihi grauißimum dolorem intulerunt. Vt igitur nobis salutem afferret, ideo intolerandos illos dolores excepit, atque subiuit; neque sibi, sed nobis, iucundus esse voluit.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam, & cōsolationem scripturarum, spem habeamus.

Hæc, inquit, quæ de Christo scripta sunt, nobis præcepta esse putemus. Ad nostram enim institutionem litteris mandata sunt. Nihil.n. est in sanctis litteris ad hominum memoriam consignatum, quod ad inanem aurium voluptatem, aut ad curiosam, & inutilem, rerum scientiam, sed ad salutarem doctrinam, Diuinarumq. rerum vtilißimam, & iucundißimā, cognitionem, referēdum sit. Illæ namque nos monitis sanctißimis, & exemplis clarißimis, erudiunt; quæ confirmant in rebus aduersis animum, in secundis regunt, & in omni loco singulari voluptate perfundunt. Spes enim illa, ad quā litteris sanctis excitamur, animos magnos, & inuictos, efficit; neque solum eos in rebus asperis consolatur, verum etiam incredibiliter oblectat. Nihil tamen est in illis aptius ad animi constantiam comparandam, & stabilem voluptatem omni tempore retinendam, quam inuicta illa Christi patientia, qua supplicium pro nostra salute pertulit, &, Crucis ignominia, salutem, & dignitatem, nostram constituit.

Deus autem patientiæ, & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.

Est hæc in Diuina scriptura loquendi consuetudo, vt ex Dei muneribus, illi nomen imponat. nam Deum vltionum nominat, quod impiorum scelus vlciscatur; Deum misericordiæ, quod supplicibus misericordiam tribuat; Deum pacis, quod pacem conciliet; & similiter, cum aliorum munerum Diuinorum commeminit. Paulus igitur, cum ante patientiæ, & cōsolationis, quæ ex sanctarum litterarum disciplina percipitur, meminisset, Deum, patientiæ, & consolationis, auctorem precatur, vt eos præsidio suo fulciat, spiritu suo consoletur, ne frangi, & debilitari, in rebus turbidis, aut luctu, & mærore, deiici, vmquam possint. Et, quia fundamentum fortitudinis, totiusq. iucunditatis stabilitas, in voluntatum, & studiorum, & sententiarum, consensione, & in summa amoris coniunctione, consistit, a Deo flagitat, vt illi, ad quos scribit, sint inter se, in rebus omnibus, magna amoris conspiratione, cōsentientes. Secundum Christum, ait, quia ille est, qui voluntates coniungit, atque sanctißimo quodam vinculo dißidentia constringit. Inde autem exsistit admirabilis ille concentus omnium fidelium, in Diuinis laudibus summa consensione, & Diuina quadam harmonia, perpetuo celebrandis.

Propter quod suscipite inuicem: sicut

& Christus suscepit vos in honorem Dei.

Cum vinculi illius mentionem fecisset, quo omnes inter nos coniuncti sumus, excitat rursus ad illud officium, ad quod alacriter exsequendum nos vis ipsius amoris impellit. Nempe, ne graues aliis nos ipsos exhibeamus, sed faciles, atque benignos, aliorumque imbecillitatem, opera, & consilio nostro, clementissime fulciamus. Ad idemq. munus, exemplo Christi, nos diligentius efficiendum, excitat. Ille namque, cum esset rerum omnium moderator, & dominus, se tamen, salutis nostræ caussa, submisit, vt ruentes fulciret, atque sustineret, & in nostra salute gloriam patris illustraret.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.

Circumcisio, apud Paulum, est interdum vniuersa legis institutio, cui Christus obtemperauit. At ille quidem, neque lege illa tenebatur, cum omnem cælestem naturam imperio sempiterno coerceret; neque legis piaculis indigebat, cum esset ab omni peccati contagione longissime segregatus; neque ignorabat, in lege nullam esse rationem perfectæ iustitiæ constitutam, cum omnes thesauros sapientiæ, atque scientiæ, Dei, inclusos mente contineret; & tamen uoluit circumcidi, legisq. institutis obedire, seq. ministrum illius promptum, & alacrem, exhibere. Primum quidem, vt obedientia sua nomen patris, hominum rebellione offensum, placaret; deinde, vt, se hominum illorum moribus accommodando, eos ad se facilius alliceret; postremo, vt, ex signis, ad veritatem, signis illis adumbratam, illos sensim adduceret. Factus est, inquit, ex muliere, factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Hoc autem in loco fuit, inquit, minister legis, vt per legem, quæ veritatis vmbram, & imaginem, continebat, ipsam Dei veritatem, atque Diuinarum rerum notitiam, commodius explicaret, sanctissimaq. muneris sui perfunctione patribus olim promissa bona cõficeret. In quo quidem Ecclesiæ rectores admonuit, vt se cum subditis suis interdum exæquarent; eorumq. moribus, quamdiu id per pietatem liceret, accommodarent, eosq. paullatim ad clariorem rerum cęlestium notitiam adducerent. Vt enim Paulus omnia omnibus factus est, vt omnes lucrifaceret; sic & nos, vt subditos ægritudine leuemus, omniq. ratione tueamur, cum salua pietate licet, in illos indulgentes esse debemus; nec vllo modo committendum, vt, præpropera festinatione nostra, illos defatigatione frangamus. Vitandum enim est, ne, quemadmodum Iacob dicebat, moriantur vna die cuncti greges, nimio labore confecti. Hoc tamen in loco, animaduertendum est, Paulum obiter illorum argumenta diluisse, qui, Christi exemplo, circumcisionem retinẽdam esse statuebant. Dicit enim, Christum, non quod vllam veræ sanctitatis rationem in legis religione sitam decerneret, sed vt per illam veræ religionis disciplinam traderet, atque, quod olim sub illis signis promisit, exsolueret, ideo se legi subdere voluisse. Necesse enim erat, vt se medium inter legem, & Euangelium, interponeret, & ita legi finem afferret, vt continuo Euangelium inchoaret, hominesque, disciplina legis imbutos, quasi manu ad veritatem, sub illis cærimoniarum inuolucris occultatam, deduceret. At, post Euangelii libertatem, illius munere constitutam, consequens erat, legem exterminari, interuentuq. ipsius veritatis, vmbras euanescere. Vt tamen Christus, quamdiu in hac vita mansit, cum adhuc legis status permaneret, eorum hominum gratia, quos sanatum aduenerat, legi, qua minime tenebatur, obtemperauit, ita in illo Euangelii primordio, in quo nõ dum omnino explicatum erat, vim legis, quæ posita erat in figuris, esse prorsus exstinctam, fuit prudẽtium hominum caritati, qui sequebantur Christi vestigia, consentaneum, ne Iudæos a cultu veræ pietatis auerterent, scientiam suam dissimulare, multaq. in principio, illorum non pertinaciæ, sed infirmitati, tribuere. Summa autem totius disputationis, eo refertur, vt omnes ad Dei gloriã, & hominum caritatẽ, omnia vitę studia conferenda putent, & in eo omnẽ religionis sanctitatem positam arbitrentur; quod vt rectius faciant, rursus admonet, vt in principium bonorum omnium respiciant, illumq. Dominum, a quo omnes ex æquo salutem adepti sunt, perpetua laude venerentur, & intelligant, nõ esse Iudæos gentibus antelatos, cum omnes sint, non quidem lege, sed gratia Diuina, pariter conseruati. Magna dignitas Iudæis parta videretur, quod summus ille rerũ omnium Dominus, vt eos nexu legis exsolueret, legi adstringi voluerit. Docet tamen, non esse illos in hoc Gentibus anteferendos, cum hoc summum Christi beneficiũ ad omnes ex æquo peruenerit. Ideo enim legi ministrauit, seruiq. formã induit, vt omnes, tam Iudæos, quam gentes alienigenas, in Regni cælestis dignitate, & amplitudine, collocaret. Quocirca nõ modo Iudæos, sed gentes vniuersas, confirmat, & excitat ad gratias immortales Deo habendas, & agendas.

Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, & nomini tui cantabo.

Cele-

Celebrat in hoc loco, quem Paulus citat, Dauid,ſub Chriſti perſona,gentium ſalutem, prius Chriſti opera conſtitutam,& tam gentibus, quam Iudæis, clementer impertitam. Et ideo gentes multis in locis adhortatur, vt ſumma animorum conſenſione cum Iudæis Deum colant, eumq. ſanctiſsimo cultu,atque perpetua laudatione, proſequantur: quemadmodum ex his locis,quos Paulus ſubiūgit, intelligi poteſt. Rurſus enim eundem vatem citat:

Et iterum dicit:Lętamini Gentes cum plebe eius. Et iterum, Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

Deinde Iſaiæ teſtimonium adducit.

Et rurſus Iſaias ait, Erit radix Ieſſe: & qui exſurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.

More ſuo, interpretum orationem ponit, paullulum ab Hebræo fonte diſcrepantē, ſententia vero cum illo conſentientem. Sic enim eſt apud Hebræos:Et erit in die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes quærent. Eſſe autem pro ſigno, atque vexillo, populis,quod obſeruent, quod intueantur, quod omni ſtudio ſequantur, quid eſt aliud,quam ſummum illorum imperium tenere?Cum vero prædicit futurum, vt illum Gentes inquirant,illud Gentium ſtudium in Chriſtum prænuntiat, quo erant ad illum ſupplices adituræ,vt magna quadam fide confirmatæ, & incenſæ, numen illius implorarent.

Deus autem,ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.

Hac pia, & ſancta, precatione voluntates Romanorum ſibi multo magis allicit, cum id illis optat, quo nihil amplius,& maius, excogitari poteſt, & cuius adipiſcendi gratia omnes mortales immenſos labores excipiunt, & diſcrimina infinita ſubeunt. Quid enim aliud ſibi proponunt homines, quid agunt, & moliuntur; cum, vel pecuniæ canſſa,vel honoris, & imperii, vel voluptatis, & deliciarum,omnem vitæ curſum in aſsiduo labore corporis, & ſumma animi contentione,cōficiunt?Quid eos premit, & angit? cur ſæpenumero omnia bella ſuſcipiunt, niſi, vt poſsint aliquando pace animi,atq. incundiſsima tranquillitate,potiri? Sed, cum in auctorem pacis minime reſpiciant, euenit, vt, quo magis cupiditatem explere, & pace, atque gaudio, frui cupiunt, eo magis tumultuentur; grauioreq. moleſtia perculſi, contabeſcant. Solus enim ſpiritus Chriſti eſt, qui pacem animis affert. Solus enim cupiditatem corporis, vnde bella omnia naſcuntur, comprimere, animumq. ſummis, & æternis, bonis ſatiare poteſt. Fructus enim ſpiritus,eſt gratia,gaudium,& pax. Illam igitur veram pacem animi, illam felicitatem, ſtabilemque, & firmam, lætitiam,quæ ſolo ſpiritus Chriſti continetur, quam non operibus humanis, ſed vigenti fide, conſequimur, qua nullum maius bonum in vita nobis contingere poteſt, Romanis precatur.Precor,inquit, Deum, vt vos, quando fidem colitis, expleat gaudio, & pace, vi, & poteſtate ſpiritus ſui,in cuius donis, atque muneribus, omnis vera pax, atque lætitia, conſiſtit. Chriſtum vero, Deum ſpei nominat, ad Iſaiæ oraculum reſpiciens, quo prædixit, futurum, vt in illo Gentes vniuerſæ ſpem ſalutis ſuæ reponerent.

Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.

Mira ſapientia; ſi qua ſuſcepta erat ex aliqua parte diſputationis offenſio, eam oblitterare, animoſq. leuiter ſaucios omnino ſanare nititur. Non, inquit, tam longa oratione vſus ſum, quod veſtræ pietati, atque ſapientiæ, diffiderem; ſed amoris mei erga vos conſcientia fretus, liberius ſcripſi, non, vt vos, quos video eſſe Diuinæ ſapientiæ diſciplinis inſtructiſsimos, erudirem;ſed, vt ea,quæ iam plane comprehendiſtis,ex aliqua parte in memoriam reuocarem; & hoc pro iure muneris mihi commiſsi.

Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti in Gentibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta,& ſanctificata in Spiritu ſancto,

Se ſacerdotem profitetur, non ad quadrupedes adumbrata quadam religione iugulandas, ſed ad Gentes expiandas, Deoque, ſanctiſsimo,atque pietatis pleniſsimo,cultu conſecrandas.

Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum.

Veriſsimæ gloriæ fontem aperit, atque planiſsime docet, quod alibi facit, nulla nobis re alia, quam Chriſto, gloriandum. Ex illo namque,totius honeſtatis elegātia, omniſq. ſplendor decoris, & dignitatis, emanat. Si quidquam enim præclarum, & amplum, gerimus,illius numine, & ſpiritu, concitati, gerimus. Quantum autem decus Paulus ipſe fecerit

cerit in Euangelij administratione consecutus, ita nobis explanat, vt totum id Christo auctori tribuat.

Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo, & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.

Non, inquit, meum est, inaniter extolli, neque sine caussa gloriari. Ea namq. dico, quæ, si minime vera essent, facillime refelli possēt. Non igitur audebo ea confirmare, quæ non multis cognita, & perspecta, sunt. Multis enim mortalibus compertum est, quemadmodum nō meis viribus, sed virtute Christi, non opibus humanis, sed Diuinis, quamplurimas nationes inuictis armis peragrauerim, multosq. mortales cælestibus disciplinis instruxerim, & sub Christi imperium, ditionemque, multitudinem hominū innumerabilem subiunxerim, & quamplurima portenta, atque prodigia, Diuinæ virtutis ediderim; neque Asiæ tantum regiones, cum Iudææ finibus continentes, sed Græciam vniuersam, & inde vsque ad Illyricū innumerabiles nationes, Christi nomine compleuerim. Et, quod magis mirandum est, in omnibus his locis prima pietatis fundamenta ieci; & ex animis hominum vastis, & incultis, impietatem, longinquitate temporis inueteratam, atque nimia vetustate robustam, exstirpaui; mentesque, immanitate sceleris efferatas, Diuinis muneribus, & ornamentis, excolui. Neque is sum, qui facillima tantum aggrediar, & ardua, atque difficilia, reformidē. Immo, Diuino præsidio confisus, in ea potissimum impetum facio, quæ tantis opibus munita sunt, vt nullis viribus expugnari posse videantur. Ob id autem factum est, vt, quamuis vos vnice diligam, non tamen prius ad vos, quam ad alias nationes, me contulerim; propterea quod mentes vestræ erant iam Christi spiritu, quem egregie colitis, inflammatæ; illæ vero, quas erudiendas suscepi, nondum de Christo fama, & auditione, quidquam acceperant. Cum igitur non meam cupiditatem, sed hominum necessitatem, spectem, & nullas nationes uobis laude fidei, atque religionis, anteponam; meis rationibus consentaneum fuit, vt, prius quā uos uidere possem, complures regiones perlustrarem. Ait igitur:

Sic autem prædicaui Euāgelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.

Testimonium assumptum est ex Isaia, quo in loco Gentium admirabilem conuersionem prænuntiat, quæ cum aliorum Apostolorum, tum vel maxime Pauli, opera, confecta fuit.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.

Non, inquit, quod pluris alias nationes fecerim; sed, quod illæ magis opera mea indiguerint, prius illas inuisi.

Nunc vero vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: cum in Hispaniā proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.

Miro desiderio se teneri Hispaniæ perlustrandæ, significat. Quod quidem facit, vt facile assentiar illis, qui tradunt, eum, & Galliam, & Hispaniam, multasq. Occidentis Solis regiones, obiisse. Postquam enim Romæ in prima accusatione, iudicum sententiis liberatus est, facile potuit in Hispaniam se conferre, & Romā deinceps remigrare. Multi namque anni, inter illud iudicium primum, quo fuit absolutus, atque secundum, quo damnatus, atque morte multatus fuit, interiecti fuerunt, intra quod tempus potuit illud desiderium Hispaniæ lustrandæ, quo vehementissime flagrabat, explere. Sed, miro quodam artificio, sui amoris in Romanam Ecclesiam significationem dat. Ita enim demonstrat, se cupere illius adspectu frui, vt interim caueat, ne laudem, & gloriam, illius immineat: quod fieret, si dixisset, se Romam, ipsius Ecclesiæ Romanæ caussa, profecturum. Ostenderet enim, se parum illius fidei, quam in principio huius Epistolæ Diuinis laudibus exornauit, confidere; maxime, cum paullo ante dixisset, se ad eos potissimū accedere, apud quos nulla vmquam Christi mentio versata fuisset. Cum vero demonstrat, ad iter, quod in Hispaniam facere cogitabat, se eorum opera vsurum; quantum eorum caritati, diligentiæ, & religioni, confidat, aperte declarat. In quo vero ait. Si tamen ex vestro conspectu aliqua ex parte fructum cepero, demonstrat, eam cupiditatem, qua in illos incensus erat, paucorum dierum consuetudine satiari non posse.

Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationē aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem.

Non ſolum officium ſuum erga ſanctos Hieroſolymam incolentes exponit; verum, propoſito Græcorum exemplo, ad eiuſdem benignitatis ſtudiũ Romanos incẽdit; docetque, illud Macedoniæ, & Achaię, officium ſanctis illis Iudæis præſtitum, debitũ, & neceſſarium fuiſſe, nec tam ad gratuitam beneficentiam, quam ad vinculum iuris, atque iuſtitiæ, referendum. Ait igitur:

Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis.

Nihil eſt, quod tam animos ſocietatis iure deuinciat, quam ſacrorum communio, quam fœderis Diuini cõſortium, quam eiuſdem militiæ ſacramentum. Quo fit, vt omnium debitores ſimus, cum quibus religionis Chriſtianæ vinculo coniuncti ſumus. Illis tamen maxime obligati ſumus, a quibus fructum aliquẽ huius religionis, atque diſciplinæ cæleſtis, accepimus. Si nos, inquit alibi, vobis ſpiritalia noſtra ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Ergo, cum omnis gentium doctrina, omnis fides, atque religio, a Iudææ fonte profluxerit, atq. a ſanctis illis Hebræis ad gentes permanarit; nefas erat, eorum indigentiã gentium opibus minime ſubleuari.

Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

Rurſus, quam fuerit Hiſpaniæ obeundæ cupidus, demonſtrat; ſed, ne videatur ſic ad Hiſpaniæ ſalutem incumbere, vt Romanis nullum fructum ſui itineris oſtẽdat, ait, futurum, vt, illo præſente, ſint omnibus muneribus Diuinis egregie cumulandi.

Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Chriſti veniam.

Ita certe erat ſperandum, vt nemo, qui modo Chriſtum coleret, illud ſanctiſsimum Chriſti oraculum, in cuius pectore Chriſti ſpiritus inſidebat, adſpiceret, quin ex illius reſponſis maximos, atque plane Diuinos, fructus acciperet.

Obſecro ergo vos fratres per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, & per caritatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum.

Cõſidera ſummam Diuini viri modeſtiam, & altiſsimæ mentis humilitatem. Paullus ille, ſummis virtutibus ornatiſsimus, &, propter admirabilem ſanctitatis excellentiam, Deo coniunctiſsimus, qui, probitatis, & caritatis, & diligentiæ, magnitudine, Diuinæq. ſapientiæ ſplendore, Eccleſiam, tamquam humeris ſuis, ſuſtinebat, eorũ precibus ſe apud Deum iuuari poſtulat, qui nullo modo erãt cum virtute illius aliqua ex parte comparãdi. In quo quidem, docet, multum pondus apud clementiſsimum illum Dominum habere multorum, in aliqua re piis precibus poſtulanda, conſenſionem; nec eſſe aliquem tanta virtute pręditum, qui aliorum ope fulciri non poſsit. Præſagiebat autem animo Paulus, cum hæc ſcribebat, quæ erant illi inſidiæ, Iudæorum infidelium immanitate, comparandæ; quæ eſſet ſibi dimicatio ſubeunda; ad tantum vero certamen inuicto animo ſuſtinendum, fidelium cunctorum votis, & precibus, confirmari cupiebat.

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

Cum tota hæc Epiſtola ad copulandas voluntates, & animos vno pietatis, & amoris, vinculo conſtringendos, dirigatur, aptiſsime Deum, pacis effectorem, precatur, vt illis ſemper adſit; eosq. in mutuæ caritatis officio contineat; neque patiatur, Romanam Eccleſiam, amore, & animorum conſenſione, fundatam, odio, atque diſſenſione, conuelli.

C A P. XVI.



Commendo autem vobis Phœben ſororẽ noſtram, quæ eſt in miniſterio eccleſiæ quæ eſt in Cenchris: vt eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis: & aſſiſtatis eis in quocumque negotio veſtri indiguerit. etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.

Beatam mulierem, cui tam præclarum ſanctitatis teſtimonium a Diuino viro tributum cernimus. In quo, non modo iudicandum eſt, eam eſſe hac Pauli commendatione, ſed laude ſempiterna, digniſsimam. Hanc igitur Romanis maiorem in modum commendat, cui fortaſſe hanc epiſtolam perferendam dederat. Nunc vero ſalutem quibuſdam adſcribit, qui pietatis laude inter reliquos excellebant.

Salutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima

mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolum ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium) & domeſticam eccleſiam eorum.

Magna profectò, & excellens laus Paulum, in tanto, tamq. præclaro munere, non iuuare modo, ſed pro ſalute illius iugula ſecuri ſubmittere. Quamuis igitur hi ſancti nullã opem aliam Eccleſiis gentium attuliſſent, quam illud ſtudium vitæ Pauli defendendæ, qua ſalus Eccleſiarũ magna ex parte nitebatur; æquum profectò erat, vt illis gratiæ ab omnibus Eccleſiis haberentur. Familiam vero Priſcæ, & Aquilæ, domeſticam eorum Eccleſiam appellat, eamq. ſimiliter ſaluere iubet. Solet enim Paulus familiam bene conſtitutam, ſanctiq. patris familias exemplo, in ſtudium pietatis incitatam, Eccleſiam interdum nominare, vt hic, & in quibuſdam aliis eius Epiſtolis, animaduertimus.

Salutate Epænetum dilectum mihi: qui eſt primitiuus Aſiæ in Chriſto Ieſu. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum, & Iuliam cognatos, & concaptiuos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.

Magna quædam laus erat Epæneti, quod primus in Achaia ſe ſe in Chriſti fidem contulerat. Maior tamen Mariæ, quæ pro Chriſti nomine, & gloria, magnos labores, Apoſtolorum cauſſa, pertulerit. Sed Andronicus, & Iunia, longe maximam laudem ſibi peperiſſe videntur, non tam, quod eſſent Paulo, ſanguinis communione, coniuncti, quam, quod aliquot in locis, cum illo ad extremum vitę periculum decertaſſent, & vinculis ſimul alligati fuiſſent, ob quæ apud Apoſtolos clarum, & illuſtre nomen habuerunt.

Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen probum in Chriſto. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.

Cum ſalutem adſcribit iis, qui ſunt ex alicuius familia; nec vniuerſam familiã ſalutat; oſtendit plane, in ea domo fuiſſe quoſdam electos a Deo propter fidem, quoſdam vero propter perfidiam deſtitutos: quemadmodum ſcriptum eſt, Duo erunt in lecto vno, & vnus aſſumetur, & alter relinquetur.

Salutate Tryphenam, & Tryphoſam: quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem cariſsimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius & meam.

Femina lectiſsima, atque beatiſsima, quæ tam multa pietatis officia in Paulum contulit, vt illius mater meruerit appellari.

Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt, fratres. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem: & omnes qui cum eis ſunt, ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.

Omnem hanc orationem videmus plenam ſuauitatis, & humanitatis, & Diuini cuiuſdã amoris notis impreſſam; quæ facile demonſtrat, quantum eſſet illud cæleſtis ignis incendium, quod fuit beneficio Diuini ſpiritus, in Eccleſiæ primordio, in omnium Chriſtianorum viſceribus implicatum. Ne autem hæc tanta coniunctio animorum perditorum, hominum improbitate diſſolui poſſit, monet, vt eos, qui diſsidia concitant, a ſe longe repellant, & ne ab illis capiantur, diligentiſsime caueant.

Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.

Inſignem notã apponit, qua ſcelus, & fraudem, in ficta religionis ſpecie latentem, videamus. Multi enim lupi ſunt, vt Chriſti verbis admonemur, qui, ſub ouium figura, & habitu, feritatem inſitam occultant, vt oues, nihil hoſtile ſuſpicantes, improuiſo dilacerent. Hi ſunt, qui verbis pietatẽ ementiũtur; multiſq. verborum lenociniis ſimplices homines ad ſe alliciunt, eoſq. dolis, & fraudibus, irretiunt, &, obtentu religionis, religioni peſtem, & exitium, machinantur. Sed, quibus tandem veſtigiis poterimus latentem improbitatẽ perſequi, occultumq. ſcelus manifeſto deprehendere? Studiis certe, rebusq. geſtis, & actionibus, quibus facile ſe ſe indicat cuiuſque natura. Nihil eſt enim in animo incluſum, quod diu celari, & occultari, queat. Neceſſe enim eſt, vt inde multa foras redundent, & effluãt, quæ operta in lucem proferant. Ex operibus, inquit Dominus, cognoſcetis eos. Nec enim poteſt aliquod bonum opus, atq. præclarum, effici ab eo, qui animum, vitiis omnibus corruptum, & contaminatum, gerit. Vis enim ſceleris, atque libidinis, cui deditus, & adſtrictus eſt, cum in perniciem rapit, flagitiaque infinita facere compellit, & cogit denique, vt omnis illius vita cum Euangelij ſanctitate, & cum Chriſti diſciplina, pugnet. Chriſtus enim gregem ſuum congregat, hi diſpellunt; Chriſtus

ſtus ſanat,hi vulnerant; Chriſtus vitam abiecit, vt ſuis vitam redderet; hi,contra, vt vitæ commodis abundent, ſimplicibus vitam eripiunr. Vt igitur Chriſtus pacem, & ſalutem, attulit,viamq. nobis in cælum cruce muniuit; ſic hi, Crucis odio, pacem,& otium,turbant, & mortiferum multis vulnus infligunt, aditumq. in cælum, quantum poſſunt, intercludunt. Monet igitur Paulus, vt ſimns animis acres,atque parati,ad inſidias diligentiſsime præcauendas; nec nos decipi ſinamus ab hominibus perditiſsimis, qui, cum ſint impuriſsimi,ordines tamen ducere, & eccleſiæ rectores haberi,volunt.Fraudibus igitur,& verborum lenociniis,adſpirant ad dignitatem, qua ſunt indigniſsimi.Sed,cum non in ſermone ſit Regnum Dei, ſed in virtute, non tam quid oratione, atque verbis, oſtentent, quam quid moribus, atque ſtudio,moliantur,conſiderandum eſt. Si enim Eccleſiæ pacem conſtituunt; ſi ſaluti proſpiciunt; ſi pericula depellunt; ſi vitam ſuam pro Eccleſiæ totius incolumitate ponunt; ſi denique nihil deſignant animo, nihil operibus exſequuntur, quod ſit Apoſtolorum diſciplinæ contrarium; veri Chriſti ſatellites,atque miniſtri exiſtimādi ſunt. Si autem pro pace bellum afferunt, ſi pro ſalute perniciem, ſi ſimplicium hominum imperitia ad ſuum emolumentum, & quæſtum, abutuntur, omniaq. tandem, præ ſuis commodis, atque dominatione, contemnunt; ſi denique omnis ab illis inſtituta vitæ ratio pugnat cum Apoſtolorum inſtitutis, & legibus; arcendi profecto ſunt; nec ullo modo ſalus,atque vita,Chriſtianæ Reipublicæ,illorum fidei,quę nulla eſt, temere committenda.Cauete,inquit,eos,qui diſcordias excitant; qui ruinæ pericula multis intendunt; qui doctrinæ, qua imbuti a nobis fuiſtis,aduerſantur. His enim ſignis, quæ hic appono, facile poteritis hominum genus peſtilens,atque mortiferum,a probis,& honeſtis,& ſanctis, hominibus internoſcere. Nullum enim ſignum clarius animum cuiuſque indicat, operibus in vita editis. Deinde conſiderandum eſt, quid ſit cuique propoſitum,vt rectius de cuiusque vita ſtatuere poſſimus. Ait igitur:

Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſetuiunt,ſed ſuo ventri: & perdulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium (id eſt, ſimplicium.)

Nullnm clarius diſcrimen poterat aſsignari eo, quod conſiſtit in fine,quem quiſq. intuetur,& reſpicit.Ergo, cum optimus quiſq. omnem vitā ſuā,omnes curas,& cogitationes, & actiones, ad Chriſtum teferat,gloriæq. Diuinæ cauſa,ſe ſe,cum ita opus fuerit, in capitis, & vitę,diſcrimen libenter inferat;cōtra, vero malitioſus,& fraudulentus,qui ſapiens,atque ſanctus exiſtimari vult,omnia ad ſuum cōmodum cōuertat;vitęq.cum ſuauitate traducendæ gratia, oīa moliatur, facillimum profecto erit cuilibet, quo animo quiſq. ad Eccleſiā accedat,ratione perſpicere. Quo.n.quiſque vitę cōſilia dirigat,in quæ potiſsimū ſtudia incumbat,quid omniū maxime ſpectet,non difficile eſt cognoſcere. Vt autē oſtendat,ius,& rationē,poſtulare, vt ſir vehementer de eorum ſalure ſollicitus, eaq. de cauſſa illos hortari, vt inſidias caueāt,eorū laudes repetit. Fidemq. eorū rurſus in cælum tollit. Quo.n.magis illi fidei laude præcellebāt,eo erat magis fidei ipſius labes metuēda. Quo.n.amplior eſt ſtatus ille,vnde aliquis cōcidit,eo eſt caſus,atq. ruina,calamitoſior. Docet igitut, ob id diligentius in ſpecula manendum,atque vigilandum illis eſſe,.quod eranr iam ampliſsimum fidei, atque ſapientiæ, gradum conſecuti.

Veſtra enim obedientia in omnem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono: & ſimplices in malo.

Dixerat,in principio epiſtolæ Romanorū, fidem annuntiari in vniuerſo mundo;nunc,in fine,eandē ſententiā aliis verbis tepetit, cum ait, eorum obedientiā vbiqne omnium fama, & prædicatione,celebrari. Vt enim ſæpe dictū eſt,Obediētia apud Paulum idem valet, quod Fides. Ex ea igitur fama,ſe non mediocrē voluptatē capere,dicit. Sed,quo fidei fama præclarior erat, eo conueniebat, eam puram, & immaculatam, maiore ſtudio conſeruari. Romanos igitur admonet, vt inſidias vitent; vt hominum improborum peſtem arceant; vt ſumma ſedulitate, & vigilantia, ſtatum animi conſeruent. Neq. tamen ſolum a vobis, inquit, animi probitatē exigo; verum etiā acumen, atq. prudentiam, qua tectum ſcelus excutere omneſq. malitiæ latebras explorare, poſsitis, ne ex illis aliquid in perniciem veſtram poſsit erumpere. Nolo quidem vos uerſare ingenium ad fraudem, non acumen in cōparandis inſidiis oſtentare,non laudem denique prudentiæ, ut multi faciunt, ex malitia quærere; ſed in detegendis ſceleribus, & repellendis inſidiis,& fraudibus, ingenii lumen oſtendere. Hoc eſt autem,quod ait, ut ſint ſapientes in bonum. Bonum ſi quidem, atque uehementer expetendum,eſt, obuiam ire malitiæ, omnemq. fraudis, & aſtutiæ,mateticam reſecare. Eſſe autē ſimplicē in malo, eſt, nihil aſtute cōtra alterius ſalutem facete,nō aliud animo agitare,aliud ore proferre,nihil denique ſimulare,ſed uera tantum,recta,& ſimplicia,omni ſtudio conſectari. Quod aliis uerbis Chriſtus ipſe præcipit, Eſtote, inquit, prudentes,ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ. Aſtutia ſi quidem, & calliditate, ſerpentina, nobis opus eſt, ut ab inſidiis antiqui ſerpentis, qui uobis peſtē,& exitiū,machinatur,tuti eſſe poſsimus.Colūbina autem ſim

plicitate, vt illi sanctissimo Domino placeamus, cui nihil vanum, nihil duplex, nihil subdolum, nihil fallax, nihil insidiosum, placere potest.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.

Aptissime Deum pacis precatur, vt Satanam, auctorem seditionis, seruitia concitantem, insidiisque suis concordiam dirimentem, sanctorum pedibus conculcandum, atque conterendum, confestim præbeat. Respicit autem ad illud oraculum, quo prædictum fuit, olim, fore aliquando, vt ex muliere nasceretur, qui serpentis caput contereret: quo quidem significabatur, futurum, vt Christus Satanæ tyrannidem prorsus exscinderet. Hoc autem facit, quoties illius opem contra dæmonis infestissimi vim, & insidias, imploramus. Repente enim, Christi spiritu, dæmonis vis, & fraus, omnis exstinguitur. Et, quia omnis hæc victoria, non uiribus nostris, sed Christi gratia, comparatur, adiũgit Paulus:

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.

Sub huius enim gratiæ præsidio, nec uiribus vllis opprimi, nec fraudibus capi, vmquã poterimus. Neque enim solum uires inuictas suppeditat, uerum etiam clarissimum sapientiæ suæ lumen diffundit. Redit deinde ad salutationis seriem, quam interruperat sapiens illa, atque salutaris, admonitio.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino.

Hoc, quod inquit, In Domino, coniungendum est cum uerbo, Saluto. Est enim hic hyperbaton. Vt autem ex hac Tertii oratione, qui personam suam interponit, intelligitur, Paulus dictabat hanc Epistolam, quam Tertius excipiebat.

Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius (id est quæstor) ciuitatis, & Quartus, frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

Non est superuacanea huius tanti uoti repititio. Crebra enim illius commemoratio, frequensq. tam sanctæ precationis iteratio, exprimit magis Pauli uoluntatem in eorum salutem, quibus gratiam precatur ualde propensam; & simul eorum animis sibi magis allicit, eosq. incendit, & incitat, ad ipsam gratiam non modo fide acquirendam, uerum etiam pietate retinendam, atque fruendam. Epistolam uero concludit, breui tanti beneficii commemoratione, atque sancta, maximeq. debita gratiarum actione.

Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor, gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Illi, inquit, summo, atque præpotenti, Deo, qui facile potest vos numine suo confirmare, atque stabilire, ne vmquam hostium impetu, aut fraude, corruatis, illi soli, qui solus natura sapiens est, a quo solo est disciplina, atque sapientia, salutaris haurienda, per Christum, sanctissimum Pontificem, gratiarum hostias, & victimas, offeramus, illiusq. nomen perpetuo celebremus, cuius immensa gloria est in omni æternitate prædicanda. Ex omni siquidem æternitate genus humanum e miseria sempiterna redimere, filiiq. sui opera conseruare decreuit, & hoc salutis nostræ consilium sæculis innumerabilibus secretũ habuit, quod nunc tandem, illius præcepto, passim apud omnes gentes traditum, & explicatum est, illiusq. summa benignitas omnibus prompta, & expedita. Quod enim in mysteriis latebat, nunc iam, partim prophetarum prædictionibus, euentu comprobatis; partim Apostolorum doctrina, a multis percepta, omnibus tãdem gentibus enuntiatum est, ut omnes, vigenti fide, salutem, & immortalem gloriam, consequantur. Sed hoc, quod dicit, mysterium salutis nostræ fuisse sæculis innumerabilibus occultatum, quo modo intelligẽdum est? Nec enim solum hic, sed multis in locis, hoc mysterium dicit apud Deum in arcano latuisse. Quo modo igitur id interpretabimur? Num Deum, antequam Angelos, & homines, crearet, id sibi soli reseruasse, nec iis, qui non dum editi in lucem erant, id enuntiare voluisse? Sed ridiculum est, asserere, esse quidquã ignotum iis, qui, vt non sunt, ita nihil possunt sensibus vllis vsurpare. Ergo intelligẽdum est, post cælestium, atq. terrestium, animorũ naturam conditam, Deum mysterium hoc multis sæculis, & Angelos, & homines, celasse. Sed contra hanc sententiam multa possunt adduci. Abraham. n. vidit diem Domini, & vidit, & gauisus est. Dauid vero vocat eũ Dominum. De Christo enim loquitur, cũ ait, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis. De Isaia vero scribit Ioannes, Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.

Omnes

Omnes denique Prophetæ vnum Christum intuentur; ad illum scripta sua dirigunt; de illo præcipue loquuntur; illius cupiditate inflammantur; ad illius cognitionem suos erudiunt; & hoc vnum opus suscipiunt, vt viam curent, qua mortales omnes ad Christum, absque vlla offensione, properent. Quod etiam Paulus testatur, cum ait, mysterium hoc fuisse olim Prophetarum monumentis consecratum, vt veritas illius posset facilius a cunctis hominibus fide comprehendi. Si igitur id erat Prophetis notum, multo certe magis fuit angelis exploratum, & cognitum, qui prophetas instruebant. Vt enim alios omittamus, certe Danielem constat ab Angelo Gabriele de Christi Regno, de Christi morte, de imperio Christi sempiterno, de sempiternæ iustitiæ sanctitate, quæ erat intra definitum tempus, Christi gratia, & benignitate, conferenda, Diuinitus edoctum. Ergo, si neque Diuinos homines, nec cælites, id latuit, quibus tandem mysterium occultatum fuisse dicemus? Non quidem Hebræis, doctis, & sapientibus. Hi namque, & legis, & prophetarum, litteris instructi, vnicum illum generis humani liberatorem, quem venturum prædicabāt, in ore semper habebant. Ne multitudini quidem imperitæ. Multa enim ex Dininis illis libris, doctorum opera etiam in vulgus emanabant, quæ plebem Iudæorum ad spem Christi mirum in modum excitabant. Cum enim in hac spe nutriti a primis incunabulis vniuersi fuissent, Christiq. venturi nomine aures omnium assidue circumsonarent; cum doctorū hominum crebris orationibus intelligerent, omnem salutis, libertatis, & dignitatis, spem esse in illius Regis, quem sperabant, iustitia, sanctitate, religione, magnificentia, reponendam; qui fieri potuisset, vt id mysterium ignorarent, in quo habebant omnia vitæ, & immortalitatis, præsidia constituta? Quid, quod nec reliquis gentibus id occultum fuit? Sibyllæ namque, carminibus suis, omnem Christi vitam, & mortem, & cruciatum, & gloriam, cōplexæ sunt; ita, vt credibile sit, multos mortales fuisse ad Christi notitiam, Diuinis illis carminibus, institutos. Iam vero, cum Christus in terris versabatur, quis ordo potuit eius numen ignorare? Plebs enim illum, maxima voce, Dei filium compellabat: principes impij, & scelerati, Diuinæ virtutis testimonium illi dare cogebantur: quin etiam dæmones, numine illius constricti, & alligati, illum, & Christum, & Dei filium, nominabant. Vnde sequitur, etiam antequam Christus in cælum adscenderet, atque inde spiritum suum in suorum mentes effunderet, orbemq. terrarum nouæ lucis radijs illustraret, fuisse mysterium hoc non angelis tantum, nec prophetis, neque eruditis, & sapientibus, neque denique pijs tantum hominibus, verum etiam, & imperitæ multitudini, & scelestissimis hominibus, & ipsis etiam dæmonibus, magna ex parte, cognitum. Quo modo igitur appellat Paulus mysterium tacitum, atque penes Deum reseruatum, & ab aliorum cognitione remotum, id, quod innumerabilibus, & angelis, & hominibus, & dæmonibus, priscis illis temporibus, cognitum fuit? Sed animaduertendum est, quamuis multi, fama, & auditione, de Christo multa perciperent, non tamen ita, vt rationem Diuini consilij tenerent. Primum enim, quod ad diabolum, & eius ministros, attinet, licet suspicione quadam assequi potuissent, illum esse Christum; quantum tamen abessent a Diuini consilii intelligentia, ex eo perspicuum est, quod ea ratione, qua Christi gloriā infringere conabantur, eam magis illustrabant; &, quo maiore contentione pugnabant, vt Christi nomen extinguerent, atque delerent, eo vberiorem, & ampliorem, laudis sempiternæ materiam, ei recusantes, & inuiti, dabant; ita, vt cum maxime illum oppugnarent, maxime illius gloriæ seruirent. Neque mirum quidem est, eos tanto in errore fuisse versatos. Cum enim in tenebris, & caligine, nemo possit Diuinæ mentis lucem adspicere, tum certe, qui densissimis, atque sempiternis, tenebris oppressi sunt, necesse est, vt eo maiore furore, & amentia, vexentur, quo longius absunt a Diuini luminis splendore, & caritate. Loquimur (inquit alibi Paulus) Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius sæculi cognouit. Nam, si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Multitudo autem, quamuis magnum aliquid, atque præclarum, de Christi virtute, suspicione quadam attigisset, non ita tamen, vt vel illius numen, & maiestatem, intueri posset, vel Diuinum illius consilium in nostra salute constituenda mirabiliter initum assequeretur. Iccirco, vt, Principum auctoritate ducta, oraculis de Christo venturo fidem adiungebat; ita, Principum auctoritate commota, in ipsius Christi necem conspirauit. Vnde Petrus ait: Et nunc, fratres, scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Neque solum plebs, ignara legis, neque solum principes impii, atque nefarii, huius mysterij vim, & rationem, ignorabant, verum etiam, qui non modo litteris, & eruditione, sed moribus, atque sanctitate, præditi erāt plurimum alucinabantur; & modo in hanc, modo in illā, partem, coniecturam, ex aliqua probabili ratione, ducentes, aberrabant. Nā, neque de Christi numine, neque de illius imperio, & maiestate, neque de Regni illius amplitudine, & ratione, ea suspicabantur, quæ erant Christi magnificentiæ cōsentanea, magnamq. partem dignitatis illius ad terrenas opes, atque potentiam, transferebant; neque Prophetarum sensum, Diuinamq. mentem, percipiebant. Neque Prophetis quidem omni ex parte notum, & explorate perspectum fuit.

fuit. Quod enim de sanctis illis patribus, e quibus Iudæorum genus ortum fuit, Deus olim dixit Mosi, nempe, Nomen meum Adami non indicaui eis; id adeo late patet, vt confitendū sit, ne Mosi quidem fuisse vim huius sanctissimi nominis explicatam. Tunc enim vis illius exprimitur, cum Dei virtus, atque clementia, & benignitas illius infinita, & immensa, perspicitur; &, quod aliquando fides Diuinitus incitata, & confirmata, præsensit, effectu mirabili confirmatur. Non igitur tunc Deus vim, & rationem, sui nominis aperuit, cum populum suum e Pharaonis tyrannide, Mosis ductu, & imperio, liberauit: sed, cum vniuersum genus humanum e sempiterna peccati seruitutē, & e diaboli vinculis, opera filij sui, in terris mirabiliter orientis, exemit. Non cū Aegyptios illata vastitate, contriuit; sed, cum scelera omnia Christi virtute deleuit; non, cum Hebræis in Syria sedes assignauit, sed cum omnes mortales, qui benignitatem illius a se minime repulerunt, in iustitiæ possessione locauit. Vt igitur in illis operibus, quæ Moses colebat, Deus sese illi clarius, quam antiquis patribus, ostendisset, non ita tamen, vt esset ea cognitio Christi, quam vir Diuinus accepit, cū ea conferenda, quam postea Apostoli consecuti sunt. Neque enim ex parte, quemadmodum propheta, sed totum mysterium perfecte, cognouerunt. Nō vmbra, & imaginibus, vsi sunt; sed ipsam solidam, & expressam, Diuinæ bonitatis effigiem perspexerunt. Non angelorum monitis instructi sunt, sed ipsum Dei filium, quem præsentem adspiciebant, magistrum habuerunt. Siquidem Moses ipse, quamuis, ad alios collatus, imaginibus, quibus Deum cerneret, minime indiguisse dicatur, cum familiari Dei colloquio frueretur, tamen re vera non ita claram Christi speciem cernebat, in quem tamen intuens, in eaq. defixus, omnia de sententia illius administrabat. Numquam igitur id dixisset, quod Ioannes ait, quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod oculis adspeximus quod spectauimus, quod manus nostrę contrectauerunt de verbo vitæ, quæ manifesta facta est, & vidimus, & testificati sumus, & annuntiamus vobis. Ne discipuli quidem ipsi, quamdiu Christus in terris versatus est, eam cognitionem habuerunt, quam postea consecuti sunt. Similitudine enim, & imaginibus, paullatim proficiebant: nec enim erant adhuc ea claritate luminis illustrati, quæ imagines minime requireret. Ideo, inquit illis Dominus, Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: veniet hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis. Quo in loco, Prouerbium, est obscura sententia, cum similitudine quadam, ducta a rebus corporeis, commode, & sapienter, enuntiata. His autem similitudinibus, atque figuris, indigebant Apostoli, antequam opera sancti Spiritus multo clariorem Diuinarum rerum intelligentiam, animo, atque mente, conciperent. Intelligendum tamen est, quamdiu sumus in his corporum compagibus inclusi, cum nemini, quantumuis magnos in virtute, atque Diuinarum rerum sapientia, progressus habeat, Dei formam intueri concessum sit, non potuisse quemquam in hac vita Diuinam naturam, nisi per similitudinem, & speciem, contemplari. Non videbit, inquit ille, me homo, & viuet. Iccirco Ioannes ait, Deum nemo vidit vmquam. Paulus item, ad Corinthios scribens, Videmus, inquit, per speciē, in ænigmate. Comparatione tamen dicuntur illi Deum absque imaginibus cernere, qui magis a corpore segregati sunt, minusq. indigent corporeis adminiculis, quibus de rebus Diuinis erudiantur. Hac ratione Moses, eo quod longius a corpore, studio, & agitatione mentis, excessisset, & purius, quam alij Prophetæ, Deum contemplari solitus esset, minusq. multo similitudinibus vteretur, dicitur, Deum nō obscure, per speciem, & similitudinem, vt alij viderunt, sed clare, vidisse. Sic etiam Apostoli, ad Mosem collati, cum multo clarius, quam ille, Diuinæ naturæ magnificentiam cognouissent, dicti sunt Deum absque prouerbijs intueri. Quemadmodum Paulus inquit, Nos autē, aperta facie gloriam Domini contemplantes, similitudinem gloriæ illius arripimus. Quantum igitur Moses consiliorum Diuinorum intelligentia reliquis Diuinis viris anteibat, tantum Apostoli ipsi Mosi facile præstiterunt. Vnde colligitur, secundum hanc rationem, ne a Mose quidem fuisse nostræ salutis mysterium ita comprehensum, quemadmodum fuit postea Christi discipulis explicatum. Quid, quod ne angelis quidem fuit omni ex parte perspectum, & cognitum, quemadmodum Paulus in epistola ad Ephesios affirmare non dubitat? Potestis, inquit, legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu, gentes esse coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis Christo Iesu per Euangelium. Paucis deinde in eandem sententiam interiectis, adiungit: Mihi, omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc, in gentibus euangelizare imperuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo, vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. His quidē verbis Paulus aperte docet, angelos, per Ecclesiam, multiplicem Dei sapientiam, in generis humani salute procuranda, percepisse. Antea igitur illam non ita clare conspexerant. Quamuis enim Deum videant, eaque sapientia, quod ad naturæ Diuinæ cognitionem attinet, cumulati sint, quæ iam in illis augeri non possit,

non

non tamen omnia futura prospiciunt. Quemadmodum neque diem illum norunt, quo est extremum iudiciū exercendū. Sic enim Christus ait, De die illo, & hora, nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater meus. Sic igitur mirandum non est, si ne angelis quidem, antequam Christus in cælum adscēderet, suorumq. mentes ardore Diuini luminis inflammaret, notum ex omni parte fuit Diuinum, in salute, Christi opera, hominibus reddenda, atque restituenda, consilium. In vniuersum, quidquid, antequam fiat, oraculis Diuinis enuntiatur, non ita clare cognosci potest, vt non in multis rebus hæreamus; quemadmodum nunc de rebus, quæ vltimis temporibus euenturæ sunt, quamuis prædicta, quæ pertinent ad statum illius temporis, habeamus, nemo tamen, licet Diuinarum litterarum intelligentia sit instructissimus, potest vllo modo explorate cognoscere, quemadmodum illa vel ab Antechristo turbanda sint, vel a Christo rursus instauranda, Diuinisq. præsidijs firmanda, & stabilienda. Hoc igitur est sine vlla dubitatione asseuerandum, antequam Christus mortem oppeteret, nec angelis quidem ita clare fuisse mysterium nostræ salutis explicatum, atque fuit postea Christi discipulis & Ecclesiæ vniuersæ, postquam is suorum animos ardore luminis cælestis inflammauit. Quocirca rectissime fuit a Paulo positum, fuisse hoc mysterium innumerabilibus sæculis occultum, donec veniret tempus illud, quo terra vniuersa erat cumulanda scientia Domini; quemadmodum prædixit Isaias, & omnes simul, qui fidem colerent, de rebus Diuinis, ab ipso Deo, qui nos tantis muneribus auxit, erudiendi.

Ego F. Ludouicus de Torres, in Sacra Theologia Præsentatus, Ordinis Prædicatorum, ex commissione Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij F. Bartholomæi a Miranda, Vidi, & legi, hunc librum Reuerendissimi D. Hieronymi Osorij, Episcopi Siluensis, super Epistolam ad Romanos: & censeo dignum esse, quod imprimatur, & prælo mandetur: cum nihil contra fidem, neq. contra bonos mores, contineat: quin potius vtilis valde, & proficuus erit sacrarum litterarum studiosis, ad abstrusa, & difficilia loca Sacræ Scripturæ intelligenda, In quorum fidem præsentibus subscripsi manu propria. Romæ, in Conuentu S. Mariæ super Mineruam, die 10. Decembris. 1591.

F. Ludouicus de Torres.

Imprimatur. Hortensius Vrsus, Auditor, de mandato Reuerendiss. D. Vicesgerentis.

F. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.



REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo.

Omnes sunt Terniones, præter †, & Oo, Duerniones.

ROMAE,

Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini.

CIϽ IϽ XCII.



